P. DIDACI DE QUADROS
SOCIET. IESU.
SACRARVM LITTERARVM INTERPRETIS

# PALÆSTRA BIBLICA,
SEU
ENCHIRIDION NEOTERICORVM.

Del Apost.do del Dr. Mro de Escuela

# PALÆSTRA BIBLICA,
## SIVE
# ENCHIRIDION
## NEOTERICORUM
PRO SACRIS CODICIBUS RITE TRACTANDIS,
ET DIFFICULTATIBUS
# SCRIPTURÆ SACRÆ
## SCHOLASTICÈ
DISCVTIENDIS.

## TOMUS QUARTUS.

Dal Coll.° dela Comp.ª de Jhs

AUTHORE

*PATRE DIDACO DE QUADROS, SOCIETATIS JESU*
*Olim Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ Professore Primario; nunc in suo Imperiali Collegio SS. Litterarum Interprete, & Linguæ Hebraicæ Professore.*

ANNO DOMINI M. DCC. XXXI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SOFIA

)(S)( CUM PRIVILEGIO. )(S)(

MATRITI. Excudebat Iosephus à Gonzalez via Commendæ.

# PALÆSTRA BIBLICA,

SIVE

# NEOTERICORUM

ET DIFFICULTATIBUS

SCRIPTURÆ SACRÆ

SCHOLASTICE

# TOMUS QUARTUS.

AUTHORE

PATRE DIDACO DE ÁLVAREZ, SOCIETATIS JESU

Olim Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ Professore Primario; nunc in Imperiali Collegio SS. Litterarum Interprete, & Linguæ Hebraicæ Professore.

# B. IOANNI FRANCISCO REGIS, E SOCIETATE IESU, ILLUSTRI GALLO,

LALOVESCO ILLUSTRISSIMO.

EXORTO

INTER DISCRIMINA, VT CRIMINA SEPELIRET.

VESVVIO DIVINO

CVIVS ETIAM INTER PRÆALTAS NIVES IGNIS simul latet, & vstulat.

ABYSSO

HVMILITATIS EXCELSÆ; QVI NOBILIORA declinans oppida, ea, quæ erant minima gestis suis vertebat in maxima.

ADAMANTI CHRISTIANO.

ET PATIENTIÆ INCVDI, VBI PLVTONICA SPICVLA retorquerentur, & vnde missilia Dei iacula fundebantur,

COLOSSO

CELSISSIMÆ SANCTITATIS QVI DE FRACTO ETIAM crure assurgit, & star super aras.

GRANO

VERE MORTVO, VNDE ANIMABVS FRVCTVS; corporibusque frumenta prodigiosissimè redundabant.

DELIQVIO AMORIS

CVI MORIENTI DESVPER COELESTI RAPTV DATVM est habere Patriam in via.

H. O. D. D. Q. S. I. D. O. C. Q.

# MONITUM AVTHORIS.

Sicubi in hoc opere alicui perſonę elogia titulive adſcribuntur, quibus ſanctitas necdum declarata à S. Sede Apoſtolica præveniri videatur; humiliter, ac reverenter admodum teſtor iuxta Sacroſanctę Matris Eccleſiæ Statuta, & diplomata, me nulli perſonæ in ſanctorum album necdum relatę, vllam ſanctitatem adſcribere præter illam, quæ humanis noſtris ac fallibilibus coniecturis patere poteſt. Inſuper moneo, quod Privilegium, Licentiæ, Approbationeſque huius Tomi Quarti in tertio ſimul pro vtroque præmiſſa de more, & appoſita reperientur.

( IHS. )

# INDEX TRACTATUM, ET CAPITVM.

## HVIVS OPERIS.

### APPARATVS

### PARS PRIMA.

*SYNOPSIS VETERIS Testamenti.*


CAP. 1. Synopsis legalium Veteris Testamenti. pag. 1.
Sectio I. Synopsis Geneſis eiuſque capitum. pag. 2.
Sectio II. Synopsis Exodi, eiuſque capitum. pag. 6.
Sectio III. Synopsis Levitici, eiuſque capitum. pag. 9.
Sect. IV. Synopsis Numerorum, eiuſque capitum. pag. 11.
Sectio V. Synopsis Deuteronomij, eiuſque capitum. pag. 14.
Cap. II. Synopsis Hiſtorialium Veteris Teſtamenti.
Sectio I. Synopsis Ioſue, eiuſque capitum. pag. 16.
Sectio II. Synopsis libri Iudicum, eiuſque capitum. pag. 18.
Sectio III. Synopsis libri Ruth, eiuſque capitum. pag. 20.
Sectio IV. Synopsis libri 1. Regum, eiuſque capitum. pag. 20.
Sectio V. Synopsis libri 2. Regum, euſque capitum. pag. 22.
Sectio VI. Synopsis libri 3. Regum, eiuſque capitum. pag. 24.
Sectio VII. Synopsis libri 4. Regum, eiuſque capitum. pag. 26.
Sect. VIII. Synopsis 1. Paralypomenon, eiuſque capitum. pag. 28.
Sectio IX. Synopsis 2. Paralypomenon, eiuſque capitum. pagin. 30.
Sectio X. Synopsis lib. 1. Eſdræ, eiuſque capitum. pag. 33.
Sectio XI. Synopsis 2. Eſdræ, eiuſque capitum. pag. 34.
Sectio XII. Synopsis libri Tobiæ, eiuſque capitum. pag. 35.
Sectio XIII. Synopsis libri Iudith, eiuſque capitum. pag. 36.
Sectio XIV. Synopsis libri Eſther, eiuſque capitum. pag. 38.
Sectio XV. Synopsis libri Iob, eiuſque capitum. pag. 40.
Sectio XVI. Synopsis libri 1. Macabæorum, eiuſque capitum. pagin. 43.
Sectio XVII. Synopsis 2. Machabæorum eiuſque cap. 46.
Cap. III. Synopsis ſapientialium Veteris Teſtamenti.
Sectio I. Synopsis libri Pſalmorum Davidis. pag. 48.
Sectio II. Synopsis libri Proverbiorum, eiuſque capitum. 54.
Sect. III. Synopsis Eccleſiaſtæ, eiuſque capitum. pag. 58.
Sectio IV. Synopsis Cantici Canticorum, eiuſque capitum. pag. 60.


Sect.

Sectio V. Synopsis libri Sapientiæ, eiusque capitum. pag. 62.
Sectio VI. Synopsis Ecclesiastici, eiusque capitum. pag. 65.
Cap. IV. Synopsis librorum Prophetalium Veteris Testamenti.
Sectio I. Synopsis Prophetiæ Isaiæ, eiusque capitum. pag. 71.
Sectio II. Synopsis, tùm Prophetiæ, tùm Threnotum Ieremiæ eorumque capitum. pag. 79.
Sectio III. Synopsis Prophetiæ Baruc, eiusque capitum. pag. 87.
Sectio IV. Synopsis propetiæ Ezechielis. eiusque capitum. pagin. 88.
Sect. V. Synopsis Prophetiæ Danielis, eiusque capitum. pagin. 91.
Sectio VI. Synopsis Prophetiæ Oseæ, eiusque capitum. pag. 96.
Sectio VII. Synopsis Prophetiæ Ioelis, eiusque capitum. pag. 98.
Sectio VIII. Synopsis Propietiæ Amos, eiusque capitum. pag. 99.
Sectio IX. Synopsis Prophetiæ Abdiæ, eiusque vnici capitis. pag. 100.
Sectio X. Synopsis Prophetiæ Ionæ, eiusque capitum. pag. 101.
Sect. XI. Synopsis Prophetiæ Michææ eiusque capitum. pag. 101.
Sectio XII. Synopsis Prophetiæ Nahum, eiusque capitum. pagin. 102.
Sectio XIII. Synopsis Prophetiæ Habacuc, eiusque capitum. pagin. 103.
Sectio XIV. Synopsis Prophetiæ Sophoniæ, eiusque capitum. pagin. 104.
Sect. XV. Synopsis Prophetiæ Aggæi, eiusque capitum. pag. 105.
Sectio XVI. Synopsis Prophetiæ Zachariæ, eiusque capitum. pag. 106.
Sect. XVIII. Synopsis Prophetiæ Malachiæ, eiusque capitum. pag. 108.

# APPARATVS.

## PARS SECVNDA.

### *SYNOPSIS NOVI TESTAMENTI.*

CAP. I. Synopsis Legalium Novi Testamenti.
Sectio I. Synopsis Evangelij Mathæi, eiusque capitum. pagin. 110.
Sectio II. Synopsis Evangelij Marci, eiusque capitum. pag. 115.
Sectio III. Synopsis Evangelij Lucæ, eiusque capitum. pagin. 117.
Sectio IV. Sinopsis Evangelij Ioannis, eiusque capitum. pagin. 121.
Cap. II. Synopsis libri Historialis Novi Testamenti.
Sectio vnica. Synopsis Actuum Apostolorum eorumque capitum. pag. 124.
Cap. III. Synopsis sapientialium Novi Testamenti. pagr 127.
Sectio I. Synopsis Epistolæ ad Romanos, eiusque capitum. pag. 128.
Sectio II. Synopsis primæ Epistolæ ad Corinthios, eiusque capitum. pag. 132.
Sectio III. Synopsis 2. Epistolæ ad Corinthios, eiusque capitum. pag. 135.
Sectio IV. Synopsis Epistolæ ad Galatas, eiusque capitum. pag. 137.
Sectio V. Synopsis Epistolæ ad Ephesios, eiusque capitum. pagin. 138.
Sectio VI. Synopsis Epistolæ ad Philippenses eiusque capitum. pagin. 140.
Sectio VII. Synopsis Epististoleç ad Colossenses, eiusque capitum. pag. 141.
Sectio VIII. Synopsis primæ Epistolæ

læ ad Theſſalonicenſes, eiuſque capitum. pag. 142.
Sectio IX. Synopſis ſecundæ Epiſtolæ ad Theſalonicenſes, eiuſque capitum. pag. 143.
Sectio X. Synopſis primæ Epiſtolæ ad Thimoteum, eiuſque capitum. pag. 143.
Sectio XI. Synopſis ſecundæ Epiſtolæ ad Thimoteum, eiuſque capitum. pag. 145.
Sectio XII. Synopſis Epiſtolę ad Titum, eiuſque capitum. pag. 146.
Sectio XIII. Synopſis Epiſtolæ ad Philemonem. pag. 146.
Sectio XIV. Synopſis Epiſtolæ ad Hebræos, eiuſque capitum. pag. 147.
Sectio XV. Synopſis Epiſtolę Iacobi, eiuſque capitum. pag. 149.
Sectio XVI. Synopſis primæ Epiſtolæ Petri, eiuſque capitum. pagin. 151.
Sectio XVII. Synopſis ſecundæ Epiſtolæ Petri, eiuſque capitum. pag. 152.
Sectio XVIII. Synopſis primæ Epiſtolæ Ioannis, eiuſque capitum. pag. 153.
Sectio XIX. Synopſis ſecundæ Epiſtolæ Ioannis. pag. 154.
Sectio XX. Synopſis tertiæ Epiſtolæ Ioannis. pag. 154.
Sectio XXI. Synopſis Epiſtolæ Iudæ. pag. 154.
Caput IV. Synopſis libri Prophetalis Novi Teſtameti, ſcilicet Apocalypſis D. Ioannis Apoſtoli, eiuſque capitum. pag. 155.

## DECADES QVODLIBETICÆ.

### DECAS PRIMA.

QVęſtio I. Vtrùm anima Adami creata fuerit prius quam eius corpus formaretur? pag. 160.
Quæſt. II. Vtrùm lignum vitæ tale fuerit, quo homo ſemper viveret? pag. 165.
Quæſt. III. Vndenam arbori ſcientiæ boni, & mali fuerit inditum nomen huiuſmodi? pag. 171.
Quæſt. IV Vtrùm omnis lex ferat ſecum obligationem aliquam in cõſcientia? pag. 176.
Quæſt. V. Vtrùm lex æterna ſit verè, & propriè lex? Pap. 188.
Quæſt. VI. Vtrùm lex naturalis verè ſit præceptiva? pag. 198.
Quæſt. VII. Vtrùm Deus diſpenſare poſsit in lege naturæ? pag. 214.
Quæſt. VIII. Vtrùm ius gentium diſtinctum ſit à iure naturali, & civili? pag. 242.
Quſt. X. Vtrùm lex vetus fuerit adæquatè divina, & honeſta. pagin 253.

### DECAS SECVNDA.

QVæſt. I. Quot, & qualia fuerint Sacramenta veteris legis? pag. 269.
Quæſt. II. Qua vi, & quo tenore obligaverit in lege veteri iuramentum promiſſorium? pag. 273.
Quæſt. III. Vtrùm in lege veteri licuerit aliquando aliquid humanum ſacrificari? pag. 288.
Quæſt. IV. Vtrùm in lege veteri fuerit licitum habere plures vxores? pag. 310.
Quæſt. V. Vtrùm in lege veteri licitè quis potuerit habere concubinas? pag. 308.
Quæſt. VI. Vtrùm Synagoga veteris legis erraverit aliquando contra fidem? pag. 315.
Quæſt. VII. Vtrùm Pontifex in veteri teſtamento fuerit iudex infallibilis controverſiarum? pag. 320.
Quæſt. VIII. Vtrùm bellum in lege veteri fuerit licitum? pag. 326.
Quæſt. Vtrùm in lege veteri licuerit auxilium ab infidelibus implorare? pag. 332.
Quæſt. X. An in lege veteri licitus fuerit equorum vſus? pag. 338.

¶¶¶ DE-

## DECAS TERTIA.

QVtrùm lex nova ſit verè præceptiva, & quomodo? pagin. 344.

Quæſt. II. Vtrùm lex nova per poteſtatem humanam ſit diſpenſabilis?. pag. 352.

Quæſt. III. Quot, & quæ fuerint beatitudines à Chriſto D. in lege Evangelij pronuntiatæ? pag. 366.

Quæſt. IV. Quiſnam ſit, & vbi præſcriptus tenor orandi in lege Evangelica? pag. 378.

Quæſt. V. Vtrùm Chriſtus D. in ſua lege Evangelica ſolum correxerit traditiones Phariſæorum; an legis veteris interpretationem donaverit? pag. 389.

Quæſt. VI. Vtrùm iuramentum præceptum fuerit; an permiſſum tantum? pag. 409.

Quæſt. VII. Vtrùm ſermo habitus in monte Chriſti ad diſcipulos, & relatus Mathæi 5. idem ſit cum eo qui Lucæ 6. refertur? pag. 428.

Quæſt. VIII. Vtrùm Chriſtus D. in terra ſcribens ſententiam aliquam ſcripſiſſet? pag. 346.

Quæſt. IX. Vtùrm rigoroſa ſorte, an ſuffragijs electus fuerit D. Mathias? pag. 441.

Quæſt. X. Ad quod, vel quale tempus referatur prophetia Ioelis de effuſione Spiritus? pag. 447.

## DECAS QVARTA.

QVæſt. 1. Vtrùm Nathanael fuerit idem, ac S. Bartholomæus Apoſtolus? pag. 454.

Quæſt. II. Vtrùm D. Ioannes Evangeliſta fuerit ſponſus in nuptijs Cana Galilææ? pag. 461.

Quæſt. III. Quo ſenſu litterali, & Catholico illa verba, Ioann. 2. *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* ſunt vſurpanda? pag. 467.

Quæſt. IV. Vtrùm architriclinus fuerit primas diſcumbentium, an præfectus miniſterij? pag. 483.

Quæſt. V. Quomodo coheræant verba Act. 9. 7. alijs, quæ Act. 22. de eodem caſu recenſentur? pagin. 490.

Quæſt. VI. Vtrùm poſtrema diſceſsio intelligenda ſit ab Imperio Romano? pag. 496.

Quæſt. VII. Quodnam ſit prælium Michaelis cum diabolo ſuper corpore Moyſis? pag. 507.

Quæſt. VIII. An ſeptimum ſigillum Apocalypſis conſiſtat in hoc ſilentio duntaxat, an etiam in plagis poſtea ſubſequutis? pag. 511.

Quæſt. IX. Vtrum duo teſtes venturi in fine mundi ſint Elias, & Enoch? Pag. 518.

Quæſt. X. Vtrùm pugna Michaelis cum Dracone futura ſit pro temporibus Antichriſti? pagin. 523.

Appendix prima pars prior de Authore clariſsimo. pag. 531.

Pars poſterior Adagia N. T. Patris Andreæ Scoti. pag. 534.

Appendix ſecunda pars prior. Memoriale Biblicum. pag. 547.

Pars poſterior. Nomina 72. Interpretum, & 72. Diſcipulorum Domini. pag. 564.

ERRA-

## *ERRATA SIC CORRIGE.*

PAg.12.l.40.*Suarum*,leg. uvarum.pag. 171.l.5. *Sicut*,leg. ſicut Dij pag. 172.l.17.*negatio*,l.nugatio.pag.205.l. 12. *Fœlecus*,leg.Fœlicius. pag. 208.l.40 *Dominum*, leg.dominium.pag.252.l.30.*nli*.leg.in lege. pag. 264. lin.7,*iater*.leg.inter.pag.285.l.18.*tnima*,leg.anima.pag.308.l.4.*larcisus*,leg. leg.largitus.pag.358.l.43.*Quod ad*,leg.Quoad.pag.440.l.3. *nedum*,leg.necdum.pag.446.l.45.*aniti*,leg.animati.pag.464.l.6.*coiungi*,leg. coniugi. pag. 467.l.4.*eſt tibi &*,leg.& tibi eſt.pag.470.l.22. *&* , leg.ad.pag.487.l.9. *camara*,leg.camera.pag.500.l.43.*confuſionts*,leg.confuſionis.pag.501.l.9.*rerelari*,leg.revelari.pag.507.l.5.*alte,caretur*,leg.altercaretur.pag.517.l.16. *Antonium*,leg.Antoninum.pag.520.l.14.*alterum*, leg. duorum.pag. 543.l.45. *crudentiſsimè*,leg.eruditiſsimè.pag.549.l.vlt.*Obitaque*,leg.obitque.pag. 553. *inventæ*,leg.iuventæ.

Quartus Tomus *Paleſtræ Biblicæ* nunc primum in lucem editus à R. P. Didaco de Quadros, Societatis Ieſu, Scripturæ ſuæ Cathedræ moderatore, hæc ſi menda demas, originali eius eſt conformis. Matriti poſtridie Kalendas Auguſtas, anni D. MDCCXXXI.

*Lic. D. Manuel Garcia & Aleſſon.*
H. C. M. Generalis Corrector.

PRO-

# PROLOGVS
## AD LECTOREM.

POST tertium tomum, Lector Benevole, quo ferè totam meam fidem datam exsolverem, libuit, licuitque per Deum, etiam quartum adijcere, quo, nimirùm, si minus quidem perfectam, rem tamen totam quoquomodo donarem. Is ergo incedit ad instar trium priorum partitus in se videlicet, & Decades, & apparatum, illum quidem, quo mens, & animus noster in hoc opere concinnando saltem pro nostro modulo compleretur: non enim vltra hunc tomum quartum sumus vlteriùs progressuri, putantes, hucusque data, si saltem mediocria sint, futura esse plusquam satis argumento, & assumpto; si verò inepta fuerint; discretum semper fore, delirare ad mensuram. Inter omnes ergo apparatus, qui pro tyronibus præmitti possint, vix vllus alius in hac re vtilior ac proprior, quam totius Sacræ paginæ nucleus presse ac ritè traditus, in quo quidem genere P. Fabritius Britius N. Societatis, tàm feliciter laboravit, vt palmam tulerit, ac sit facile Princeps. Eum propterea ante Decades nostra multa cura, & fidelitate recusum damus: qui cum sibi adroget omnes illas paginas, quæ lex apparatus posset permittere; reiecimus in appendices ad calcem operis subiunctas ea, quæ, & ab initio arbitrati sumus prætereunda non esse, & partim in prioribus promissa etiam extabant. Hæc nempè sunt Adagialia Novi Testamenti P. Andreæ Scoti N. Societatis quandoquidem ea, nimirum, nacti fuimus, & labore nostro illa contraximus: item Memoriale Biblicum, quo metricè sic tota Sacra pagina esset depositi, vt per singula Verbula singula, & omnia eius capita, & volumina retineri ac memorari possent: cui deindè atteximus Nomina septuaginta Interpretum, & septuaginta Discipulorum Domini. Hos ergo inter ornatus quæstionum campus interiacet, quę mihi visę sunt nedum tractatione sua vtilissimę; sed etiam veluti claves ad dubia plurima resolvenda: quippè quæ non in re Bibica duntaxat lucem ferunt; sed, & in Iuridica, & morali magno vsui esse possunt ac debent. Ordiuntur enim ab explicatione fundamentali legis æternæ, perguntque post modum cuncta naturæ iura funditus disquirentes, quousque tandem ius Divinum Veteri Novique Testamenti discernunt, & implexa Gentium iura resolvunt. Præterea tamen plura in eis de lege Veteri in specie legislativa declaro, ac de lege nova arduiora puncta legis multa speculatione disquiro. Postremoque, si fortè in his omnibus plus iusto, Amice Lector, tui patientiam exercui, memineris, quæso, de tertio tomo nostro nonnullas de Iob quæstiones; vt eà ipsius tolerantia permotus, nostra tolerare non renuas. Vale.

APPA-

IHS.

# APPARATUS
## AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
# PARS PRIMA
## DE
## COMPENDIO MAGIS PARTICULARI TOTIUS SACRÆ SCRIPTURÆ.

## PROOEMIUM.

IN HOC OPERE NEQUIT NON ESSE ADMODUM VTILE PRÆter Synopsim generaliorem Sacræ Scripturæ in Primo Tomo adiectam, aliam insuper quæ eiusdem libros magis in particulari referat, recensere, vt exinde facile quivis possit totius Sacræ paginæ nucleum retinere. Cumque ad id vix illa possit aptior desiderari Synopsis, quàm ea est, quàm P. Fabritius concinnè confecit; eam hic lubenter præmittimus.

### SYNOPSIS VNIVERSÆ SACRÆ SCRIPTVRÆ.

VNIVERSA SCRIPTURA SACRA DUAS IN PARTES DISTRIBUItur, in Vetus, ac Novum Testamentum; duas etiam in partes hæc Synopsis distribuetur.

### PARS PRIMA.
### *SYNOPSIS VETERIS TESTAMENTI.*

VETERIS TESTAMENTI CANON; SEU LIBRORUM ORDO, à Sacris Doctoribus in quatuor classes dividitur, nempe Legalium, Historialium, Sapientialium, & Prophetalium. Quapropter per totidem capita synopsis illorum explicabitur.

#### CAPUT I.
#### *SYNOPSIS LEGALIUM VETERIS TESTAMENTI.*

LEgales libri Veteris testamēti sunt quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; veniuntque sub nomine Pentateuchi, quæ vox Græca est, & significat volumen quinque librorum, à *pente*, quod est quinque, & *teuchos*, quod est volumen. Appellatur ab Hebræis Thora, hoc est lex, à sacris verò litteris, liber legis Domini, seu volumen legis Moysi. Conscriptus

eſt Pentateuchus à Moyſe Hebraicè, tamquam à Propheta Sanctiſsimo, & vetuſtiſsimo, & primo inter Scriptores Eccleſiaſticos, nato ſecundum Cardinalis Bellarmini computum, anno bis milleſimo quadringenteſimo tertio, ab initio mundi. Is verbo, & opere potens (vt ait S. Stephanus in actis Apoſt. cap. 7.) & eruditus in omni ſcientia Ægyptiorum, anno octogeſimo vitæ ſuæ, ſuſcepit iuſſu Dei principatum Hebræorum, ideſt anno mundi 2483. & ex Ægypto eduxit, rexitque vt patet ex Exodo, annos quadraginta. Eius vitam miraculoſam, formam præcellentem, mores heroicos, ſtudia præclara, ſapientiam ſingularem, rerum gerendarum dexteritatem inauditam, ac vitam omnibus numeris abſolutam, ſacræ litteræ ſingulariter explicant. Collegit in eodem Pentateucho hiſtoriam ab initio mundi vſque ad annum centeſimum, ac vigeſimum ætatis ſuæ, vltimum ſuæ vitæ, hoc eſt vſque ad annum poſt orbem conditum bis milleſimum quingenteſimum vigeſimum tertium. Octo tamen poſtremos verſus extremi capitis Deuteronomij, ab eo videlicet loco, *& mortuus eſt Moyſes, &c.* vſque in finem totius voluminis, Ioſue poſt mortem Moyſis, vel Eſdras, vel alius aliquis Propheta, quod notat Bellarminus, ſuppleviſſe creditur; tamẽtſi Ioſephus aſſerat, Moyſem mox moriturum ſeipſum in eius fine mortuum deſcripſiſſe, veritum, ne propter excellentes virtutes ſuas, Iudæi ſe à Deo raptum prædicarent. Iam ſingulorum librorum legalium Veteris Teſtamenti ſynopſim per quinque ſectiones attexamus.

## SECTIO PRIMA.

### *SYNOPSIS GENESIS, EIUSQUE capitum.*

GEneſis liber eſt primus Veteris Teſtamenti ſcriptus à Moyſe, ſi Pererio credimus, exule in Madian, ad conſolationem Hebræorum, qui à Pharaone opprimebantur in Ægypto; nam reliquos quatuor Libros Pentateuchi credendum eſt ab eodem Moyſe ſcriptos iter agente per deſertum. In hoc Libro Geneſis propoſitos habemus omnium rerum creatarum primos natales, hominis lapſum, fædus, & reſtitutionis promiſsionem, magnitudinem Divinæ Iuſtitiæ, & erga Eccleſiam amorem, & in ea extruenda, regendaque ſollicitudinem, terræ Diluvium, linguarum, & gentium diviſionem, & Patriarcharum res geſtas vſque ad obitum Ioſeph, hiſtoriam ſcilicet annorum amplius quàm duorum millium, & ducentorum. Hebræi, ritu patrio, à prima libri voce, eum Bereſith, ideſt in principio, ſeptuaginta à materia, de qua agit, Geneſim vocant, Latini idem nomen retinent, quo ſignificatur rerum omnium creatarum generatio, latiniſimè accepto vocabulo, vt etiam creationem propriè dictam includat. Iam autem ad ſingulorum capitum, quæ ſunt 50. Synopſim deſcendamus.

Recenſentur primo capite. Creatio mundi, & opus ſex dierum: primo ſcilicet die factum cœlum, terra, & lux. 2. firmamentum. 3. mare, & arida cum herbis, & plantis. 4. Sol, Luna, & Stellæ. 5. piſces, & aves. 6. iumenta, reptilia, beſtiæ, & Homo, cui ſubiecta omnia. Cap. 2. Quies Dei in Sabbato, Sabbatique ſanctificatio. Paradiſi plantatio, & quatuor eius flumina. Collocatus Adàm à Deo in Paradiſo. Vetitus eidem eſus pomi ſcientiæ boni, & mali. Animantibus terræ, & volatilibus cœli nomina impoſita ab Adamo. Formatio Evæ ex Adami dormientis coſta. Inſtitutio matrimonij in ijſdem. 3 Evæ tentatio per Serpentem. Adami ſeductio ad peccandum per Evam. Vtriuſque peccatum. Increpati ambo à Deo. Maledictio data Serpenti à Deo. Promiſsio Chriſti Redemptoris. Adami, & Evæ damnatio ad labores, dolo-

dolores, & ipſam mortem. Eorumdem ejectio, è Paradiſo, cuius cuſtodia demandata Cherubim cum flammeo gladio. 4. Caini, & Abelis generatio ex Adamo, & Eva. Abelis occiſio per Cain. Hic à Deo propterea maledictus, & profugus. Progenies Cain. Natus Adamo loco occiſi Abelis Seth, qui gignit Enos. 5. Genealogia Adami per Seth vſque ad Noe, vt de primordijs mundi, primaque eius propagatione aliquid certi haberemus. 6. Hominum omnium, ac præcipuè gigantum lapſus in libidines, ac omnia ſcelera. Hinc diluvij comminatio ad excidium Orbis. IuſſaNoe à Deo Arcæ fabrica, in qua tàm ipſe, eiuſque familia, quàm animalia bina cuiuſque ſpecici in ſemen poſteritatis ſerventur. Poſt centeſimum annum à comminatione immiſſum Diluvium. 7. Ingreſſus Noemi cum tribus filijs, & filiorum vxoribus, & cum delectis ex ſingulis animantibus in Arcam. Occupata terra à Diluvio per dies centum quinquaginta. 8. Diluvium ſenſim diminutum; idemque tandem finitum edoctus Noemus ex ramo Olivæ à Columba allato. Egreſſus Noe cum omnibus ſuis ex Arca iuſſu Dei. Sacrificium in gratiarum actionem ab eo Deo oblatum; qui eodem placatus promiſit deinceps nunquam fore Diluvium. 9. A Deo benedictus Noe, eiuſque poſteritas Carnis eſus conceſſus, non tamen ſanguinis. Homicidij pœna ſancita. Iris apparens in teſſeram pacti de non inducendo iterum Diluvio. Noe inebriatus. Idem dormiens nudatus à Cham, ſed à Sem, & Iapheth opertus. Cham à Noe evigilante maledictus; Sem vero, & Iapheth benedicti. 10. Catalogus filiorum, & poſterorum Iapheth, Cham, & Sem. Eorumdem per orbem partitio. Ex his ortæ, ac nominatæ gentes celebriores, ac omnes hucuſque mortales. 11. Babelis turris extructio. Linguarum diviſio, ac gentium diſperſio in omnes orbis partes. Genealogia Sem vſque ad Abraham in Haram, & Chanaam commigrantem ex Vr Chaldæorum. 12. Abram cum ampla promiſsione evocatus à Deo ex Chaldæa Patria ſua. Eiuſdem peregrinatio in Chanaam nempè in Sichem, & Bethel Fame coactus Abram deſcendere in Ægyptum. Hic Saræ coniugis ſuæ raptus à Pharaone; ſed ab hoc eadem, ob flagella ſibi cœlitus immiſſa, mox reſtituta marito intacta. 13. Abram à nepote ſuo Loth ſeparatus, & terram Chanaam incolens. Loth Sodomam eligens. Terra Chanaam in hæreditatem Abraæ promiſſa. 14. Pentapolitæ bello ſuperati à Babylonijs. Inter illos Loth captivus abductus; liberatus tamen ab Abram, cæſis Babylonijs. Lætus pro victoria Abram, & decimas dans Melchiſedecho, & recipiens ab eodem benedictionem. 15. Promiſſum Abraæ à Deo ſemen inſtar Stellarum cœli numeroſum. Promiſſa ſimul terra Chanaam. Huius promiſsionis in ſignum oblatæ Deo victimæ; ſimulque fœdus ſancitum inter Deum, & Abram, cuius poſteri poſt 420. annos in Chanaam eſſent iuducendi. 16. Conceptus filius ab Agar ſecundaria vxore Abræ. Inde eadem ſuperba, ſed à Sara afflicta, in deſertum fugiens hinc ab Angelo iuſſa redire. Promiſsi Iſmaelis filij naſcendi deſcriptio, & partus poſt reditum. 17. Nomen Abræ iuſſu Dei mutatum in Abraham. Novum fœdus cum illo Sancitum à Deo. Fœderis ſignum inſtituta Circunciſio. Nomen Sara mutatum etiam in Sarai, & promiſſus ex illa filius Iſaac. Circunciſionis præceptum ſtatim adimpletum ab Abraham in ſeipſo, in Iſmaele filio, & in omnibus viris domus ſuæ. 18. Manifeſtatus Dominus Abraham. Tres Angeli ab eodem hoſpitio, & convivio excepti. Ab his Abrahæ promiſſus filius ex Sara ridente de promiſsione. Eidem Abrahæ revelatum ab Angelis inſtans excidium Sodomæ, ac vicinis vrbibus. Abrahæ inter-

intercessio pro vitando excidio fruſtranea. 19. Angeli à Loth hoſpitio excepti. Iidem petiti à ſodomitis ad ſcelus nefandum. Hinc ab Angelis, poſt eductum Loth cum vxore, & duabus filiabus, cremata Pentapolis, excepta Segor in gratiam Loth. Vxor Loth poſt ſe reſpiciens verſa in ſtatuam ſalis. Nati ex filiabus Loth Moab, & Ammon, ex patre concepti. 20. Sara vxor Abrahæ rapta à rege Geraris. Inde punitus, & reprehenſus à Deo. Tandem expoſtulans cum Abrahamo, quòd non indicaſſet ſuam eſſe vxorem, & orante pro eo Abrahamo, ſanatus. 21. Ortus, circuncisio, & ablactatio Iſaac. Iſmael, & Agar expulſi ab Abrahæ domo; ſed in deſerto ab Angelo ſolatio recreati. Fœdus arctiùs cum Abimelech initum ab Abrahamo. 22. Obedientia Abrahami immolantis Iſaac filium ſuum Deo. Inhibitione facta ſibi ab Angelo, immolatus aries pro filio ab eodem Abrahamo. Tantæ obedientiæ ampliſimæ benedictiones in mercedem acceptæ. Progenies Nachor fratris Abrahæ recenſita tàm ex Melcha vxore eiuſdem Nachor, quàm ex Roma concubina. Rebecca, & nata ex Bathuele filio Nachor ex Melcha. 23. Saræ iam annorum 127. obitus. Eiuſdem cadaveri ſepeliendo emptus ab Abraham ager cum duplici ſpelunca, venditusque ab Ephrone Hethæo filio Seor. 24. Adiuratus ab Abramo ſervus, vt Iſaaco quærat vxorem ex Haram. Rebecca ab eodem adducta ducta in vxorem ab Iſaac. 25. Ab Abrahamo ex Cetura ſecundaria vxore ſex proles ſuſceptæ. Abrahæ iam annorum 175. obitus. Apud Saram ſepultum eius cadaver. Proles Iſmaelis, eiuſque obitus. Rebeccæ nati gemelli Iacob, & Eſau. Minor maiori prælatus à Deo. Primogenitura ab Eſau Iacob vendita pulmenti pretio. 26. Iſaac de novo confirmatus hæres omnium bonorum Abrahæ promiſſorum à Deo. Propterea benedictus, ac vehementer ditatus. Hinc eidem Geraritæ invidentes. Eiuſdem putei illis obſtructi. Sed ab Iſaac Divino numine confortato, pax, fœduſque in Berſabee cum Geraritis renovatum. Ab Eſau vxores Hethææ ductæ. 27. Patris benedictio dolò prærepta à Iacob fratri ſuo. Mors illi propterea ab Eſau comminata. Hinc à matre Iacob fuga in Haram conſilio indicata. 28. Seceſſus Iacob in Meſopotamiam ex conſilio Patris. A Iacob in via dormiente ſcala viſa; per hanc Angeli aſcendentes, & deſcendentes illum conſolati. Viſus à Iacob etiam Deus innixus faſtigio ſcalæ. Inde locus ille vocatus Bethel domus Dei. Votum à ſe factum Deo, & itineris proſequutio. Nota hæc omnia contigiſſe anno ætatis Iacob 77. Cap. 29. Iacob acceſſus in Haram ad Laban. Servitium à ſe Labano prò Rachele, & Lia impenſum 14. annis. Ex Lia vxore Iacob nati Simeon, Levi, & Iuda. 30. Septem aliæ proles natæ Iacob. Hinc in patriam regreſſus cogitatus. Sed novo pacto, atque mercede Iacob à ſocero detentus. In hoc autem doloſus ſocer inventus, iuſto dolo à Iacob per virgarum decorticationem deceptus. Vnde ovium divitiæ auctæ Iacob. Hinc etiam vltra modum ditatus. 31. Clandeſtina fuga à Iacob cum tota familia abrepta ex Haram in Chanaam. Inſequutus eum Laban. Hinc vtrinque iurgia. Sed Labano prohibitum à Deo, ne Iacob noceat. Propterea fœdus amicitiæ in Galaad initum inter illos Labani reditus in Haram. 32. Binæ Angelorum acies ad ſui tutelam à Deo ſubmiſſæ viſæ à Iacob. Munera à ſe miſſa ad fratrem ex illius metu. Victor in lucta cum Angelo Iſrael vocatus; ſed cum offenſo fœmore. Propterea nervus à filijs Iſrael reiectus inter edendum. 33. Placatus à Iacob frater humilli ſubmiſſio-

miſsione, ac donis, ſibique propterea devinctus. Domicilium à ſe fixum in Socoth, & in Salem, ibique Deo Liberatori ſuo altare à ſe erectum cum Sacrificio. 34. Dina filia Iacob rapta, & violata à Sichem, Hinc à filijs Iacob cum Sichem initum doloſum fœdus de circumciſione ſui cum ſuis, vt Dinam habeat in vxorem. Invaſio, & trucidatio Sichimitarum ex circumciſione laborantium facta à Simeone, & Levi: ſed cum magno Iacobi dolore, & mœrore. 35. A Iacob familia ſua idolis expurgata, & à ſe ara Deo ædificata. Item Iacob à Deo vocatus Iſrael. Obitus Rachelis in partu Benoni, quem pater vocat Beniamin. Obitus Iſaac annorum 180. cui iuſta facta ab Eſau, & Iacob filijs ſuis. 36. Recenſiti duces, & reges prognati ex Eſau, vt conſtet, benedictionem datam illi ab Iſaac reipſa fuiſſe adimpletam. 37. Narrata à Ioſeph ſua ſomnia. Hinc in fratribus invidia orta, & ab ijsdem nex in Ioſeph ipſos inviſentem præparata. Sed liberatus Ioſeph à Ruben. Suaſu Iudæ Ioſeph venditus Madianitis, à quibus Putiphari in Ægypto divenditus. 38. Iudæ nati Her, Onam, & Sela, ſed Onam Deus ob mollitiem, & retractum in actu coniugij ſemen morte plectit. Thamar doloſè ex Iudà ſocero gravida, cui nati Phares, & Zaram. 39. Ioſephi caſtitas tentata ab hera. Ioſephi fuga, relicta heræ clamyde. Inde, per calumniam heræ carceri traditus. 40. Expoſita ſomnia à Ioſeph in carcere pincernæ, & piſtori Pharaonis, quem ijdem habuerant concaptivi. Expoſitio ſomniorum eventu probata; pincerna enim iterùm vocatus ad ſervitium, piſtor in patibulo ſuſpenſus. 41. Somnium ſeptem vaccarum, & ſeptem ſpicarum à Pharaone habitum eidem à Ioſepho explicatum de duobus futuris ſeptenarijs, vno fertilitatis, & altero ſterilitatis. Hinc Ioſeph à Pharaone præfectus vniverſo Regno Ægypti, Ioſephi providentia fames ſeptennis ab Ægypto depulſa. 42. Cogniti à Ioſeph fratres ſui in Ægyptum frumenti cauſa venientes. Iidem durè tractati; ſed ſolo Symeone retento, cæteri dimiſsi, ea lege, vt ad ſe adducant Beniamin. 43. Fratres ſui cum Beniamin in Ægyptum redeuntes, vt emant frumentum, à Ioſeph benignè excepti, & lauto convivio exhilarati. 44. Scyphus ſuus occultè in ſacco Beniamin poni iuſſus à Ioſeph, vt ipſe reſciſcat, quo animo ſint fratres in Beniamin. Hinc Beniamin quaſi fur, & in ſervum ſibi retentus. Sed Iudas à ſe pro eo in ſervum oblatus. 45. Ioſeph, & fratrum agnitio mutua. Inde fratres ad patrem cum muneribus remiſsi. Pater ad ſe in Ægyptum adducendus ex eiuſdem Ioſeph iuſſu. Iacob ingens gaudium. 46. Progreſſus Iacob cum ſua tota proſapia hic etiam recenſita in Ægyptum. Amantiſsimè exceptus à Ioſeph illi etiam occurrente. 47. Pater, fratreſque à Ioſeph ad Pharaonem regem adducti. Ijſdem terra Geſſen data. Pecora ſua, & agni ab Ægyptijs fame coactis pro frumento divendita Ioſepho, & Pharaoni. Adiuratus Ioſeph à patre expirante, vt ſe ſepeliat in terra Chanaam. 48. Duo Ioſephi filij, hoc eſt Ephraim, & Manaſſes adoptati ſibi in filios à Iacob, à quo etiam benedicti. Ephraim iunior præpoſitus Manaſsi ſeniori. Ager Sichemiticus extrà ordinem donatus Ioſepho in communi hæreditatis partitione. 49. A Iacob morituro convocati filij, & ordine ſinguli à ſe benedicti. Ab eodem illis prædicta bona, malaque, cuiuſque poſteris eventura. Terra Chanaam electa à Iacob pro ſepulchro. Eiuſdem obitus anno 147. ætatis ſuæ. *Nota* à quibuſdam hoc caput 49. inſcribi, Benedictiones duodecim Patriarcharum; ab alijs Prophetiam de duodecim Patriarchis. Vtrique verè, & rectè. 50. Ioſephi, fratrumque cum Ægyptijs planctus ſuper patrem de-

functum. Hic sepultus à Iosepho, & fratribus cum magno comitatu in Hebron. Fratres ob admissum olim in se crimen perterriti, à Iosepho consolatione recreati. Iosephi obitus anno ætatis 110. Eius ossa ad ipsius iussum deferenda in Chanaam, interim aromatibus condita, reposita in loculo in Ægypto.

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS EXODI, EIUSQUE capitum.*

LIber secundus Pentateuchi Hebraicè dicitur, Veelle-Semoth, ideſt, *& hæc sunt nomina*, quòd eodem modo liber incipiat. Græce Exodus nominatur, ideſt Exitus, quod in eo exitus filiorum Israel ex Ægypto describatur: Exodi nomen retentum etiam à Latinis. Narrat ergo hic liber gesta annorum 145. puta, à morte Iosephi vsque ad alterum annum ab egressu Hebræorum ex Ægypto. Quare explicat Patriarcharum, seu filiorum Iacobi mortem, sequutam Hebræorum sub Ægyptijs servitutem, Moysis nativitatem, gesta, & decem plagas Ægypti; exitum Hebræorum ex Ægypto, tranſitum per mare rubrum, mersis in eo Aegyptijs; manna, cœleste, & in deserto copiam aquarum, cædem Amalec; legem datam in monte Sinai; adorationem vituli, confractas legis tabulas, idololatras trucidatos, fabricam tabernaculi, & variam eius suppellectilem. In quibus omnibus eluxit Divina Providentia singularis, quà exercendo, quà tuendo, quà erudiendo populo suo, quà domando, ac debellando hostes illius. Singulorum capitum, quæ sunt 40. Synopsis sequens esto.

Narrantur primo Cap. Novi Pharaonis, ignorantis Iosephi, timentisque Hebræos ita crescentes, ingentes conatus ad eos opprimendos, primò onerum impositione, ex qua tamen illi magis crescunt. 2. Ex præcepto facto obstetricibus, vt necent masculos Hebræorum, sed illæ facinus detestantur. 3. Lege facta vt ijdem masculi Hebræorum à quovis sui populi impunè demergerentur in flumen. 2. cap. Natus Moyses, sed in Nilo expositus à filia Pharaonis assumptus, & adoptatus. Occisus Ægyptius à Moyse propterea fugiente in Madiam. Hic ab eodem ducta Sephora, ex qua accepti filij Gersam, Eliezer. 3. Moyses pascens oves Iethro Soceri sui vocatus à Deo ex rubo ardente, sed incombusto. Idem iussus adire Pharaonem, & ab illo deposcere liberationem Hebræorum. Rogatus Deus à Moyse de suo nomine, & solum, *Ego sum, qui sum*, respondens. 4. A Moyse accepta ex Deo tria signa missionis suæ, tria nimirum signa triplicis conversionis, virgæ scilicet in colubrum, manus in lepram, & aquæ in sanguinem. Assensus tandem Moyses huic missioni Dei post multam tergiversationem. Regressus ergo idem in Ægyptum cum vxore, & filijs. Mortis periculum Moyses ingressus, quòd vnus è filijs esset incircumcisus. Periculum evasum ob circumcisionem pueri. Redux in Ægyptum exceptus ab Aaron fratre, Dei monitu illi occurrente. Cunctis senioribus filiorum Israel congregatis revelata omnia à Moyse sibi dicta à Deo. 5. Inchoata legatio Moysis cum Aarone ad Pharaonem. Oratus Pharao, vt permittat Hebræis ire sacrificatum in desertum. Preces illorum à Pharaone contemptæ. Hinc etiam graviùs pressi Hebræi, propterea cum Moyse expostulantes. Moysis recursus ad Deum. 6. A Deo animi additi Moysi, nomenque suum IEHOVA revelatum. Genealogia Ruben, Simeon, & Levi ad Moysen, & Aaron vsque. 7. Missus iterum à Domino Moyses ad Pharaonem, illiquè data signa, quæ edat. Virga ergo sua versa in colubrum à Moyse. Aquæ omnes

Ægyp-

Ægypti in ſanguinem commutatæ. Similia ſigna facta etiam à maleficis, vnde cor Pharaonis obduratum, ne dimittat Hebræos. 8. Secunda Ægypti plaga ranarum. Tertia ciniphum. Quarta omnis generis muſcarum. Quamvis poſt ſingulas ſemper induratus Pharao. 9. Quinta plaga peſtis. Sexta vlcerum. Septima grandinis, fulminum, tonitruorum; quibus emollitus Pharao vt det ſpem miſsionis Hebræorum; ſed plagis ceſſantibus iterum obduratus. 10. Octava plaga locuſtarum. Nona denſiſsimarum tenebrarum, quibus territus Pharao, & Hebræi abire permiſsi, ſed ſine pecorum comitatu. Vrgenti id Moyſi mortem comminatus Pharao. 11. Prædicta decima, & vltima plaga Ægypti, ſtrages omnium primogenitorum. Iuſſi Hebræi ſpoliari Ægyptum. 12. Præſcriptus ritus immolandi, & comedendi agnum paſchalem. Cædes omnium primogenitorum Ægypti per Angelum vaſtatorem, Hebræis tamen vbique intactis. Hi ab Ægyptijs Ægypto egredi compulſi. Ab ijſdem delata ſpolia, & opes. 13. Iuſſa à Deo ſibi offerri omnia primogenita hominum, & pecorum. Educti à Deo Hebræi non per Philiſthæam, ſed per viam deſerti. Oſſa Ioſephi delata ſecum ab Hebræis. Dux itineri columna ignis, & nubis. 14. Rex Pharao cum ſuis inſequutus Hebræos. Illi timentes roborati à Moyſe. Angelus in columna nubis interpoſitus inter Hebræos, & Ægyptios. Mare rubrum diviſum à Moyſe virga ſua. Hebræorum tranſitus per illud ſicco pede. Ægyptij inſequentes tùm ab Angelo, tùm ab aquis recurrentibus obruti. 15. Epinicion Deo decantatum à Moyſe, & ab Hebræis. Idem factum à Maria Moyſis ſorore cum fœminis. Adventus Hebræorum in Mara. Hic amaræ aquæ à Moyſe commutatæ in dulces. Inde deventum in Elim, quæ fuit ſexta manſio Hebræorum in deſerto. Ibidem duodecim fontes reperti cum ſeptuaginta palmis. 16. Murmur Hebræorum fame preſſorum ex defectu farinæ. Miſſæ à Deo coturnices, & Manna ſimul è cœlo demiſſum, quo Deus aluit Hebræos per 40. annos. 17. Populi ſitientis murmur in Moyſen. Petra in Raphidim à Moyſe virga ſua percuſa iuſſu Dei converſa in fontem perennem. Amalec invadens Hebræos cæſus à Ioſue, orante Moyſe, eiuſque manus Aaron, & Hur ſuſtentantibus. 18. Reducta ad Moyſem Sephora cum filijs à Iethro ſocero ſuo. Eiuſdem Iethri monitu partitum à Moyſe regimen populi cum pluribus alijs. Vnde creati magiſtratus varij, & Iudices ad minora diiudicanda. 19. Hebræorum adventus in Sinai. Moyſis aſcenſus in Montem iuſſu Dei, & populus ſanctificatus, & præparatus ad legem Dei reverenter excipiendam. Mons repletus à Deo fumo, igne, fulguribus, tonitruis, terræmotu, & buccinæ clangore, ad excitandum in populo maiorem Dei metum, & religionem. 20. Ab Angelo vice Dei ex Monte Sinai proclamatus, & promulgatus Decalogus, & præcepta moralia toti populo Hebræorum; qui tamen maluit internuntio Moyſe mandata Dei ſibi exponi. Hinc Moyſis aſcenſus ad Deum in caliginoſiore montis loco latentem. A Deo iuſſum altare faciendum, è terra, vel lapide inſecto. 21. Accepta à Moyſe in Sina ex Deo præcepta iudicialia circa ſervos, & ancillas; circa furta, & homicidia, & parentum maledicta, & rixas. Lex talionis lata tàm homini lædenti, quàm bovi cornupetæ. 22. Leges ſancitæ iudiciales de furto, depoſito, commodato, fornicatione, maleficijs, charitate in peregrinos, viduas, pupillos, de vſura, & pignore, de decimis, & primitijs. 23. Leges aliæ iudiciales circa charitatem erga proximum, circa perſonarum, ac munerum

acceptionem. Adnexæ leges quædam cęremoniales de Sabbatho, ſeu quiete ſeptimi anni, deque tribus præcipuis anni feſtis. Promiſſus Hebræis Angelus Dux, & Cuſtos cum alijs bonis, ſi legibus ſuis obediant. 24. Leges Domini à Moyſe ad populum delatæ, ac ab eodem acceptatæ. Sanctum fœdus æternum inter Deum, & populum, aſperſo ſanguine victimarum in populum. Iuſſus Moyſes rurſus in montem aſcendere, vt tabulas legis à Deo conſcriptas accipiat. Aſcenſus eiuſdem, & manſio in monte 40. diebus. 25. Iuſſum à Deo fœderis arcam conſtrui cùm Propitiatorio, & duobus Cherubim. Item menſam propoſitionis panum, & ſepticeps candelabrum. Et explicatæ variæ leges cæremoniales. 26. Tabernaculi fabrica præſcripta. Quatuor ergo eius tegumenta præſcripta; primum decem cortinarum polymitarum; ſecundum ſagorum cilicinorum; tertium ex pellibus arietum rubricatis; quartum, & ſupremum ex pellibus hyacinthinis. Deſcriptæ deinde tabernaculi tabulæ cum ſuis baſibus. Vectes item ſtringentes haſce tabulas deſcripti, vnà cum velo vno oppanſo Sancto Sanctorum, & altero oppanſo Sancto. 27. Deſcripta tùm altare holocauſtorum cum ſuis vaſis, craticula, & vectibus; tùm atrium tabernaculi cum ſuis columnis, & velis, quibus cingebatur; tùm demum oleum lucernarum, & earumdem accenſio. 28. Deſcriptæ veſtes Pontificis, & minorum Sacerdotum, hoc eſt, Ephod, Rationale cum duodecim gemmis, in quo erat Doctrina, & Veritas; Tunica hyacinthina, in qua erant mala punica, & tintinnabula; Tiara cum lamina aurea, cui inſcriptum erat *Sanctum Domino*; Tunica linea cum baltheo, & femoralia. 29. Conſecratio Sacerdotum iuſſa fieri ſequenti ritu. Primo Laventur 2. Induantur veſtibus ſacerdotalibus. 3. Pro ijs offeratur vitulus pro peccato, & duo arietes, vnus in holocauſtum, alter in hoſtiam pacificam, cum panibus azymis 4. Per dies ſeptem quotidie vngantur tàm ipſi, quàm Altare. Præſcriptum etiam inde ſacrificium agni tàm mane, quàm veſpere quotidie immolandi. 30. Deſcriptum altare thymiamatis. In cenſu populi ſolvendum à quocumque dimidium ſiclum. Faciendum labrum æneum pro lotione Sacerdotum. Deſcripta compoſitio vnguenti, quo vngendi ſunt Sacerdotes, & vaſa Sacra. Deſcripta etiam compoſitio thymiamatis in eo altari quotidie adolendi. 31. Beſeleel, & Ooliab deſignati à Deo architecti Tabernaculi. Iterum inculcatus cultus Sabbathi. Datæ à Deo Moyſi duæ tabulæ lapideæ. 32. Abſente Moyſe, ab Hebræis conflatus, & adoratus vitulus aureus. Hinc à Deo decretum illos diſperdere. Oratus Deus à Moyſe pro eis. Tabulæ legis à Moyſe de monte deſcendente fractæ, vitulus combuſtus, idololatræ occiſi. Deus iterum oratus in monte à Moyſe dicente. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. 33. Luctus populi audientis minas Dei. Sed Moyſe orante Deus omnino populo reconciliatus. Impetratum à Moyſe, vt non Angelus, ſed Deus ipſe ſit viæ Dux. Dictum Moyſi petenti videre gloriam Dei, *videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* 34. Poſt reparatas tabulas Moyſis reditus in montem. Dei tranſitus coram illo. Viſa à Moyſe poſteriora, ſeu tergum Dei. Renovatum à Deo fœdus cum Hebræis, ac litteratæ ſuæ leges. Inſcriptus à Deo decalogus in tabulis Moyſe allatis. Moyſis cum tabulis redeuntis ad populum facies viſa cornuta. Inde populus territus, fugatuſque Moyſes; propterea velata facie ſemper colloquutus cum populo. 35. Relata à Moyſe populo mandata Dei de Sabbatho, primitijs, oblatione munerum, fabricatione Tabernaculi. Ab Hebræis ad omnia promptis liberaliter oblata omnis materia

teria tabernaculo neceſſaria. Deſignati artifices tabernaculi Beſeleel, & Ooliab. 36. Plus oblatum ab Hebræis, quàm opus eſſet ad perficiendum tabernaculum. Hinc vetatum à Moyſe plura offerri. Fabricatum tabernaculum, hoc eſt decem cortinæ polymitæ, ſaga cilicina, operimenta ex pellibus, tabulæ, veſtes, vela ante Sancta Sanctorum, & ante Sanctum. 37. Fabricata Arca, Propitiatorium, Cherubim, menſa, candelabrum, altare thimiamatis, ac pro eo thimiama compoſitum adolendum. 38. Fabricatum tum altare holocauſtorum, tum labrum æneum ex ſpeculis mulierum, tum Atrium cinctum ſuis columnis, & velis. Numerata talenta auri, & argenti, & æris in fabricam Tabernaculi oblata, & inſumpta. 39. Veſtes Sacerdotales confectæ. Completa tota fabrica tabernaculi cum ſua ſuppellectili. 40. Tabernaculum à Moyſe erectum, & per omnes partes, ac membra diſpoſitum. Hoc mox opertum à gloriæ nube eidem deinceps incubante.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS LEVITICI, EIUSQUE capitum.*

TErtius liber Pentateuchi, quem Hebræi ritu patrio à prima libri voce appellant *Vaicra*, ideſt, *& vocavit*, dicitur à Græcis Leviticon, & à Latinis Leviticus, quòd Levitarum ſacrificia, muniaque per 27. capita deſcribat. Agitur ergo in hoc libro de qualitate, & varietate ſacrificiorum, de Sacerdotibus, & inferioris notæ Levitis, de conſecratione, & offiicijs eorumdem, de temporibus ſacrificio deſtinatis, hoc eſt de feſtis diebus; vbi quædam de votis, votorumque redemptione inferuntur. Quæcumque verò toto Levitico præſcribuntur, ab erectione ſcilicet tabernaculi in deſerto vſque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum, vno omnia menſe, puta primo Niſan, & quidem ſecundi anni ab egreſſu Hebræorum, ex Ægypto, præſcripta ſunt, varia quidem varijs diebus, tamen vnius, & eiuſdem menſis Niſan; quemadmodum etiam omnia præſcripta ſunt in manſione in Sina, non in monte, ſed in Tabernaculo rècens erecto. Synopſis capitum iam excipienda eſt.

Referuntur 1. Cap. Ritus præſcriptus à Deo circa Holocauſtum triplicis generis; primi ſcilicet boum, ſecundi ovium, vel caprarum, tertij avium, nempe turturum, & columbarum. 2. Secunda ſpecies Sacrificij; ſcilicet Mincha, ſeu ſacrificium farreum; quòd etiam triplex, primum ſcilicet ſimilæ, 2. panum coctorum vel in clibano, vel ſartagine, vel in craticula, 3. ſpicarum. 3. cap. Tertia ſpecies ſacrificij, ſcilicet Hoſtia pacifica, eaque triplex. Prima Bovis. 2. Ovium. 3. Capræ. Omnis adeps, & ſanguis à Deo ſibi exactus. 4. cap. Quarta ſpecies ſacrificij, hoc eſt Hoſtia pro peccato, eoque per ignorantiam commiſſo, & hæc Hoſtia quadruplex, Prima pro peccato Pontificis, quæ erat vitulus; 2. pro peccato populi, quæ erat etiam vitulus. 3. pro peccato Principis, quæ erat hircus. 4. pro peccato alicuius plebeij, quæ erat capra, vel ovis. 5. Explicatum qua ratione peccata aliena, & alia ex oblivione, errore, vel ignorantia commiſſa expianda. 6. Quæ Hoſtia offerenda pro eluendo peccato iniuriæ in proximum. Quod ex ſingulis hoſtijs cremandum. Lex, & ritus Holocauſti, & ignis perpetui. Ritus Mincha. Ritus Hoſtiæ in conſecratione Sacerdotis. Ritus Hoſtiæ pro peccato. 7. Lex, & ritus Hoſtiæ pro delicto, & Hoſtiæ pacificæ. A quibus, & quando vtraque abſumenda. Vetatus à Deo eſus adipis, omniſque ſanguinis. Ex Hoſtia pacifica pectuſculum, & armus dexter cedenda Sacerdoti ſacrificanti. 8. Aaron à Moyſe con-

conſecratus Pontifex, & Aaronis filij conſecrati Sacerdotes. Propterea lavati, & induti veſtibus Sacerdotalibus. Vitulus oblatus pro peccato, Aries in holocauſtum, & Aries alter in Hoſtiam pacificam. Vncti eorum auris dextera, & pollices. Ijdem iuſsi manere in tabernaculo per ſeptem dies. 9. Ab Aarone iam conſecrato celebratæ primitiæ ſuæ. Præter iuge ſacrificium matutinum ab eo oblati vitulus pro peccato ſuo, & aries in holocauſtum. Oblatæ etiam ab eodem populi victimæ, ſcilicet aries pro peccato, vitulus, & agnus in holocauſtum, bos, & aries in Hoſtiam pacificam. Hæ autem Hoſtiæ abſumptæ ab igne cœlitus emiſſo. 10. Nadad, & Abiu filij Aaronis igne alieno ſeu prophano thurificantes à Deo igne cœleſti afflati, & occiſi. Vetatum à Deo eoſdem plangi à parente, & fratribus conſacerdotibus. Vetatus vini, & ſiceræ vſus Sacerdotibus, quandiù ijdem in tabernaculo deſervirent. Reliquiæ ſacrificij à Sacerdotibus comedendæ. 11. Lex de animalibus mundis, ſeu quibus veſci licet, & de immundis, quæ comedi vetata. Ex terreſtribus ergo munda ea tantum, quæ diviſam habent vngulam, & ſimul ruminant. Ex piſcibus mundi ij ſoli, qui pinnulas habent, & ſquamas. Ex avibus viginti deſignatæ immundæ. Locuſtæ, quia ſaliunt, mundæ declaratæ. Reptilia omnia immunda. Eorum morticina tangens contaminatus declaratus. 12. Purificatio, & oblatio facienda puerperæ præſcripta 40. die expleto à partu maſculi, 80. verò à partu fœminæ. Offerendus ergo agnus in holocauſtum, & columbæ pullus, vel turtur pro peccato; à paupere tamen duo pulli columbarum, vel duo turtures. 13. Septem ſpecies lepræ, eiuſque ſigna. Quinque imperata leproſo. Primum, vt habeat veſtes diſſutas. 2. Caput nudum. 3. Os tectum. 4. Clamet ſe ſordidum eſſe. 5. Habitet extra caſtra ſolus. 14. Ritus luſtrationis, quo legaliter expiandus erat leproſus, lepra iam curatà; ſive illa fuiſſet in cute hominis, ſive in veſtibus, ſive in domibus. 15. Immunditia, & purificatio Primo ſeminiflui. 2. concumbentis. 3. menſtruatæ. 4. hemorrhoiſſæ. 16. Ritus ſervandus in feſto Kippurim, ideſt expiationis decima die menſis ſeptimi. 17. Iuſſum Hebræis ſoli Deo ſacrificandum, non Dœmoni. Neque ſacrificandum in quovis loco, ſed tantum in Tabernaculo. Vetatus ijſdem omnis eſus ſanguinis, & morticini. 18. Determinati gradus conſanguinitatis, & affinitatis, in quibus illicitum contrahere matrimonium. Vetatum omne adulterium, & coitus nefandus, & beſtialitas, & infantium immolatio Idolis. 19. Præcepta quædam moralia, & cæremonialia partim antea recenſita, partim nova inculcata, qualia ſunt de non ſerendo agro diverſo ſemine; de veſte ex lana, & lino non induenda; de præputijs arborum circumcidendis; de coma in rotundum non attondenda; de non radenda barba; de non incidenda carne. 20. Decreta idololatris pœna mortis, eaque lapidationis. Eadem decreta conſulentibus magos, maledicis iparentes, inceſtæ, & præpoſteræ libidini. 21. Sacerdotes iuſsi abſtinere funeribus, & planctu. Imo Pontifici vetatus planctus patris, & matris demortui. A Pontifice vxor ducenda virgo, & nobilis. Sacerdotes nullis maculis, ſeu vitijs corporis obnoxij. 22. Immundis, & alienigenis eſus victimarum prohibitus pacificarum, quæ Sacerdoti cedunt. Maculæ deſcriptæ, quibus victimæ carere debent. 23. Septem genera feſtorum à Deo Hebræis præſcripta. Primum Sabbathi. 2. Paſchæ, & feſti azymorum. 3. Pentecoſtes. 4. Feſtum tubarum. 5. Expiationis. 6. Tabernaculorum. 7. Cœtus, ſive collectæ. 24. Præſcriptum oleum, quòd ardeat in lucernis candelabri. Præſcripti etiam panes propoſitionis, quales eſſe debeant.

Blaſ-

Blaſphemus iuſſu Dei lapidatus. Pœnę decretæ contra homicidas, & percuſſores hominum, & iumentorum. 25. Annus quiſque ſeptimus Sabbaticus, ſive remiſsionis. Quinquageſimus quiſque Iubilæus, quo omnes redibant ad priſtinas ſuas hæreditates, & ſervi Iudæi manumittebantur, fiebantque liberi. Ritus vtriuſque anni, & privilegia. 26. Promiſſæ à Deo Hebræis viginti benedictiones, ſi leges eius ſervent. Totidem, & plures maledictiones minis indicatæ eiſdem, ſi leges non ſervent. 27. Variæ ſancitæ leges de votis, ſive voveantur homines, ſive beſtiæ, ſive domus, ſive agri, ſive alia anathemata. Sancitæ etiam leges de decimis templo donandis.

## SECTIO IV.

### *SYNOPSIS NUMERORUM, EIUSque capitum.*

PEntateuchi liber quartus, qui vt ſuperiores à primis dictionibus Hebræis dicitur *Vaiedabber*, *& loquutus* eſt, à Septuaginta inſcribitur Græcè *Arithmoi*, à Latinis Numeri, quòd varias Hebræi Populi primogenitorum, Levitarum, & manſionum numerationes percenſeat à primo ſtatim ſui exordio; quamvis enim in eo agatur etiam de præceptis cæremonialibus, & iudicialibus; de his tamen ſpecialius in libro Deuteronomij, vbi tota lex repetitur, de illis verò in libro Levitici pertractatur. Continet igitur hic liber, alioquin per 36. capita, hiſtoriam, & geſta Moyſis, ac Hebræorum à ſecundo menſe anni ſecundi egreſſus eorum ex Ægypto, vſque ad finem penè vitæ Moyſis, ſive peregrinationis 40. annorum in deſerto, nempè vſque ad initium menſis vndecimi anni quadrageſimi. Quare continet geſta annorum 38. menſium novem, & dierum viginti, hoc eſt à prima die ſecundi menſis anni ſecundi egreſsionis de Ægypto, vſque ad manſionem in campeſtribus Moab ſuper Iordanem, vbi poſtea mortuus eſt Moyſes. Adnectenda nunc eſt Synopſis capitum.

Narrantur igitur primo capite. Numerati filij Iſrael à vigeſimo anno, & ſupra per ſingulas tribus, & inventi ſunt vniverſim 603550. Levitis exceptis. 2. Diſpoſitus à Deo ordo caſtrorum duodecim tribuum Iſrael circum tabernaculum, in quatuor acies, per quatuor plagas mundi. 3. Levitæ omnes loco primogenitorum totius Iſraelis ſibi deſignati ſuoque cultui mancipati à Deo. Numerati Levitæ, & viginti duo millia deprehenſi. Ijſdem in varias claſſes diviſis cuſtodia ſacrarum ſupellectilium Tabernaculi diſtributa. 4. Numerati Levitæ ab anno ætatis 30. & ſupra vſque ad 50. 8580. Ijſdem commiſſa portanda ſupellex Tabernaculi, quando movenda ſunt caſtra. Caathitis aſsignata arca, menſa, candelabrum, & vtrumque altare. Gerſonitis vela, & cortinæ omnes. Meraritis tabulæ, columnæ, & baſes. 5. Iuſſum à Deo immundos caſtris eijci. Sancita lex Zelotypiæ, qua mariti ſuas vxores de adulterio ſuſpectas explorent per aquas maledictas. 6. Deſcripta votum conſecratio, & cæremoniæ Nazaræorum. Forma data benedictionis, qua Sacerdotes benedicant populo. 7. A principibus duodecim tribuum oblata Tabernaculo recèns erecto ſua dona, primò ſcilicet ſimul ſex plauſtra, deinde ſeorſim à ſingulis viciſsim ſuæ victimæ, & vaſa ad vſum Tabernaculi. 8. Præſcriptus à Deo candelabri, & lucernarum ſitus in Tabernaculo. Datus ritus conſecrationis Levitarum. 9. Iuſſum à Deo celebrari ab Hebræis ſecundum Paſcha; nam primum celebratum eſt ab ijſdem in Ægypto. Dein deſcripta columna nubis, quæ fuit dux itineris, & quietis populo Iſrael totis 40. annis. 10. Iuſſum à Deo fieri duas tubas argenteas, earumque vſus indicatus. Ad motum columnæ nubis, inflati-

tis tubis ; ab Hebræis inſtructa acie mota caſtra ex Sina in Pharan. A Moyſe detentus Hobab ſororius ſuus. Arca præcedens caſtra, Moyſe comprecante. 11. Murmur Hebræorum tùm ex fatigatione, tùm ex carentia carnium, & cæparum Ægypti. Turbatus Moyſes, eiuſque querelæ apud Deum. Propterea partitum à Deo onus illius in ſeptuaginta, qui omnes prophetant, initiumque fecerunt Synedrio Iudæorum. Miſſæ etiam à Deo coturnices ad populum , cui tamen ob murmur ab eodem Deo inflicta plaga. Hinc ille locus vocatus ſepulchra concupiſcentiæ. 12. Maria ob murmur contra Moyſen lepra correpta, & caſtris eiecta. Sed , orante pro ea Moyſe , poſt ſeptem dies ſanata, & revocata in caſtra. 13. Miſsi à Moyſe duodecim exploratores in Chananæam. Ab his in vecte inde relatus botrus ingentis ponderis poſt 40. dies. Sed falsò decem ex illis exaggerantibus vrbium , & incolarum robur , Hebræi ab occupanda deterriti , & ad ſeditionem excitati, fruſtra renitente ex exploratoribus Caleb. 14. Deus minans exterminium Hebræis ad relationem exploratorum murmurantibus, & in Ægyptum regredi volentibus, fruſtra renitentibus Caleb , & Ioſue. Venia tamen ijſdem à Deo data, orante Moyſe; ſed reſervata hæc pœna, vt nemo murmurantium terram promiſſam ingrediatur. Hebræi contra iuſſum Domini conſcendentes in montem à Chananæis cæſi. 15. Statuta certa menſura libaminum ſingulis hoſtijs. Lex lata de primitijs panum, meſsis , & ſuarum. Colligens ligna in Sabbato iuſſus lapidari. De fimbrijs etiam in extremitate veſtium geſtandis ab Hebræis, vt ſemper admoneantur legis, Dei ſancita quoque lex. Core, Dathan, Abiron, & Hon rebellantes Moyſi , ambienteſque Sacerdotium cum alijs 250. ſocijs. Illi vivi à terra abſorpti ; ſocij verò 250. thurificantes igne divino aflati, ac ſublati. Hinc populi murmur , à Deo tamen ex eo 14700. igne conſumpti. Ignis graſſans ab Aaron ſua oratione cohibitus. 17. A duodecim principibus tribuum duodecim virgæ datæ Moyſi , eæque acceptæ ab illo poſitæ in tabernaculo coram Domino. Inter eas ſola virga Aaron germinans , & flores emittens. Eodem miraculo , & indicio Aaroni conſignatum à Deo, & confirmatum Sacerdotium. 18. Pro ſorte hæreditaria in alimoniam , & ſtipendia Sacerdotibus à Deo conſignatæ victimæ, primitiæ, & oblationes , Levitis decimæ. Iuſſum Levitis , vt ex decimis ſuis decimas dent Sacerdotibus, eaſque meliores, & ſelectiores. 19. Ritus aquæ luſtrationis conficiendæ ex cineribus vitulę rufę cõbuſtæ. 20. Obitus Mariæ ſororis Moyſis, & Aaron. Populi murmur ob ſitim. Hinc irritati Moyſes , & Aaron, dumque ad aquam contradictionis offendunt Deum, in pœnam ab ingreſſu terræ promiſſæ prohibiti. A rege Edom per medias terras ſuas tranſitus denegatus Hebræis. Aaronis obitus in monte Hor. 21. Arad rex Chananæus cæſus ab Hebræis. Miſsi à Deo ſerpentes ignei adverſus populum murmurantem; hic autem ab illis morſus ſanatus tandem per aſpectum ſerpentis ænei. Puteus Hebræis ſitientibus oſtenſus. Sehon rex Amorrhæorum, & Og rex Baſan ab Hebræis debellati. 22. Balaam ariolus vocatus à Balac rege Moab ad maledicendum Iſraelitis. Hic tamen à Deo prohibitus maledicere, & idem à Deo etiam abire permiſſus; ſed illhuc animo maledicendi proficiſcens, ab angelo per os aſinæ loquente ſeverè reprehenſus. 23. Balaam , vt putabatur Iſraelitis maledicturus , ijſdem præter mentem benedicens, laudans illos à religione, fortitudine, & præſidio divino, ijſque victorias prædicens. Hinc iterum à Balac mutatus locus , ad quem adductus Balaam ad maledicendum Hebræis. 24. A Balaam tertiò , & quartò benedictum Iſraeli , ac prædictus Chriſtus ex eo inſtar ſtellæ exoriturus. Varia etiam

prædicta à Balaam de Amalecitis exscindendis, de Cineis per Asyrios abducendis, de Hebræis per Romanos vastandis, de Romanis quoque ad extremum perdendis. 25. Fornicati Israelitæ cum Madianitis, ac initiati Beelphegor. Hinc ad 24. millia partim suspensi à Moyse, partim à Deo occisi. Hæc plaga sanata à Phinee occidente per zelum Dei Zambri principem fornicarium, & Cozbi mulierem etiam fornicariam filiam Sur principis nobilissimi Madianitarum; eidem Phinei pro mercede datus Pontificatus hereditarius suæ familiæ. 26. Israelitæ terram promissam ingressuri de novo numerati à 20. annis, & supra per singulas tribus. Iuxta hanc dinumerationem iussum illis terram dividi, & maiori tribui maiorem portionem, minori minorem consignari. 27. Propter filias Salphaad à Deo lex lata, vt deficiente prole mascula, filiæ parentibus succedant in hæreditatem. Iussum Moysi, vt ex monte Abarim contempletur terram promissam, sibique in ducatu populi substituat Iosue. 28. Statæ victimæ præscriptæ, partim quotidie, partim in festis offerendæ. Quotidie agnus vnus mane, & alter vesperè offerendus, tanquam iuge sacrificium. In Sabbathis offerendi duo agni manè. In neomenijs vituli duo, aries vnus, & agni septem in holocaustum, & hircus vnus in hostiam pro peccato. Iussum easdem victimas offerendas in festo Paschatis, & Pentecostes. 29. In festo tubarum prima Tisri, & in festo expiationis decima eiusdem mensis offerendi vitulus vnus, aries vnus, & agni septem. Pro festo tabernaculorum decimaquinta eiusdem mensis per integrum octiduum variæ victimæ præscriptæ. 30. Sancitum à Deo, vt pater votum filiæ, maritus vxoris irritare possit, dummodò illi contradicat statim, idest primo die, quo illud rescivit, non autem si contradicat secundo. 31. Iussu Dei excisi stirpitus Madianitæ tam masculi, quam fœminæ corruptæ, solæ virgines, ac puellæ reseratæ. Tam præda, quàm milites, quippè à cæde, & à morticinis redeuntes; purificata. Dimidium prædæ divisum inter milites, ita tamen, vt ipsi ex ea vnum animal ex quingentis dent Eleazaro, & Sacerdotibus. Alterum prædæ dimidium divisum inter eos, qui in castris remanserant, ita tamen, vt ipsi ex eo quinquagesimum animal dent Levitis. A singulis totum aurum, quod rapuerant, oblatum Deo, eo quòd nullus Hebræorum in prælio cecidisset. 32. Tribubus Ruben, & Gad cum dimidia Manasse, petentibus in sortem sibi dari terram Galaad, vtpote compascuam, cum eædem tribus abundarent pecoribus, primo obiurgatis à Moyse, deinde, cognita eorum sincera mente, concessa eadem terra Galaad in sortem hæreditariam; sed ea lege, vt cæteras tribus præeant armatæ, easque in Chanaam inducant. 33. Recensitæ 42. mansiones in deserto. 34. Descripti quatuor termini terræ promissæ: scilicet ab Oriente mare mortuum, ab Occidente mare mediterraneum, à Meridie torrens Ægypti, à Septentrione Libanus, & vrbs Epiphania. Nominati à Deo duodecim principes, qui Hebræis terram hanc sorte dividant. 35. Iussum à Deo dandas Levitis 48. vrbes ad habitandum, cum suburbijs ad alenda eorum pecora. Ex ijsdem duodecim vrbibus sex designatæ pro asylo homicidis involuntarijs, qui in ijsdem manerent vsque ad mortem Pontificis. Occidendi homicidæ, si, causa agitata, fuerint inventi voluntarij. 36. Occasione filiarum Salphaad lex lata, vt ipsæ, & quæcunque filiæ paternam hæreditatem adeunt, nubant contribulibus suis.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

## SECTIO QUINTA.

### *SYNOPSIS DEUTERONOMIJ, eiusque capitum.*

QUintus, & postremus liber Pentateuchi, quem Hebræi, vt cæteros, à prima libri voce, *Elle haddebariam*, ideſt, ista sunt verba, Græci Deuteronomion, vel Deuteronomium dixere; quod perinde est, ac Latinis secunda lex, hoc est lex secundo, aut altera vice repetita; quia in eo repetitur, & explanatur Lex Diuina, quæ iam data fuerat in monte Sina, & cuius mentio facta fuerat in libris Exodi, Leuitici, & Numerorum; ita tamen in hoc libro procedit Moyses, vt obscura declaret, præhabita breuiter replicet, & omissa suppleat, auribusque Israelitarum inculcet. Enarrat ergo hic liber per 34. Capita præcipuè facta mensium duorum noviſsimi anni vitæ Moysis in campestribus Moab. Subijcienda nunc est Capitum Synopsis.

Recensentur primo Capite. Acta in Sinai, & in Cadesbarne, vbi ob perfidiam exploratorum seniores omnes ad mortem, iuniores ad peregrinationem 40. annorum à Deo sunt damnati. 2. Transitus Israelitarum per extremos fines Idumęæ, Moabitidis, & Ammonitidis, incolis earum intactis. Bellum, & victoria de Sehon rege Amorrhæorum. 3. Victoria de Og rege Basanitidis regionis, quæ, vt & ditio regis Sehon cesſit tribubus Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasse. Deus oratus à Moyse, vt sibi detur ingressus in terram promissam, ingressus eidem denegatus, & iussum hac de re silere. 4. Amplificatum beneficium datæ de cœlo legis in Sinai cum igne, & fumo. Designatæ tres vrbes refugij trans Iordanem pro homicidis casualibus, & involuntarijs. 5. A Moyse iteratò explicatus populo Decalogus, Narratus populi pavor, cum ex ardente monte Sinai lex promulgaretur. 6. Inculcatum à Moyse præceptum diligendi Deum ex toto corde. Adhortatio eiusdem Moysis habita ad populum de memoria Dei, eiusque legis in Chanaam. Promissa à Moyse, si populus id faciat, terræ fertilitas, & prosperitas. 7. Iussum à Moyse Hebræis, vt Chananæos, eorumque idola deleat. Vetatum ijsdem, inire cum ipsis nuptias, aut alia fœdera. 8. Adhortatio Moysis ad Hebræos de accurata legis diuinæ custodia, ob multiplicia à Deo beneficia partim accepta in deserto, partim accipienda in terra Chanaam. Transgressoribus excidium minis intentum. 9. Refricata Hebræis sua murmura, & peccata, maximè adoratio vituli aurei, ad humiliationem eorumdem, & ad cautelam deinceps. 10. Iterum inculcata Dei lex, & metus. Ideò commemoratæ tabulæ digito Dei inscriptæ, quas, & in arca recludi, & arcam à Leuitis circumgestari Deus iussit. Tribus Leuitica à Deo specialim delecta pro cultu Tabernaculi. Israelitæ multiplicati sicut astra cœli. 11. Concio habita à Moyse ad Hebræos, quà illos terrendo per pœnas Pharaoni, Chore, Dathan, ac Abiron propter peccata inflictas, quà eosdem alliciendo promissione bonorum terræ Chananæorum, quam præfert Ægypto, quà proponendo ijsdem benedictionem, & maledictionem. 12. Non in montibus, aut lucis, sed in loco designando ad id à Deo, offerendæ victimæ, decimæ, primitiæ cum votis. Ibidem epulandum coram Domino. Carnes non immolatæ Deo, quolibet loco comedendæ, si is disitus sit à templo, sed abstinendum à sanguine. 13. Iussum à Deo pseudoprophetam, & amicum suadentem cultum Dei alieni occidendum, & lapidandum. Vrbs, quæ idola coluit, funditus delenda vsque ad pecora, omnisque supellex cum vrbe flammis absumenda. 14. Lex à Moyse refri-

ca-

tata de animalibus mundis, & immundis. Præter primas decimas dandæ ſecundæ, & tertiæ. 15. Iterata lex de anno ſeptimo remiſsionis, vt in eo Iudæis remittant debita, vt Iudæos ſervos, & ſervas dimittant liberos, vt eis dent viaticum. Lex etiam iterata de primogenitis pecorum Deo offerendis, & comedendis in tabernaculo, niſi illa eſſent manca, & mutila. 16. Refricata feſtum Paſchæ, ſeu azymorum, feſtum Pentecoſtes, feſtum Tabernaculoum. Iuſſum, vt ijs omnis maſculus compareat coram Domino in tabernaculo. Iuſſum etiam per ſingulas vrbes conſtitui iudices. 17. Occidendi idololatræ. Cauſæ legales dubiæ referendæ ad Sacerdotes, eorumque decretis obediendum ſub pæna mortis. Rex deligendus ex eorum gẽte. Ab hoc non multiplicandi equi, non vxores, non opes. Ab eodem deſcribendum, ac legendum aſsiduè Deuteronomium, nec ſuperbè dominium exercendum ſupra populum. 18. A Sacerdotibus, aut Levitis nulla portio hæreditaria habenda in diviſione terræ Chanaam, præter victimas, decimas, & oblationes. Non petendum conſilium à divinis, aut maleficis. Propheta audiendus, & is illis promiſſus. 19. Deſignãdæ tres vrbes refugij in Chanaam, in aſylum homicidæ involuntario; ijſdem tres aliæ adijciendæ, creſcente populo. Voluntarius homicida ex aſylo extrahendus, & occidendus. Falſo teſti pæna talionis decreta. 20. Tempore belli domum remittendi novi ędificatores, vinitores, ſponſi, & pavidi. In vrbe bello capta maſculi occidendi, parcendum infantibus; ſed in Chanaanitide omnes etiam infantes occidendi cum fœmellis. Arbores frugiferæ vrbis hoſtilis non ſuccidendæ, quamvis infrugiferæ cædendę, ſi quis voluerit. 21. Homicidium occultum expiandum per mactationem vitulę, & per proteſtationem magiſtratus de ſua innocentia. Fœminæ captivæ non ducendæ in vxores, niſi raſa cęſarie, & circunciſis vnguibus. Filius odioſæ vxoris, ſi ſit primogenitus, non privandus iure primogeniti. Filius contumax, & perditus lapidandus. Corpora ſuſpenſorum ſepelienda eodem die; quia maledictus eſt, qui pendet in ligno. 22. Repetitæ à Moyſe leges de exercenda miſericordià etiam in beſtias, vt de ſublevando bove, de non capienda matre cum pullis, de non arando in bove, & aſino. Sponſus obijciens falsè ſponſæ fornicationem verberandus, cum ſolutione centum ſiclorum argenti. Adulter, & adultera lapidandi, etiamſi tantum deſponſati. A vim inferente virgini ſolutæ ſolvendi 50. ſicli argenti, & virgo ducenda, ac ſemper retinenda. 23. Eunuchus, Ammonites, & Moabites in æternum ab Eccleſia Dei excluſi: Idumæus, & Ægyptius vſque ad tertiam generationem: Manzer, ſeu de ſcorto natus vſque ad decimam. Iuſſum à Deo caſtra eſſe munda à pollutione, & ſtercore. Vetata ſcortatio. Vetatum etiam ne fœnerentur fratri, ſed alieno. Votum ſine mora ſolvendum. 24. Permiſſus libellus repudij. Variæ leges circa pignora & pauperum ſubventionem ſancitæ. 25. A iudicibus iuſtè iudicandum. Bovi trituranti non ligandum os. A fratre fratri defuncto ſemen excitandum. A muliere in rixa viri verenda non apprehendenda. Iuſta habenda pondera, nomenque Amalec delendum. 26. Primitiæ frugum offerendæ Deo, cum proteſtatione, ac profeſsione publica, quòd fruges acceptæ Deo referantur. Tertio anno tertiæ decimæ ſeparandę, & pauperibus dandæ. A Moyſe excitati Hebræi, vt Deo, qui eos gentibus omnibus prætulit, ſerviant, & obediant, 27. Præſcripta cęremonia benedictionis publicè inſtituendæ in monte Garizim; & maledictionis in monte Hebal. 28. Promiſſa multa bona à Deo legem ſervantibus. Mala multa violantibus. 29. Excitati iterum Hebræi à Moyſe ad obſervantiam legis, partim beneficijs, & promiſsis, partim minis,

& terroribus. 30. Lapsis, sed pœnitentibus promissus reditus è captivitate, & liberatio ex alijs miserijs. Lex observatu facilis. Optio data vitæ, aut mortis, boni, aut mali. Testes invocati cæli cum terra. 31. Animi populo, ac Iosue iam, populi duci, dati à Moyse; vt pergant in Chanaam. Scriptum Deuteronomium consignatum, iussumque illud publice populo prælegi septimo quoque anno remissionis; interim in arcæ latere adservandum. Institutus Iosue loco Moysis. Scriptum, canticum illudque ab Israelitis addiscendum, & canendum. 32. Canticum cycneum Moysis iam iam morituri, quasi summarium totius legis; meminit enim potentiæ, sapientiæ, magnificentiæ Dei, creationis cæli, & terræ, diluvij, divisionis linguarum, & terrarum, electionis populi Israel, cultus solius Dei, beneficiorum toties præstitorum, & præstandorum, resurrectionis mortuorum. Hoc canticum dictum à Moyse, & à Iosue. Eadem die dicti cantici vocatus Moyses à Deo, vt ascenderet in montem Abarim, ad contemplandam terram Chanaam tradendam filijs Israel. 33. Moyses moriturus benedicens Israeli, & singulis tribubus, eisque ventura prædicens. 34. Moysis ex Nebo contemplantis Chananæam terram obitus, sepultura, & planctus. Substitutus ei Iosue; sed nullus propheta similis Moysi.

## CAPUT SECUNDUM.

### *SYNOPSIS HISTORIALIUM Veteris Testamenti.*

HIstoriales veteris testamenti sunt liber Iosue, Iudicum, Ruth, libri quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, liber Tobiæ, Iudith, Esther, Iob, ac duo libri Machabæorum. Singulorum synopsis per septemdecim sectiones est subijcienda.

### SECTIO PRIMA.

### *SYNOPSIS IOSUE, EIUSQUE capitum.*

LIber Iosue, Hebraicè Iehosua, Græcè *Iesus Nave* ab ipsomet Iosue conscriptus dicitur qui fuit successor Moysis in Principatu Hebræorum anno Mundi 2523. & populum post eiusdem Moysis obitum rexit annis 26. vel secundum alios 17. Obijt autem anno centesimo decimo vitæ suæ, vt habetur in vltimo capite Iosue. Continet hic liber per 24. capita præcipuè res gestas Iosue, vnde dictus est hic liber Iosue. Agitur ergo in illo de ingressu populi Hebræi in terram promissam, & varijs prælijs, quibus, Chananæorum vrbibus debellatis, victor semper extitit exercitus Israelitarum: de agrorum divisione, & provinciarum assignatione facta populo victori; de facultate facta tribubus Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasse revertendi ad terras sibi vltra Iordanem assignatas, vt scilicet novem tribubus pace illarum auxilio fruentibus ampliora ad habitandum intra Iordanem spatia relinquerentur. Tandem, rebus ad statum Reipublicæ spectantibus rectè constitutis, recensetur mors Iosue, nemine, qui sibi in imperio succederet, electo. Quæ autem de morte, & sepultura eiusdem Iosue adiecta sunt, putantur esse scripta, vel à Samuele, vel ab Esdra. Capitum synopsis est sequens.

Narrantur primo capite. Confortatus Iosue à Domino monens populum, vt se ad Iordanem traijciendum paret in diem tertium; & tribus Ruben, & Gad, & dimidiam Manasse, vt fratres suos præcedant armatæ ex condicto, ad illos deducendos in terram promissam. 2. Missi à Iosue divino admonito oracvlo exploratores duo in vrbem Iericho, quos Hebræi dicunt fuisse Caleb, & Phinees. Ibi

à Rahab meretrice benignè excepti, ac occultati, ne à satellitibus Regis caperentur. Ijdem promittentes omni familiæ illius indemnitatem per feneſtram domus demiſsi; per montana tandem exinde miſsi ſunt, incolumes, & læti reverſi. 3. Auditis exploratoribus fauſta ſuæ legationis nuncia reportantibus, mota caſtra de Setim, ſic iubente Ioſue, & inceſſu militari perventum in Iordanem. Hic poſitis caſtris, & trium dierum facta manſione, pavidis oculis prius viſæ effuſæ aquæ Iordanis ſuper ripas: deinde gravi concione à Ioſue tranſiturus populus per Iordanis ſiccatum alveum de ordine ſervando inſtructus; tamdem populus idem ſiccato flumine ad vlteriorem ripam incolumis tranſgreſſus. 4. Poſt tranſitum Iordanis ab electis iuſſu Dei duodecim viris, ſingulis ex ſingulis tribubus, educti de alveo ſiccati fluminis duodecim lapides; in Galgala, vbi erat locus caſtrorum, exportati; ab ijſdem totidem etiam, vel de terra in fluvium, vel probabilius totidem inventi in ipſo fluvij alveo ibidem erecti. 5. Iniectus timor Chananæis poſt tranſitum Iordanis. Ab Hebræis iuſſu Dei circumciſionis, & Paſchæ præcepta adimpleta in Galgalis. Hic primò novis terræ frugibus vſi; nec amplius cæleſtis cibus ſeu manna adhibitus. Ioſue Angeli conſpectu, quem Michaelem multi putant, recreatus, & oraculo inſtructus, quo pacto Hiericho ſit expugnanda. 6. Poſt varios ſeptem dierum circuitus cum arca, vrbs Iericho, muris vndique collapſis, funditus everſa. Servata Rahab cum ſuis reædificator vrbis maledictus. 7. Miſsi à Ioſue exploratores in Civitatem Hai. Tria bellatorum millia, qui ſufficere pro loci, & munitionis magnitudine ad expugnationem videbantur, adverſo marte ad fugam converſi. Animis Hebræorum propterea fractis, Ioſue cum ſenioribus ad oraculum accurrens cauſam inopinati infortunij ſciſcitatus. Conqueſtus Deus ab anathemate Hiericho aliquid contra præceptum furto ſublatum, ſceluſque morte ſacrilegi prædonis expiandum; alioquin Iſrael vincendùs, & contemnendus. Achan ſortibus prædo deprehenſus à populo lapidatus. 8. Expugnata vrbs Hai, occiſis eadem die duodecim hominum millibus. Regeque ipſo capto, & in crucem ſuſpenſo. Civitas ipſa ſuccenſa à Ioſue, in tumulum redacta ſempiternum. Erectum altare lapideum. Deuteronomium, quod putant Decalogum, ſuper lapides ſcriptum. Benedictiones è monte Garizim, maledictiones è monte Hebal proclamatæ. 9. A Regibus Chananæorum propter excidium duarum civitatum turbatis, fœdere inito decretum contra Iſraelitas pugnare. Gabaonitæ ſimulatione longi itineris imponentes Ioſue, & principibus Iſraelitarum, medio iuramento, ſalvati. Inſequuto tamen populi murmure, dolo eorum deprehenſi, publicæ ſervituti mancipavit. 10. Ab Adoniſedech rege Hieruſalem oppugnaturo vrbem Gabaon, quòd Gabaonitæ Ioſue vocaſſent, in auxilium quatuor reges vocati. Sed idem Adoniſedech, & alij quatuor reges ad preces Ioſue, immoto ſole vnius diei ſpatio, victi, & ex ſpelunca extracti ſuſpenſi; pluresque aliæ civitates captæ. 11. A Ioſue expugnatus etiam rex Iabin cum alijs pluribus regibus, vrbibus, & populis. Servata omnia, quæ Dominus Moyſi præceperat. 12. Enumerati 31. reges citra, & vltra Iordanem à Moyſe, & Ioſue devicti. 13. Iuſſum à Deo Ioſue, vt terram iam occupatam dividat Iſraelitis. Recenſitæ portionis iam antè aſsignatæ tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe tras Iordanem. 14. Accepta Hebron in portionem hæreditariam à Caleb ex Divino promiſſo. 15. Sors tribus Iudæ, civitates, & villæ eiuſdem. Othonieli data in vxorem Axa filia Caleb, ob expugnatam Cariath Sepher addita eidem Axæ terra irrigua. 16. Sors tribus Ephraim, civitates, & viculi eiuſdem. Ab hac

tribu toleratus inter ipſam Chananæus tributarius. 17. Sors,& limites dimidiæ tribus Manaſſe , & in ea filiarum Salphaad. Murmurantibus Ephraimitis ob nimias ſuæ ſortis anguſtias, iuſſum à Ioſue, vt & armis producat terminos ſibi conſignatos. 18. Miſsi geometræ , qui terram accurratiùs dimetiantur , ac reliquis etiam tribubus ſuæ dentur portiones. Sors aſsignata tribui Beniamin. 19. Aſsignatæ ſortes ſex tribubus Simeon , Zabulon , Iſſachar, Aſer, Nephtali , Dan , & Ioſue. 20. Sex deſignatæ Ciuitates refugij eis , & trans Iordanem, & privilegia eò confugientium. 21. Aſsignatæ Levitis Ciuitates 48. cum ſuburbanis earundem. Completa Dei promiſsio,pace,ac quiete vbique conceſſa Iſraeli. 22. Remiſſæ ad ſuam poſſeſsionem trans Iordanem tribus Ruben,& Gad, & dimidia Manaſſe. Mota ſuſpicio alijs tribubus propter altare extructum ab ijſdem tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe. Sed à miſsis legatis ſuſcepta iuſta eorum excuſatio. 23. Ioſue Senex, iamque moribundus adhortatur filios Iſrael ad ſeruanda Dei præcepta, & ad cauendam ſocietatem cum gentibus. 24. Renouata à Ioſue Iſraelitis memoria beneficiorum à Deo acceptorum. Renouatum etiam fœdus populi cum Domino. Ioſue obitus, annorum 110. Obitus etiam Eleazari Pontificis. Oſſa quoque Ioſeph Ægypto euecta ſepulta in Sichem.

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS LIBRI IUDICUM, eiuſque capitum.*

INſcribitur hic liber Hebraicè Sophetim, Græcè *Kritai* , ideſt Iudices, ſicut à Latinis, quia geſta tredecim Iudicum , eorum ſcilicet, qui rerum ſummam , clauumque in Iſraele tunc temporis tenuerunt , continuat. Quamvis vt obſervat Lyranus, illi non per modum imperij , ſed per modum miniſterij , exhortationis , & conſilij regnarint, populumque rexerint. Itaque per 21. capita exponit eorum præclara geſta pacis, ac belli tempore, victorias, ac triumphos de hoſtibus reportatos. Oſtendit autem in vniverſum liber iſte, Deum firmiſsimum eſſe ſemper , & certiſsimum populi ſui defenſorem. Etenim ſi quando propter peccata à vicinis hoſtibus opprimebatur,eidem ad pœnitentiam reverſo propugnatores egregios , ac liberatores ſummittebat. Cõtinet ergo geſta Othonielis qui iudicavit annos 40. de quo cap. 3. Ahod ambidextri , qui iudicavit annos 80. de quo eodem cap. 3. Samgaris filij Anath, qui annum vnum iudicavit , de quo item eodem capite. Deboræ , & Barach filij Abinoemi, qui iudicavit annos 40. de quo cap. 4. Gedeonis ſeu Ieroboal , qui iudicavit annos 40. de quo cap. 6. 7.& 8. Abimelech filij Gedeonis ex concubina, qui iudicavit annos 3. de quo cap. 9. Tholæ filij Phuæ , qui iudicavit annos 23. de quò cap. 10. Iairis Galaaditis, qui iudicavit annos 22. de quo eodem cap. 10. Iephte Galaadites,qui iudicavit annos 6. de quo cap. 11. Abeſam Bethleemitæ, qui iudicavit annos 7. de quo cap. 12. Ahialonis Zabulonitis , qui iudicavit annos 10. de quo eodem capite. Abdonis Pharathonitis, qui iudicavit annos 8. de quo item eodem capite. Samſonis de ſtirpe Dan , qui iudicavit annos 20. vſque ad Eli Sacerdotem , de quo cap. 13. 14. 15.& 16. Quis fuerit huius libri ſcriptor , incertum eſt. Alij Samuelem, alij Ezechiam, alij Eſdram dicunt, alij verò alios. Capitum ſynopſis eſt adnectenda.

Recenſentur primo capite. Tam à tribu Iudæ , quam à tribus Simeonis plurimæ gentium vrbes expugnatæ. Ab Othoniele poſt obtentam Cariath Sepher ducta in vxorem Axa filia Caleb , & addita terra irrigua. Chananæi plurimi contra Dei decretum non expulſi, ſed tributarij conſervati 2. Ab Angelo Dei beneficia propalam Iſraeli commemorata. Hinc Populi fletus , &

pœ-

pœnitentia propter ingrati animi vitium. Sed à morte Iosue, & singulorum Iudicum idem populus semper relapsus in peiora. 3. Israel gentibus, quibus pepercerat, sociatus, eorumdem sceleribus contaminatus, & etiam per eosdem afflicts. Sed resipiscens semel, iterumque. Per Othoniel, & Aod, & Sangar liberatus. 4. Debbora Prophetissa, & Barac adversus Sisaram principem regis Iabin feliciter pugnarunt. Profugus Sisara occisus à Iahel vxore Haber Cinæi. 5. Canticum triumphale, & gratiarum actionis à Debbora, & Barac post victoriam dictum. 6. Israelitis in priora scelera relapsis iam à Madian oppressis, Gedeon varijs, ac multis signis datus à Deo auxiliator, & liberator. Ab eodem Gedeone post Sacrificium, & Altare Deo erectum destructa ara Baal. Inde Gedeon vocatus Ierobaal. Eidem rursum datum signum invellere. 7. Probati ad aquas milites ad bellum progressuri. A Gedeone omine bono ex Madianitæ cuiusdam de subcinericio pane somnio animato, noctu irruente in confertos hostes, nonnisi trecentis socijs comitato, solisque tubis, lagenis, ac lucernis armato, fugati omnes, mutuis se vulneribus conficientes. Duo principes Oreb, & Zeb capti, ac interfecti. 8. Tribus Ephraim, quod putaret se contemptam, in Gedeonem insurgens, ab eodem blandis verbis placata. Ab eodem devicti Zebee, & Salmana: incolæ Soccoth, & Phanuel sibi insultantes malè perditi. Ephod aureum ab ipso etiam conflatum ex inauribus, alijsque populi donis in ruinam domus suæ, & Israelis. Ab ipso generati ex diversis vxoribus filij 70. & vnus Abimelech ex concubina tandem mortuus. Relapsus Israel in idololatriam. 9. Ab Abimelech, post occisos à se 70. fratres, imperium sibi tyrannicè vindicatum. Hic post parabolam Ioatham fratris sui, qui servatus erat, post exercitum Gaad devictum, post excussam turrim Sichem, à muliere fragmine molæ oppressus. 10. Extincto Abimelech, Thola Dux creatur. Tholæ defuncti Iair Dux successor. Israelitæ in idololatriam relapsi traditi puniendi Philisthæis & Ammonitis. Sed illis pœnitentibus Deus post exprobratam ingratitudinem opitulatus. 11. Iephte Iudex delectus. Hic legatione missa ad regē Ammonitarum conatus varijs rationibus illum ab iniusto bello deterrere. Sed his omnibus frustra præmissis, ab eodē Iephte armis superatus. Ob votum temerè factum, si vicisset, vnica filia à se Deo sacrificata. 12. Ephraimitæ iniustè adversus Iephte tumultuantes fere 42. millia occisi ad vada Iordanis, cum vocem *Scibboleth* proferre non possent. Iephte vita functo delecti in successores Duces Abesan, Ahialon, & Abdon. 13. Israelitæ rursum in Idololatriam lapsi, & Philistæorum servi facti. Samson nasciturus ab Angelo promulgatus matri, deinde patri. Eidem adolescenti à Domino benedictum, vt inciperet vlcisci iniurias illatas Israeli. 14. A Samsone vxor ducta Philisthæa, leo dilaceratus, in cuius ore postmodum reperto melle, fictum à se enigma. Hoc à se propositum sodalibus in nuptijs. Illi solutionem expiscati ex vxore Samsonis. Inde ansa arrepte hostilitatis deinceps in Philisthæos exercendæ à Samsone. 15. Per trecentas vulpes, & faculas à Samsone Philistæorum segetes succensæ. Ligatus, & traditus Philisthæis, sed fractis funibus à se sola asini maxilla mille Philisthæi prostrati in loco. Eidem valdè sitienti à dente molari maxillæ copiosa aqua subministrata. 16. A Samsone, observantibus eum custodibus, portæ vrbis Gazæ in montem delatæ. A Dalila sua proditus detonsus, excæcatus, illusus. Sed ab eodem ad vindicandam iniuriam iam morituro interempti 3000. Philisthæi. 17. Amatre Michæ de servato argento conflatum idolum. Ab eodem Micha præfectus sacerdos idolo primò filius

ſuus. deinde Levites Bethlehemiticus. 18. Miſsi exploratores à tribu Dan ad quærendam ſibi poſſeſsionem terræ. Sexcenti viri eiuſdem tribus illos ſequuti. Ab his in itinere ſuum Michæ idolum cum Sacerdote ereptum, & in captam recẽs vrbem Lais tranſlatum. 19. Vxor Levitæ, qui eam à parentum domo reducebat, à Gabaonitis de tribu Beniamin prodigioſa libidine extincta. Cadavere in 12. partes diſſecto à marito, ad ſingulas tribus ſingulis portionibus miſsis, omnes vndecim evocatæ eædem tribus ad infandum facinus vlciſcendum. 20. Vndecim tribus progreſſæ ad vlciſcendum infandum ſcelus à Beniaminijs ſemel, iterumque cæſæ, ac fugatæ. Sed ab his iuſſu Dei, tertio committentibus tribus Beniamin penitus exciſa, ſolis ſexcentis reliquis in ſolitudinem profugis. 21. Inſtaurata tribus Beniamin ne penitus periret, ex 400. virginibus in cæde civium Iabes Galaad reſervatis, & ex alijs ducentis virginibus raptis de ducentibus choros in Silo.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS LIBRI RUTH, EIUSQUE Capitum.*

IN libro Ruth per 4. Capita narratur eiuſdem Ruth Moabitidis honeſtæ mulieris converſio à gentilitate ad verum Dei cultum; vita quoque, & mores; matrimonium contractum inter ipſam, & Booz, ex quibus Chriſtus deſcendit. Auctorem huius libri aſſerit S. Iſidorus, *lib.* 6. Originum *cap.* 2. fuiſſe Samuelem Prophetam. Capitum Synopſis adijcienda eſt.

Narrantur primo capite. Elimelech Bethlehemita vrgente fame cum vxore Noèmi, & duobus filijs in terram Moab progreſſus. Mortuo ibidem viro cum vtroque filio, vidua Noèmi cum Ruth nuru ſua in Bethlehem reverſa. 2. A Ruth in agro Booz affinis ſpicas colligente, gratiam apud eum inveniente, & læta veſperi ad ſocrum reverſa, multum frumenti, & de ciborum etiam reliquijs eidem allatum 3. Ab eadem Ruth, obſecuta ſocrus ſuæ conſilio, ad pedes affinis ſui Booz dormientis recumbente, & nuptias ab illo verecunde poſtulante, lætoque reſponſo accepto, ſex modij hordei ad ſocerum delati. 4. A Booz coram iudicibus civitatis, evocato altero affine propinquiore, ſed illo iuri propinquitatis renuntiante, adita poſſeſsio Elimelech defuncti, & Ruth nurus illius accepta in vxorem, ex qua ſibi natus Obed avus Davidis regis.

## SECTIO QUARTA.

### *SYNOPSIS LIBRI PRIMI REGUM, eiuſque Capitum.*

LIbri quatuor Regum ſic dicti, quod Regum Iuda, & Iſrael facta, & annos contineat. Et quidem hic primus per 31. capita agit de gubernatione populi Iſrael per Iudices Heli, & Samuelem, & de electione Regis Saul, de gubernatione, & præclarè eiuſdem geſtis, ac obitu. Vocatr hic primus liber ab Hebræis Samuel, quod contineat res Samuelis; ſcriptus etiam creditur à Samuele vſque ad caput 25. reliqua autem capita vſque ad finem libri putantur eſſe ſcripta à Nathan. Sed hac de re iterum in Synopſi 2. libri Regum. Nunc adnectenda capitum ſynopſis eſt.

Enarrantur Primo Capite. Elcana duarum vxorum vir, Annæ ſcilicet, & Phenennæ. Anna diu ſterilis, æmulæ improperio triſtis, fuſa in Silo coram Heli oratione ad Dominum, mater facta Samuelis. Hic Domino oblatus iuxta votum ablactatus, & Pontifici Heli in Silo conſignatus, vt ſerviat ætenùm Deo. 2. Annæ canticum in gratiarum actionem. Eadem mater trium aliorum filiorum, & filiarum duarum. Heli Pontifici ob ſcelera filio-

liorum, nimiamque ipsius in illos indulgentiam prædictum excidium domus; & pontificatus amissio prænunciata. 3. Samuel quater à Domino è somnis evocatus, etiam ipse admonitus à Deo de malis domui Heli imminentibus. Hæc omnia mox Heli relata à Samuele, qui paulatim Israeli toti suis prophetijs innotescit. 4. Israelitæ à Philisthæis cæsi. Rursumque, adducta arca in castra, cæsi. Capta arca, duo filij Heli Ophni, & Phinees occisi. Ipsius Heli fractis cervicibus obitus. Nurus eiusdem in partu extincta. 5. Dagon coram arca semel, iterumque prostratus, præcisis in limine capite, ac manibus. A Philistæis marisc is, & muribus percusis arca à se repulsa. 6. A Philistæis cum muribus, & anis aureis, suorum Sacerdotum consilio, arca remissa per vaccas lactantes, & novum plaustrum vsque Bethsames. Hic vaccę super ligna plaustri à Bethsamitis immolatæ. Plurimi de Populo, ac plebis à Domino interempti, quòd arcam Dei conspexissent. 7. Arca deducta in domum Abinadab in Gabaa. Samuelis hortatu totis animis Israelitæ addicti cultui Divino. Hinc ab ijsdem victi Philisthæi, pro ipsis orante Samuele. 8. Ob avaritiam filiorum Samuelis petitus à populo Rex more Gentilium. Ab eodem populo Samuel non auditus prædicens illi dura regum imperia. 9. Saul quærens patris asinas, & perveniens ad Samuelem, & cum eo pransus, nocte etiam hospitio exceptus, cognoscens à Samuele se forè regem Israelis. 10. Vnctus Saul in regem à Samuele, datis, ac succedentibus signis. Saul idem propheta inter prophetas. Missis sortibus, à Samuele confirmatus in regem, plerisque adgratulantibus, reliquis obloquentibus. Lex regni in libro scripta; & coram Domino reposita. 11. A Saule impulsu Dei, divisisque suis bobus, populus convocatus ad bellum adversus Ammonitas. Victus Naas rex eorumdem: liberati viri Iabes Galaad, & iterato Saul rex inauguratus. 12. Samuel populi iudicio probatus innocens. Sed populus ingratitudinis erga Deum reprehensus. Cœlesti prodigio dicta Samuelis confirmata. Idem adhortatus omnes, vt Deo constantes adhæreant. 13. Victi à Saule Philistæi maximo apparatu adversus Israelem armati. Territi Hebræi in antris absconditi. A Saule, non expectato Samuelis adventu, oblatum holocaustum. Inde dictus à Domino reprobatus. Ingens cautela Philistæorum ad spoliandos armis Israelitas. 14. A Ionatha Domino fidente cum armigero suo Philisthæi dispersi, ac cæsi. Verum ab eodem melle degustato post victoriam (contra prohibitionem patris, quam ignorabat) vix mors evasa. 15. Saul missus à Domino ad funditus delendum Amalec; sed Agag rex cum multa præda reservatus. Inde Saul inobedientiæ reprehensus; & commendata obedientia. Idem Saul reiectus à regno, & interfecto Agag, reprobatus etiam Saul, & planctus à Samuele. 16. Saule reprobato, David fratrum minimus vnctus in regem. A Saule evocatus ad cithara sua spiritum malum exagitantem Saulem compescendum. 17. Philistæi ad pugnam contra Israelem congregati. Goliath gygas in armis, & fortitudine confidens ab inermi David occisus. Eiusdem præcisum caput à David, diffusis etiam Philisthæis, ad Saulem oblatum. 18. Post initum fœdus inter David, & Ionatham, Saul, audita sui, & David comparatione, malo spiritu agitatus, conatus David configere. Merob filia antea David promissa, alteri tradita: loco Merob data Michol in vxorem David, callidè mediantibus centum præputijs Philisthæorum. 19. Volens Saul occidere David, voce Ionathæ placatus. Eundem David coram se citharizantem iterum transfigere conatus lancea. Sed David ope, & industria Michol vxoris suæ è manibus satellitum elapsus. Ad Samuelem profugiens,

giens ; Saule proſequente Propheta cum Prophetis. 20. Ionathas poſt repetitum David fœdus , ipſum cum Patre reconciliare fruſtra conatus. David à Ionatha è manibus patris ſigno trium ſagittarum liberatus. 21. A profugo David in Nobe fame compulſo panes ſanctificati poſtulati ex Achimelech Pontifice ; ijſdem datis coram Doeg Idumæo refectus. Inde , poſt gladium Goliath acceptum , apud Regem Achis dementia ſimulata à David , ne pereat. 22. David ſocijs auctus primùm in ſpeluncaOdollam,deinde in Maſpha Moab , denique in Haret Iuda. A Saule omnes Sacerdotes Nobe præter Abiathar , qui ad David confugit , per Doeg Idumæum interempti. 23. David poſt à ſe liberatam Ceilam à Philiſtæis obſeſſam , ne prodatur à Ceilanis Sauli , profugus in deſertum Ziph ; Hic à Ziphæis proditus : & quaſi captus à Saule , niſi Saul propter ſubitam Philiſtæorum irruptionem copias ſuas inde abducere coactus eſſet. 24. A Davide in ſpelunca Engaddi latitante ora chlamydis Saulis iterum ſe perſequentis abſciſa ; Saul ſalvus abire permiſſus. Hoc nomine reconciliatus Sauli , & liber dimiſſus , iuramento prius obſtrictus de non excindenda Saulis familia ſceptro potitus. 25. Mortuus Samuel planctus. A David Nabal ingrato mors minis pronunciata ; ſed egregia Abigail vxoris eius oratione placatus David. Abigail , mortuo marito, David vxor facta , vti & Achinoè. Michol verò prima Davidis vxor à Saule alteri marito Phalti tradita. 26. David iterum à Ziphæis apud Saulem delatus. Haſta , & Scyphus dormienti regi à David ſubducti, rege intacto. Hoc cognoſcens Saul culpam faſſus, revocatoque Davidi ſecuritatem pollicitus. 27. Inconſtantiæ Saulis fidere non auſus David , ad Achis regem Geth reverſus. Ab hoc vrbs Siceleg impetrata , è qua plurimæ in dies prædæ ex Amalecitis , & alijs vicinis locis actæ. 28. Philiſtæi adverſus Saulem armati. David pollicitus ad bellum fidem Achis regis Geth Iuſſum à Saul poſt occiſos magos , per pythoniſſam ſuſcitari Samuelem , à quo illi mors ſua , ſuorumque in craſtinum prænuntiata. 29. David cum Philiſtæis adverſus Iſrael proficiſcens remiſſus domum , & in Siceleg reverſus , propter metum incuſſum Satrapis , & principibus Philiſtæorum , ne in prælio fieret ipſis adverſarius. 30. Abſente cum ſuis Davide , Siceleg ab Amalecitis ſpoliata , & igne ſuccenſa , ablata inde omni præda. Sed hi à Davide eoſdem preſequente penè omnes occiſi , recuperata præda , ac inter omnes ex æquo diviſa , etiam inter eos , qui ad ſarcinas laſsi ſubſtiterant. 31. Saul cum filijs. in pugna cœſus à Philiſtæis. Corpus truncato capite in muro Bethſam ſuſpenſum. Caput reciſum in triumphum circumlatum. Arma in templo Aſtaroth ſuſpenſa. A viris Iabes Galaad corpora Saulis , & filiorum de muro detracta ſepulta in Iabes.

## SECTIO QUINTA.

### *SYNOPSIS SECUNDI REGUM, eiuſque Capitum.*

HIc etiam 2. liber Regum dictus, ab Hebræis Samuel , Scriptus creditur à Prophetis Nathan , & Gad: ſic enim habetur libr. primo Paralipomen cap. vitim. Geſta David Regis priora , & noviſsima ſcripta ſunt in libro Samuel videntis , & in libro Nathan Prophetæ , & in volumine Gad videntis, In hoc libro recenſentur per 24. capita acta Davidis iam Regis; quare primus , & 2. liber Regum habent annos 120. Nam Eli. 40. Samuel cum Saule 40. & David annos 40. regnarunt. Synopſis autem capitum 2. libri hæc eſt.

Narrantur primo capite. Iuſſu Davidis occiſus nuntius, qui ſe Saulem occidiſſe dicebat. A Davide ſciſsis veſ-

veſtibus planctus Saul cum alijs occiſis planctu, ac carmine lugubri. Qua occaſione à Davide ieiunante iuſſum, vt docerent filios Iuda arcum (titulus eſt cantilenæ) & per arcum intellige alia bellica inſtrumenta. 2. David Dei monitu progreſſus in Hebron, hic à tribu Iuda vnctus in Regem. Laudati viri Iabes Galaad ob Saul ſepulturam. Isboſeth filius Saulis ab Abner evectus in regem ſuper reliquas tribus. Hinc bellum continuum inter domum David, & domum Isboſeth. 3. Abner ob concubinam reprehenſus ab Isboſeth auctus ad partes David, cui reddita vxor Michol ab eodem Abner; ſed hic proditoriè confoſſus à Ioab, & amarè defletus à David irato adverſus Ioab. 4. Isboſeth à Baana, & Rechab in thalamo ſuo iugulatus inter dormiendum. Iidem caput Isboſeth afferentes ad David pro mercede iuſſu David iugulati. 5. A David iam vncto ſuper totum Iſrael pulſis Iebuſæis arx Sion capta. Hic ſibi palatium extructum ad habitandum à David alias ſuperinducente vxores, filios procreante, & Philiſtæos bis proſternente. 6. Reducente David arcam à domo Abinadab, Oza in itinere à Domino occiſus propter temerarium arcæ contactum. Non ergo auſus David eam in ſuum palatium deducere: Inde depoſita apud domum Obededom. Poſtmodum autem in Ieruſalem eam David reducens, & ante eam ludens à Michol vxore deriſus, ſed eadem in pœnam facta deinceps ſemper ſterilis. 7. David proponens ædificare templum Domino, primum à Nathan Propheta collaudatus; ſed mox iubente Domino per eundem prohibitus. Promiſſum tamen eidem à filio ædificandum; vnde gratiæ ab ipſo actæ Deo. 8. Variæ Davidis victoriæ quibus, & Philiſtæi, & Moabitæ, & Syri, & Amalecitæ, & Idumæi cæſi, & tributarij facti Davidi. Congratulatio Thou regis Emath de rege Adarez devicto cuius multa ſpolia à David ablata. Officiarij eiuſdem David recenſiti. 9. In gratam memoriam Ionathę quondam ſibi amiciſsimi, benefactum à Davide Miphiboſeth eius filio claudo, datis illi tum omnibus agris Saul, quos colebat Siba cum filijs, ac ſervis ſuis, tum reliquis bonis hæreditatis. Idem Miphiboſeth ad menſam Davidis receptus. 10. Legati miſsi à Davide ad Hanon regem Ammonitarum, qui ſuper morte patris illum ſolentur, ab ipſo Hanon tanquam exploratores excepti: Sed, & idem Hanon, contractis mox quinque regum Siriæ copijs adverſus Davidem, ſemel, atque iterum à Davide profligatus. 11. In obſidione Rabbæ civitatis regiæ Ammonitarum, David domi reſidens adulterio Bethſabeæ pollutus. Eiuſdem iuſſu maritus Vrias occiſus. Inde à ſe ducta in vxorem, & ex ea filius procreatus, indignato ex eo Domino. 12. A Davide correpto per parabolam oviculę à Natham propoſitam contra ſeipſum lata ſententia. Hinc illi multa Nathan comminatus incommoda: hiſce David compunctus venia impetrata à Deo, ſed ſervata pœna. Mortuo puero concepto ex adulterio natus illis filius Salomon. Civitas Rabbath cum magna vltione diruta, accepto diademate pretioſiſsimo regis ipſius. In Ammonitas crudeliter ſęvitum. 13. Amnon primogenitus Davidis ob inceſtum cum ſorore ſua Thamar ab Abſalone inter epulas iugulatus. Inde Abſalon propter iratum patrem profugus ad regem Geſſurium avum ſuum maternum, & apud eumdem triennio exul. 14. A Ioab Thecuitę mulieris ſolertia reditus Abſalonis in Ieruſalem à Geſſur imperatus ex Davide. Abſalon tamen redux pertotum biennium non admiſſus in conſpectum patris; ſed incenſa meſſe Ioab, huius interventu, oſculum impetratum parentis. 15. Adverſus patrem ſuam coniuratio Abſalonis in Hebron, conciliato ſibi varijs fraudibus favore populi. Davidis fuga cum ſuis ex vrbe. Pauci cum Arca eò remiſsi, & inter alios

alios Chuſai diſsipaturus conſilium Achitophel. 16. Sibæ procuratori Miphiboſeth, quòd cibaria fugienti ſubminiſtrarit in via, collata à Davide omnia bona heri ſui. Semei maledicum occidi vetatum à Davide. Ab Abſalone Ieruſalem ingreſſo, ex conſilio Achitophel decem vxores Davidis publicè conſtrupatæ. 17. Diſsipatum à Chuſai conſilium Achitophel. Idem per nuntios indicatum ab illo Davidi. Hic etiam Chuſai conſilio tranſgreſſus Iordanem. Vnde Achitophel à ſeipſo ſuſpenſus. A tribus amicis Davidi cibaria allata in via, ne populus eius indigens neceſſarijs deficeret. 18. Abſalon prælio victus, & ex fuga quercui capillis innexus, hic pendulus à Ioab transfoſſus. Caſus amare fletus à Davide. 19. Expletus planctus Davidis de Abſalone monitu Ioab; cuius etiam verbis placato Davidi conſpiratores ſui ſibi reconciliati. Idem à viris Iuda reductus in Ieruſalem. Semei veniam precanti data: Miphiboſeth recepto diviſi agri cum Siba, Berzellai valedicens regi, recuſans eiuſdem oblatos honores, & gratias in patriam ſuam reverſus. Detentus apud Regem Chanam in honoribus. Ab Iſrāele cum Iuda pro Davide acriter pugnatam. 20. Tribus Iſraeliticæ duce Siba ſeparatæ à Domo Iuda, & Davide. Sed capite minuta Siba, rebellio ſedata. A Ioab Amaſa, vt olim Abner proditione occiſus. 21. Ob Saulis in Gabaonitas iniuſtam olim ſævitiam, à Deo triennali fame punitus Iſrael. A Gabaonitis petiti ſeptem nepotes Saulis, qui traditi à Davide, omnes cruci affixi. Horum oſſa vna cum Saulis, & Ionathæ oſsibus ſepulturæ tradita cum honore. Quatuor bella Davidis cum Philiſtæis recenſita. 22. Canticum Eucharisticum, ſeu gratiarum actionis Davidis pro ſua ab omnibus inimicis liberatione. 23. Verba noviſsima Davidis, & catalogus virorum ipſius illuſtrium. Et deſiderata à David aqua de ciſterna Bethleem, allata militibus ſed reiecta. 24. David ob numeratum à populum à Gad Propheta correptus. Ex tribus flagellis oblatis electa peſtis. Hac in populum ſæviente, ac 70000. interemptis, oratus à Davide Dominus. Sed Gad prophetæ monitu, oblato à Davide ſacrificio in area Areunæ, placatus Deus, & peſtis extincta.

## SECTIO SEXTA.

### *SYNOPSIS TERTIJ REGUM, EIUSque capitum.*

HIC liber, ſicut, & ſequens vocantur ab Hebræis Melachim, ideſt Regum, hic quidem primus Melachim, ſequens verò ſecundus Melachim; quia agunt de pluribus Regibus. Scripti creduntur ab Eſdra, vel, vt Bellarminus minus cxiſtimat, à Sacerdotibus, & Prophetis illorum temporum. Procopius autem Gazæus putat conſcriptos à Ieremia. Hi duo poſtremi libri Regum per compendium videntur collecti, partim ex libris dierum Regum Iudæ, & Iſrael, partim ex Natham Prophetæ, Ahiæ Silonitis, & aliorum ſcriptis in his duobus libris citatis. In hoc ergo tertio libro per 21. capita narrantur mors Davidis, inauguratio Salomonis, eiuſque acta, divulſio decem tribuum à tribu Iuda, & acerba diſsidia, præliaque regum Iſrael, & Iuda. Sed ſynopſis capita adnectenda.

Referuntur primo capite. David in ſenio confectus à puella Abiſag Sunamite fotus, & calefactus ſervata caſtitate. Adonia maiore natu filiorum David Regnum occupante etiam patre, à Bethſabæa, conſilio Natham directa, impetratum ex Davide, Salomonem vngi in regem: hoc audito, fuga abrepta ab Adonia, ſed à Salomone iuſſum illi ſecum domi degere. 2. Davidis fœlix obitus poſt data Salomoni varia præcepta. Adonias petens Abiſag Sunamitidem in vxorem, propter affectatum dolo regnum occiſus iuſſu Salomonis. Abiathar pontificatu privatus. Ioab in tabernaculo Domini tan-

tandem occiſus. Semei contra Regis præſcriptum egreſſus Ieroſolyma triennio poſt interfectus. 3. A Salomone accepta in vxorem filia Pharaonis. Accepta etiam ab eodem in ſummo gradu in ſomno poſtulata à Deo ſapientia cum divitijs, & gloria. Sapientiæ ſpecimen exhibitum à Salomone in lite meretricum dirimenda. 4. Recenſiti principes,& præfecti Salomonis,menſæ eiuſdem apparatus, pacis ſecuritas eo regnante, gloria, ſplendor, opus, ſapientia, & numerus parabolarum,atque carminum eius. 5. Ab Hiram rege Tyri ſubmiſsi Salomoni ad templum Domino conſtruendum cæſores lignorum. His à Salomone tributa cibaria. Recenſitus numerus cæſorum, portantium onera, latomorum, & præfectorum illorum. 6. Figura, & fabrica templi quoad præcipuas eius partes tam interiores,quam exteriores. 7. Palatium Salomonis. Domus ſaltus Libani. Domus filiæ Pharaonis vxoris eius. Varia, & ſumptuoſiſsima templi ſupellex, ac vaſa. 8. Templi Salomonis dedicatio, introducta in ipſum arca, & nebula idem implente. Oratio Salomonis, à quo benedictum populo. Numerus holocauſtorum, & aliarum victimarum immolatarũ hac celebri feſtivitate. 9. A Domino ſecundò Salomoni apparente iuſſum ſervanda ab ipſo præcepta, addita comminatione, niſi ſervata fuerint. A Salomone plures exſtructæ civitates. Gentes vicinæ ſibi factæ tributariæ. Ex claſſe in Ophir miſſa plurimum auri quotannis receptum. 10. Reginæ Sabæ ad regem Salomonem adventus. Eiuſdem reginæ poſt admiratam ſapientiam, magnificentiam,& gubernationem Salomonis diſceſſus, datis, acceptiſque amplis muneribus. A Salomone multum tributum, ac aurum aliunde acceptum. Vaſa, ſeuta, ac magnificus thronus conſtructa. Multa Salomonis pretioſa ſupellex in vaſis,curribus, equis,& abundantia argenti, & cedrorum. 11. Salomon à plurimis alienigenis ſibi iunctis in vxores infatuatus, & ad ipſarum idola converſus. In eum ab irato Deo ſuſcitati adverſarij Adad, Razon,& Ieroboam. Huic per prophetam Ahiam promiſſum regnum Iſrael, ſervata tantum vna tribu filio Salomonis. Mortuus Salomon poſt 40. regni annos. Eius ſucceſſor filius Roboam. 12. Roboam iuvenum ſequutus conſilium paſſus regni diviſionem. At Ieroboam ſuper decem tribus rex conſtitutus. Exercitus Roboam adverſus Ieroboam à Domino per Semeiam Prophetam diſsipatus. A Ieroboam in Dan,& Bethel aurei erecti vituli adorandi, conſtitutis ſolemnitate, altari, ac Sacerdotibus. 13. Ieroboamo thus adolenti vitulo in Bethel prædictum à Propheta ad ſe miſſo de Iuda, altare illud à Rege Iuda Ioſia olim naſcituro profanandum, ac excindendum. Manus Ieroboam arefacta eiuſdem Prophetæ precibus reſtituta. Sed idem Propheta rediens à Leone occiſus, tanquam Dei verbo inobediens. Aucta in Ieroboam impietas. 14. Ab Ahia Propheta interrogato ab vxore Ieroboam ſuper filio Abia ægrotante, prædictus,& filius moriturus,& domus Ieroboam penitus evertenda. Ieroboam mortuo ſucceſſor filius Nadab. A rege Ægypti direpta domus Domini in Ieruſalem. Mortuo Roboam ſucceſſor filius Abia. 15. Impio Abiæ regi Iudæ ſucceſſor pius filius Aſa. Hic adverſus Baſam Regem Iſrael præliatus, impetrato à rege Syriæ auxilio. Aſæ morienti ſucceſſor filius Ioſaphat. A Baaſa occiſus Nadab filius Ieroboam cum vniverſa ſtirpe Ieroboami. Pro eo regnatum ſuper Iſrael viginti quatuor annis ab impio poſt impium. 16. Prophetata à Iehu Baaſa regis, & domus ipſius ſubverſio. Huic mortuo ſucceſſor filius Ela occiſus ab impio Zambri. Hic à ſeipſo ſuccenſus cum tota domo regia, electo ab Iſrael Amri,& hoc impio regnum obtinente. Mortuo Amri ſucceſſor filius impiiſsimus Achab, à quo ducta Iezabel in vxorem. Huius tempore reædificata

Iericho. 17. Ab Elia cælum triennio clauſum. Hic primum paſtus à corvis, deinde à muliere Sarephtana; cuius hydria farinę, & lecythus olei non minuta. Filius eiuſdem oratione Eliæ reſuſcitatus. 18. Increſcente fame, Elias Abdiæ pecoribus herbam quærenti obvius. Ab hoc ægrè perſuaſum Abdiæ, vt nuntiaret Achab ſe adeſſe. Occurrens tamen Achab Eliæ ab ipſo correptus. Dei Zelo ab Elia iuſſum 450. Prophetas Baal occidi, dato de cœlo igne ad conſummationem holocauſti, & pluvia à Deo impetrata. 19. Elias fugiens Iezabelem in deſerto à ſomno excitatus, pane divinitus miſſo, & aqua refectus. Hinc ad montem Horeb progreſſus; vbi in ſpelunca ab eodem Elia conquerente ſe ſolum Domini Prophetam relictum, auditum ſeptem millia eſſe relicta. Miſſus ad vngendum Hazael in regem Syriæ, Iehu in regem Iſrael, & Eliſeum in Prophetam. 20. Syri Samariam obſidentes primum à pueris principum provinciarum, deinde rurſum anno altero in campeſtribus ab Achab cæſi. Rex idem Achab à Propheta reprehenſus, quod fœdus cum Benadab rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiſerit. 21. Naboth ob negatam Regi Achab vineam, iuſſu Iezabelis per falſos teſtes lęſæ maieſtatis accuſatus, & inde lapidatus. Regi Achab properanti ad occupandam vineam ab Elia plurima mala prænuntiata. Illa tamen ab Achab ſe humiliando tunc temporis evitata. 22. Achab, & Ioſaphat reges pſeudoprophetarum vaticinio decepti ad pugnam progreſsi in Rameth Galaad victi, occiſo etiam Achab, qui Michæam vera prophetantem de morte ipſi imminente incluſerat carcere.

Impio Achab ſuffectus impius filius Ochozias, & pio Ioſaphat impius filius Ioram.

*** *** ***
*** ***
***

## SECTIO SEPTIMA.

### *SYNOPSIS QUARTI REGUM, eiuſque Capitum.*

RECenſet hic tertius liber Regum acta reliquorum regum Iſrael, & Iuda, vſque ad extremum excidium eorumdem regnorum. Complectuntur ergo hi duo poſtremi libri regum à regno ſcilicet Salomonis vſque ad captivitatem Babylonicam annos quadringentos viginti quinque. Sed, & ſynopſis capitum addenda.

Referuntur primo Capite. Ochozias ſuper ægritudine ſua Beelzebub conſulere volens ab Elia increpatus, ac moriturus prædictus. Duo quinquagenarij principes ad Eliam miſsi cum omnibus ſuis militibus abſumpti igne cęleſti. Tertius etiam princeps miſſus ſua modeſtia ſervatus, cum quo Elias ad Ochoziam digreſſus. Mortuo Ochozia ſucceſſor frater Ioram. 2. Eliſeus individuus Eliæ comes, Iordanem, aqua Eliæ pallio diviſa, cum illo tranſgreſſus. Elia autem in cęlum igneo curru rapto, duplex ſpiritus ab Eliſeo acceptus. Ab Eliſeo rurſus Eliæ pallio Iordanis aquæ diviſæ, ac tranſitus ſiccus impetratus. Elias quæſitus non inventus. Aquæ Iericho, & terræ ſterilitas, immiſſo per Eliſeum ſale, curatæ. Pueri 42. Eliſeum irridentes, ac inſultantes ab vrſis dilacerati. 3. Ob prævaricatum à rege Moab fœdus, quod cum rege Iſrael habebat, progreſsi adverſus illum Ioram Rex Iſrael, Ioſaphat Rex Iuda, & huic vectigalis Rex Edom. His pœnè ſiti enectis ab Eliſeo aqua curata, & victoria de rege Moab promiſſa. A rege Moab immolatione primogeniti ſui excidium vrbis prohibitum. 4. Oleum ab Eliſeo multiplicatum viduæ pauperculæ debitis oppreſſæ, ad ſatisfaciendum creditoribus. Ab eodem Sunamitidi hoſpiti ſuæ tum filius impetratus, tum idem mortuus ſuſcitatus

tatus. Per farinam pulti infuſam ab Eliſeo illius amaritudo ablata, & paucis panibus multi ſatiati. 5. A rege Iſrael ſciſſa veſtimenta ſua, quòd Rex Syriæ iuſsiſſet, vt Naaman leproſum curaret. Idem Naaman ab Eliſeo mundatus à lepra per ſeptenem in Iordane lotionem. Lepra infectus ſemper Geſsi propter munera à ſe ſuſcepta, & ab Eliſeo ſpreta. 6. Eliſei iuſſu ferrum ſecuris natans, & milites regis Syriæ quaſi excæcati inducti in mediam Samariam, quòd Eliſeum ob regis ſui ſecreta regi Iſrael patefacta capere niterentur. Syris obſidentibus Samariam, matres inedia vrgente ſuis filijs paſtæ, propter quòd Eliſeum occidi iuſſum à rege. 7. Ab Eliſeo prædicta in Samaria craſtinò futura frumenti abundantia. Hæc à leproſis quatuor in Samaria annuntiata. Territis à Deo Syris, ac omnibus ſuis prædæ relictis, ob ſubitam fugam obſidio ſoluta. Dux minus credulus Eliſeo id prædicenti conculcatus à turba in porta Samariæ. 8. A Sunamitide hoſpite Eliſei, & eiuſdem conſilio peregrinatum profecta, ad ſeptemnem famem prædictam evadendam, regreſſa ſui agri cum fructibus recuperati. Ab Eliſeo rex Syriæ Benadab ægrotans prædictus moriturus, & impius Hazael illi ſucceſſurus. Idumæi rebelles profligati à Ioram rege Iuda. Huic impio mortuo ſucceſſor Ochozias filius impius. 9. Iehu in regem Iſrael inunctio per Prophetam Eliſeum, mandatum à Deo, vt deleret domum Achab. Occiſi ergo ab ipſo Ioram filius Achab rex Iſrael, & Ochozias rex Iuda. Corpore Iezabel à feneſtra eiuſdem Iehu iuſſu præcipitatę canes paſti iuxta Eliæ vaticinium. 10. cap. 70. Filij Achab, & 42. fratres Ochoziæ necati, tota progenies Achab deleta, omnes Sacerdotes Baal callidè convocati occiſi; exuſta illius ſtatua, & templum in cloacam converſum iuſſu Iehu. Propter huius peccata cæſus vehementer Iſrael ab Hazaèle. Mortuo Iehu ſucceſſor filius eius Ioachaz. 11. Ab Athalia matre Ochoziæ, audita filij morte, reliquum omne ſemen regium ferro extinctum, & ſibi ſceptrum vindicatum. Ioas filius Ochoziæ abſconditus, & tyrannidi matris clam ſubtractus, rex Iuda conſtitutus inito fœdere inter Deum, & Ioas, & populum. Deſtructæ aræ, & ſtatuæ Baal; Mathan etiam Sacerdos Baal occiſus. Athalia occiſa gladio in domo regis. 12. A Ioas Sacerdotibus non inſtaurantibus templum ablata pecunia, & in vſu templi expenſa. Ab eodem Hazael rex Syriæ bellum Iudæis parans, obviam miſsis templi, & palatij theſauris placatus. Ioas à ſervis interfecto ſucceſſor Amaſias eius filius. 13. Ioachaz rex Iſrael propter peccata ſua graviſsimè afflictus à rege Syriæ. Idem converſus ad Dominum liberatus. Huic mortuo ſucceſſor Ioas, à quo iuxta vaticinium Eliſei morientis Syri ter devicti. Quidam mortuus ſuſcitatus iectus ſepulchro mortui Eliſei. 14. Amaſias rex Iuda, interfectis occiſoribus patris ſui Ioas, victor ex Idumæis. Victoria factus elatior, provocans ad bellum Ioas regem Iſrael, ab hoc victus, & captus, & Ieroſolyma directa. Ioas Regi Iſrael ſucceſſor filius Ieroboam liberator Iſrael ab anguſtijs. Zacharias filius ſucceſſor Ieroboam. Amaſias rex Iuda occiſus à ſuis, facta coniuratione adverſus ipſum. Amaſiæ ſucceſſor Azarias filius impius. 15. Azariæ leproſo ſucceſſor filius Ioathan in Iuda. Zachariæ verò in Iſrael ſucceſſor Sellum, & huic Manahem, qui fit tributarius regi Aſſyriorum. Illi ſucceſſor Phaceia, & huic Phacee. Hoc eodem regnante à Theglathphalaſar rege Aſſur, magna parte Iſmaelitarum translata in Aſſyrios. Phacee ſucceſſor Oſee. In Iuda mortuo Ioathan ſucceſſor filius Achaz. 16. Conſecratus idolis ab Achaz filius ſuus per ignem. Evocatus ab eodem in auxilium rex Aſſyriorum adverſus reges Syriæ, & Iſrael obſiden-

tes Ieroſolymam. Ab Achaz in gratiam regis Aſſyriorum ſacrificatus idolis. Achaz ſucceſſor pius filius Ezechias. 17. Poſt multa filiorum Iſrael, quæ commemorantur facinora, Oſee recuſante, condictum Aſſyrio pendere tributum, à Salmanaſar translatus Iſrael in Aſſyrios. Hi cum alijs nationibus in Samariam miſsi, & cultum Dei ignorantes devorati à leonibus. Vnde miſſus ad eos ſacerdos Iſraeliticus, ad ipſos inſtituendos, ſic factum vt, & Deo, & idolis ſeruirent. 18. Ab Ezechia pietate eximia diſsipata idolorum delubra, æneus Moyſis ſerpens confractus, victi Idumæi, iugum excuſſum Aſſyriorum. Sed ab his mox ingenti exercitu accurrentibus Ieroſolymam multa probra in Ezechiam, & blaſphemiæ in Deum iactata per Rabſacem. 19. Ezechia rege, & Iſaia Propheta, Domino ſupplicantibus, ab Angelo occiſa. 18510. Aſſyriorum, propter Rabſacis blaſphemias in Deum. Quare fugiens Sennacherib à proprijs filijs in templo idoli ſui obtruncatus. 20. Ægrotanti Ezechiæ mors ab Iſaia denuntiata. Sed ab Ezechia precibus vita ad alios 15. annos impetrata, dato ſanitatis ſigno per vmbræ ſolis regreſſum ad decem lineas. Aſſyrijs munera deferentibus congratulatum de recuperata valetudine, omnes ſui theſauri ab Ezechia oſtenſi; ſed eos omnes in Babyloniam devehendos pronunciatum ſibi ab Iſaia. Ezequiæ mortuo ſucceſſor impius Manaſſes. 21. Propter abominandam Manaſsis impietatem prædictum à Deo, ſe Iudam quoque, ac Ieruſalem deleturum. Mortuo ſuccedit filius impius Amon; hoc à ſervis occiſo, regnatum ſuper Iudam à pio filio Ioſia. 22. A Ioſia templum cum divino cultu inſtauratum. Ab eodem Dominum ſuper repertum Deuteronomij librum conſulente, reſponſum acceptum per Hoſdam prophetidem, inducenda ſuper Iudam ſcripta in eo mala, propter neglectum à patribus cultum Dei, ipſum tamen prius in pace moriturum. 23. Deuteronomium à Ioſia coram populo lectum, percuſſoque cum Domino fœdere, ac deſtructis abominationibus, præceptum Paſcha celebrari. Ioſiæ occiſo in Mageddo ſucceſſor impius filius Ioachaz. Hic à Pharaone captus, & ductus in Ægyptum. Subſtituto à Pharaone Eliacim Ioſiæ filio, quem IoaKim nominat, rege Iudæ, gravis mulcta impoſita. 24. IoaKim ſubiugatus à Nabuchodonoſor rege Babylonis, triennio ſerviens illi, varios deinde paſſus latrunculos. Huic mortuo ſucceſſor filius Ioachim à Nabuchodonoſor in Babylonem ductus cum theſauris templi, ac Domus regiæ, vniverſoque robore habitatorum Ieruſalem. Ioachin ſufectus à Nabuchodonoſor Sedecias patruus illius, vocatus antea Matthatias. 25. Sedecias rebellis Nabuchodonoſori ab eo obſeſſus in Ieruſalem, expugnatus, captus, excæcatus, occiſis corã eo filijs omnibus, & vinctus in Babylonem abductus cum reliquo populo, quibuſdam tamen ad exercendam terram relictis. Templum, omniaque palatia vrbis flammis abſumpta, mœnia ſolo æquata. Godolias reliquæ plebiculæ præfectus occiſus ab Iſmaele. Rex Ioachin mortuo Nabuchodonoſore ſublevatus de carcere ab Evilmerodach rege Babylonis.

## SECTIO OCTAVA.

### *SYNOPSIS PRIMI PARALIPOMENON; eiuſque capitum.*

PAralipomenon, hoc eſt derelictorum, ſeu prætermiſſorum (ſic vocantur à Græcis) libri duo ab Hebræis vocantur Dibre Haiamim, ideſt verba dierum. Supplentur enim ex actis publicis, quę in Regũli bris hinc inde deeſſe deprehenſa ſunt, vel non niſi leviter tacta, vel quæ obſcurius ibi dicta, magis hic explicantur. Quare videntur eſſe compendium eorum librorum, qui ſubindę in ijſdem citantur ver-

verborum dierum Regum Iuda, vel Iſrael, quod ſcilicet Annalium, vel commentariorum more ſummatim proſequantur ea, quæ per annos 3347. geſta ſunt à Iudicibus, & Regibus. Olim non niſi vnus liber erat ex his duobus conflatus, teſte S. Hieronymo in prologo priori ad Domnionem. Auctor ſeu compendiator putatur fuiſſe Eſdras, eo quòd vltima verba libri 2. Paralipomenon prorſus eadem ſint cum primis Eſdræ primi cap. primi. Non deſunt qui velint auctorem eorundem fuiſſe Sacerdotum quempiam, & Prophetarum illius temporis. Ab aliquibus creditur auctor Ieremias; ſed hactenus verus ignotus; quiſquis verò fuerit, poſt Babylonicam captivitatem ſcripſiſſe apparet. Sypnoſis ergo 9. capitum primi libri apponenda eſt.

Narrantur primo capite. Genealogia ab Adam vſque ad Abraam. Generationes filiorum Abrahæ vna cum filijs, ac poſteris Eſau, & regibus, ac ducibus terræ Edom, antequam eſſent reges ſuper filios Iſrael. 2. Iudæ Patriarchæ genealogia vſque ad Iſai patrem Davidis, fratrumque eius, ac ſororum. 3. Generationes David, & Regum Iuda ex progenie David, cum filijs, ac filiabus eorum. 4. Poſteritas Iudæ, ac Simeonis, & habitationes eorum. Stirpe Cham deleta à filijs Simeonis; Amalecitę quoque ab eiſdem percuſsi. 5. Poſteri Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, & habitatio eorum. Ab his Iſmaelitæ expulſi proprijs ſedibus tempore Ioathan regis Iuda. Sed ijdem tandem ob idololatriam ab Aſſyrijs in captivitatem abducti. 6. Poſteri Levi. Cantores ex ijs conſtituti à Rege David, & miniſtri templi. Poſteri etiam Aaron Sacerdotes cum vrbibus Sacerdotalibus, & refugij in ſingulis tribubus Iſrael. 7. Poſteri Iſſachar, Beniamin, Nephthali, Manaſſe, Ephraim, & Aſer. 8. Poſteri iterum Beniamin, & Saul, filiorumque eius. 9. Primi habitatores filiorum Iſrael in Ieruſalem. Officia Sacerdotum, ac Levitarum. Generationes Saul, ac filiorum eius repetitæ. 10. Rex Saul propter varias iniquitates reprobatus à Deo, in monte Gelboè à Philiſthæis occiſus cum filijs ſuis. Caput eius reſectum affixum in templo Dagon. Reliquum corpus cum cadaveribus filiorum ſepultum à viris Iabes Galaad. 11. Vnctus David in regem ab omnibus tribubus Iſrael. Expulſi Iebuſæi ex arce Ieruſalem. Hæc à ſe electa pro habitatione, potentiſsimis, & ſtrenuiſsimis militibus ſtipata. Nomina, & heroica geſta fortium virorum David. Allata è ciſterna Bethleem aqua ad bibendum deſiderata à ſe reiecta, eo quod milites per medios hoſtes cum fortium ſuorum periculo attuliſſent. 12. Catalogus tam eorum, qui adhæſerunt David fugienti à Saule, quam eorum, qui primi ex omnibus tribubus venerunt ad David in Hebron, vt eum regem conſtituerent. 13. A Cariathiarim reducta arca de domo Abinadab, omni Iſrael, & David ante eam ludentibus. Oza contingens arcam à Deo occiſus. Diverſa arca à David in Domum Obededom, magno huius gaudio, ac bono. 14. Miſſa ab Hiram rege Tyri ligna, ac artifices ad David ad regium illius palatium ſtruendum. A David plurimæ ductæ vxores, ex quibus multi accepti filij. Ab eodem conſulto Domino bis cæſi Philiſthæi. 15. Parato Ieroſolymis tabernaculo, deducta arca Domini in illud à David magno cum apparatu, commitante omni Iſrael, Sacerdotibus verò, ac Levitis iuxta ſua officia miniſtrantibus. Michol filia Saul deſpiciens virum ſuum David coram arca ſaltantē indutum ſtola byſsina, & ephod lineo ſterilitate punita. 16. Conſtituta area in tabernaculo fœderis. Oblatæ victimæ Deo. Populo à David benedictio datum epulum. Ordinata varia Levitarum miniſteria coram arca, interpoſito cantico divinæ laudis. 17. Paranti David ædificare templum Domino cęlitus inhibitio data, filiuſque promiſ-

ſus illud ædificaturus cum longa poſteritate. Inde à David actæ prolixæ gratiæ Deo, eiuſque erga ſe bonitas elata in cælum. 18. Victoriæ Davidis de Philiſthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis, Amalecitis, & tributa gentibus impoſita, cum catalogo officialium Davidis. 19. Hanon rex Ammon ob iniuriam, & contumeliam in legatos à David miſſos ad conſolandum de patris morte, ab eodem David bello invaſus, & ſuperatus vna cum Syris auxiliantibus. 20. Bella à David proſperè acta adverſus Ammonitas, ac Philiſthæos, & prodigioſos gigantes. In his occiſus gigas ſenos habens digitos, hoc eſt ſimul 24. 21. David populum numerando Deum offendens. Pro expiando delicto è tribus propoſitis pœnis, peſte à ſe delecta percuſſus. Eadem plurima millia interempta. Peſtis non extincta donec Dominus oratione placaretur, & altare in area Ornam Iebuſæi erigeretur. 22. A David præparata omnia neceſſaria ad conſtruendum templum; ab eodem Salomoni filio ſuo forma, moduſque à Deo ſibi revelata tradita. David hortatus tam filium, vt Deum ſedulò ſemper colat, quam principes, vt illi ſint auxilio. 23. A David ſene, iamque morituro, Salomone etiam rege deſignato, officia numeratorum Levitarum, & claſſes diſtributa. Moyſis filij Levitis adnumerati. 24. Familiarum Eleazar, & Ithamar claſſes, ſeu vices 24. Sacerdotum in miniſterio Domini à David deſignatæ. Totidem reliquorum Levitarum familiæ, quæ Sacerdotibus in miniſterio ſacrificiorum aſsiſterent, ſimiliter ſorte diſtributæ. 25. Ex filijs Aſaph, Heraan, & Idithun cantoribus, pſaltis, ac citharædis vigintiquatuor familiæ, ac vices ſorte diſtributæ, tamquam ex Levitis. 26. Ianitorum templi ex Levitis etiam variæ claſſes deſignatæ. Quæ porta à qua familia cuſtodienda ſorte diſpoſita. Sorte quoque diſpoſiti cuſtodes tum theſaurorum templi, tum regis. 27. Duodecim principes militiæ regiæ ex varijs tribubus. Horum ſinguli ſuo menſe præſidentes 24. millibus armatorum. Principes, ſeu Præfecti ſingularum tribuum theſaurorum, regiorum officialium, reliquæque ſubſtantiæ regis. 28. David præparatis ad templi ædificationem omnibus neceſſarijs, Salomonem, vniverſoſque principes convocatos hortatus ad ſedulò ſemper cuſtodienda mandata Dei. Ab eodem præſcripta forma templi ædificandi tradita ſibi à Deo. 29. Impenſæ à David in ædificium templi præparatæ, ac ſepoſitæ. Hæ de ſuo auctæ de donarijs principum, ac populi. A David benedicente Dominum preces fuſæ pro Salomone, ac populo, & Sacrificia cum ingenti lætitia oblata. Salomon ſecundò vnctus in regem pro patre David. Feliciſsimus obitus David poſt 40. annos regni.

## SECTIO NONA.

### *SYNOPSIS SECUNDI PARALIPOmenon, eiuſque capitum.*

CONtinuatum argumentum, vt in primo, Paralipomenon dictum. Capitum igitur 36. ſequens eſt Synopſis.

Enarrantur primo capite. Oblatæ mille hoſtiæ Deo à Salomone in Gabaon. Eidem à Domino nocte ei apparente data optata ſapientia cum immenſis divitijs, & gloria. Numerus currum eius, & equitum. 2. A Salomone decreti architecti, & operarij pro templo ſtruendo. Ab eodem tranſactum cum Hiram rege Tyri de perito artifice tranſmittendo, ligniſque ad templum neceſſarijs. 3. Extructum templum cum porticu, velo, & duabus columnis æneis ante fores templi. 4. Altare holocauſtorum æneum, mare fuſile, denæ conchæ æneæ, dena candelabra aurea, menſæ, phialæ, & cætera ſupellectilia ſacra. 5. Illatis in templum vaſis ſacris, oblatiſque varijs donarijs, arca continens tabulas Moyſis

ſo-

ſolemniter in oraculum, ac Sanctum Sanctorum inducta. Vnde à gloria Domini impletum templum. 6. A Salomone publicè benedictum populo, Deoque actæ gratiæ de promiſsis olim factis Davidi, iam verò completis. Ab eodem ſuppliciter exoratus Deus coram multitudine, vt orantium in eodem templo vota exaudiat. 7. Igne cœlitus demiſſo abſumpta parata iam ſacrificia. Templum impletum Dei maieſtate. Plurimis immolatis hoſtijs, templi dedicatio ſeptem diebus celebrata. Octavo die facta collecta. A Domino Salomoni revelatum ſe ipſius orationem exaudiſſe. 8. Novum ſibi conſtructum à Salomone palatium. Variæ civitates ædificatæ. Gentium reliquiæ factæ Iſraeli tributariæ. Stata holocauſta nomine, & ſumptu regis offerenda decreta. Sacerdotum, & Levitarum miniſteria iuxta deſignationem Davidis conſtituta. Miſſa claſsis in Ophir; vnde plurimum auri relatum ad Salomanem. 9. Adventus, & receſſus Reginæ Sabæ Salomonis admiratæ ſapientiam datis, acceptiſque muneribus. Proventus annui Salomonis. Haſtæ, ſcuta, omnia convivij vaſa aurea: Solium eburneum auro intertextum. Amplitudo divitiarum, ſapientiæ, & poteſtatis Salomonis. Hic mortuus anno regni ſui 40. ſuccedente filio Roboam. 10. A Roboam, ſpreto ſeniorum conſilio, & iuvenili faſtu populum contemnente diſciſſum regnum Iſraelis in duas partes. Ab ipſo nonniſi duabus, à Ieroboam reliquis decem tribubus imperatum. 11. Roboam volens armis integrum paternum regnum recuperare, à Deo per prophetam Semeiam inhibitus. Extructis à Roboam multis civitatibus, aucti ipſius regno Levitæ, ac Sacerdotes abiecti à Ieroboam, & cæteri Dei cultores ex decem Tribubus Ieroſolymam confluentes. A Roboam multæ ductæ vxores, & concubinæ, ex quibus plurima proles accepta. 12. Poſt tres annos Roboam, delapſi etiam in idololatriam Iudæi, quinto anno regni eius ſpoliati à Seſac rege Ægypti. Ab hoc munitiſsimæ civitates captæ, direpta Ieruſalem, ſublatus regis, ac templi theſaurus, ablata quoque ſcuta aurea, & argentea, pro quibus facta à Roboam ænea. Et facti Iudæi ſervi, ac tributarij regi Ægypti. Mortuo Roboam ſucceſſor filius Abia. 13. Ab Abia rege Iuda de Ieroboamo rege Iſrael nobiliſsima relata victoria, cæſis quingentis militibus Iſraelitarum, multiſque captis civitatibus. Ex 14. vxoribus acceptæ proles 38. 14. Abiæ defuncto ſucceſſor filius Aſa. Ab hoc everſus idolorum cultus, & civitates Iudæ ædificatæ, ac munitæ. Ab eodem corroborato à Deo Zara rex Æthiopum cum mille millibus armatorum ad internecionem conciſus. 15. Ab Azaria Propheta prædictum deſtituendum Iſraelem multo tempore veri Dei cultu, lege, & Sacerdotio. Ab Aſa huius prophetæ exhortatione confortato ablatæ reliquiæ, ac ſordes idololatriæ; materque propria idololatra imperio privata. Iuratum à populo ſe Deo ſervituru m. 16. Benadab rex Syriæ in auxilium advocatus ab Aſa territo copijs Baaſæ regis Iſrael. Hoc nomine reprehenſus Aſa ab Hanani propheta. Sed ab irato Aſa miſſus in nervum, ac carcerem Hanani, & multi de populo interfecti. Inde Aſa podagra extinctus anno 41. regni ſui, ſpem ponens in arte medicorum. 17. A pio Ioſaphat, Aſæ patri ſucceſſore, armis, ac opibus potente miſsi Doctores legis Dei per vniverſam Iudæam ad inſtruendum populum. Opera illius, & egregia geſta. Principes, & numerus militum. 18. A Ioſaphat data in vxorem filio ſuo Ioramo filia impij Achab regis Iſrael. Cum eodem progreſſus in bellum contra Ramoth Galaad, & Syros. 400. Pſeudoprophetis victoriam promittentibus, Michæa autem ſolo contrarium prophetante incarcerato; ſed Achab iuxta Michææ prophetiam in bello occiſus. 19. Ioſaphat ex infelici prælio domum reverſus incolumis, à Iehu

pro-

propheta correptus ob præſtitum Achabo auxilium. Idem Ioſaphat hortatus conſtitutos à ſe iudices ad ſervandam iuſtitiam; Sacerdotes, & Levitas ad cultum Dei promovendum, & populum rectè inſtituendum. 20. Ammonitis, Moabitis, ac Syris contra Ioſaphat inſurgentibus, ipſe prædicato ieiunio vnà cum populo ſupplex ad Deum confugiens ſic ab eis ſe mutuò cædentibus liberatus. Spolia ab illis relicta collecta à Iudæis. Ob fœdus initum cum Ochozia impio rege Iſrael correptus à propheta, & punitus à Deo Ioſaphat. 21. Pio parenti Ioſaphat ſucceſſor impius Ioram. Ab hoc occiſi fratres ſui, & quidam principes Iudæ, Sed ab Elia propheta, miſsis regi litteris è Paradiſo, prænuntiata regi peſſima ægritudo, ac mors; Domus ſuæ, regnique clades. Omnia probata eventu. 22. Impius Ochozias filius Ioram rex Iuda, & Ioram rex Iſrael ſimul occiſi à Iehu. Ab impia Athalia occiſi omnes filij Ochoziæ, vnico Ioas natu minimo per Ioſabeth amitam ſuam neci ſubſtracto. 23. A Ioiada Pontifice vnctus in regem Iuda Ioas ſeptenis, curatumque, vt Athalia occideretur, & cultus Dei reſtituerent. A populo deſtructa domus, altaria, ac ſimulacra Baal. 24. Ioas vivente Ioiada Pontifice bonus, ac pius; ideò à ſe iuſſum ad ſerta tecta templi congregari pecuniam. Sed ab eodem facto impio iuſſum occidi in atrio templi, ac lapidibus obrui Zachariam filium Ioiadæ illum corripientem. Anno mox inſequenti Iudæa tota Syris in ſpolium data, & Ioas rex à proprijs ſervis occiſus. 25. Amaſiæ regis Iuda ſucceſſoris Ioas iuſſu interfecti occiſores patris Ioas. Poſt habitam de Idumæis victoriam idem delapſus in idololatriam. Ideò captus à Ioas rege Iſrael à ſe ad prælium provocato, & Ieruſalem directa. Tandem Amaſias in Lachis fugiens occiſus. 26. Oziæ, ſeu Azariæ filij Amaſiæ pietas cummendata. Ab eo de Philiſthæis, Arabibus, & Ammonitis triumphatum, multæ civitates extructæ. Sed ab eodem poſtmodum, ob nimiam felicitatem elato, præſumptum incenſum adolere in templo. Inde Ozias percuſus lepra à Domino ad diem vſque mortis, filio eius Ioatham pro eo regnum adminiſtrante, eique ſucceſſore. 27. A Ioatham pio, ac zeloſo egregia de Ammonitis relata victoria. Illis annua multa impoſita. Pio parenti ſucceſſor impius Achaz. 28. Propter ſcelera Achaz in prædam data Iudæa primò Syris, ſecundò Iſraelitis (qui crudelitatis arguti à propheta, remittunt Iudæos captivos cum præda) tertiò Idumæis, quartò Philiſthæis. Ab Achaz etiam poſt omnem plagam aucta impietas. Illi pius filius Ezechias ſucceſſor. 29. Ab Ezechia inſtauratus abolitus Dei cultus, reſerato templo Domini, reſtitutis Sacerdotibus, Levitis, & cantoribus, oblatis plurimis holocauſtis, & Sacrificijs cum ingenti lætitia. 30. Ab Ezechia miſis quaquaverſum nuntijs non modò per Iudæam, ſed etiam per reliquas tribus Iſrael, omnes invitati Ieroſolymam cum adhortatione ad celebrandum Phaſe. Hoc idem factum maxima ſolemnitate totis 14. diebus, plurimis oblatis victimis. 31. Demolita idola, luci & aræ à populo in tota Iudæa, & in reliquo Iſraele. Ab Ezechia Sacerdotes, & Levitæ compoſiti in ordinem miniſterij; decreti etiam, populo abundatiſsimè offerente, & factis horreis, qui ſervarent, ac diſtribuerent Levitico generi, ea quæ oblata erant. 32. Sennacherib rege Aſſyriorum invadente Iudæam, & Deum cæli blaſphemante, Ezechia interim, & Iſaia Prophetis hortantibus populum Deo fidere, & Deum precibus ſollicitantibus, ab Angelo cæſi ex Aſſyrijs 180. millia. Sennacherib fugiens à filijs occiſus. Ab Ezechia nimia felicitate elato Deus offenſus. Illi ſucceſſor impius filius Manaſſes. 33. Manaſſes ob ſuas impietates ductus captivus in Babylonem; ſed mox ex afflictione pœnitens

ſuo regno redditus. Ab eodem idolis abiectis, Dei cultus inſtauratus. Defuncto Manaſsi ſucceſſor impius filius Amon à ſuis interfectus. Huic ſucceſſor pius filius Ioſias. 34. A Ioſia cultus omnis idolorum ſublatus, templum Domini inſtauratum, & reperto legis libro conterrito, & illius præſcripto omnia conſtituta, & convocato omni populo à ſe fœdus cum Deo renovatum. 35. Ab eodem Ioſia maxima ſolemnitate, plurimiſque victimis feſtum azimorum ſeptem diebus celebratum. Rex Ægypti à ſe bello laceſsitus cum infelici ſui ſucceſſu. Inde Ioſias ſagittis ictus mortuus maximo cum ingenti omnium luctu, & cum primis Ieremiæ Prophetæ. 26. Ex tribus Ioſiæ filijs Ioachaz ſucceſſor patri in regno. Hic à rege Ægypti Nechæo translatus in Ægyptum. Frater Ioachaz Eliachim à rege Ægypti nominatus IoaKim ſubſtitutus in regno; ſed ſimul cum filio ſuo iam regnante ductus in Babylonem à rege Aſſyriorum Nabuchodonoſor vna cum vaſis templi. Patruus illius Sedecias filius etiam Ioſiæ, ſed impius ſubſtitutus in regno à Nabuchodonoſor. Idem etiam Sedecias rebellans, templo, ac Ieruſalem incenſis translatus vna cum populo in Babylonem à Nabuchodonoſor. Iudæa deſerta, ac ſine rege, vſque ad annum primum Cyri primi Monarchæ Perſarum.

## SECTIO DECIMA.

### *SYNOPSIS LIBRI PRIMI ESDRÆ, eiuſque capitum.*

PRimus hic liber Eſdræ ſcriptus eſt ab ipſomet Eſdra filio Saraiæ Summi Pontificis à Nabuchodonoſore capite plexi 4. Regum vlt. & fratre Ioſedeci translato cum eodem in Babylonem. Fuit Eſdras Sacerdos, & vixit ſub Artaxerſe rege Perſarum anno ab orbe condito 3521. Narrat hoc libro per decem capita, completis iam ſeptuaginta captivitatis annis, indulto Cyri primi Perſarum Monarchæ reductos Iudæos Ieroſolymam, quam vna cum templo cæperant inſtaurare; ſed præpediti calumnijs adverſariorum coacti ſunt ſuperſedere. Adijcienda tunc eſt capitum ſynopſis.

Recenſentur primo capite. A Cyro Perſarum Monarcha verus Deus Iſraelis cognitus. Iudæis in patriam conceſſus reditus. Præfectis ſuarum provinciarum mandatum ab eodem, vt Iudæos in vrbe, & templo Ieroſolymitano inſtaurando liberaliter iuvent. Sacra vaſa 5400. à Nabuchodonoſore è templo ſublata reſtituta. His inſtructi principes tribuum Iuda, & Beniamin cum Levitis in Iudęam regreſsi. 2. Numerus, & nomina revertentium cum Zorobabel è Babilone in Iudæam, munera, & donaria in inſtaurationem templi oblata. 3. Convocato populo in Ieruſalem extructum altare holocauſtorum. In eodem oblatæ victimæ. Celebratum ſeptem diebus feſtum tabernaculorum. Secundo reverſionis anno templi fundamenta inſtaurata, populo vociferante partim ex gaudio, partim ex fletu. 4. Ab hoſtibus Iſraelis miſsis ab Aſſur ad inhabitandas vrbes Samariæ impedita templi, ac vrbis inſtauratio Ieroſolymitanæ. Ab ijſdem hoſtibus obtentum à Cambyſe Cyri ſucceſſore reſcriptum regium illam intermitti vſque ad ſecundum Darij annum. 5. Hortatu prophetarum Aggæi, & Zachariæ repetita à Iudæis inſtauratio templi ſub Dario rege. Fruſtra conati id impedire præfecti regij, ac principes trans flumen in Samaria conſtituti à rege Aſſyriorum. 6. A Dario iuxta decretum Cyri in ſua Bibliotheca inventum iuſſum perfici ſumptibus regijs templum Ieroſolymitanum. Templum abſolutum, ſexto Darij anno cum ingenti lætitia, plurimiſque victimis dedicatum. Eadem opera celebrata ſeptiduò ſolemnitas Paſchalis. 7. Eſdras Sacerdos, & legis doctor aſſumptis comitibus miſſus ab Artaxerſe rege Perſarum in Iudæam, & Iudæos nomine regis viſitaturus, docturus, & recturus. Relatum regis edictum. 8. Catalogus eo-

rum, qui cum Esdra è Babylone venerunt in Iudæam. Horum felix adventus in Ierusalem indicto ieiunio pro directione itineris, & fusis ad Deum precibus. Vasa, & munera allata. Victimæ Deo oblatæ. 9. Ab Esdra planctum peccatum populi Israelitici (quod cum fœminis Ethnicis contraxissent matrimonia) & ab eodem scissæ vestes, & crines evulsi, & preces ad Deum fusæ, vt iram suam avertat à populo. 10. Convocatis omnibus Iudæis iussum ab Esdra repudiandas vxores alienigenas. Ab illis promissum se id facturos. Deputati qui præsint huic operi exequendo. Recensiti, qui talia contraxerant matrimonia.

## SECTIO VNDECIMA.

### *SYNOPSIS SECUNDI ESDRÆ, eiusque capitum.*

ESdræ inscribitur à Latinis etiam hic liber, licet à Nehemia conscriptus fuerit, quia olim vnus, idemque liber, teste S. Hieronymo epist. ad Paulin. erat, qui nunc in duos dissectus est. Continet hic secundus liber per 13. capita gesta non minus Esdræ, quam Nehemiæ, narratque quo pacto reductis in Iudæam exulibus, & iam instaurato templo, & constituta ex parte Republica (quæ primo libro recensentur,) etiam vrbis Ierosolymitanæ, murorumque, & turrium, & palatiorum eiusdem instauratio, vel invitis, & repugnantibus hostibus, à Nehemia procurata sit, & respublica optimis legibus stabilita. Recensetur etiam malorum subditorum reprehensio à Deo facta in absentia Nehemiæ. Porrò Nehemiam Sacerdotem fuisse manifestum est ex 2. Machab primo: Vt genere, & sanctitate, sic, & naturæ dotibus excelluisse, vel inde colligimus, quod potentissimo Persarum Monarchę Artaxersi Longimano, & carus admodum, & pro pincerna fuerit, seu à poculis, quod officium nonnisi primæ notæ aulicis concedi solet.

Placet hic etiam apponere quæ contineantur in 3. & 4. libro Esdræ alioquin Apocryphis, & proinde à Canone Ecclesiastico reiectis. Tertius ergo per novem capita continet quædam alibi scripta circa captivitatem Babylonicam tempore Iosiæ; quædam etiam, quæ contigerunt sub Zorobabel, & Esdra. Interseritur quoque solutio cuiusdam quæstionis cap. 9. Quartus per capita 16. continet quasdam visiones, & somnia super populi Iudæorum libertatem à captivitate, & templi Ierosolymitani instaurationem. Hi duo libri Esdræ reiecti reperiuntur in calcem totius Bibliæ tanquam Apocryphi. Iam Synopsim capitum 2. libri Esdræ attexamus.

Referuntur primo capite. Fletus Nehemiæ coram Deo propter auditum Iudæorum in patriam reductorum miserum statum. Ab eodem multis ieiunijs, ac præcibus efflagitatum diuinum auxilium. 2. Impetratæ à Nehemia litteræ ex rege excurrendi Ierosolymam, eiusque mœnia instaurandi. Opus strenuè aggressus, frementibus nequidquam hostibus. 3. Ierusalem muri, turres, & portæ, & à quonam instaurata. 4. Irridentibus, & aduersantibus Samaritanis, alijsque vicinis hostibus, à Iudæis altera manu ædificatum, altera gladius ad defensionem apprehensus. Nehemia Deum orante, & suos strenuè vrgente tandem opus perfectum. 5. In magna pauperiorum inopia, ac fame diuites auari increpati à Nehemia. Hic vsuras prohibens sua egentibus sponte largitus. Vnde ab eodem hęc operis remora remota. 6. Hostes Iudæorum, Nehemiam sub specie fœderis cum eo feriendi conati in insidias pertrahere, comminantes, & illi accusationem de affectato regno. Impavidus semper Nehemias, nec illius immutatum propositum. Vndè quamvis per pseudoprophetas pecunia corruptos, alioque proditores novis fraudibus impetitus, omnia semper frustra; & muro completo timor incussus fi-

finitimis omnibus gentibus. 7. Cinctæ iam menibus vrbi cuſtodes à Nehemia deſignati. Convocato populo recenſiti omnes primo cum Zorobabele è Babylone regreſsi Ieruſalem, vnà cum iumentis ipſorum, dataque munera ad opus ædificationis. 8. Prima die menſis ſeptimi Tiſri convocato omni populo Ieroſolymam, ab Eſdra Sacerdote prælecta, ac explicata lex Dei, facto per Levitas ſilentio. Idem populum contriſtatum conſolatus. Eadem lectio reſumpta 15. eiuſdem menſis, & continuata tota octava ſolemnitatis Tabernaculorum allatis frondibus celebratæ, legente ſingulis diebus Eſdra in libro legis. 9. Populus in ieiunio, & ſaccis pœnitens iteratò ſpontè ſeparatus ab alienigenis. Levitæ confeſsi Dei beneficia, & populi ſcelera deteſtati. Ab ijſdem preces ad Deum fuſæ pro populo, pro quo fœdus initum cum Deo. 10. Nomina eorum, à quibus fœdus initum cum Deo. Fœdere promiſſum ſe ſervaturos vniverſa Dei præcepta, maximè de vitando commercio cum alienigenis, de ſervando ſabbatho, & anno ſeptimo Sabbathico, de oblationibus, primitijs, ac decimis. 11. Incolæ vrbis Ieroſolymæ inſtauratæ, & reliquarum civitatum Iuda. 12. Nomina, & officia Sacerdotum, ac Levitarum tempore Ieſu, & Ioacimi, & ſequentium ſummorum Pontificum, vſque ad Darium Codomannum vltimum Perſarum Monarcham. Celebrata dedicatio vrbis novæ Ieroſolymæ, vndique ad eam evocatis Levitis, & alijs omnibus Iudæis. 13. Lecto de more Deuteronomio, rurſus ſeiuncti, ac eiecti à Iudæis alienigenæ, etiam Tobias, etſi affinis Summi Pontificis, proiectis è Gazophilacio vaſis domus eiuſdem Tobiæ. Decimæ Levitis inſtauratæ. Sabbathi violatores, & vincti matrimonio Gentilibus à Nehemia iterum è Perſide reverſo puniti.

## SECTIO DUODECIMA.

### *SYNOPSIS LIBRI TOBIÆ, EIUSQUE capitum.*

SCriptus eſt hic liber primum Chaldaicè, teſte S. Hieronymo epiſt. 100. quæ eſt ad Chromatium, & Heliodorum: & idem S. Hieronymus ex ea lingua convertit in Latinum. Scriptus autem eſt ab ipſo Tobia Seniore vſque ad finem capitis 12. A Iuniore ſcriptum eſt caput 13. vſque ad verſum 16. Inde vſque ad finem libri alius quiſpiam incertus ſupplevit. Putatur ſcriptus hic idem liber circa annum Mundi 3252. quo anno vterque Tobias à Rege Aſſyriorum Salmanaſar translatus eſt in civitatem Ninive, & ibidem manſit per aliquot annos. Idem hic liber etiam in Hebræam, Græcam, & Syriacam translatus extat. Sed præter Hebræam, & Græcam illam, quæ noſtræ huic Latinæ verſioni reſpondet, alia extat Hebræa, & Græca paulò amplior, & fuſior, in qua Tobias ſemper in prima perſona loquitur. Vnde meritò putant aliqui Tobiam bis eamdem hiſtoriam conſcripſiſſe, ſemel ſuccinctè, quam hic habemus, iterumque fuſius, quæ Græcè etiamnum extat, vt dixi. Narrantur hoc libro per 14. capita Probatio, & virtus multiplex Tobiæ Senioris; miniſterium Archangeli Raphaelis inducendo, reducendoque incolumi, ac re benè geſta, Tobia iuniore; optima prolis inſtructio, & honeſtas matrimonij. Quare maximis liber iſte vitæ moralis abundat monitis, & vt ait Beda, in ipſa ſuperficie litteræ ſalubris patet legentibus. Nunc ad capitum Synopſim deveniendum eſt.

Narrantur primo capite. Tobias etiam in captivitate conſtitutus à lege Dei nunquam averſus. Filius Tobias ex Anna vxore ſuſceptus ab eodem Deum timere doctus. Tanquam gratus regi Salmanaſar, quamvis captivus,

vus, liber tamen ad eundum quocumque vellet. Confratres captivos consolatus. Ab ipso mutuata Gabelo decem argenti talenta. Sennacherib eum mortuos sepelientem persequutus. 2. Tobias mortuorum sepultura defatigatus, & obdormiens, hirundinis stercore in patientiæ probationem excæcatus. Ab vxore, & amicis probris exceptus, instar Iobi patientissimè passus. 3. Tobias ob vxoris, & Sara filia Raguelis ob ancilæ suæ convitia exoptantes. Sed ad preces confugientes inde mox exauditi à Deo, & Angelus Raphael ad vtrumque curandum missus. 4. A Tobia sperante se brevi moriturum filio pijssima salutis monita inculcata, eleemosynæ virtus declarata, & decem argenti talenta à se Gabelo mutuò data iudicata. 5. Tobiæ socium, ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti, Rappaelis Angeli ignoti occursus. Huic à patre Tobiæ filius datus ad custodiam. His profectis plancta à matre filij absentia. 6. Angeli hortatu à Tobia piscis invadens apprehensus, & exenteratus. Cor eius, fel, & iecur ad medicamenta reservata. Raguelem diversi, vt iussu Angeli petat in vxorem illius filiam Saram, cuius viros septem occiderat dæmonium. Tobias doctus ab Angelo, quo fine suscipiendum, ac servandum coniugium. 7. Tradita Tobiæ à Raguele petita filia Sara in vxorem, ex consilio Raphaelis, Scriptis coniugij tabulis nuptiæ celebratæ. 8. Corde, & iecore piscis prunis impositò, à Tobia thalamum ingresso fugatus Asmodæus, & in Thebaidem ablegatus. Repleto, quod paratum erat, sepulchro, actisque Deo gratijs de coniugum incolumitate, à Saræ parentibus lætum apparatum covivium. Pro dote medietas bonorum assignata, cedente, & reliqua, post parentum obitum. 9. Angelus Raphael rogatu Tobiæ progressus ad Gabelum in Rages. A Raphaele post receptam pecuniam Gabelus in Ecbatanas secum deductus ad nuptias Tobiæ. Benedictum à Gabelo Tobiæ, ac Saræ. 10. Parentes Tobiæ anxiè conquæsti, & contristati ob diuturnam filij absentiam. Dimissus tandem, quamvis ægro animo à Raguele, accepta dote, & vxore. Raguel illis benè precatus admonita ab eo filia de officio honestæ matris familias. 11. Relictis in itinere in Charan Sara, reliquaque familia, Tobias, & Raphael præcurrentes in Ninivem, hic lætè à parentibus Tobiæ excepti. Felle piscis restitutus visus cæco Tobiæ. Inde actæ Deo gratiæ. Post adventum Saræ, ac familiæ septem diebus læti epulati, festa nuptialia instaurantes. 12. Septem ingentia beneficia per Raphaelem accepta recensita à Tobia patre suo. Oblata vero ad grati animi signum bonorum omnium allatorum medietate; Raphael à seipso, ecquis esset, manifestatus, & post exposita alia mysteria, in cœlum regressus, illis pronis ruentibus in terram, & Deum benedicentibus. 13. Tobias Senior Deum laudans, eique gratias agens vniversos ad idipsum hortatus. Vaticinatus quoque de instauratione, & magna felicitate futura in Ierusalem, primò corporali, & terrena, quæ erat in Iudæa; 2. Spirituali, seu mystica, quæ est Ecclesia 3. cœlesti, quæ est habitatio Angelorum, & Sanctorum. 14. Tobias Senior moriturus, completis 102. ætatis suæ annis, filium, ac nepotes hortatus ad pietatem. Hortatus etiam, vt sepultis parentibus, migrent è Ninive. Huius eversio prædicta, & Ierusalem instauranda. Filius patris monita observans, ad Gabelum cum familia regressus in Ecbatanas. Hic mortuus, & sepultus, completis 99. annis.

## SECTIO XIII.

### *SYNOPSIS LIBRI IUDITH, EIUSQUE capitum.*

CONscriptus est liber Iudith primum Chaldaicè, vti etiam Tobias, & Esther, lingua nempè regionis,

nis, in qua hiſtoriæ iſtę contigerunt. Ex Chaldaico S. Hieronymus Latinum fecit, non verbum verbo, ſed ex ſenſu ſenſum reddendo, vt ipſemet ait in prologo Iudith, & in epiſt. 3. Iam tamen etiam Hebraicè extat, & Græcè, & Syriacè, ſed ex alio, vt apparet, exemplari, quàm ex quo S. Hieronymus ſuam Latinam verſionem collegit: certè Græca potius paraphraſticè hiſtoriam exponit, quàm ad litteram. Primus ſcriptor, & auctor Chaldaici textus ex communi ſententia eſt Ioachim, vel Eliacim (nam idem prorſus ſunt hæc duo nomina, & vtrumque nomen noſtro huic tribuitur in hiſtoria Iudith) ſummus Sacerdos, & Synagogæ Pontifex, non tamen ille filius Ieſu (filij Ioſedech) qui cum Zorobabele reduxit Iudæos è Babylone Ieroſolymam primo Eſdræ 2. & 3. ſed alius tempore Manaſis regis Iuda, cui Iſaias Propheta Summum Pontificatum nomine Dei promiſſerat cap. 22. verſ. 21. Nam anno circiter 10. Manaſis hæc hiſtoria contigiſſe creditur. Inde etiam probatur dictus Eliacim auctor huius libri; quia, vt aſſerit Ioſephus libro primo contra Apionem, in more poſitum fuit apud Ægyptios, & Babylonios, & potiſsimum apud Hebræos, vt res geſtę publicè ſcribendæ committerentur Sacerdotibus magnis: tempore autem Iudith Sacerdos magnus erat Eliacim, vt habetur libro Iudith 4. & 15. capite. Scriptus eſt igitur hic liber circa annum mundi 3270. quod eodem tempore hæc hiſtoria contigerit, hoc eſt inter duas captivitates tempore Regis Iuda Manaſſe, & Regis Aſſyriorum Merodach Balada, qui regnavit etiam in Babylonia. Materia libri per 16. capita eſt victoria virtute nobiliſsimæ, & caſtiſsimæ fœminæ Iudith viduæ divinitus reportata ab Hebræis, de potentiſsimo Principe militiæ Aſsyriorum Holoferne. Supponenda nunc eſt capitum Synopſis.

Recenſentur primo capite. Rex Medorum Arphaxad, poſt conſtructam vrbem Ecbatanis, prælio ſuperatus, & captus à Nabuchodonoſore. Hic reliquis quoque regnis inhians ab illis ſprætus, nec admiſsi eius legati. 2. Concilio bellico adſtipulante ambitioni Nabuchodonoſoris, Holofernes ab eodem miſſus verſus Occidentem omnia regna, & populos vaſtaturus. Deſcripta potentia exercitus ipſius. Multis locis per ipſum expugnatis, vehemens timor vniverſis incuſſus. 3. Vniverſæ vrbes, ac provinciæ territæ tantis copijs, vltro deditæ Holoferni. Ex his auxiliares ſibi aſſumptæ. Vrbes munitiores deſtructæ. Luci cum idolis, & fanis exciſi, vt ſolus Nabuchodonoſor Deus habeatur. 4. Metu propinquantis tyranni perterriti Iudæi. Ab ijſdem omnia media expedita, quibus adverſus illum ſe tueantur. Nec ſola humana adhibita induſtria, ſed addita ieiunia, preces fuſæ, divinumque auxilium hortatu Summi Pontificis Eliacim imploratum. 5. Ab Achiore Duce Ammonitarum rogato de Iudæis ab Holoferne, enarrata publicè Dei opera circa iſtum populum; monituſque ne temerè contra illos pugnet. Sed ob hæc indignati Achiori Principes omnes Holofernis. 6. Ab Holoferne Achioris oratione irato iuſſum ipſum Achiorem ad hoſtes transferri Bethuliam, vt ea victa intereat. Quare arbori alligatus, à Iudæis in vrbem receptus, & benignè habitus, ipſis interim Dei opem humillimè implorantibus. 7. Bethulia ab Holoferne obſeſſa. Aquæductu præciſo, fontes omnes eiuſdem iuſſu cuſtoditi. Ab obſeſsis nimia ſiti cruciatis cogitata deditio: ſed Oziæ Principis ſuaſu ad quinque dies differenda. 8. A Iudith, cuius laus deſcribitur vacillantes præsbyteri, & præ anguſtia deditionem quinto die meditantes obiurgati, quod tempus Divinæ miſerationi præſcriptum ſit ab illis. Patrum exemplo ad patientiam, & divinæ opis implorationem illos hortata, bonoque animo omnes eſſe. 9. Iudith cinere, & cilicio vltro à ſe cruciata Deum precata

pro novo robore, ad Holofernem profternendum, ad patriam ab illius tyrannide liberandam. 10. Iudith pulcherrima, ac aptissimè ornata egressa Bethulia cum vnica ancilla. Ab exploratoribus deprehensa ducta ad Holofernem. Hic mox eius pulchritudine captus. 11. A Iudith interrogata ab Holoferne super causa fugæ suæ, causa exposita adventus sui, promissa certa victoria. Laudata Iudith non solum à pulchritudine, sed & à sapientia. Et vicissim maxima illi præmia promissa. 12. In loco thesaurorum Holofernis Iudith excepta. Toto quatriduo permissum sibi, & ieiunio, & orationi vacare, & noctu quoque foras, quoties vellet, egredi. Quarto demum vespere, in eodem cœnaculo cum Holoferne, sed alia in mensa convivata. Holofernes amore Iudithæ inflammatus, vino etiam totus inebriatus. 13. Ebrij Holofernis caput à Iudith, facta ad Deum oratione, acinace præcisum, & Bethuliam delatum ad suos concives. Iudith omnes ad Deo gratias agendas hortata, & ab omnibus benedicta, & laudata. Achior, viso Holofernis capite, primò pænè exanimatus, postea resumpto spiritu recreatus. 14. Achior ad fidem veri Dei conversus, & circuncisus. Iudæi, suspenso capite Holofernis de muro Bethuliæ, progressi impetu facto in Assyrios. Hi, comperta cæde Holofernis, incredibili timore, atque animi consternatione concussi. 15. Cæde sui Ducis Assyrij perculsi, relictis castris, gazis, impedimentis omnibus, in effusam fugam dati; sed ab Hebræis vndique insequentibus, & occurrentibus miserrimè cæsi. Castrorum spolia totis triginta diebus vix evecta, præ copia. Ditati omnes Bethulienses. Iudith à Summo Pontifice, totoque populo laudata, benedicta, & omnibus, quæ Holofernis propria fuerant, condecorata. 16. Epinicium decantatum à Iudith. A populo holocausta oblata Deo in gratiarum actionem pro tanta victoria. Iudith plena dierum mortua. Dies huius victoriæ perpetuò apud Hebræos in numero Sanctorum dierum ex præcepto celebrata.

## SECTIO XIV.

### *SYNOPSIS LIBRI ESTHER, eiusque capitum.*

LIber Esther scriptus est primum Hebraicè, & à S. Hieronymo, vt ipsemet testatur in præfatione in Esther, inde verbo tenus in Latinum translatus, à septuaginta in Græcum, & ab alijs in alias linguas. De novem prioribus captibus, & initio decimi vsque ad versum 4. quia in Hebræo reperiebantur, nullum vnquam fuit dubium; sed reliqua etiam huius libri residua prorsus canonica esse, docet S. Hieronymus in præfatione in Esther. Extant etiam in editione septuaginta Interpretum, & olim etiam extabant in veteri vulgata, non seorsim, vt modo in nostra Latina, sed suis quæque locis inserta, eodem servato ordine historiæ. Nam S. Hieronymus suo demum tempore, quòd illa Hebraicè non reperiret, seiunxit à reliquis, & ad calcem libri reiecit. Creditur hæc historia contigisse circa annum mundi 3528. quo tempore floruit Esdras, quem eiusdem libri auctorem quidam censent; sed probabilius existimatur auctor eius Mardochæus, vt dicitur cap. 9. versu 20. & cap. 12. versu 4. Videtur tamen ipsa quoque Esther quædam inseruisse, cum id in textu Græco ibidem disertè affirmetur. Porrò Mardochæus, tanquam patruus, & nutritius ipsius Esther, qui semper illi adfuit, & res gestas optimè omnium novit, potuit hanc historiam multò facilius, quàm quilibet alius conscribere. Continet hic liber per 16. capita historiam eiusdemmet Reginæ Esther præclarissimæ fœminæ, per quam Deus vniversam Iudæorum gentem iam iam perituram servavit, & Aman, qui excidium illius insidiosè machinabatur,

in

in ſuſpendium adegit. Vnde libri argumentum eſt depreſsio Vaſthi, & Aman; exaltatio Eſther, & Mardochæi, & liberatio Iudæorum. Capitum Synopſis ſequens eſto.

Narrantur primo capite. Aſſuero, ad potentiæ, & gloriæ ſuæ oſtentationem, toto ſemeſtri ſplendidiſsimum celebrante convivium, accerſita Regina Vaſthi venire recuſans ideò repudiata. Inde ſapientum conſilio promulgatum edictum, ab vxoribus maritis honorem deferendum. 2. Præ cæteris virginibus Aſſuero quæſitis, in locum repudiatæ Vaſthi, Regina ſubrogata Eſther, neptis occulta Mardochæi Iudæi, celebrato nuptiarum magnifico convivio, ac datis muneribus. Eſther opera à Mardochæo indicatæ regi Aſſuero inſidiæ ſibi paratæ à duobus Eunuchis palatij miniſtris. Hi in crucem acti; & factum Mardochæi in regios annales relatum. 3. Aman, quamvis omnibus Medorum, Perſarumque principibus antepoſitus à rege, indignatus tamen adverſus Mardochæum, ipſum non adorantem. Hinc omnes Iudæos internecioni dandos tertiodecimo die duodecimi menſis poſtulatum ab Aſſuero, impetratum, & mandatum, miſſis ad vniverſas provincias literis regis annulo ſignatis. 4. Luctus publicus Mardochæi, & omnium Iudæorum, ob crudele regis edictum. Eſther quoque regina cum ſuo gynæceo precibus toto triduo, & ieiunijs proſtrata ad exorandum Deum, vt ingreſſura ad regem cum vitæ ſuæ periculo (quia non vocata) poſsit per eum cladem Iudæis impendentem depellere. 5. Eſther, contempto vitæ ſuæ periculo, non vocata ingreſſa ad regem, & ab illo comiter excepta. Rogatus ab Eſther rex, vt cum Amano ſuum veniat ad convivium. Hoc impetrato, rogatus iterum vt, & ſecundò veniat cum eodem. Interim ab Amano indignato ſe à Mardochæo non honorari, crux illi parata. 6. Ex annalibus nocte lectis, regi Aſſuero innovata memoria detectarum olim per Mardochæum inſidiarum ab Eunuchis ſibi paratarum. Inde iuſſum ab eodem, Mardochæum regijs honoribus afficiendum, idque per Amanum iuratum, & capitalem ipſius hoſtem. 7. Ab Eſther rex in convivio iam exhilaratus, interpellatus pro ſua, & populi totius Iudaici vita, & Aman accuſatus. Hic ex iuſſu regis eadem hora, è ſublimi cruce ab illo parata Mardochæo, publicè ſuſpendendus. 8. Suffecto Mardochæo in locum Amanis, ab Eſther poſtulatum, & impetratum ex rege, vt ferales Amanis literæ, de iugulandis vbique Iudæis, irritentur, & novæ in ipſos Iudæorum hoſtes conſcribantur. Vnde maxima vbique lætitia. 9. A Iudæis hoſtes ſui eodem, quem ipſi Iudæorum cædi præſtituerant, die paſsim trucidati, & decem filij Aman è patibulis ſuſpenſi. Propterea ex Mardochæi iuſſu dies phurim, ſeu ſortium, 14. & 15. menſis duodecimi Adar perpetuò ſolemnes, & feſtivi. 10. Maieſtas, dignitas, & gloria Mardochæi, & explicatio ſomnij eiuſdem de rebus in Perſide obventuris genti Iudaicæ tum adverſis, tum proſperis. 11. Somnium Mardochæi, quod ſecundum ordinem temporis deberet primo loco huius libri Eſther poni, vt ponunt ſeptuaginta. 12. Detectio facta à Mardochæo Regi de paratis inſidijs per Eunuchos, ex 2. capite repetita. 13. Exemplar epiſtolę regię miſſæ ab Amano ad principes, & præſides omnium provinciarum ſuper cæde, & excidio Iudæorum. Et Mardochæi oratio pro eorum liberatione. Exemplar inſeri deberet, cap. 3. poſt verſum 13. oratio vero ponenda eſt poſt cap. 4. 14. Planctus Eſther, & eiuſdem oratio ad Deum. Subiungitur in Græco orationi Mardochæi poſt cap. 4. 15. Mandante Mardochæo, Eſther cum vitę ſuæ periculo ingreſſus ad regem, explicatus quidem cap. 5. ſed hic fuſiùs enarratus. 16. Exemplar epiſtolæ Darij Hyſtaſpis, qua revocat færale reſcriptum Amanis, iubetque vice ver-

ſa

ſa à Iudæis quoſcumqut hoſtes ipſorum occidi, & diem iſtum toto imperio ſuo feſtum deinceps habendum.

## SECTIO XV.

### *SYNOPSIS LIBRI IOB, EIUSQUE capitum.*

VEram hanc eſſe hiſtoriam, non autem parabolam, vt quidam Iudæi voluere, patet ex Tobia, Ezechiele, & Iacobo Apoſtolo, qui eam vt hiſtoriam citant. Conſcripta primùm ab ipſomet Iob, & quidem lingua Syriaca, vel Arabica, vel Idumæa, nam teſte S. Hieronymo in prologo in Iob, Syriſmis paſsim, & Arabiſmis iuſpergitur. Ex Syriaca verò in Hebræam linguam convertit eam Moyſes, fortè dum ſui ſoceri Iethro oves paſceret in Madianitide, additis tam principio, & fine, ideſt additis initio illis verbis, vir erat in terra Hus nomine Iob, & ad finem addita morte ipſius. Cauſa ſcribendi finalis fuit, vt omnibus, & maximè Hebræis ſub id tempus in Ægypto graviter afflictis vivum daretur exemplum patientiæ. Nam hic graphicè depingitur duellum pœnarum, & tolerantiæ, Naturæ, & gratiæ, dæmonis, & viri iuſti. Toto libro præcipua quæſtio agitatur, an ſoli peccatores à Deo abverſi affligantur in hac vita, an verò etiam pij, & iuſti, qui nihil tale meruerunt. Priorem partem, & falſam tuentur amici Iob; poſteriorem, & veram ipſe Iob. Porrò Iob ad miraculum vſque ſanctus, & doctus antè Moyſen vixit, vel tertius ab Eſau, & quintus ab Abraham, vel probabiliùs tertius à Nachor fratre Abrahæ, cum tamen Moyſes fuerit quartus à Iacob, & ſextus ab Abraham. Quod autem Iob fuerit tam antiquus, probat ætas longæva, ad quam pervenit Iob, vixit n. annos 248. ad hanc tamen ætatem, Moſis tempore, nemo perveniebat. Natus eſt in civitate Boſra, non Moabitica, ſed Idumææ, vel Traconitidis regionis, incertum quo anno. Habitavit in terra Hus, fuit Sacerdos, Propheta, Rex de filijs Eſau. Iam verò 42. capitum, quibus hiſtoria texitur, adijcienda Synopſis eſt.

Referuntur primo capite. Iob pietas inſignis, divitiæ, & proles commemoratæ. Ab eo, pro filijs viciſsim convivia celebrantibus, ſacrificia oblata Domino. A Satana impetratum ex Deo, vt ſibi Iobum liberis, & opibus omnibus exuere liceat. A Iob omnia patientiſsimè tolerata, ac in Dei laudes prorumpente. 2. Semel probata Iobi pietas, & conſtantia, iterum ad Satanæ inſtantiam, Deo permittente, tentata, primùm totius corporis vlcere peſsimo, & miſerrimo ſtatu. Deinde inſolentia, & obloquutione vxoris, cuius impietas reprehenſa à Iob. Demum adventum trium amicorum toto ſeptiduo ſilentum, nec illum affari audentium, ob mali magnitudinem. 3. A Iob, laxatis naturæ habenis, maledictum diei ſuo natali, & preſenti vitæ. Ab eodem pulcherrimo carmine, audientibus amicis, deſcriptæ mortalium miſeriæ, ſimulque demonſtratum, à quantis malis liberentur, qui tam miſeræ vitæ ſubtracti ſunt. 4. Afflictæ Iob ab Eliphaz calamitatum impatientia, ante actæ vitæ hypocriſis, atque in adminiſtrando regno inhumanitas, ac tyrannis. Hinc Eliphaz conatus perſuadere Iob, ſe propter peccata flagellatum à Deo, nulli innocenti adverſa immittente. 5. Rurſum ab Eliphaz Iob reprehenſus iniquitatis, licet non omnibus, & nec ipſi forſan notæ, propter quam à Deo flagellatus. Hinc cum hortatus Eliphaz, ad ſupplices humiliationes pro venia impetranda, exemplo aliorum Deo ſupplicum. 6. Iob excuſans aſperitatem ſuarum lamentationum, ex doloris magnitudine, ad ſatisfaciendum obiectis ſibi ab Eliphaz, conqueſtus ſe longè graviora pati, quàm peccatis ſuis ſecundum legem Dei ordinariam

pro-

promeritus sit. Confessus etiam, se tantos corporis, animique dolores naturaliter non posse diutius sufferre. Questus demum, & se ab amicis deseri, & nominatim tres istos, cum consolaturi ipsum venerint, iam prorsus contrarium præstare. 7. Humanæ vitę, suæque in primis calamitates à Iob depictæ: ad felicitatem presentis vitæ reditus non amplius futurus. Rogatus ab eo Deus, ad ipsum è miserijs liberandum. Admiratus maximè Iob Dei erga miserum hominem providentiam. 8. A Baldad Suite Iob de impio sermone reprehensus. Hunc hortatus ille, vt se ad Deum, vitamque meliorem convertat: sic omnia illi prospera futura. Vana spes hypocritarum. Deus enim bonis bonorum, malis malorum retributor. 9. Responsum à Iob, cum divina iustitia, sapientia, potentia benè consentiendum. Deus tamen percusor, & afflictor non solum impiorum, sed etiam innocentum. A Iob innocentia deinde sua demonstrata, & exaggeratæ afflictiones. 10. Omnes viæ tentatæ à Iob ad leniendum nonnihil dolorem, lamentatione, planctu, causæ inquisitione. Securus de sua innocentia, certus de divina iustitia, proiectus à se in signum Dei misericordiæ. Sed, propter exuberantiam dolorum, à se desideratum nunquam natum fuisse. Vivum porrò exemplum luctæ carnis, & spiritus, partis inferioris, & superioris. 11. A Sophar tertio amico Iob, post multa recensita peccata, horum reus factus Iob. Idem testatus illa afflictionum causas. Promissum tamen ab eo sibi respicscenti prospera omnia, & secunda. 12. Ad amicorum iactantiam retundendam ostensum à Iob, sibi iam pridem perspecta omnia, que de Deo proferebant. Sed vicissim illis ab eo divina vindicta minis indicata, tanquam iusto insultantibus, & simplicem ridentibus. A Iob laudibus elata divina potentia, sapientia, & providentia in vniversi gubernatione. 13. A Iob amici sui confutati proprijs verbis ipsorum, ac ijdem à Deo arguendi. Sua quoque ab eodem Iob iustitia, ac patientia defensa, Deusque rogatus, vt aperire dignetur, propter quæ peccata, vel alias causas tam graviter affligatur. 14. Fragilitate deprædicata humana, divinam erga miseros providentiam Iob admiratus, maximè post hanc ærumnosam vitam expectans aliam felicem. Corporum etiam vaticinatus resurrectionem. 15. Reprehensus Iob ab Eliphaz iactantiæ, impatientiæ, & blasphemiæ in Deum, in cuius oculis nemo mundus, aut innocens inventus. Multiplex inde descripta ab eodem Eliphaz hypocritarum nequitia, terror, pœna, & maledictio. 16. A Iob amicis repetitum, additumque, si suo loco essent, secus locuturos. Ab eodem sigillatim explicati morbi, & miseriæ, quas patitur citra meritum suum, invocato teste Deo. 17. Ex ærumnarum magnitudine præsagitum à Iob, certam sibi mortem imminere. Hinc ab eodem amici increpati, bona presentis vitæ toties pœnitenti inculcantes. Ipse tamen futuram requiem præstolatus. 18. Iob etiam iactantiæ, & impatientiæ reprehensus à Baldad describente maledictiones, pedicas, & pœnas, ad probandum scilicet Iob non nisi ob sua scelera punitum à Deo. 19. A Iob amici damnati crudelitatis, simul asserente, se flagellatum à Deo, non propter sua scelera, sed propter alias causas. Demonstrata autem afflictionis acerbitate, ab amicis destitutus, super futura resurrectione seipsum solum consolatus. 20. Sophar verbis Iob motus, simul etiam asserens, se correptionem ipsius auditurum. Interim ab eodem Sophar (quia solent impij iusto Dei iudicio graviśimè puniri, & fortunis omnibus everti, vti Iob quoque iam contigerat) collectum, sed male, Iob impium fuisse, & suis sceleribus eas sibi pœnas accersiviśse. 21. A Iob postulatum patienter, se ab

amicis audiri, ſimulque ab illo quæſita cauſa, propter quam impiorum nonnulli in finem vſque vitæ proſperati, alij verò contra adverſis cæſi. Reſponſum ſibi ab eodem Iob, impium in diem perditionis à Deo ſervatum, ad falſam ſcilicet amicorum conſolationem per hoc convellendam, nec rectè ab ipſis concludi, impium ſe eſſe, quia à Deo afflictus. 22. Ab Eliphaz reprehenſus Iob immiſericordiæ, in pauperum oppreſsione, & aliorum facinorum, ſimul etiam aſſerente Iob de Divina Providentia non rectè ſentire. Pœnitenti tamen ab eodem proſpera rurſus omnia promiſſa. 23. A Iob contra humanum Iudicium, quo cenſebatur impius, optatum divinum iudicium, ſimul ſperante ſe innocentem declaratum iri, neque conſcientiam ſuam aliud ſibi dictare. 22. Demonſtratum ab eodem Iob, occultam prorſus eſſe rationem providentiæ divinæ, & gubernationis huius mundi, Deo ſæpe ad ſeviſsimam tyrannorum, latronum, & adulterorum improbitatem diu admodum connivente, nec niſi futuræ vitæ cruciatibus puniente. 23. Probatum à Baldad ex infinita Dei ſublimitate, & vilitate creaturarum, hominem Deo comparatum, nec debere, nec poſſe mundum cenſeri, vel iuſtum. 26. Simul probatum à Iob, Deum non egere vano, & imbecilli ſeu Baldadi, ſeu aliorum hominum auxilio, quo ſcilicet incomprehenſibilis eius maieſtas, & potentia innoteſcat. Eadem tamen ſat nota nobis per eius effectus, ac opera verè ſtupenda. 27. Iob perpetuò conſtans in ſui iuſtificatione, reiecta amicorum calumnia. Ab eodem cauſæ allatæ, cur adeò ſtuduerit innocentiæ fovendæ, & conſervandæ; & primò quia impijs nihil boni manet poſt hanc vitam. 28. Secunda cauſa recenſita à Iob, cur adeò ſtuduerit innocentiæ, quia hæc vnica via eſt ad obtinendam veram ſapientiam. Hæc quamvis in Dei ſinu occulta, inacceſſa, & inſcrutabilis, homini tamen communicata ex aliqua particula, per ſincerum Dei timorem. Iuſſum homini hac particula in preſenti vita contentum eſſe; fruiturum tamen integra ſapientia in futura Dei viſione. 29. Ad refellenda ſigillatim afflicta ſibi ſcelera ab Eliphaz cap. 22. à Iob ſigillatim recenſitæ virtutes, quibus ab adoleſcentia perpetuò emicuit. Hæ tamen iam defectu virium, & mediorum, & multitudine miſeriarum occultatæ. Inde à ſe optatus reditus ad priſtinam felicitatem, vt eædem virtutes palam innoteſcant. 30. Explicatæ intolerabiles miſeriæ, quibus Iob nunc obrutus loco priſtinæ felicitatis. 31. Plures enarratæ virtutes à Iob aliæ ſuæ, quibus à puero aſſuevit, ad removendam inde ſuſpicionem ſcelerum, quæ ſemper exhorruit. Deus ipſe citatus, & optatus iudex innocentiæ ſuæ. 23. Iob, tribus amicis impoſito ſilentio, reprehenſus vnà cum illis inſipientiæ ab Eliu ſuam iactante ſapientiam, tanquam vero ſuperbiæ typo. 33. Conatus Eliu negare iuſtitiam, & innocentiam Iob. Ad huius impietatem declarandam non opus iudicio Divino, ad quod provocarat Iob, tanquam verbali eloquio, aut voce Dei. Multis, & varijs modis Deus loqui ſolitus. In preſenti ſat manifeſtè loquutus, declarans Iob nocentem tot pœnis à ſe acriter caſtigatum, ac punitum. 34. Ad iactabundi hominis verba prudenter ſilens Iob ab eodem Eliu blaſphemiæ incuſatus, aliorumque criminum. Ab Eliu etiam fuſe demonſtratus Deus in iudicijs ſuis nunquam errans, aut iniuſtè agens. 35. Ab Eliu falsò accuſatus Iob, quod dixiſſet, Deo cordi non eſſe pios præ impijs. Ab Eliu etiam affirmatum, ſi non Deo, certè homini & pietatem prodeſſe, & impietatem obeſſe plurimùm. 36. Ab Eliu divini iudicij defenſa æquitas, ſi Deus percutit, vt erudiat, loquitur, vt ad ſe redeant, redeuntes vt à flagellis liberet. Inde hortatus idem Eliu

Iob

Iob ad resipiscentiam, promittens illi cuncta prospera. 37. Ex fulmine, tonitru, ventis, imbribus, & horum mirabilibus effectibus, declarata tandem ab Eliu inscrutabilia Dei iudicia, sicut eiusdem potentia, maiestas, & sapientia. Hinc à se monitus Iob, vt se nutui divino penitus subijciat, integrèque permittat. 38. Deus ipse disputationi interpositus, & ab ipso reprehensus Eliu, vtique indictum silentium: doctus etiam ab eodem Deo Iob, cæterique omnes, Divinam potentiam, ac sepientiam suam esse prorsus homini incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas, & creaturarum operationes, ac proprietates, aciem mentis humanæ penitus effugientes. 39. Idem probatum à Deo ex ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione, equo, & aquila. A Deo etiam reprehensus Iob, quòd cum Deo expostularit. Iob verò culpam suam agnoscens se temerè locutum fassus. 40. Idem argumentum confirmatum à Deo ex elephante, & balena; simul etiam ostensam potentiam, & sapientiam suam sublimiorem esse, quàm vt ab vllo mortalium comprehendi possit, absit reprehendi. 41. Fusiùs explicatum robur balenæ, vt inde clarius eluceat divina potentia, sapientia, & dominium absolutum etiam in omnes alias creaturas. 42. A Iob iteratò cognoscente culpam coram Deo venia petita, ac impetrata. Laudatus à Deo præ amicis, reconciliandis ex Dei iussu per holocausta, & intercessionem Iob, qui duplicia omnia recuperat, & plenus dierum in pace quiescit.

## SECTIO XVI.

### *SYNOPSIS LIBRI PRIMI MACHAbæorum, eiusque capitum.*

LIbri Machabæorum circunferuntur numero quatuor, sed soli duo Canonici sunt, reliqui adhuc apocryphi, ideſt occultæ, & incertæ auctoritatis. Duorum istorum librorum duos esse auctores diversos patet. Primum ex materia; quia posterior liber eadem, quæ prior prosequitur; sed prorsus aliter, nec tamen vnquam meminit alter alterius. Secundo ex chronologia, seu annorum supputatione quæ in priore libro est Alexandrina, in posteriore Chaldaica, differentes ferè semper integro sesquianno. Tertio ex stylo, & phrasi, quæ in priori libro Hebræum redolet, in posteriore Græcum. Auctor igitur vtriusque diversus, & quidem ignoratur. Prioris tamen credibile est, fuisse Ioannem Hircanum filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, & fuit summus Sacerdos post patrem suum Simonem, & habuit vitam diuturnam, & pacificam, in principatu annorum triginta, & vnius; & fuit non solum Sacerdos, & princeps, sed etiam propheta, vt scribit Iosephus lib. 13. antiquitatum cap. 16. Posterioris verò libri auctor creditur Iason Cirenæus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit, quorum librorum epitomen solum habemus, vt dicitur 2. Machabæorum. 2. Iam quod pertinet ad materiam, quam omnes quatuor libri tractant, explicant illi, quis status fuerit Ecclesiæ Dei sub tertia Monarchia, quæ fuit Græcorum. Quare sicut libri Esdræ, Nehemiæ, & Esther exponunvarios casus Synagogæ partim prospetros, partim adversos, tempore secundæ Monarchiæ Persarum, & Medorum; ita hi libri Machabæorum recensent eiusdem casus, tàm calamitosos, quàm felices tempore tertiæ Monarchiæ sub regibus Asiæ, & Ægypti, iuxta prophetiam Danielis cap. 2. 7. 8. & 11. Quod si temporis habenda esset ratio, primum locum inter quatuor obtineret tertius, cum ea, quæ quasi Ægyptiorum regis Ptolomæi Philopatoris, & Antiochi magni tempore Iudæis contigerint, enarret. Secundus locus deberetur ei, qui nunc quoque-

secundus est, & continet acta Antiochi Epiphanis, & Iudæ Machabæi. Tertio loco esset, qui nunc primus vocatur, & præter acta Iudæ Machabæi, insuper etiam fratrum illius, Ionathæ, & Simonis victorias prosequitur. Quarto loco maneret qui nunc quartus est, qui gesta recenset Ioannis Hircani filij Simonis. Nomen Machabæorum, quod à robore desumptum est, libris his inditum est à præcipuo Sacrorum librorum duce Iuda Machabæo, eiusque fratribus, & posteris, vt inquit S. Hieronymus in prologo. Prior igitur liber Machabæorum per 16. capita continet res gestas Machabæi, & trium filiorum eius Iudæ Machabæi, Ionathæ, & Simonis, ab anno mundi 3822. vsque ad 3856. Sed deveniamus tandem ad Synopsim capitum.

Referuntur primo capite. Ab Alexandro Macedone morituro divisa inter suos principes regna, quæ plurima, & amplissima obtinuerat. Ex horum vno Seleuco progenitus Antiochus Epiphanes crudelissimus tyrannus. Ab hoc spoliata Ægyptus, Iudæa, & Ierosolyma invasæ, templi thesauri direpti, templum idololatria pollutum, pij cives interfecti, libri sacri exusti, circuncisio prohibita, Iudæi ad idololatriã compulsi, renuentes tormentis exagitati, & morte plexi. 2. A Sacerdote Mathathia miserrimus deploratus Ecclesiæ Dei status, & constanter tàm ab ipso, quàm à filijs eius recusatum obsequi imperijs Antiochi. Quin potius ab eodem Mathathia, zelo religionis accenso, impius Iudæus idolis sacrificare paratus, simulque præfectus regius, propria manu confossi. Et plurimis Iudæis trucidatis, quia nolebant obtemperare decreto regis, & nollent sabbatho inimicis resistere, ille ex vrbe sua Modin progressus ad montes; hic collecto paulatim exercitu, Gentiles hinc inde à se profligati, aræ idolorum versæ, circuncisio restituta. Filijs suis Ecclesiæ, & religionis cura à se morituro commendata, Iuda Machabæo belli duce declarato. 3. Mortuo Mathathia successor in pontificatu simul, & principatu filius eius Iudas Machabæus, plurimis exinceps victorijs celeberrimus. Ab eodem profligatus Apollonius Syriæ pro Antiocho rege præfectus; dein, & Seron militiæ regiæ princeps. Adversus Lysiam verò Antiochi vicarium, eiusque duces Ptolomæum, Nicanorem, & Gorgiam primò precibus auxilium ex Deo postulatum à Iuda Machabæo, deinde lustrum institutum, & sui animati; denique castra mota. 4. Bipartitæ Gorgiæ copiæ profligatæ à Iuda Machabæo, & collecta fusi exercitus spolia: devictus deinde ab eodem Lysias prorex cum exercitu, fusis ad Deum precibus. Purificatum templum, novum erectum altare, omnia, quę ad Dei cultum requirebantur, præparata, sacrificia oblata, magna lætitia celebrata dedicatio templi diebus octo, & statutum huius dedicationis annuum festum ad octo dies. 5. Idumæi, & Ammonitæ perpetui hostes Dei debellati à Iuda. Ab eodem vnà cum fratre Simone liberati obsessi Galaaditæ, & Galilæi. Devictus à Iuda semel, atque iterum Timotheus. Israelitæ à Galilæa, & Galaaditide ad tutiorem locum in Iudæam traslati, vrbs Ephron expugnata, & omni masculo eius interempto, quòd transitum Iudæ præbere nollet. Tandem integro numero læti reversi in montem Sion, ad sacrificandum Domino. Interea Iosephus, Azarias, & Sacerdotes complures pugnantes contra gentes ex ambitione, citra consensum Iudæ, cæsi insigni clade; sed illa à Iuda alijs victorijs resarcita. 6. Antiochus Epiphanes, frustrà conatus spoliare templum Veneris in Elymaide, petens Babylonem, hic auditis infortunijs, & clade Lysiæ, & victorijs Iudæorum, confitens hoc sibi contigisse ob suam in Iudæos impietatem, ex animi mærore primùm morbo, dein & morte oppressus. Huic successor Antiochus Eupa-

pator filius ſolvens obſidionem arcis Ieroſolymitanæ poſitam à Iuda, cum quo non infeliciter pugnatum. Eleazarus occiſo ingenti Elephante, ab hoc oppreſſus, & mortuus, Regi ſe dedita Bethſura. Pænè etiam ſe dedita arx Iudæorum Ieroſolymitana, ſed bona fortuna, rex avocatus in Syriam, pax inita cum Iudæis à rege, ſed non ſervatum iusiurandum. 7. Recuperatum à Demetrio Seleuci Philopatoris filio, & Antiochi Eupatoris patruo paternum Syriæ regnum, Antiocho Eupatore cum Lyſia à proprijs militibus iugulato. Ab Alcimo apoſtata, ſummum apud Iudæos Pontificatum ambiente, extorta à rege Demetrio venia, ſimul cum Bacchide multa perfidè, & crudeliter acta in Iudæa. Sed vtriuſque petulantia armis à Iuda repreſſa. Nicanor quoque à rege ſubmiſſus, ſecundò victus à Iuda, & cum toto ſuo exercitu occiſus, & mortui caput, ac manus, quam Nicanor, irriſis Iudæorum ſacrificijs, ſuperbè contra locum ſanctum extulerat, de muro ſuſpenſa. Huius victoriæ dies annuus apud Iudæos celebris inſtitutus. 8. A Iuda, audita celeberrima Romanorum fama, ac virtute, hic etiam recitatis, miſsis nuntijs, fœdus cum illis percuſſum, ad ipſos Iudæos liberandos ſuo præſidio, è Græcorum iugo. Remiſſum à Romanis Iudæ reſcriptum icti fœderis, in tabulis æneis ſculptum, hic etiam relatum. Iuſſumque Demetrio Regi, ab iniuria, moleſtiaque Iudæis inferenda deinceps abſtinere. 9. Bacchides, & Alcimus iterum cum novis copijs, à rege Demetrio in Iudæam remiſsi, horrendè in Iudæos graſſati. Iudas Machabæus, dilapſis fuga ſocijs, cum ſolis octingentis innumeros hoſtes aggreſſus, victor quidem, ſed victos, ac fugientes inſequutus, à tergo concluſus, quamvis fortiter pugnans, occiſus, & planctus. Iudæi paulo poſt fame coacti, certis conditionibus Bacchidi dediti. Ionathas fratri ſuo Iudæ in vtroque principatu ſuffectus. Huius tertius frater Ioannes à filijs Iambri captus, & occiſus; ſed mox à Ionatha fratris mors vindicata, percuſsis filijs Iambri in nuptijs. Rurſum percuſsi de Bacchidis exercitu mille viri; quin & Alcimus, ob impia in locum ſanctum opera, à Deo paralyſi punitus, & inde mortuus Bacchides, nec dolo, nec vi valens Ionatham perdere, inito cum illo fœdere, digreſſus, nec amplius in Iudæam reverſus. 10. Ionathæ amicitia à duobus potentiſsimis regibus, Demetrio Seleuci, & Alexandro Antiochi Epiphanis filio, ambitionis titulo, deſiderata; ſed ſolus Alexander ea potitus, à quo Ionathæ ſummus Pontificatus confirmatus, auctus purpura, & corona aurea. Mox, devicto, & occiſo Demetrio, in nuptijs ſuis cum Cleopatra, Ionatham ſummis honoribus proſequutus, invidis, ac æmulis fruſtrà illum calumnijantibus. Appollonius deinde Alexandri, & Iudæorum hoſtis à Ionatha profligatus, ſuccenſa Azoto, & templo Dagon, quo nomine vrbs Accaron, omniſque vicinia Ionathę dono data ab Alexandro. 11. Vxor, & regnum erepta à rege Ægypti Ptolemæo Philometore, genero ſuo Alexandro. Is in Arabiam fugiens hic perfidè à Zabdiele rege capite truncatus. Quo exhibito regi Philometori, ipſe tertio poſt die mortuus. Demetrius iunior ſtabilitus in regno Syriæ, reconciliatus Ionathæ, & Iudæis; ſed brevi in alium mutatus, in eoſdem rurſus inſurgens. Ionathas ab Antiocho, Alexandri belis in Arabia occiſi filio, miris honoribus decoratus. Ab hoc pro illo plures vrbes ereptæ perfido Demetrio, eiuſque exercitus profligatus. 12. Renovatum fœdus à Ionatha cum Romanis, & Spartanis, Demetrij copiæ iterum fugatæ, Arabæ cæſi. Vrbs Ioppen rebellare parans, à Simone novis præſidijs communita, vti & alia Iudææ oppida. Tandem Ionathas dolo, & inſidijs Tryphonis, Aſiæ imperio inhiantis, captus, & cuſtodiæ mandatus, ac inte-

rempti simul sui, qui cum ipso erant. 13. Capto Ionatha substitutus frater eius Simon in principatu, & pontificatu. Ab hoc, pro redimendo fratre missa centum talenta, & duo illius filij obsides Tryphoni, ex sponsione ab eo data, se his conditionibus Ionatham liberum in Iudæam remissurum. Sed à se perfidè mentito, post acceptum lytrum occisus Ionathas cum filijs eius. Hi magno honore à Simone sepulti constructo illis, & toti familiæ nobilissimo mausolæo. Rex Antiochus à Tryphone occisus, sibique diadema impositum. Adversus eum à Simone præcipua Iudææ loca communita. Facta pax à Simone cum rege Demetrio Tryphonis æmulo. Vrbs Philisthinorum Gaza, ac etiam arx Ierosolymitana à se deditione recepta, pro quo festum actum quotannis à Iudæis ex præcepto. Ab eodem filius suus Ioannes, postea dictus Hircanus, exercitibus ductandis præfectus. 14. Rex Demetrius ab Arsace Persarum, & Medorum Rege victus, & comprehensus. Hinc à Simone laudabiliter, & feliciter administrata Respublica Iudæorum. Cum Spartanis, & Romanis amicitia instaurata. Virtutes eius, & heroyca facinora à Iudæis in æs incisa, & appensa in templo. 15. Ab Antiocho Sidete, Demetrij Seleuci filio, & Demetrij Nicanoris à Parthis capti fratre, missæ litteræ amicitiarum ad Simonem, multis, magnisque promissis illi factis. Ab eodem Antiocho fugatus Tryphon, ac obsessus, in oppido Dora, quem inde profugum insequutus idem Antiochus, recusans missum à Simone militum auxilium; mittensque ad eum Athenobium, qui multa tanquam debita reposcat. Interim à legatis Simonis amplæ pollicitationes ex Romanis relatæ. Simonis responso accepto ab Antiocho rege huius animus à Iudæis alienus, & Cendebæus cum validis copijs in eorum fines immissus. 16. A Simone iam sene, cognito adventu Cendebæi, missus exercitus suus adversus eum, ducibus Iuda, & Ioanne filijs suis. Ab exercitu castra Cendebæi fusa, & fugata, cæsis bis mille viris. A Ptolemæo filio Abobi genero Simonis, dominandi ambitione inflammato, accepti convivio Socer, eiusque filij Mathathias, & Iudas, in arce Doch proditoriè interfecti, imperium Iudææ sibi sceleratè vindicare conato. At missi nuntij ab eodem Ptolemæo, ad Ioannem tertium Simonis filium similibus dolis è medio tollendum, ab ipso Ioanne insidias pervertente interfecti. Parenti suo in summo Pontificatu, & principatu successor Ioannes.

## SECTIO XVI.

### *SYNOPSIS SECUNDI MACHABÆORUM, eiusque capitum.*

POsterior hic liber Machabæorum continet eandem historiam, quam primus narravit; sed paulò altiùs incipit, & refert martyrium insigne Eleazari, & septem puerorum Machabæorum, & matris ipsorum; quæ quidem omnia complectitur per 15. capita. Eorum Synopsis sequens esto.

Referuntur primo capite. Fragmentum epistolæ datæ à Iudæis Ierosolymitanis ad Iudæos Ægyptios, adhortatione excitatos ad celebrandum festum Scenopegiæ anno Græcorum 169. Altera item Epistola data novemdecim post annis, nempe anno 188. adhortatoria etiam data ad eosdem, vt vnà secum, diem dati cælitus ignis celebrent. Historia rei gestæ fusè narrata, sicut, & mors regis Antiochi Sidetis, ac oratio Nehemiæ. 2. Altera epistolæ pars, qua narratum à Iudæis, Prophetam Ieremiam, tradito igne, & volumine legis divinæ transmigrantibus in Chaldæam, abscondisse in monte Nebo tabernaculum Mosaicum, arcam, & altare incensi. Subiuncta deinde præfatio huius secundi libri, qua ab auctore promissum, à se, facta Antiochi Epiphanis, & Eupatoris, & Iudæ Macha-

chabæi, fratrumque illius, ab alijs prolixè conſcripta, breviter vno hoc volumine recitanda. 3. Felix Iudæorum ſtatus ſub Onia tertio, & Sancto Pontifice deſcriptus. Hic, ambitione Simonis cuiuſdam è præpoſitis templi, perturbari cæptus, proditis per Apollonium regi Seleuco ſacris templi theſauris. Miſſus enim mox à rege Heliodorus ad eoſdem theſauros expilandos, eoſque ad regem deferendos; quamvis ab Angelo ſeveriſsimè flagellatus à cæpto deſiſtens, & precibus Oniæ Pontificis ſibi redditus. Inde Dei iuſtitia, ac potentia vbique divulgata. 4. Calumnię Simonis impij proditoris à pio pontifice Onia apud regem Seleucum dilutæ. Sed defuncto Seleuco, ex fratre ipſius Antiocho Epiphane à fratre Oniæ Iaſone Summus Pontificatus auro emptus, & Ethnica impietas in Remp. Iudæorum invecta. Ergo Antiochus à prima ſui expeditione Ægyptiaca Ieroſolymam ingreſſus, hic à Iaſone pſeudopontifice honorificè exceptus. Sed idem Iaſon à Menelao Simonis fratre fraudulenter pontificatu exutus, vti, & Menelaus à Lyſimacho. Interim Onias pontifex, rogatu Menelai, per Andronicum interfectus. Andronicus, iuſſu regis Antiochi, propter occiſum Oniam, infami ſupplicio mulctatus. Sacrilegus Lyſimachus à tumultuante plebe occiſus. A Menelao pecuniæ pretio vita redempta, & iuſtis accuſatoribus vita iniuſtè adempta. 5. Antiocho rege ſecunda in Ægyptum expeditione occupato, varijs in aere prodigijs territi Iudęi. Horum vrbs Ieroſolyma à Iaſone ex Ammonitide reverſo vi occupata, & in cives horribiliter ſævitum. Ab Antiocho ſpe ſua in Ægypto fruſtrato, ira omnis in Iudæos effuſa. Horum 40. millia Ieroſolymis in vincula rapta, 80. millia trucidata, alia 40. millia in mancipia divendita; templum ſpoliatum, per præfectos ſuos Iudæi vbique graviter afflicti. Iudas Machabæus cum ſuis in deſertum profugus. 6. A tyranno Antiocho, ſubmiſſo Ieroſolymam è Senatoribus Antiochenis novo tortore, novis plagis afflicti Iudæi. Templum Ieroſolymitanum Iovi Olympio, Garizitanum Iovi Hoſpitali, eius iuſſu dicata. Iudæi omnes ad Ethnica ſacra coacti. Mulieres, quę filios ſuos circunciderant, è muris præcipitatæ. Eleazari ſenis egregium martyrium, nolentis porcinis veſci carnibus, nec id ſimulare. 7. A ſeptem vnius matris filijs, vna cum adhortante matre, pro ſincerà religione, crudeliſsimæ mortis ſupplicium conſtantiſsimè toleratum. 8. Collectis à Iuda Machabęo ſex millibus Iudæorum, graviter afflicti Gentiles; Nicanoris, Timothei, & Bachidis exercitus profligati, de Caliſthene ſupplicium ſumptum. A Nicanore, turpi fuga Antiochiam recurrente, Dei potentia apud ſuos deprædicata. 9. Morbus, & mors Antiochi iterum hic, ſed fuſius explicata, vti, & hypocriſis eiuſdem promittentis mirabilia Iudæis, ſi convaleſceret; ſed impius, & blaſphemus à vermibus corroſus, vivi adhuc corporis ſui fætore intolerabili, in Babylonia extinctus. 10. Templum, & vrbs Ieroſolymitana per Iudam Machabæum ab idololatricis ſordibus repurgata. Ergo Antiocho Epiphani ſucceſſor filius Antiochus Eupator. A Ptolomęo cognomento Macro, quia Iudęis favit, calumnijs apud regem circunvento, vita veneno ſibi abrupta. Gorgias à Iudæis iterum ſuperatus, vti etiam Idumæi. Proditores puniti. Timothęus profligatus primùm, deinde etiam occiſus cum Chęrea, & Appollonio. Deo vindici laudes decantatæ. 11. Ingens Lyſiæ exercitus fuſus à Iuda Machabæo adiuto ab Angelo. Hinc à Lyſia pax procurata inter Antiochum Eupatorem, & Iudæos. Subnexæ litterę eorumdem, vti & Romanorum ad Iudæos. 12. Infeſtati Iudæi à Ducibus Antiochi Eupatoris, non obſtante fœdere. A Ioppitis ducenti ſubmerſi. Similia tentata à Iamnienſibus; ſed à Iuda Machabæo fer-

ferro, flammaque citò vindicta ex vtriſque ſumpta, Arabes victi, vrbs Caſpin expugnata, Timothæi copiæ fuſæ, vrbs Ephron capta, Scythis tum Iudæorum amicis indultum, cum Gorgia rurſus non infeliciter pugnatum, ac pro ſalute ſuorum, qui in acie ceciderant, duodecim millia drachmarum argenti Ieroſolymam miſſa, & inde pro defunctis Deo Sacrificia offerenda. 13. Bellum adverſus Iudæos reſumptum ab Antiocho Eupatore, & Lyſia inſtaurato exercitu. Menelaus pſeudopontifex principatum à novo rege ſibi ſtabiliri depoſcens, ab eodem enecatus. Multi ex Antiochi exercitu noctu occiſi à Iuda Machabæo. Bethſura ab Antiocho, & obſeſſa, & deditione capta. Idem committens cum Iuda, ſed victus; pax ab eo & poſtulata, & impetrata. 14. Antiocho Eupatore, & Lyſia è medio ſublatis, à ſucceſſore Antiochi Demetrio rege, ſuaſu Alcimi, miſſus Nicanor cum ingentibus copijs adverſus Iudæos. Sed ab eo pax inita cum ijſdem. Hoc à Demetrio ægerrimè ferente, iuſſum Nicanori, mittat quam primum ad ſe vinctum Iudam Machabæum, qui ſub id tempus vxorem duxit, & in locum tutum ſe ſubduxit. Eius loco à Nicanore Razias, maximæ inter Iudæos auctoritatis, petitus, & ad mortem raptus ex illius præcepto; ſed à Razia triplici via manus violentæ ſibi illatæ, ne ludibrio foret hoſtibus. 15. Nicanor contra Iudam novis inſtructus copijs profectus. Iudas à Propheta Ieremia, & Pontifice in ſomnis animatus. Ab eodem ſomnij recitatione commilitones ſui corroborati; ac ante pugnam, & in pugna ardenter iuvocato Deo, Nicanoris copiæ profligatæ. Caput blaſphemi Nicanoris, & manus petulans de muro, è regione templi, ſuſpenſa.

A Iudæis pro victoria Deus laudatus, & acti feſti dies.

## CAPUT TERTIUM.

### *SYNOPSIS SAPIENTIALIUM Veteris Teſtamenti.*

SPectant ad libros Doctrinales, ſeu Sapientiales Veteris Teſtamenti, Pſalmi Davidis, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientiæ liber, & Eccleſiaſticus. Horum Synopſis per ſex ſectiones eſt explicanda.

## SECTIO PRIMA.

### *SYNOPSIS LIBRI PSALMORUM Davidis.*

PSalmorum liber in vnum librum apud Latinos, apud Hebræos in quinque libros diſſectus eſt, ab ijſdem vocatur Sepher Theillim, ideſt liber laudationum cum iubilo, & lætitia, ſivè, vt rectè interpretatur S. Hieronymus, hymnorum, quod nomen illi à maiore parte inditum eſt; nam alioquin, & quærelas, & lamentationes, & gratiarum actiones, & petitiones, & imprecationes, & narrationes, & prophetias continet. Vocantur tamen à Latinis Pſalmi; Pſalmus enim ſignificat cantum, ſivè ſonum, & ex Pſalmo deductum eſt Pſalterium, quod licet muſicum inſtrumentum ſignificet, quo Pſalmi canebantur, non infrequenter tamen pro libro Pſalmorum accipitur. Scripti ſunt Pſalmi primùm Hebraicè, & quidem rhythmo, ſeu carmine, ſed poſtmodum, vnà cum alijs libris Veteris Teſtamenti, ſunt à varijs in Græcum traslati, & nominatim à S. Luciano martyre, cuius traſlationem in Latinum deinde converſam (non verò traslationem ſeptuaginta interpretum, vel S. Hieronymi, vt quidam opinantur) à S. Hieronymo correctam vſurpat hactenus Eccleſia Romana. Quod attinet ad Auctorem, non planè conſtat, an Pſalmi omnes, qui Pſalterio continentur, ſint Davidis;

dis; nam aliqui Sancti Patres ijs auctoribus tribuunt, qui in titulis prænotantur, Davidi, Moysi, Salomoni, Asaph, Idithum, & aliis. Nonnulli verò Psalmorum omnium vnum Davidem auctorem agnoscunt. Vtraque sententia probabilis est, & suis nititur argumentis; quamquam ea, quæ Psalmos omnes Davidi tribuit, vt communior, & magis recepta alteri præferenda videatur. Porrò David regnare cæpit in Ierusalem anno mundi 2919. & regnavit annis 40. fuit autem David non solum propheta eximius; sed etiam poeta venutissimus, & doctissimus, & scientiam habuit Historiæ Sacræ, legum divinarum, moralis, & naturalis philosophiæ, quæ omnia in Psalmis mirificè apparent. Et quidem Psalmi sunt 150. quidam enim Psalmus brevis, qui extat extra numerum 150. Psalmorum, omninò apocryphus est; quippè qui non receptus à canone scripturarum. Iam quod spectat ad argumentum Psalmorum, varium illud est, cum recenseantur omnia gesta Veteris Testamenti, & pleraque gerenda in Novo. Hinc multi Psalmi veræ sunt prophetiæ, & vt tales varia subinde argumenta tractant, nullo servato ordine, seu temporum, seu rerum, neque habent inter se connexionem. Sed prophetiæ, quæ præcipuè apparent in Psalmis, sunt de Christi Divinitate, Humanitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, Adventu ad Iudicium, & pœnis peccatorum. Subnectenda nunc est singulorum Psalmorum Synopsis.

Referuntur primo Psalmo. Beatus vir à consilijs impiorum alienus, & legi Domini addictus: isque cum virenti arbore, ac frugifera comparatus. Contrà verò impij miseri, similes pulueri dissipato à vento. Hinc Psalmus iste cæteris præpositus instar præfationis, & adhorationis ad studium pietatis, & impletionem legis divinæ, in quo sita felicitas vitæ præsentis, & infelicitas in oppositio. 2. Frustrà homines, præsertim reges, & principes, Christi Regno contrariantes, & sese opponentes. Christo regnum divinitus datum à Patre. Illi adversantes territi, mox etiam invitati, vt illius iugo colla submittant. Hinc inductæ in hoc Psalmo, sicut & in alijs multis, variæ personæ in morem dialogismi loquentes, iam Deus, iam ipse propheta, iam hostes; nec semper hæ personæ expressæ, sed ex adiunctis secernendæ; quod pro alijs Psalmis prænotandum. 3. Spes auxilij divini nunquam sibi defuturi excitata in se à Davide fugiente à facie Absalonis filij sui 2. Regum 15. 4. David hortatus tùm socios suos, qui fugientem à facie Absalonis comitabantur, tùm hostes suos, & alios omnes ad cultum erga Deum ex animo exhibendum, ac ab eo pacem, rerumque omnium copiam sperandam. Petitum à David contra hostes auxilium. 5. Rogatus Deus à David, vt malos malis, innocentes bonis afficiat. 6. A David, ægro ex morbo sibi immisso ob adulterium cum Bethsabee, petita salus ex Deo, & impetrata. Hinc inimicis ab eo insultatum. 7. Apud iudicem omnium Deum sua innocentia probata à David, & Saulis regis, sivè Semei, in se insectando, iniquitas accusata; prædictumque fore, vt digna illi præmia reddantur. 8. Dei magnitudo prædicata, à miris eius operibus, præsertim hominis, atque adeò Christi exaltatione. 9. Gratiæ actæ à David Deo, se, & alios afflictos ab hostium iniuria tutanti. Preces etiam ad ipsum fusæ, vt id perpetuò faciat, impios evertens, & pios inopes defendens. 10. David, ac sui similes Deo fidentes tuti. Impij autem, & peccatores malè perituri. 11. Deo fidendum, non hominibus; horum verba plerumque fallacia, Dei verò verissima, ac fidelissima. 12. Questus David de tarda Dei ope in tam diuturna Saulis persequutione. Hinc rogatus Deus à David, vt se ab inimico defendat, ac morte liberatus eius beneficentiam cantet. 13. Questus David, quòd impiorum plena sint omnia;

nia ; indè Atheorum multitudo , impietas , & perverſi fructus narrata. Chriſti adventus optatus , velut bonis ſalutem allaturus. 14. Via in cælum puritas , & innocentia vitæ , charitaſque in proximum. 15. Oratio Chriſti ad Patrem , vt ſe à malis præſervet, ac protegat. Dein actæ gratiæ de ſua Reſurrectione , & Glorificatione. Sic ad litteram *Act.* 2. *verſu* 25. *& Act.* 13. *verſu* 35. 16. Rogatus à David Deus ne perſequutionibus obruatur. Inimici quidem in hac vita fortunati, ſed ipſe gloriam æternam præſtolatus. 17. Gratiæ actæ Deo à David , ex maxima rerum deſperatione,conſequuto opem, victoriam , & regnum in ſe, ac ſemine ſuo. Multa ſoli Chriſto propria in hoc Pſalmo. 18. Laudatio divinę legis comparatæ cum Cæleſti corpore , quo nihil in rebus corporalibus pulchrius, vtilius,& potentius. Petita dein à David mundities à delictis contra legem. 19. Pia populi precatio, ſivè votum pro ſalute , & victoria regis ſui David ad bellum proficiſcentis , vt Deum habeat propitium. 20. Populus gratulatus Davidi iam reduci de parta victoria , & ſalute , actæque à populo gratiæ Deo, quod illum protexerit,extulerit , & coronaverit. 21. Rogatus à Chriſto Pater , vt ſibi in crucis humilitate poſito velit adeſſe. Ab eodem enumerata ea , quæ paſſus eſt indignè; ac promiſſum Patri , ſe in vitam revocatum , laudem eius toto mundo propagaturum. 22. David gratulatus ſibi de inſigni erga ſe benevolentia Dei, & Chriſti,quaſi ſolliciti paſtoris erga oviculas ſuas. 23. Toti terræ imperium Dei : in eius autem cæleſtem montem innocentes ingreſſuri , Chriſto portas eius aperiente. 24. Deus rogatus à David , vt ab inimicis , periculis , & peccatis , tùm ipſe , tùm populus liberetur. 25. A David per calumniam accuſato , quaſi regnum affectante , & propterea exule , etiam latibula quærere coacto. Deus innocentiæ ſuæ teſtis adductus , & rogatus pro ſua ſalute, 26. Divino fretus auxilio , nulli timori ſuccumbens. Hinc ab eodem David optatum, gratias referre Deo in domo ipſius Dei, de parta ſalute, quam contra inimicos ſuos à Domino precatur. 27. Poſtulata liberatio à periculis , & nominatim à fraudulentis hominibus, & inſidiatoribus. Ab eodem exaudito gratiæ actæ Deo. 28. Hortatus omnes, vt ad atrium Dei accurrentes , eum adorent , & laudent , quòd vocis ſuæ tonitru terruerit hoſtes , ſimulque potentiam ſuam oſtenderit. 29. Actæ Deo gratiæ à David, de mortis ſummo diſcrimine , & pænè à faucibus inferni liberato. 30. Deus oratus à David in vitæ periculo conſtituto , vt ſibi adſit; eidem actæ gratiæ à ſe iam exaudito; elata Dei providentia in pios , quos, ad Deum diligendum , & ad ſpem in eo locandam , excitat. 31. Admonitus David peccati ſui à Propheta Nathan , faſſus ſe peccatorem ; vndè venia , non ſuis viribus , ſed Dei gratia adſcribenda. 32. Hortatus iuſtos ad laudem Dei, ob eius maximam potentiam , providentiam, & bonitatem. 33. Se , alioſque adhortatus, ad Deum piè colendum , ſuos ab omnibus malis defendentem , impios perdentem. 34. Oratus Deus , vt ſibi adſit adverſus inimicos. Horum inſidiæ , moreſque deſcripti. Repenſurus perpetuò laudem pro tanto beneficio. 35. Sceleſtorum hominum mores deſcripti : malitia eorumdem demonſtrata magna. Multò tamen maior miſericordia , & iuſtitia Dei. 36. Hortatus ad pietatem, & patientiam. A pietate non diſcedendum, quòd impij florentes. Impij plagas, & pij præmia accepturi. 37. Deus obſecratus à Davide , graviter ægroto ob peccata, ab amicis neglecto, ab inimicis exagitato , vt ipſum iuvet , ſanetque. 38. Rogatus Deus à Davide , vt ſui , ob peccata meritò afflicti , miſereatur, & in hac vitæ brevitate, & miſeria conſoletur. 39. Gratiæ actæ Deo à Davide pro acceptis beneficijs , profitente ſimul, ſe pro ijs, nec verbis, nec ſa-

ſacrificijs parem gratiam referre poſſe. Pollicitus ſaltem legem divinam omnibus alijs rebus potiorem apud ſe futuram. Vndè imploratum auxilium divinum, vt ſibi adſit. 40. Oratus Deus à Davide pro ijs, qui afflictis benefaciunt. Queſtus idem de fictis, ac fraudulentis amicis. 41. Ardenti ſe deſiderio Domus Dei adeundæ teneri profeſſus, & excruciatus animo, inſultatione hoſtium, ſpem vanam in Deum illi obijcientium; & oppreſſus ærumnarum, & multitudine, & magnitudine. Sublevatus tamen à mœrore, ſpe certa fore, vt tandem ſui deſiderij compos fiat. 42. Oratus Deus à Davide, vt ſe Ieroſolymam ab exilio, ad frequentandum templum, revocet. 43. Conqueſti pij Iudæi, ſe, contra quàm patribus ſuis acciderat, libidini impiorum impunè expoſitos, religionis cauſa. Deuſque obſecratus, vt tandem ſubveniat. 44. Carmen nuptiale, Chriſti, & Eccleſiæ notas virtutes, dotes, gratias, & coniunctionem canens. 45. Civitas Dei, ſive Eccleſia, Domini præſidio contra vim omnem tuta. 46. Invitatæ gentes omnes ad Deum celebrandum, quòd in Sanctorum Iſraelitarum communionem, & regnum cooptatæ ſint. 47. Laudatio Dei ob ædificationem Civitatis Sanctæ Ieruſalem. 48. Adhortatio ad virtutem ſectandam, & vitia fugienda, quia vanæ divitiæ, quia omnes à morte rapti, quia multi propter eas damnati. 49. Chriſtus homines in ſuo vltimo iudicio ſalvaturus, non ex cæſis victimis, ſed animi pietate, vitæ innocentia, puritate, iuſtitia. 50. Admiſsi ſceleris dolore compunctus David, crimen faſſus, & ſupplex à Deo precatus, vt peccatum diluat, amiſſamque gratiam reſtituat. Id conſequutus, pollicitus, ſe eius clementiam carmine laudaturum. Interim à ſe contriti cordis ſacrificium oblatum Deo, gratius omni victima. 51. Doeg Idumæus Saulis pecuarius, increpatus à Davide, eique exitium, ſibi ſalus prædicta. 52. Numerus impiorum infinitus, ideò ſceleratiſsimè viventes, quòd Deum eſſe non credant. Optatus adventus Chriſti, bonos ab impijs ſervaturi. 53. Deus contra adverſarios imploratus, à ſeſe eius laudes poſt liberationem prædicandæ. 54. Obteſtatus Deus à Davide, vt ſe à falſis, ſimulatiſque amicis ſervet, eoſque puniat. 55. David precatus Deum, promiſsionibus eius fretus, vt ſibi contra tot hoſtes ſubveniat, ſeſe eum poſtea celebraturum. 56. Imploratum Dei auxilium, contra tam pertinaces æmulos, à Davide, ſe illud publicè cantaturum. 57. Perituri impij, & peſtilentes; pij autem, & iuſti fructum ſuæ virtutis percepturi; ac proinde Dei providentia, & iudicium apparenda. 58. Efflagitatum auxilium adverſus Saulem, & eius aulicos. Ijs punitis, ſe Dei potentiam, & gratiam perſonaturum. 59. Superioris temporis cladibus commemoratis, declaratum à Davide oraculum ſibi à Deo editum, fore nimirum, vt omnes finitimas gentes in ſuam poteſtatem, ac ditionem redigat. Oratus ab eo Deus, vt ſibi auxilio ſit. Auxilium enim hominum abſque illius ope vanum. 60. A moleſto exilio ſub Abſalone liberatus, longam vitam, & felix regnum à Deo precatus. 61. Sperandum in vno Deo, non in hominibus, vel opibus terrenis. 62. David exul, ſolatus ſeipſum, Deum laudans, & gratiam illi agens. A ſe prædictus hoſtibus interitus, & ſibi malorum finis. 63. Contra hoſtiles inſidias, & calumnias auxilium imploratum divinum à Davide confidente, earum auctores magna iuſtorum voluptate oppreſſum iri. 64. Laudandus Deus ob ipſius in Sionem, atque adeò vniverſum hominum genus beneficentiam. 65. Omnes invitati ad celebrandum Deum, eumque adorandum, qui mundum vniverſum, ſed præcipuè populum ſuum tot bonis afficit. 66. Deus exoratus, vt ſe toto orbe exhibeat cognoſcendum. 67. Decantata varia Veteris, ac Novi Teſtamenti myſteria,

ria, exitus ex Ægypto, Christi Domini Ascensio, Apostolorum missio ad convertendas gentes. 68. Commemoratæ à Christo suæ, & corporis sui, quod est Ecclesia, passiones, & pressuræ. Rogatus ab eo Pater, ne suam, hoc est suorum spem fruſtretur. Affirmatum ab eodem, fore, vt verum illud Abrahæ semen suas repetat sedes, & vrbes vastatas reædificet. In his pollicitus se laudes decantaturum, & omnes homines ad gratias agendas excitaturum. 69. Oratio Christi in cruce pendentis pro salute sua, ideſt pro celeri resurrectione corporis sui, & pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. 70. A Davide iam sene divinum imploratum auxilium contra impios Achitophelem, Absalonem, cæteroſque coniuratos. Idem pollicitus in gratiarum actionem, se Dei potentiam, iustitiam, bonitatem vbique deprædicaturum. 71. Regnum Christi ex Davide per Salomonem nascituri miris laudibus elatum. 72. Improbi in hac vita felices. Probi inde commoti solatio afficiendi ex fine, & exitu, quod sua tandem quemque maneant præmia. 73. De populi Domini, & templi calamitate conqueſtus, Deum obtestans, vt succurrat, quemadmodum olim suis opem ferre consueverat. 74. Admonitio ad genus humanum, vt iustè vivant omnes, & superbiæ tumorem deponant, propter iudicium imminens Dei severissimum, & iustissimum. 75. Colendus Deus ex perpetua ipsius erga Sionem, ideſt Ecclesiam gratia, & auxilio. 76. Oratio, qua partim queſtus se multis malis premi, partim à se Deus ex miris eius operibus celebratus. 77. Decantata ea, quæ acta narrabantur in veteri populo. Moniti etiam, ne maiorum suorum contumaciam æmulentur, propter quam à Deo tribus Ephraim abiecta, Iudæ tribus electa, & David ad regnum evectus. 78. Deplorata à populo pollutio vrbis, & templi, simul etiam factæ suorum cædes. Imprecatus parem vicem gentibus, Deo laudes pollicitus. 79. Prædicta captivitas Hebræorum in Assyrios, & eorundem liberatio. 80. Omnes invitati ad celebranda festa, quòd instituta ad beneficia Dei recolenda. Deus promittens favorem, & præsidium sibi obtemperantibus. 81. Exhortatio ad Iudices, vt rectè iudicent. Ideò inductus Deus summus Iudex increpans iudices inferiores. 82. Rogatus Deus ad hostium audaciam, qui adversus Israelitas conspiraverant, retundendam; & impetum coercendum. 83. Suspiratus regressus ex exilio in templum, ad hic Deum colendum. Beati, qui religionis vsu non carent. 84. Postulata reconciliatio cum liberatis è captivitate, Christo exhibito. 85. Rogatus Deus, vt pro sua misericordia sibi saluti sit, ac præsidio adversus potentes, & iniquos parantes vitæ suæ insidias. Hoc facientem omnes gentes ipsum adoraturæ, & idem David eum perpetuò celebraturus. 86. Sion, ideſt Ecclesia futura gloriosa; & civium illius numerus infinitus futurus, & felix. 87. Suæ ærumnæ, & dolores commemorati, sub allegoria ægroti, aut leprosi, aut hominis ab inimicis malè accepti. Precatus liberationem ab ijsdem, ad laudandum Deum vivum, & ad gratias ei agendas de eiusdem beneficijs. Christus patiens hic sub figura descriptus. 88. Desiderium populi Dei in captivitate positi de Christi tantò ante promissi adventu. 89. Inanis, & fugax hominum vita. Proinde rogatus Deus, vt saltem populo suo reconcilietur, & fidelium opera dirigat, atque perficiat. 90. In Dei tutela positi tuti ab omnibus periculis, & hostibus. 91. Collaudandus Deus malos perdens, bonos servans. Vnde omnia opera eius magna. 92. Dei, sive Christi regnum, & lex elata. 93. Precatus, vt superbos, & impios puniat Deus; id sibi, Deique populo pollicitus. 94. Fideles invitati ad laudandum, ac venerandum

dum Deum, argumento ducto ab eius maiestate, & providentia erga suos. Idem moniti, vt voci illius obsequantur, non imitati patrum contumatiam. 95. Invitata omnis terra, ac omnia in ipsa contenta, ad Christum Dominum extollendum, iudicaturum homines ex æquitate. 96. Christi regnum, maiestas, potentia, & dignitas commendata. 97. Omnes invitati ad celebrandum Christum se omnibus exhibiturum, & orbem iudicaturum. 98. Cohortatio ad agnoscendum regnum Dei, & Christi, eundemque adorandum, & invocandum exemplo Moysis, Aaron, & Samuel. 99. Adhortatio ad Dei laudem, & cultum. 100. Exemplo suo descriptus bonus princeps, tam erga familiares, & privatam suam domum, quàm erga Rempublicam. 101. Formula quædam orandi, qua S. Propheta calamitates, & ærumnas describens deprecatur, & promissam salutem sibi dari deposcit. 102. Ipse, Angeli, & omnia à se excitata, ad innumerabilia Dei beneficia prædicanda. 103. Deus ab opificio, & providentia celebratus. 104. Invitati ad laudandum Deum multis bonis afficientem Israelitas, eosdem conservantem, ac in terram promissam perducentem. 105. Misericordia Dei, Iudæis toties peccantibus exhibita, celebrata. Rogatus Deus, vt eamdem continuet, ac Iudæos per orbem exules dispersos reducat in patriam. Catalogus beneficiorum, quibus ornati à Deo Iudæi. 106. Laudandus Deus ex itinerum errore, carcere, morbo, navigationum discriminibus, ac periculis omnibus se invocantes liberans, bonisque cumulans. 107. Imploratum Dei auxilium contra tam pertinaces æmulos à David, & se illud publicè cantaturum. Superiores etiam temporis cladibus commemoratis, declaratum à Davide oraculum sibi à Deo editum, fore nimirum, vt omnes gentes finitimæ in suam redigat potestatem, ac ditionem. Oratus ab eodem, vt sibi auxilio sit. Auxilium hominum absque eius ope vanum. 108. Prophetia per modum imprecationis adversus Iudam, & Iudæos Christi persequutores. 109. Christus ad Patris dexteram sessurus, auspicaturus regnum è Iudæa, Sacerdotio Melchisedech perpetuò functurus, toto orbe dominaturus, & iudex futurus. 110. Laudatus Deus ob tot beneficia, in homines, præcipuè in Ecclesiam collata. 111. Religiosi; ac benefici beati; peccatores perituri. 112. Laudandus Deus, quia ima curans, quamvis excelsus, & magnificentissimus. 113. Recensita miracula Dei Israelem de Ægypto educentis. Rogatus Deus ad asserendam suam gloriam, cæterarum gentium dij simulacra vana; Deus verò omnis generis piorum præsidium. 114. Rogatus Deus, eique simul actæ gratiæ à Davide, magno è periculo erepto. 115. Gratiæ actæ Deo Liberatori. 116. Gentes omnes invitatæ ad laudandum Deum, ob Christum exhibitum. 117. Actæ Deo gratiæ à Davide, & Ecclesia, post tot rerum discrimina, salutem, & Christum consequuta. 118. Divinæ legis encomium, & adhortatio ad eam servandam; admixti varij affectus, & precationes ad Deum. 119. Conquestus David, se apud fraudulentos, & calumniatores diu exulem fuisse, seque cum ijsdem pacem inire non posse. 120. Iusti, ac Ecclesia vbique tuti, sub Domino custode. 121. Ecclesia, vel cælestis Patria celebrata à concordia, pietate, iustitia, & regni splendore, sub allegoria priorum hominum in Ierusalem, & ad templum magno cum desiderio venientium, & Sanctam Civitatem laudantium. 122. Oratio hominis in Ierusalem peregrinationem suam intendentis, & in itinere molestias, & convicia tolerantis. 123. Actæ gratiæ, quòd extremum periculum evaserit. 124. Pij tutissimi, impij perituri. 125. Gratulatio ex captivitate in patriam. 126. Nec familia, nec vrbs custodienda, aut

libera, citra Dei favorem, ac donum. 127. Timore Domini beatitudo huius etiam vitæ conciliata. 128. Pij tuti ab inimicis Dei, de vexantibus iustos pœnas exigentis. 129. Voces gementium captivorum, suas iniquitates confitentium, sibique eas dimitti postulantium. 130. Propheta testatus, quàm de se modestè, & humiliter senserit. Ortatus oratione ad sui imitationem, & exemplum. 131. Commemorata Deo à Salomone, in cuius persona conscriptus est hic Psalmus, David pietas, & ardens templi ædificandi studium; iuramentum etiam Domini de præmio reddendo tàm religiosæ voluntati. Rogatus propterea Deus, vt regium genus, iuxta iuramentum datum, propaget, Christoque Domino misso, regnum perpetuò stabiliat. 132. Fratrum consensio, & concordia suavissima, & à Deo cumulatè benedicta. 133. Domini cultores hortatus ad laudes divinas. 134. Invitati ad celebrandum Deum, quòd Israelem magnis beneficijs cumulaverit, & quòd idola sint inutilia. 135. Excitati ad divinas laudes exequendas, beneficiorum commemoratione, à Domino in populum Israeliticum collatorum. 136. Rogatus Deus, vt captivi lacrymantes libertati restituantur. Imprecatus pœnas Idumæis, & Babylonijs. 137. Actæ à Davide gratiæ Deo, se humilem, & afflictum erigenti, & vi sua ab hostibus eripienti, etiam invitis, & iniquè ferentibus. Rogatus Deus, vt posthac salutem datam tueatur. 138. Dei providentia insignis erga nos ab vtero materno, præsertim erga amicos. Impiorum exitium illam non satis credentium. 139. Precatus Deum, vt se ab improbis, & maledictis defendat, eosque puniat. 140. Oratio pro patientia in malis, & pro tutela ab adversarijs. 141. Humana destitutus ope, contra insidiatores auxilium deprecatus. 142. Exoratus Deus, vt sibi in extremum iam discrimen adducto opem ferat, & in se sperantem à periculis eruat. 143. Actæ gratię Deo, eique adscriptum, quod benè adversus omnes hostes pugnaverit, & gloriosè vicerit. Oratus Deus, vt finitimas gentes sibi infestas fundat, & profliget. 144. Deus elatus, vt rex, vt bonus, misericors, omnia gubernans, & hominibus ingentia conferens beneficia. 145. Non hominibus, non principibus, sed Deo fidendum. Hæc vera beatitudo. 146. Laudandus Deus ex ipsius in populum suum providentia, & alijs operibus. 147. Hortatus ad laudes Dei suis abundè providentis, temporalia, & spiritualia suppeditantis. 148. Angelos, omne hominum genus, cælestia, omniaque terrestria, ad Deum laudibus afficiendum, adhortatus. 149. Excitati ad gratias agendas Deo, populum suum magnis beneficijs ornanti, & clarissimas de hostibus victorias concedenti. 150. Invitatus populus, ad Deum omnis generis musicis instrumentis celebrandum.

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS LIBRI PROVERBIORUM, eiusque capitum.*

PRoverbiorum liber, quem Hebræi Misle, idest illustrem sententiam, quasi prædominantem cæteris, ac præcellentem, Græci Paræmias, hoc est parabolas, seu proverbia vocant, scriptus est à Salomone rege, Davidis filio, qui regnare cæpit anno mundi 2959. & regnavit annis 40. Inducit verò hic Salomon Sapientiam, quasi reginam convivas suos inter epulas alloquentem. Præter Sapientiam convivij reginam, & sympositarcham, inducit cap. 30. Agur, & 31. Lamuelem regem, tanquam convivas, & interloquutores, cum ab initio libri vsque ad cap. 30. loquatur sola regina Sapientia. Sunt verò hæ sententiæ indiscriminatim sine certo ordine congestæ, quædam ethicæ, quędam æconomicæ, quædam politicæ, quædam theologicæ.

Rur-

Rursus quædam Didascalicæ, quædam consolatoriæ, quædam paræneticæ. Adnotandum autem hic est cum S. Hieronymo in proœmio, in his Proverbijs ferè parvulos, & incipientes doceri à Salomone, quos idem de officio suo clarè erudit, vitia relinquere, virtutes complecti. In libro verò Ecclesiastici, virum maturæ ætatis, & proficientem docet caduca omnia despicere, & progressui in virtutibus se dare. In Cantico Canticorum, iam consummatum, & perfectum virum, & sæculo superiorem, in persona sponsæ, iungit amplexibus sponsi. Vertit hunc librum S. Hieronymus ex Hebræo, eiusque versio est ea, quam habemus in Latina vulgata. Verum quia tunc vsitata, & toto orbe recepta erat versio septuaginta Interpretum, hinc ne eam prorsùs mutare velle videretur S. Hieronymus, in eandem, etsi ab Hebræo discrepantem, sæpè declinat, qua de causa nostra versio non per omnia exactè, & ad amussim respondet Hebræo, sed ab eo subinde in Græcum deflectit, & vt ita dicam, deviat. In hoc libro Salomon, per prima novem capita, texit encomium Sapientiæ, & ad eam adhortatur; per reliqua verò 22. capita parvulum docet, & quasi de officijs per sententias erudiens, sapienter colligit, quæ ad vitam rectè instituendam referri possunt, adagia, similitudines, sivè parabolas, atque sententias. Adnectamus modò capitum Synopsim.

Traduntur primo capite. Finis, & scopus horum proverbiorum, qui est docere sapientiam practicam in rectè operando consistentem, cuius initium timor Domini. Hortatio ad omnes ad studium sapientiæ, vtque caveant ab illecebris, & insidijs insipientium, puta impiorum. Ipsamet sapientia prædicans, & oratione ad se invitans, pollicita venientibus ad se ingentia præmia, respuentibus ingentes pœnas comminata. 2. Ratio acquirendi sapientiam, invocatione, scilicet, studio, & auditu. Fructus acquisitæ sapientiæ, ideſt Dei gratia, & custodia ab omni malo, præsertim ab homine impio, & adultera sapientiæ, ideſt castitatis, sanctitatis, & felicitatis insidiatrice. Cum sapientia consociata omnia dona; ac omnia mala ab ea fugata; sine sapientia vbique erratum. 3. Per sapientiam vita prolongata, gratia Dei, & hominum conciliata. Spei scopus Deus, isque colendus, eiusque castigatio patienter ferenda. Laudata sapientia à pretio, à pulchritudine, longanimitate, opibus, potentia, efficientia, pace, & suavitate. Æmulandi pij in beneficencia, non impij in pravitate; impiorum finis perditio, piorum benedicto. 4. Adhortatio ad studium sapientiæ, & virtutis, tùm suo exemplo, tùm sapientiæ commodis recensitis. Via impiorum quasi tenebrosa declinanda; iustorum quasi splendescens capessenda, Custodia cordis, oris, oculorum, & gressuum commendata. 5. Meretrix fugienda vt pestis. Remedium, fuga, dilectio propriæ vxoris, sic vitata aliena: Ab amore casto pulsus incestus, meretrix ab vxore. 6. Sponsori satagendum vt se illicò liberet sponsione. Piger formicæ exemplo ad laborem excitandus. Apostata, & septem vitia exosa Deo descripta. Adhortatio ad custodiam legis. Iterum inculcata fuga meretricis, & adulteræ. 7. Ad meretricem, & fornicationem fugiendum, inducta meretrix, sivè mæcha, suis verborum, & fucorum lenocinijs iuvenem illiciens, & seducens. Seducti, insipientia demonstrata, tanquam ducti ad victimam, laqueum, animæque exitium. 8. Ad avocandum animum à fornicatione, producta in scenam fœmina, imò regina, & quasi Dea castissima, & sapientissima; puta ipsam sapientiam. Hæc meretricis æmula, & antagonista, ab ea, revocatis ad se omnibus, pollicita doctrinam veritatis, iustitiam, scientiam, timorem Dei, prudentiam, fortitudinem, regnum, opes, gloriam.

Ea-

Eadem ſapientia Deo coæterna; à Deo per ipſam creata, & compoſita cœlum, terra, & omnia, quæ in eis ſunt. Hinc adhortata omnes, vt ſe audiant, itàque hauriant à Domino vitam, & ſalutem; comminata, ſi ſe ſpernant, æternam mortem, & miſeriam. 9. Parabolicè deſcripta domus, & convivium ſapientiæ. Ab hac ad illud invitati ſimplices. Deriſores incapaces correctionis, & ſapientiæ. Inducta ſapientia, depictaque ſui æmula mulier ſtulta, vecordes ſeducens, imò ad tartara ducens. 10. Alternatus ſermo de filio ſapiente, & ſtulto, ideſt probo, & improbo; operante, & ocioſo; ſimplici, & pravo; de charitate, & odio; ac præſertim de linguę bono, eiuſque malo, eorumque pœnis, ac præmijs. 11. Variæ gnomæ de iuſtitia, æquitate, divitijs, conſilio, ſecreto, beneficentia. Plurimæ antitheſes de iuſtis, & iniuſtis: quibus iuſtorum fructus, & felicitas poſt hanc vitam, iniuſtorum damna, & infelicitas repreſentata. 12. Antitheſes diligentis diſciplinam, & eam odientis; impij, & iuſti; operantis, & ocioſi; ſtulti, & ſapientis; veracis, & mendacis; fidelis, & fraudulenti. Sæpius inculcata bona, & mala linguæ. 13. Gnomæ de filio ſapiente, de oris cuſtodia, & inconſiderato ad loquendum; de paupere divite, & divite paupere; de lucerna impiorum, ſubſtantia feſtinata, dilatione ſpei; de nuntio impio, & fidele; de novalibus patrum; omnia cum conſilio agenda; cum ſapientibus converſandum; de parcente virgæ, & ventre impiorum inſaturabili. 14. Gnomæ de varijs ſapientiæ, & ſtultitiæ proprietatibus. Quilibet ſtatus ritè ordinatus prudentia. Hac eadem quivis commotus ad miſericordiam, eiuſque affectiones moderatæ. Filij Adæ imprudentia, & vitijs deperditi. 15. Reſponſio mollis, & lingua ſapientis grata. Victimę impiorum ingratæ. Omnia Deo nota. Cor gaudens floridum. Dies pauperis mali. Secura mens bona. Melius vocari ad olera cum charitate, Vir iracundus rixoſus. Laus patientis. Iter pigrorum. Domus ſuperborum. Fide, & miſericordia purgata peccata. Abijcientis diſciplinam malum, laus timoris Domini, & humilitatis. 16. Ab homine anima præparata; à Deo gubernata lingua, ſpiritus ponderatus, hominum vię directæ, omnia propter ſeipſum operatus. Deo abominatio omnis arrogans. Miſericordia redempta peccata. Pondus, & ſtatera, Dei iudicia. Indignatio, & clementia regis. Laus ſapientię, prudentiæ, eruditi, ac dulcis in verbo, & patientis. Vituperatus inſipiens, & perverſus. Sortes à Domino temperatæ. 17. Bucella ſicca cum gaudio. Servus ſapiens, rector filiorum ſtultorum. A Domino probata corda. Deſpectus Deus à deſpiciente pauperem. Corona ſenum nepotes. Amici comparati à cælante delictũ. Confidens in ſtultitia fatuus. Stulto inutiles divitiæ. A fabricante domum altam quæſita ruina. Amicus omni tempore diligens. Animi gaudentis corpus floridum, triſtis exſiccatum. Sapientia lucens in facie ſapientis. Stultus tacens reputatus ſapiens. 18. Occaſiones quęſitæ à receſſuro ab amico, impius incorrigibilis. Non deviandum à veritate. Os ſtulti contritum à ſe.. Iuſtus accuſator ſui, Frater iuvans fratrem vrbs firma. Repletus venter oris fructus. Mulier bona bonum ingens, mala, ingens malum. Pauper loquutus demiſſe, dives rigidè. Vir amicabilis amicior fratre. 19. Pauper ambulans in ſimplicitate, præſtantior divite inſipiente. Divitijs aucti amici. Importunæ delitiæ ſtulto. Doctrina per patientiam probata. Ira, & hilaritas regis. Mulier litigioſa. Vxor prudens donum Dei. Sopor, & fames, pigritiæ partus. Erudiendi filij. Audienda conſilia. Pauper præſtantior mendace. Vita partus timoris Domini. Piger torpens, pius ſapiens impij flagellatione. Affligens patrem infelix. Teſtis iniquus ridens iuſtitiam. Irriſoribus parata ſupplicia. 20. Vinum res luxurioſa. Peccans in regem in animam

ſuam

ſuam peccans. Relinquendæ contentiones. Piger mendicans. Rex iuſtus omnis mali diſsipator. Nemini mundum cor. Vitanda pondus, & pondus, ſomnus, panis mendacij, revelatio myſterij, cupido vindictæ, devoratio ſanctorum, & feſtinata hæreditas. Sectanda verò lucerna Domini, miſericordia, veritas, & clementia. 21. Cor regis in manu Dei. Huic miſericordia, & iudicium gratiora præ victimis. Rapinæ raptorum devoratrices. Angulus præſtantior muliere rixoſa. Repellens pauperem repulſus. Epulæ depauperantes. Pro iuſto datus impius. Cuſtodiens os, cuſtodiens animam. Deſideriis occiſus piger. Contra Dominum ſapientia nulla. A Deo ſalus, & victoria. 22. Cura boni nominis. Callidus videns malum ex ſe abſconditus. Qualis puer talis ſenex. Seminans ſcelus metens mala. Miſericors benedictus. Deriſor eijciendus. Mundus corde amicus regi. Pigro leo in via. Os adulteræ vorago. Stultitia pueri fugata virga. Pauperem opprimens oppreſſus à ditiore. Adhortatio ad ſtudium ſapientiæ. Vitandi iracundi, & ſponſores. Termini antiqui ſervandi. Velox in opere regibus carus. 23. Modus adhibendus in convivio Principis, ſeu quomodo edendum cum Principe. Non appetendæ divitiæ, nec cibi invidorum. Non vexandi pupilli. Caſtigandus puer. Quærenda ſapientia. Fugiendi peccatores, & gulæ dediti. Honorandi parentes. Fugienda meretrix, & ebrietas. 24. Domus erigenda, ac ditanda, non rapinis, ac fraudibus, ſed ſapientia. Sapiens fortis. Cogitans mala ſtultus. Neci deſtinati eruendi. Sapientia melle ſuavior. Iuſtus ſepties cadens, ſed reſurgens. In lapſu inimici non gaudendum. Detractorum perditio ſtatim exorta. Impium iuſtificans maledictus, arguens laudatus. Ager proprius exercendus. Non dicendum, reddam par pari. Pigro egeſtas ſuperveniens quaſi curſor, & quaſi vir armatus. 25. Gloria Dei, & regum. Inſcrutabile cor regis. Thronus eius firmatus iuſtitia. Nemo exaltandus à ſe coram rege. Non prodenda ſecreta in iurgio. Mala aurea, verba opportuna. Inauris aurea arguens ſapientem. Legatus fidelis, hero frigus in meſſe. Nubes ſine pluvia, promiſſa non complens. Lingua mollis frangens duritiam. Mel moderatè comedendum. Falſum teſtimonium iaculum in proximum. Infidelis dens putridus. Acetum in nitro cantus mæſto. Tinea veſti triſtitia cordi. Inimicus cibandus, ac potandus. Facie triſti fugati detrahentes. Nuntius bonus amanti frigida ſitienti. Scrutator maieſtatis opprimendus à gloria. Vrbs ſine muro neſciens linguam cohibere. 26. Stultò non gloria, ſed virga opportuna. Stulto quandoque ſtultè, quandoque ſapienter reſpondendum. Stulto incongrua legatio, aut parabola, ſed ſilentium opportunum. Iterans ſtultitiam quaſi canis ad vomitum. Piger in lectulo, ſicut oſtium ſe vertens in cardine. Miſcens ſe rixæ, quaſi auribus tenens canem. A doloſo nocente dictum amico, ludens feci. Subtracto ſuſurrone, ceſſata iurgia. Rixæ ſuſcitatæ ab iracundo, ſicut ignis à lignis. Cavendus ſuſurro, ſuperbus, inimicus, quamvis ſe humilians. Operiens odium revelandus. Fovens foveam in eam incidens. Os lubricum ruinam operatum. 27. Non gloriandum in craſtinum. Nemo laudandus à ſeipſo. Ira ſtulti intolerabilis. Manifeſta correptio melior amore abſcondito. Vulnera diligentis præſtantiora oſculis adulantis. Anima ſaturata faſtidiens mel. Vicinus præſtantior amico remoto. Capiendum pignus à ſpondente pro extraneo. Benedicens voce grandi, ſimilis maledicenti. Mulier litigioſa tectum perſtillans. Vir acuens amicum. Corda prudentibus patentia. Oculi inſatiabiles. Homo probatus ore laudantis. Stultus contuſus, adhuc ſtultus. Laudata ars paſtoritia, eiuſque frugalitas. 28. Impius fugiens, iuſtus vt Leo confidens. A principibus multiplicata peccata. Pauper calumnians pauperes, pater

famis. Pauper ſimplex, præſtantior divite pravo. Confuſus pater ab epulone. Opes corrogatæ liberali ab vſurario. Pauper prudens ſcrutaror divitis ſibi ſapientis. Gloria exoriens ex regno iuſti. Iniuſto ruina. Confeſsio mater veniæ. Beatus ſemper pavidus. Tyrannus, Leo, & vrſus. Dux liberalis longævus. Homicida omnibus exoſus. Labor parens ſatietatis, otium famis. Feſtinans ditari reus. Vendita pro pane veritas à iudice iniquo. Inventa gratia à corripiente. Fur patris ſui homicida. Cupiditate ſatæ lites, ſpe pax, & ſatietas. Stultus audax, ſapiens cautus, & cautus. Liberalis ditatus, avarus depauperatus. Regnante impio iuſti profugi; hi multiplicati regnante pio. 29. Spernens corripientem citò perdendus. Populus lætus in multitudine iuſtorum, gemens in multitudine impiorum. Rege iuſto terra erecta, avaro deſtructa. Rete textum à blando. Cauſa pauperum nota iuſto. Vrbs diſsipata à peſtilentibus, ſervata à ſapientibus. Contendenti cum ſtulto nulla requies. A ſtulto prolatus totus ſpiritus, à ſapiente reſervatus. Principis mendatijs gaudentis, miniſtri impij; pauperis, & divitis Deus illuminator. Regis iuſti thronus æternus. Sapientia tributa à virga. A iuſtis viſæ ruinæ impiorum. Eruditio filij refrigeratio patris. Deficiente prophetia diſsipatus populus. Servus verbis non eruditus. Loquax inſipientior ſtulto. Servus delicatè habitus, contumax. Ira multiplicata peccata. Superbiam ſequuta humilitas, & humilem gloria. Particeps furis, exoſus animæ ſuæ; timens hominem perdendus, ſperans in Domino ſublevandus. Magis timendum iudicium Dei, quàm potentum. Pij abominati impios, & impij pios. 30. Salomon vocatus à ſe, in perſona Ager, ſtultiſsimus virorum. Ab eodem celebrata elementa, & opera Dei incomprehenſibilia. Quatuor peſsima vitia quatuor generationibus demonſtrata. Quatuor inſatiabilia, quæ ſunt infernus, os vulvæ, terrà & ignis. Quatuor celerrimè tranſeuntia, hoc eſt, via aquilæ in cælo, via colubri ſuper petram, via navis in mari, & via viri in adoleſcentia. Quatuor orbem turbantia, ideſt, ſervus, ſtultus, & ancillæ dominantes, ac odioſa mulier. Quatuor animalcula ſapientiſſima, quæ ſunt formica, lepus, locuſta, & ſtellio. Quatuor feliciter gradientia, hoc eſt leo, gallus, aries, & rex. 31. Recenſita à Salomone monita ſibi à matre data, de cavendo vino, & mulieribus, de ſectanda beneficentia, & de iuſtitia omnibus, maximè pauperibus, reddenda. In gratiam matris additum encomium mulieris fortis, & excellentis, per viginti duos verſus, abſolutum iuxta numerum, & ordinem litterarum Hebræorum; quia ſcilicet talis mulier omnibus litteris, ideſt omnibus numeris abſoluta (nam litteræ numerorum notæ) eademque mulier omnibus litteris, quotieſcumque, & quomodocumque combinatis, non ſatis, ſuperque laudanda.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS ECCLESIASTIS, EIUSque capitum.*

ECcleſiaſtes inſcriptus Græcè à ſeptuaginta, & Hebraicè Coheleth, & vtraque vox ſignificat convocatorem, vel concionatorem. Nam toto hoc libro concionatur Salomon per 12. capita de mundi, rerumque mundanarum vanitate, vt quæ nec ſolidæ ſint, nec conſtantes, nec animam ſatient; quia plenæ defectibus, moleſtijs, & curis. Itaque ſuadet omnium contemptum, & vnius Dei aſsiduum cultum. Conſcriptus eſt hic liber à Salomone, poſt tot libidinis, & idololatrias, iam reſipiſcente, & pœnitente, vt auctor eſt Pineda noſter, citans pro eadem ſententia 25. graviſsimos auctores, eamque varijs, pulchriſque rationibus confirmat. Capitum ſynopſis eſt ſequens.

Re-

Referuntur primo capite. Thema totius libri, vanitas ſcilicet vanitatum, & omnia vanitas. Probatum idem, tùm ex rerum omnium circulatione: omnia enim, etiam ſol, ſpiritus, flumina in orbem euntia, & abeuntia, & nihil ſub ſole novum; tùm ex ſcientijs, & ſtudio ſciendi, in quo magna vanitas; qui enim addit ſcientiam, addit & laborem, & dolorem. 2. Eccleſiaſtes, fugiens laborem inventum in ſtudio ſapientiæ, datus à ſe delitijs, & voluptatibus. In his rurſus videns vanitatem, rurſum redditus ſapientiæ, iterùmque in eà vanitatem expertus. Perſtricta demum vanitas eorum, qui opes accumulant futuro hæredi, ignorantes qualis ille futurus ſit. 3. Vanitas rerum demonſtrata. Primò ex earum tranſitu cum tempore. Secundò ex earundem inſtabilitate, facta comparatione cum Deo, Deique operibus, in quibus conſtantia, & perpetuitas. Tertiò ex natura temporis omnia mutantis, & inducentis tyrannides, & tyrannos, ſub quibus ſcelera, & ſcelerati dominati; virtutes, & virtute præditi afflicti, & exules. Quartò ex conditione etiam temporis hominibus adducentis mortem, & interitum ſimilem beſtijs. 4. Demonſtrata vanitas regendi, & dominandi, ſita in honorum ambitu, & cupiditate, ac libidine regnandi. Primò quòd ex ea natæ tyrrannides, pauperum calumniæ, & oppoſitiones, invidia, deſidia, & avaritia opes per fas, & nefas corradens, ad alijs præcellendum; Leonina ſolitudo præ ſe contemnens ſuperbè amicos, volens omnibus eminere, quod eſt ſtultum. Secundò ex regni brevitate, & inſtabilitate, ſæpè è regno rege deiecto, & paupere ad regnum evecto. Indè collectum, in tanta regnandi vanitate, nullam animi tranquilitatem, vel felicitatem. Nihil ergo melius pietate, & Dei cultu, in quo ſita veritas, & ſtabilitas, veraque, & ſtabilis felicitas. 5. Quomodò orandus, & colendus Deus. Non temerè multa effundenda coram Deo. Nec temerè quid vovendum, ſed prudenter, & votum explendum. Veneranda Dei providentia, permittens etiam pauperum oppreſsiones, & vim illatam iuſtitiæ. Hinc inſerta quædam de vanitate ſomniorum. Deindè factus tranſitus ad vanitatem avaritiæ, à qua nunquam permiſſa ſatietas in avaro, & à qua ſæpè congeſtæ opes in noxam, & necem congerentis. Non igitur felicitas in opibus, ſed in frugali, ac honeſto opum vſu. 6. Miſera avari conditio, bonis quidem abundantis, ijs tamen avarè genium ſuum defraudantis. Sæpè ab eodem bona, tanto ſudore collecta, extraneo relicta. Illo ergo melior abortivus; nec enim vitæ bonis fruitus, nec luce vſus avarus: ſolus in eo labor. 7. Propter vitæ brevitatem non vacandum vanitati, ſed veritati, & ſapientiæ. Propterea audienda ſana conſilia, Ira comprimenda. Bonis ſuis moderatè vtendum. Non plùs ſapiendum, quàm oporteat. Iuſtis ſubveniendum. Levibus, & maledicis ſermonibus auris non prebenda. Præ omnibus cavendum à mulieribus, velut à veneno mortifero. 8. Sapientiæ ſigna, & effecta, qualia in vultu, verbis moderatis, iuramenti, legiſque cuſtodia, & opportunitatis obſervatione. Ab homine ſcita tantum preſentia; nec mors evitanda. Impij ob Dei indulgentiam liberiùs in peccato lapſi. Vaniſsimum iudicatum hic iuſtis, & impijs eventa ſimilia. Laudata vitæ moderatio. A ſe anxiæ curæ, & curioſitates omnia ſcrutandi ablegandæ. Nec operum Dei ratio inveſtiganda. 9. Nemini notum an Dei odio, an amore dignus, quòd hic cunctis eventa ſimilia. Omnia in futurum ſervata incerta. In hac ergò vita brevi, ſtudendum candori, puritati, bonis operibus, præſertim quia homo captus tempore malo, ſicut piſcis hamo. Sapientia præſtantior fortitudine; in paupertate tamen non æſtimata. 10. Sapientis à ſtulto differentia. Tentationibus potentis ſpiritus reſiſtendum. De ſtulto, ac ſervo elevatis, & divite, ac

principe humiliatis gnomæ. Occultus detractor ſerpenti comparatus. De rege puero, & principibus manè comedentibus gnomæ. Neque regi, neque diviti detrahendum. 11. Per ægnimata adhortatio ad largas eleemoſynas. Semper operandum benè, ex fiducia in Dei providentiam, ex vitæ pręſentis vanitate, ex mortis memoria, ex præmio, vel ſupplicio futuro. Hæc morborum animi, & præſertim avaritiæ præſens medicina. 12. Elegans ænigma ſenectutis, & agoniæ mortis, quo per 21. Symbola notati 21. defectus, erumnæ, & vitia ſenectutis. Primus defectus afflictio ex morbis varijs. 2. Diſplicentia, & tædium rerum omnium. 3. Deſtitutio ſenum à cœleſtibus motibus, & influxibus. 4. Continuæ diſtillationes, & catharri. 5. Cuſtodum, ideſt ſenſuum defectus. 6. Nutatio virorum fortiſsimorum, hoc eſt crurum, & tibiarum. 7. Minutio molentium, ideſt dentium. 8. Caligo videntium per foramina, id eſt oculorum. 9. Exilitas vocum ex oſtiorum in platea, id eſt arteriarum in pectore conſtrictione, & clauſura. 10. Tenuitas ſomni, & nocturna vigilia, vt ad vocem avis evigilent. 11. Defectus aurium, & auditus. 12. Timor, pavor, & ſtupor. 13. Canities ſimilis amygdalo floribus candeſcenti. 14. Tumor ventris, pedum, & crurum inſtar locuſtæ. 15. Faſtidium cibi, cuius orexin excitat capparis. 16. Abitus ex vita, quòd ſcilicet mox ibit in domum æternitatis ſuæ. 17. Funus, quod communi amicorum planctu celebrabitur. 18. Ruptura funiculi argentei, ideſt contractio medullæ ſpinæ dorſi. 19. Recurſus vitæ coccineæ, ideſt contractio menyngis, ſivè involucri cerebri. 20. Confractio hydriæ ſuper fontem, ideſt venarum, & ſanguinis ex iecore prodeuntium. 21. Confractio rotę ſuper ciſternam, ideſt capitis ex corde ſpiritum haurientis. Horum conſideratione impellendi iuvenes ad ſpernendas voluptatum vanitates, ac ſectandam veritatem, verumque Dei cultum, antè commutatam adoleſcentiam cum ſenectute. Concluſum ergò à Salomone tamquam ab experto concionatore, Deum time, & mandata eius obſerva, hoc eſt enim omnis homo.

## SECTIO QUARTA.

### *SYNOPSIS CANTICI CANTICORUM, eiuſque capitum.*

CAnticum Canticorum Hebræicè Sir Haſsirim, Græcè Aſma Aſmàtoon, & idem ſignificant, hoc eſt nobiliſsimum Canticum, quod eſt ſpirituale colloquium inter Chriſtum verum Deum, & hominem, & eius Eccleſiam, & quamcumque piam animam, quæ membrum eſt Eccleſiæ, & Sponſa Chriſti. Porrò Chriſtus duplicem hic gerit perſonam, & duplex obit munus, vnum ſapientiſsimi Magiſtri ſublimem fidei, morum, & ſanctitatis doctrinam tradentis ſuæ diſcipulæ; alterum amantiſsimi ſponſi, miris laudibus, gratijs, donis, ac favoribus ſuam chariſsimam ſponſam proſequentis, eandemque excellentis, ornantis, & ditantis. Eccleſia viciſsim, & quævis anima pia duplicem ſimilimodo, vel potius triplicem perſonam ſuſtinet: primam diſcipulæ, ſecundam ſponſæ erga Chriſtum, tertiam Magiſtræ, vel ſociæ erga reliquas animas, quas ſolet adoleſcentulas, vel filias Ieruſalem nuncupare. Argumentum colloquij, vt tales colloquentes decebat, admodum ſublime, iucundum, vtile, ac varium eſt, modò ſub ſimilitudine ſponſi, & ſponſæ, & perpetua quadam allegoria, ſeu myſtica loquutione, varias affectiones exprimit perſonarum mutuò ſe amantium; modò paſtoris, & gregis; modò agricolæ, & vineæ. Quicquid enim ſeu Prophetæ, ſeu Evangeliſtæ, ſeu Apoſtoli nobis de myſterijs fidei, de ſanctitate morum, de perfectione vitæ, tàm contemplativæ, quàm activæ tradiderunt, hoc Cantico per 8.

ca-

capita vel exprimitur, vel insinuatur. Quod autem hic liber fuit à Salomone concinnatus pro perfectis, tanta fuit in veneratione apud Hebræos, vt auctore S. Hieronymo, nonnisi post trigesimum annum ætatis à quoquam legi permitteretur. Nam cum stylus huius Cantici sit amatorius, & metaphoræ, ac similitudines pænè omnes à nuptijs carnalibus desumptæ sint, ne quid carnale, aut mundanum, aut profanum redoleat, non iuvenili, sed maturæ ætatis viri sensu opus est. Nullæ enim hic veneres, nulli cupidines; amores sunt, faces sunt, sed ab igne cælesti, quo ardent Seraphini, quem Christus venit in terras mittere, & quo sanctiores animæ, ad Eliæ modum, abripiuntur in cælum. Quo tempore scriptum sit à Salomone Canticum Canticorum, num antè, vel post lapsum, incertum est. Capitum Synopsis nunc est adijcienda.

Narrantur primo capite. Ambita à sponsa sponsi osculum, vbera, vnguentum, oleum, cellaria. Eadem sponsa formosa, sed nigra ab æstu solis, & persequutionis. Quæsitus ab ea locus sponsi, auditumque, vt abeat post greges, & pastores. Assimilata equitatui, genæ eius turturi, collum monilibus. Datus odor à nardo sua presente sponsa. Hic comparatus fasciculo myrrhæ, & botro Cypri. Cum eodem spirituali laudis affectu dissuaviata. 2. A sponso acceptatæ, & confirmatæ laudes sibi datę à sponsa, vndè vocatus flos campi, & lilium convalium. Eędem laudes derivatæ in sponsam. Hæc vicissim in laudem, & amorem sponsi magis accensa. Quare continuus hic, alternus, & reciprocus amoris sponsi, & sponsæ dialogus. Ab initio dialogi sponsus se, & sponsam dilaudans. Deinde sponsus à sponsa deamatus, eiusque amore languida deliquium animę passa. Tùm à sponso vetatum illam excitari. Postea sponsa, à sponso saliente instar cervi, evocata ad vernas Paradisi amænitates, ac vulpes ab ea capiendæ ad sponsi præceptum. Sponsa demum tota sponsi amori tradita, & dedita. 3. A sponsa quærente sponsum in lectulo, nec inveniente petiti vici. Sponsus tandem inventus ab ea, nec dimissus. Ab obviantibus sponsa laudata, comparataque myrrhæ, thuri, & aromatibus. Sponsus verò laudatus à robore stipatorum, à ferculo tedrino, argenteo, & purpureo. A filiabus Sion oculi à ferculo ad sponsum coronatum, & vectum ferculo convertendi. 4. A sponso laudato à sponsa laudes in eam regestę, eaque vicissim dilaudata ab ornamentis non externis, & ascititijs, sed internis, & à natura, gratiaque infitis, scilicet ab oculis columbinis, capillis caprinis, dentibus ovinis, labijs coccineis, genis puniceis, collo turrito, vberibus capræ. Eadem de Libano evocata in Ierusalem ad coronam à sponso eius amore vulnerato, tùm ob dotes iam recensitas, tùm ob vbera pulchriora vino, linguam stillantem mel, ac vestes olentes thus. Eadem comparata à sponso horto concluso, malis punicis, cypro, nardo, croco, cinnamomo, myrrha, & aloe referto; & demum assimilata puteo aquarum viventium. 5. Sponsus à sponsa invitatus in hortum, & ibidem cum ea, & socijs epulatus. Post epulum à sponsa noctu cubitum illi concedente, manè exporrecta narratum sociabus, quid sibi dormienti acciderit, scilicet se noctu evocatam à sponso, cum sopore torpentem tardius ad illi ostium aperiendum surrexisse, eumque quasi desidiæ huic, & incivilitati offensum aliò abijsse. Hinc ab ea sponsus per varia pericula quæsitus, ac vix inventus ille, qui paulò ante vltrò se ipsi ad fores offerebat. Ab adolescentulis, sponsæ se socias offerentibus in quęrendo sponso, quæsitum ex sponsa, qua figura, & habitu sit sponsus ad eum internoscendum. Indè sponsus à sponsa vivis coloribus depictus; caput eius aureum, oculi columbini, genæ instar aromatum, labia

inſtar liliorum, manus tornatiles, venter eburneus, crura marmorea, guttur ſuaviſsimum. Per omnia ſponſus ſummè pulcher, & deſiderabilis. 6. Sponſus quærendus, & inveniendus in horto, hic paſtus inter lilia. A ſponſo neſciente, quanto deſiderio quæſierit illum ſponſa, & quanta in eo quærendo paſſa ſit, ſcilicet flagella, vulnera, & ſpolium, quantaque ei elogia dederit, hic vices repenſæ, ac maiores ei, quàm antè laudes, doteſque aſsignatæ. Hoc audientes adoleſcentulæ, ſponſæ pulchritudinem admiratæ. Indè ſponſus ſe deſcendiſſe in hortum ad inſpiciendos fructus. Subiunctum à ſponſa, ſe id neſciſſe. Ab adoleſcentulis demum, ſponſa ita laudata, rogata vt revertatur, ſeque eis videndum, & conſiderandam præbeat, vt in eius amorem, admirationem, ac venerationem magis accendantur. 6. Sponſa, quaſi Chori caſtrorum, à ſponſo laudata, ab inceſſu regio, à femoribus inſtar monilium, ab vmbilico rotundo, à ventre ſimili tritico, ab vberibus quaſi hinnulis, à collo ſimili turri eburneæ, ab oculis quaſi piſcinis, à naſo turrito, à capite inſtar Carmeli, & coma purpurea. His auditis, chorus adoleſcentularis ſponſæ congratulatus; ab eoque nova elogia, laudeſque aſsignata ſponſæ. Hinc laudata ſponſæ ſtatura ſimilis palmæ, vbera botris, odor malegranatis, & guttur vino optimo. A ſponſa vtrique vices redditæ, ac tota amori ſponſi reſignata; ſponſuſque iuvitatus ad villas, & vineas, quarum omnia poma nova, & vetera illi oblata. 8. Summus amor à ſponſa erga ſponſum declaratus, optatumque ei intimè iungi, eoque frui. Hinc deliquium, & extaſim paſſa, à qua tamen excitari vetatum à ſponſo. Populus occurrens cernens ſponſam de deſerto aſcendentem, delicijs affluentem, & dilecto innixam, admiratus. Reſponſum à ſponſo, ſe in malo ſponſam ſuſcitaſſe, & ſatis delicijs, doniſque ornaſſe; & ab eodem ſponſo poſtulatum, vt ſponſa tanto amore ſponſi cor obſignet. Queſtæ ſponſæ, ſororem ſuam parvulam, nec habentem vbera, à ſponſi ſodalibus reſponſum, ædificandum murum cum propugnaculis argenteis, & oſtium compingendum tabulis cedrinis. A ſponſa additum, ſe murum eſſe, vbera habere, inſuper, & vineam. A ſponſo demum poſtulatus epithalamicus ſponſæ, quo velut cygneo cantu ſimul cum ſponſa rapiendus in cælum ex hac vita.

## SECTIO QUINTA.

### *SYNOPSIS LIBRI SAPIENTIÆ, eiuſque capitum.*

SApientiæ liber vocitatus, quod de ſapientia tàm increata, quàm creata ſublimiùs, diviniùs, & quaſi ex radice tractet. Cuiuſnam ſit Auctoris, no ita certum eſt; quamvis enim Hebraicè conſcriptus, inquit Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 12. iam tamen à tempore S. Hieronymi non extat Hebraicè, ſed ſolum Græcè. Ideò aliqui Philoni adſcribunt, alij Ieſu Sirach; à veteribus tamen Patribus communi conſenſu tribuitur Salomoni, vt fusè oſtendit Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Salomone. Quamquam valde probabile eſt, quod idem ibidem tradit, ſententias huius libri eſſe Salomonis, ſed collectas in vnum volumen, & græcis verbis expreſſas à Philone, non illo, qui tempore Caij Imperatoris floruit, ſed ab alio antiquiore, & vno è ſeptuaginta duobus Interpretibus, ſub tempore Ptolomæi Philadelphi, & fortè in eiuſdem gratiam. Porrò verſio libri Latina videtur fuiſſe antiquior S. Hieronymo, cum ſententiæ à Patribus longè Hieronymo antiquioribus, puta Clemente Romano, Cypriano, & alijs, ex hoc libro citentur, ijſdem prorſus verbis, quibus nos illas iam conſcriptas habemus. Vnde veroſimile eſt, noſtram, qua vtimur, eſſe antiquam verſionem, quæ

Ita-

Italica dicebatur, & in vſu erat ante tempora S. Hieronymi. Dividitur hic liber in tres partes, prima vſque ad cap. 7. exhortatur ad zelum, & amorem ſapientiæ 2. vſque ad 10. explicat originem ſapientiæ 3. effectus, & fructus ſapientiæ vſque ad 19. quod eſt poſtremum, demum declarat. Et quemadmodum Proverbijs eruditi ſunt privati homines præceptis ethicis, ita hoc libro reges maximè, & magiſtratus inſtructi monitis politicis. Nonnulla etiam habet hic liber de idolorum contemptu, de adventu, & Paſsione Chriſti, qui eſt vera ſapientia. Capitum Synopſis hæc excipienda.

Referuntur primo capite. Invitati omnes, præſertim rectores, ad ſapientiam capeſendam. Ad hanc monſtrata via. Dominus enim inventus, ſi ſimplici corde, & fide quæſitus. Remotus, ac fugiens à peccatoribus, & vanis cogitationibus. Omnia replens, & ideò omnia intuitus. Murmuratio, detractio, & mendacium deteſtanda. Omnia facta à Deo ad vitam, non ad mortem. Hæc ſibi à peccatoribus accerſita. 2. Deſcripti mores, & ſenſa impiorum, qui, ſapientiæ, virtutiſque, & veræ vitę expertes, cum inſipientia, vitijs, & morte fœdus inierunt. Horum enim ſenſa, quòd omnia morte finienda, quòd ideò voluptati, ſuppetente vita, indulgendum; quòd iuſtus quilibet eiſdem adverſans, ac imprimis Chriſtus, occidendus, ac crucifigendus. Hinc oſtenſa eorundem cęcitas, tanquam ignorantium, futura præmia iuſtis, & ſupplicia iniuſtis à Deo præparata. A Deo creatus homo immortalis; mors autem, invidia diaboli, per peccatum in orbem invecta. Hanc eius ſectatores impij experti, acres eiuſdem aculeos gemitu ſentientes. 3. Iuſtorum, quos impij perſequuntur, preſertim Martyrum, deſcripta felicitas, & gloria. Hi, quamvis divina permiſsione nonnihil hic exerciti, & ſic perimi viſi, tamen perpetuò Deo viventes. Ab impijs omnia ex voto ſibi obventura promittentibus, hic vita acta ærumnoſa; ac nominatim in generanda prole eorum ſterilitas, vel nequitia, quòd ſcilicet vxores habent inſenſatas, & adulteras, ideòque filios adulterinos, & nequiſsimos. E contra pij caſti caſtas, probaſque coniuges habentes, ac proles. 4. Caſta, piaque ſoboles inceſtæ, ac impiæ prælata. Illa ſæpè longæva, honorata, & proſpera; hæc brevis ævi, iufamis, & infauſta. Et quanvis caſti, iuſtique ſubinde morte cita præoccupati, ac velut flos purpureus aratro ſucciſi, tamen ijdem excepti meliori vita, ac maiori fama, ac gloria; quare ætas ſenectutis vita immaculata, & iuſtus conſumatus in brevi, explens tempora multa. 5. Impiorum in Inferno vera, ſed ſera pœnitentia, & comploratio. Ab his enim videntibus piorum, quos perſequuti ſunt gloriam, & propria ſupplicia, præterita huius vitæ gaudia, vanitatis, & fugacitatis accuſata. Iuſtorum gloria, & regnum æternum. Deus pro ijs in die iudicij depugnaturus contra impios, ac in eoſdem iræ ſuæ tela, & fulmina eiaculaturus. 6. Reges, & Principes admoniti officij ſui. Ijdem à Deo iudicandi, & graviter plectendi, ſi malè illud obeant. Adhortatus eos ad ſtudium ſapientiæ, legiſque Dei. Huius elogia, dotes & effectus, præſertim pulchritudo, & comitas, qua omnes ſui cupidi præoccupati, quòd prior ijſdem obvia. Eadem præſtans incorruptionem, proximum Deo efficiens, & ad regnum perpetuum deducens. 7. Origo ſapientiæ, moduſque eam aſſequendi, per ſuum ipſius exemplum indicatus. Idem enim quamvis rex, tamen quoad naturam, vitam, & mortem planè alijs hominibus ſimilis; ſicut ſibi, ſic cuilibet homini ſapientia facilis ad acquirendum. Editus ergo in luem, vitam adeptus fragilem, miſeram, abiectam, & morti obnoxiam; ideò à ſe enixè poſtulatum, & impetratum culmen ſapientiæ, ad per eam

medendum ærumnis vitæ. Per eandem adeptus omnia bona, quin & scientiam elementorum, cælorum, stellarum, ventorum, plantarum, omniumque rerum naturalium, quæ sunt in orbe. Mox sapientiæ dotes multiplices enumeratæ, eiusque assignata origo. Nemo dilectus à Deo, nisi sapientia præditus, speciosiore ipsomet sole. Colligendum igitur ex his quid homo per naturam, & originem, quid per sapientiam, & gratiam. 8. Adhuc sapientia commendata, eiusque dotes, & commoda maxima, ac plurima recensita. Ob hæc à Salomone in sponsam electa, & summis votis expetita. 9. Oratio Salomonis pro sapientia impetranda, cuilibet religioso, & sapientiæ studioso, præsertim prelato, & principi vsurpanda. Pijs affectionibus, æquè, ac rationibus efficacissimis plena, quippè docens sapientiæ necessitatem, tàm ad se, quàm ad populum sapienter regendum, quòd ipsi omnia nota; quòd sine ea homo ignorans, & imbecillus, nihil efficiens feliciter succedens. Hac oratione fere à Salomone impetrata sapientia, de qua 5. Reg. 3. 9. 10. Omnes per sapientiam adepti salutem, principio ducto à protoplasto Adamo, vsque ad Moysem, illustribus primorum Patriarcharum exemplis in medium inductis. Moyse autem ductore, Hebræi mare rubrum illæsi transgressi, demersis in eo Ægyptijs. 11. Sapientiæ paterna providentia erga Hebræos, post exitum ex Ægypto. Eadem per antithesim comparata cum vindicta inflicta à sapientia Ægyptijs. Hinc celebratum miraculum aquarum è petra iussu Dei scaturientium, ad levandam sitim Hebræorum. Hoc miraculum oppositum illi, quo aquæ Ægypti à Deo verse in sanguinem, ad potandum, puniendumque Ægyptios, puerorum Hebræorum interfectores. A Deo puniti Ægyptij per viles bestias, vt ranas, muscas, serpentes, ab ipsis adoratas vt Deos, ad eorum superbiam castiganmad, & suam potentiam ostendendam. Mira Dei clementia, qui, cum sua Omnipotentia potuisset solo nutu afflare, & annihilare Ægyptios, modicè tamen per exilia, & vilia animalia eos castigarit, vt converterentur ad pœnitentiam, & veniam impetrarent; omnia enim in mensura, & numero, & pondere dispositа à Deo. 12. Celebrata clementia, & benignitas Dei, corripientis peccatores Terræ Sanctæ incolas, non autem statim eosdem delentis, sed modicè castigantis, & ad pœnitentiam invitantis. Hoc exemplo cæteris peccatoribus data spes veniæ, ijsque ad pœnitentiam, & morum correctienem allecti. 13. Prolixius invectus in idololatriæ auctores, & inventores, pessimè meritos de sapientia in sincero veri Dei timore, & cultu posita. Idololatrarum genus, colentium elementa, sydera, vel alia corpora cælestia, hic acriùs reprehensum. Ideò insectatus eos, qui ex creaturis non agnoverunt creatorem, creaturam quasi creatorem colentes. Graviùs increpati illi, qui idola lignea, lapidea, testacea, ab artifice efformata, vt Deos adorant, invocant, de futuris consulunt, eorumque opem implorant. 14. Invectiva in idola, ab exemplo navigantium inchoata. Ab his idolum nave vilius invocatum. Hinc navis inventio per arcam Noè, Deo auctori tributa, & assignata. Idolorum inicium, origo, ac propagatio, & incrementa assignata. Recensita sacrilega idololatrarum sacrificia, imò parricidia, adulteria, furta, periuria. Idololatria scelerum omnium fons, imò cloaca. 15. Adhuc insectatus idola, & eorum figulos, sivè idoloplastos. Graciæ igitur actæ Deo, à quo Israelitæ ab idololatria puri, castique in sui fide, & culto conservati. Idolorum vanitas, & fallacia, ex ipsis eorum figulis reprehensa. 16. Ægyptij idololatræ per bestias, quas colebant, exterminati. Hæbræi verum Deum colentes in deserto, liberati à serpentibus, cælesti esca, puta manna, & coturnicibus pasti. In quo maximè vi-

viſa Divina ſapientia pios conſervans, impios perdens. 17. Inſectatus adhuc Ægyptios punitos graviſsimis plagis, ob tyrannidem in Ægyptios. Ideò elegantiſsimè depictæ ſpiſsiſsimæ Ægypti tenebræ, tàm externæ, quàm internæ, cum eorum incredibili pavore, ac ſpectris horribilibus. Hebræi interim eadem in regione clara luce perfuiti. 18. Compoſitio, oppoſiti, & propoſiti Hebræi, Dei cultores, Ægyptijs idololatris. Lux clariſsima Hebræis in denſis Ægyptiorum tenebris. Datus dux viæ à Deo Hebræis columna nubis per diem, & ignis per noctem, Ægyptij ſine duce merſi in mare rubro. Cæſis Ægyptiorum primogenitis, Hebræi nihil paſsi. Immiſſo in populũ igne à Deo, ob ſeditionem Core, per thurificationem, & deprecationem Aaronis placatus Deus, plagæque ceſſatio. Ægyptijs Deus implacabilis, eoſdem varijs plagis atterens per Moyſen. Tandem Pharao cum omnibus aſſeclis in mari ſuffocatus. 19. Continuata antitheſis fidelium Hebræorum, & infidelium Ægyptiorum. Hi mari rubro ſubmerſi. Hebræi carnibus concupitis recreati. Ægyptij cæcitate percuſi, Hebræi lumine, alijſque beneficijs præventi. Tandem actæ gratiæ pro omnibus Divinæ ſapientiæ, liberque concluſus.

## SECTIO SEXTA.

### *SYNOPSIS ECCLESIASTICI, EIUSque Capitum.*

ECcleſiaſticus, ideſt concionator inſcribitur à Latinis hic liber, ad imitationem ſimul, & diſtinctionem libri Salomonis, qui Eccleſiaſtes dicitur. Conplectitur enim ſimilem moralem Philoſophiam, ſed luculentioribus, & nervoſioribus ſententijs; vnde & Græcis dictus eſt Panàretos, quia de omni virtute tradit præcepta, quibus inſignia Dei, divinorumque operum, & virorum illuſtrium encomia ſubnectuntur. Inſcriptus fuit aliquando Salomoni, ob parabolarum, & phraſium ſimilitudinem, & quia ex Salomonis parabolis quædam hic inde operi inſparguntur. Sed certum eſt, non Salomonem, ſed Ieſum filium Syrach Ieroſolymitam, cui iam paſsim à Græcis, ac Latinis inſcribitur, auctorem eſſe, vt conſtat ex prologo, & cap. vltimo libri, Ieſum, inquam ſeniorem, qui putatur fuiſſe nepos, vel abnepos Ieſu Sacerdotis magni, cum Zorobabele reducis è Babylone ſub Cyro, teſte Iſidoro *lib. 6. etimol. cap.* 8. & fuiſſe vnus è ſeptuaginta duobus interpretibus, qui, iubente Ptolemæo Philadelpho, Biblia ex Hebræo in Græcum idioma tranſtulerunt. Et quidem hic liber in Ægypto ſcriptus eſt, cum eò veniſſet auctor anno 38. ætatis ſuæ, tempore Ptolemæi Evergetis, qui fuit ſucceſſor Ptolemæi Philadelphi, & cæpit in Ægypto regnare ab vrbe condita anno 512. anno ante Chriſtum 240. Eum auctor ſcripſit Hebraicè; nam id in prologo aſſeritur, & S. Hieronymus præfatione in opera Salomonis affirmat, ſe vidiſſe Hebræum exemplar, & Parabolæ inter Hebræos vocatum ſed illud iam intercidit. Ex Hebræo tranſtulit illud in Græcum Ieſus iunior, nepos ſenioris, idque in gratiam Græcorum, & Proſelytorum, vt patet ex Græco prologo, quem libro avi ſui præfixit, & præfixum retinet etiam Romana editio, tamquam canonicam ſcripturam, & paris auctoritatis cum ipſo libro Eccleſiaſtici. Dividitur hic liber tres in partes. In prima continet encomia ſapientię, vt videre eſt in primo capite. In ſecunda ſententias prudentum tàm de ſapientia, quàm de alijs virtutibus, maximè de obedientia ſubditorum, vſque ad caput 44. In tertia vſque ad caput 51. quod eſt poſtremum, narrat exempla ſapientum, eorumque præconia. Addetur modò capitum ſynopſis.

Narrantur primo capite. Sapientia incomprehenſiblis, & in creaturis relu-

 cens,

cens, ab æterno à ſolo Deo omnipotente orta. Hæc à Deo data diligentibus, ac timentibus ipſum. Nam timoris Domini hic multipliciter commendari, non ſolum ſapientia, ſed & reliquæ virtutes comites. Ad Deum autem ſimplici corde accedendum: ſapientiaque per iuſtitiam acquirenda. 2. Servituro Deo remedia aſsignata adverſus tentationem. Primum eam expectare, ac ad eam ſe præparare. Secundum humiliare, & deprimere cor ſuum. Tertium patientia. Quartum audire conſilia ſapientum. Quintum non trepidare, vel nutare, ſed eſſe firmum, & conſtantem. Sextum iungere ſe Deo, illique firmiter adhærere. Septimum reſignare ſe in voluntatem Dei. Octavum firma in Deum fiducia. Nonum conſtans Dei timor, & amor. In fine commendatus timor Dei, & parænesis, ac adhortatio ad ſpem, timorem, cultum, & amorem Dei. 3. Commendatus cultus, & honor parentum, ad quos honorandos filij iucitati duodecim argumentis. 1. quòd ex honore parentum pendeat ſalus filiorum. 2. quòd parentes quaſi ſui vicarios honorari præceperit, in eoſque patriam ſuam poteſtatem, & auctoritatem tranſcripſerit, ideòque in ipſis honoretur. 3. quòd honorans parentes veniam peccatorum impetrabit, & in oratione exaudietur. 4. quòd theſaurum ſibi congregabit. 5. quòd iucundabitur in filijs. 6. quòd vitam habebit longævam. 7. quòd natura nos doceat, parentes quaſi Dominos eſſe colendos. 8. quòd honorans parentes benedicetur à Deo. 9. quòd benedictio patris firmet domos filiorum, maledictio verò eas evertat. 10. quòd honor, & decus patris ſit honor, & decus filij. 11. quòd honorantem parentes Deus eripiet à qualibet tribulatione. 12. quòd infamis ſit, & maledictus, qui parentes negligit. Poſt commendatum cultum, & honorem parentum, commendata manſuetudo, & humilitas, ac ne altiora quæramus. Deinde cordis duri pænè recenſitæ, & ex adverſo cordis ſapientis felices ſucceſſus explicati. Demum commendata eleemoſyna; eiuſque fructus aſsignati. 4. Parænesis ad eleemoſynam. Cohortatio etiam ad ſapientiam, ex duodecim eius officijs, & beneficijs, quæ præſtat ſuis filijs precipuè eleemoſynarijs. Recenſita varia huius ſapientiæ præcepta, præcipuè circa pudorem, malum ſapientiæ hoſtem. 5. Non permanendum in peccato, ob confidentiam divitiarum, iuventutis, fortitudinis, aut miſericordiæ Domini. Non vagus, ſed firmus, & manſuetus in via Domini, & cordatus in verbis. Non ſuſurro, aut bilinguis. 6. Proximi dilectioni contrariata improperium, invidia, ac ferocitas. Eidem dilectioni auxiliatæ dulcedo in verbis, & pacifica converſatio. Multiplices amici, ſed verus amicus nunquam ſatis æſtimandus. Menſura diligendæ, & conſervandę ſapientię. Quærenda prudentium ſocietas, & ſervanda Dei præcepta. 7. Cavenda peccati culpa, ad vitandam eius pœnam. Magiſtratus non ambiendus. Frænanda lingua. Quomodo cuique agendum erga ſeipſum, erga amicos, erga vxorem, erga ſervos, erga pecora, erga filios, & filias, erga parentes, erga Sacerdotes, erga mortuos, & ægros. Ad hæc omnia ritè preſtanda medium efficax memoria noviſsimorum. 8. Non litigandum cum potente, divite, linguato, indocto. Non ſpernendi peccatores pœnitentes, non ſenes, non inimici mortui. Non reprehendendi peccatores obſtinati, contumelioſi, fortiores, iudices, audaces, iracundi. Non ineundum conſilium cum fatuis, & extraneis. Pax, & tranquillitas vitæ indicata, & qui obices, & impedimenta eius removenda. 9. Cum mulieribus prudenter agendum. Vitanda earum aſpectus, colloquium, & conſortium. Societas, & affectus earum viris periculoſa. Amicus antiquus ſervandus, vitandi novi. Peccatoris gloria non zelanda. Procul ab homine po-

potentiam occidendi habente, iniustis, linguosis, temerarijs. Cum sapientibus tractandum. Deus præ oculis habendus. 10. Optimus Princeps subiectus Deo, & non superbus. Indè superbia tanquam prava, & noxia cavenda propter novem. Primò quia odibilis Deo, & hominibus. 2. Quia causa iniustitiæ, rapinæ, contumeliæ, & doli, ob quæ à Deo translata bona, & regna gentium. 3. Quia homo quamvis potens, & Rex, ex natnra sua vilissimus. 4 Quia honor omnis æquè, ac vita brevis, & vanus. 5. Quia homo post mortem esca serpentum, & vermium. 6. Quia superbia apostasia à Deo. 7. Quia superbia initium omnis peccati. 8. Quia à Deo subversi throni cum opibus, pompis, & memoria superborum, humiles verò elevati, & firmati. 9. Quia superbia creatura non Dei, sed diaboli. Indè concluſum, verum honorem, & gloriam hominis sitam non in superbis opibus, & dignitatibus, sed in timore, & obsequio Dei. 11 Commendata humilitas oppoſita superbiæ, simul & modestia. Sapiens igitur humilis, & modestus in pulchritudine, & statura, in vestitu, in honore, in iudicio, & vituperio, in responsione, & loquela, in multis negotijs, & opibus. Quivis excitatus ad humilitatem, tùm quia omnia sunt Dei, cuique suam sortem bonam, vel malam, divitias, vel paupertatem pro sua sapientia, & beneplacito distribuentis, tùm quia cuique mors instat, in qua Deus cuique pro meritis præmium rependet. Non igitur, tàm à labore hominis, quàm à manu Dei, & munere expectandę divitiæ æquè, ac paupertas, sapientia, scientia, dilectio, cæteraque omnia, ac præsertim retributio meritorum cuiusque in hora mortis. Non recipiendi in domum hospites dolosi, superbi, malitiosi, & alienigenæ. 12. Benefaciendum iusto, non impio. Amici cum difficultate ab inimicis cognitione certa distincti. Inimico nunquam fidendum, etiam amicitiam simulanti. 13. Cavendum è consortio potentum, & divitum, ideòque superborum. Data monita, quo modò ab eis vocato cum ijsdem agendum. Conversandum cum æqualibus. Amicitia, & familiaritas ineunda cum æqualibus, ac similibus, tùm moribus, tùm opibus. Tales non divites, & pauperes, quorum dissimilis sors, & mores dissimiles demonstrati per varias comparationes, & antitheses. Hęc igitur summa, quòd damnosa opulentorum, & magnatum commercia. 14. Beatus canens à lapsu verbi, & facti. Beatus sibi, & alijs beneficus. Indè sordes avaritiæ reprehensę. Ad iustitiam, & beneficentiam maximus stimulus memoria mortis instantis. Beatus ergo commoratus in sapientia, meditatus in sua iustitia, & in sensu cogitans circunspectionem Dei. 15. Studioso sapientiæ, benevolentissimus sapientiæ occursus, cuius comites gratiæ, & dona. Sapientia procul à stultis, superbis, dolosis, & mendacibus. Sapientia propè sensatos, humiles, sinceros, & veraces. Sapientia, & Deus non auctores, sed execrantes peccatum. Cuique datum à Deo liberum arbitrium ad eligendum bonum, aut malum, vitam, vel mortem. Quare liberum arbitrium optimè descriptum, cuius potestas ad eligendam sapientiam vel stultitiam, virtutem, vel peccatum. 16. Deus maximè detestans peccata, & peccatores. Ideò parentibus imitandus Deus, nec ijs lætandum in filiorum copia, vel elegantia, si sint impij. Deus maximè vltus de impijs; ab eoque acriter puniti gigantes per diluvium, Sodomitæ per conflagrationem, Hebræi murmurantes per mortem in deserto. Commendata Dei sapientia in creatione, & dispositione vniversi. 17. Creatio hominis ad imaginem Dei. Dotes præsertim sapientiæ, & legis divinæ illi inditæ. Pactum à Deo cum eodem initum. Dei intuitus in omnia hominum opera, & peccata. Hinc incitatus homo, vt per pœnitentiam, vitæ emendationem, omnemque sancti-

titatem, ad creatorem ſuum tam munificum convertatur, Deoque ſuo cum omni devotione, ac reverentia ſerviat. 18. Dei magnalia, homini inſcrutabilia. Hominis miſeria, & Dei erga illum miſeratio. Proximo miſerendum. Quomodò agendum infirmo. Quomodò orandum. Conſiderandum Dei iudicium. A proprijs concupiſcentijs diſcedendum. 19. Damna ebrietatis, & fornicationis. Moderamen adhibendum linguæ. Cavenda detractio. Secretum cælandum. Correctio fraterna facienda. Calliditas bona, æquè, ac mala, ſivè hypocriſis declarata. His autem de more nonnulla ſemper de ſapientia, & timore Dei dogmata inſerta, & admixta. 20. Correptio non facienda in ira. Quodnam iudicium non bonum. Silentium quando commendatum. Linguæ vitia, & virtutes. Fatui fatuorum Sermones oppoſiti ſapientum ſapientibus dictis, & factis. Demonſtrata nimia, & noxia verecundia, dedecus mendacij, ſapientia, quæ ſe promit, & evehit placendo magiſtratibus, ideoque ab eadem vitata xenia, & dona. 21. Cavendum ab omni peccato, & præſertim à ſuperbia. Depicti mores ſtulti, ijſque oppoſiti mores ſapientis. Deſcripta ſtulti immodeſtia in riſu, viſu, auditu, voce, & ſermone. 22. Quam viles, contemptibiles, probroſi, incorrigibiles, & inſupportabiles ſtulti, & inſenſati. Ideò multa de lapidatione pigri, filio indiſciplinato, filia fatua, muſica in luctu, docente fatuum, mortuo plorando, cum ſtulto non loquendum, de corde ſtulti, ac timidi. Nonnulla etiam recenſita violantia amicitiam, eaque cavenda. Oris cuſtodia deſiderabilis. 23. Oratio, qua precatur Deum pro gratia, qua opere adimpleat ſapientiæ dogmata, frænetque concupiſcentiam cordis, & oris, vt ſcilicet Deus dirigat omnes eius cogitationes, affectiones, ſermones, neque exorbitent. Iterum inculcata linguæ moderatio, & iuramentum vitandum. Vitia, & intemperantia operum, & vitæ, ac cæcitas, fæditaſque fornicariorum, adulterorumque multis exaggerata. 24. Sapientia à ſe laudata. Primò quod originem, & genus ducat à Deo. Secundò quod cælos, mare, terram, omniaque, quæ ijs continentur, crearit, dirigat, & gubernet ſapientiſſimè. Tertiò quod demum fixerit ſedem, & domum in Sion, & populo Iſrael. Quartò quod ſit pulcherrima, comparans ſe arboribus pulcherrimis, puta cedro, palmæ, olivæ, cinnamomo, balſamo, myrrhæ, terebintho, viti. Quintò quod fructus ſui ſint dilectio, timor, agnitio, ſpes ſancta, omniſque veritas, vita, & virtus. Sextò quod contineatur in lege Moyſi, & Prophetis, à quibus regenda; ſed maximè à Chriſto, cuius plenam ſapientiam, ac doctrinæ abundantiam, & fæcunditatem comparat fluvijs Phiſon, Tigri, Euphrati, Iordani, imò mari. 25. Tria ſapientiæ grata, totidem eidem ingrata. Res decem beatificantes hominem. Mulierum nequitia plurimis exaggerata. 26. Per antitheſes demonſtrata bonitas mulieris probæ, & ſenſatæ, & malitia improbæ, & inſenſatæ. 27. Lucri cupiditas, cauſa peccatorum. Tentatio vtilis ad probationem hominis. Lingua frænanda. Turpe revelare ſecretum. Deteſtabilis dolus. Hic in doloſum revolutus. 28. Non vlciſcenda, ſed condonanda iniuria, ac planè oblivioni tradenda, ob ſeptem rationes. Prima tibi remittenti remittit Deus, & è contra. 2. Carneus carneo ſervare non debet iras, petens à Deo veniam graviſsimarum offenſarum. 3. Memento noviſsimorum, & deſine inimicari. 4. Quia timor Dei cohibet iram tanquam Deo ingratam. Quia lex Dei naturalis divina, & humana vetant vindictam. 6. Quia vindicta iniuriæ multa accumulat peccata, quæ omnia per patientiam, & tolerantiam iniuriæ vitantur. 7. Quia ira perturbat omnia, remiſsio autem omnia conciliat. Lingua detractorum, & ſuſurronum peſtifera; ideò in noxa prælata octo rebus nocentiſsimis,

mis, flagello, gladio, iugo ferreo, morti, inferno, flammæ, Leoni, & Pardo. 29. Largitionis quatuor ſpecies aſſignatæ, ſcilicet mutuatio, eleemoſyna, fideiuſsio, & peregrinorum ſuſceptio. Mutuandum ergo proximo, quamvis in reddendo difficultas, incivilitas, & ingratitudo. Septem dati ſtimuli ad mutuandum æquè, ac ad dandam eleemoſynam, ideò vocatam ſacculum, ſcutum, & lanceam contra hoſtes, ac propitiationem omnis mali. Fideiubendum etiam proximo, ſed propter periculum adhibenda cautela. Non vagandum, quia magna miſeria peregrinorum, & hoſpitum, qui alieno tecto recipi, & herorum improperia pati coguntur. 30. Filij in diſciplina educandi. Indulgentia erga illos perniciosa. Corporis ſanitas præſtantior divitijs. Triſtitia homini noxia, & ideò fugienda. Cordis iucunditas vtilis. 31. Vigilia honeſtatis, & cogitatus præſcientiæ vtilis. Labor divitis, & pauperis varius. Diligens aurum non iuſtificatus. Multi caſus in auro. Laus divitis ſine macula. Modeſtia ſervanda in menſa, & quanta honeſtate, temperantia, & diſcretione in ea convivis agendum. Laus ſobrietatis, & vituperatio gulæ. Laus vſus modici vini, & vituperatio immodici. 32. In menſis, & convivijs convivis rectoribus conveniens humilitas, & ſollicitudo. Senibus ſenſata loquutio, nec ab ijs impedienda muſica. Iuvenibus attentio ad audiendum, & parca loquutio, & tempeſtivus à convivio domum regreſſus, ac gratiarum actio Deo. Commendata lex, ac timor Dei, & conſilium, ſine quo nihil faciendum; ſic enim poſt factum neminem pœnitebit. 33. Confidentia, & timor Dei, parens ſecuritatis, & felicitatis. Lex timenti deum fidelis, ſicut ipſe fidelis legi. A Deo per ſapientiam ſuam prædeſtinati, ac diſcreti pij ab impijs, vti dies feſti à non feſtis. Cuique rei contrarium appoſitum, & appoſitum ad plenitudinem, & decorem vniverſi. A prudente nunquam ceſſa bona filijs, vel amicis ante mortem. Quomodò regendi ſervi, 34. Vana ſomnia, divinationes, auguria, mendacia. Peregrinatione, & tentatione factus homo expertus, & prudens. Solida, ac frugifera ſpes collocata in Deo ab eum timentibus. Deus execratus oblationes impiorum, præcipuè factas ex ſpolijs, & defraudatione pauperum. 35. Verum, & acceptum ſacrificium recedere à peccato, & facere miſericordiam. Apud Deum maximi valoris, & gratiæ ſacrificium: & ad hoc quænam conditiones requiſitæ. Reiecta à Deo ſacrificia, & preces iniquæ iniuſtorum; receptæ verò æquæ iuſtorum, preces præſertim patientium iniurias, pauperum, & humilium. Horum iniurias vltus Deus. 36. Exemplum efficacis orationis, qua rogatus Deus, vt populus fidelis, id eſt Iudæi ab Ægyptijs, alijſque gentibus ſubacti, afflicti, & diſperſi, liberentur, & congregentur in Ieruſalem, vtque Deus gentes conterat, & convertat ad verum Deum Iudæorum cognoſcendum, & colendum. Mulieris, ac vxoris bonæ laudes. Vxor bona potius, quàm opulenta eligenda. Bona mulieris poſſeſsio. 37. Deteſtatio ficti amici. Non obliviſcendum veri amici. Diſcretio in captandis conſilijs. Cum quibus ineundum conſilium, quibus proprium conſilium occultandum. Laus ſententiæ viri Sancti. Verbum nequam. Quatuor orta ex corde. Laus viri periti, & ſapientis. Loquens ſophiſticè odibilis. Anima propria tentanda; ſi nequam; illi non danda poteſtas. Crapulæ pernicies. 38. Honorandus Medicus, Medicinæ vtilitas. Ægroto quomodò ſibi agendum erga Deum, & Medicum. Plorandus amicus mortuus, ſed cum moderatione, & cavendum à triſtitia. Sapientia comparata otio litterario; mechanicæ verò artes occupatæ negotio, & opere manuali, ſcilicet agricultura in agro colendo, ſculptoria in ſculpendo, fabrilis in fabricando, plaſtices in plaſmando.

Artifices neceſſarij in communitate, ſed non præſtantiores dignitate, vel ſapientia. 39. Media ad comparandam ſapientiam ſtudium, & lectio Prophetarum, aliorumque ſapientum. Item converſatio cum eis, ac ad eos peregrinatio. Prætereà oratio, qua rogatus Deus de lumine, & dono ſapientiæ. Quis fructus, laus, & encomium ſapientiæ, & ſapientis. Potentia Dei, eiuſque opera ſapienter conſiderata, tùm beneficentiæ, tùm vindictæ, quibus omnes ad Dei laudem invitati. 40. Homo obnoxius occupationi magnæ, iugo gravi, ac varijs miſerijs. Omnia caduca. Iniqui cum ſuis divitijs citò delendi. Laus vitæ ſibi ſufficientis. Varij binarij commendati. His tamen alia antepoſita. Laus timoris Domini. Vitanda inopia, nec in alienam menſam reſpiciendum. Ab hoc vir diſciplinatus, & eruditus ſe ſervans. 41. Mors amara divitibus, delicijs, & proſperitate in hac vita affluentibus; dulcis pauperibus, & afflictis. Non ergo mors metuenda commune naturæ debitum. Curandum cuique poſt mortem bonum nomen, & fama poſthuma, in qua ſemper vivat. In quo ſitum bonum nomen; in eo ſcilicet, ſi nihil commiſſum pudendum. Sigillatim recenſita ea, de quibus erubeſcendum. 42. De quibus non erubeſcendum. Secretum non revelandum. A reſpectu perſonarum, alijſque vitijs hic enumeratis abſtinendum. Datum, & acceptum ſcribendum. Filiæ cuſtodia ſollicita. Super luxurioſum firmanda cuſtodia. In medio mulierum non commorandum. Melior inquitas viri, quàm mulier benefaciens. Encomium ſapientiæ, & omniſcientiæ Dei in admirabili ſolis, maris, cæterorumque operum fabrica, diſpoſitione, & gubernatione. 43. Celebrata magnificentia Dei, ex pulchritudine cœli, ſolis, lunæ, & ſtellarum, iridis, nivis, grandinis, ventorum, tonitruorum, gelu, & glaciei, maris, & inſularum. Deus igitur ex toto corde, totiſque viribus laudandus, & celebrandus, quippè qui infinities maior omni laude. 44. Exempla ſapientiæ. Indè laudati Patriarchæ, & viri ſapientes in genere. Dilaudati ſpeciatim etiam Enoch, Abraham, Iſaac, & Iacob. 45. Laudati Moyſes, Aaron, & Phineés, tùm ob præclara facinora, tùm ob ingentia dona eis à Deo collata. 46. Celebrati Ioſue, Caleb, Iudices, & Samuel. 47. Encomium Nathan, & Davidis. Salomonis verò, & Roboam partim elogium, partim vituperium. 48. Laudes Eliæ, Eliſei, Ezechiæ, & Iſaiæ, quorum oratione à Deo liberatus Iſrael ab exercitu Sennacherib. 49. Laudati Ioſias, Ieremias, Ezechiel, & duodecim Prophetæ minores. Item Zorobabel, Ieſus filius Ioſedech, & Nehemias. Repetitæ iterum laudes Henoch, & additæ Ioſeph, Seth, Sem, & Adam. Hi etiam invicem comparati. 50. Præconia celeberrima Simonis Pontificis filij Oniæ. Duæ gentes odio habitæ, & tertia ſtulta. Aliqua de Ieſu filio Sirach huius libri auctore. 51. Laudatus, & celebratus Deus, quòd ipſum à multis afflictionibus, & periculis liberarit. Maximum à ſe ſtudium adhibitum, ad acquirendam ſapientiam à puero. Multi indè fructus à ſe percepti. Ideò omnes exemplo ſuo ad ſapientiæ ſtudium adhortatus.

## CAPUT QUARTUM.

### *SYNOPSIS LIBRORUM PROPHETALIUM Veteris Teſtamenti.*

VOcamus libros Prophetales Veteris Teſtamenti, qui continent prophetias Prophetarum. Ex his quatuor dicuntur prophetę maiores, quod ſinguli apud Hebræos faciant ſingulos libros, & ſunt Iſaias, Ieremias (apud quem Baruch etiam ponitur, cum veteres eum in prophetia non exiſtimarint ab eodem Ieremia diverſum) Ezechiel, & Daniel; Duodecim verò dicuntur minores, quod omnes in vnum librum, propter eorum brevi-

vitatem, ab ijſdem Hebræis redacti fuerint, & ſunt Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Floruerunt tàm maiores, quàm minores poſt diviſionem regni, quæ facta eſt poſt obitum Salomonis. Synopſis ſingulorum per ſeptemdecim ſectiones eſt explicanda.

## SECTIO PRIMA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ ISAIÆ, eiuſque capitum.*

ISaias ſalus, vel Salvator Domini (Leo Caſtrius vertit, Ieſus eſt Deus) ab Eccleſiaſtico cap. 48. vocatur Propheta ſanctus, magnus, & fidelis in conſpectu Dei, & ſpiritu magno dicitur vidiſſe vltima, & vſque in ſempiternum futura; id eſt non ea modò, quę paulò poſt ſuam ætatem, ſed etiam quæ vltimis ſæculis, & in fine mundi eventura erant, tam clarè, ac diſtinctè prædixiſſe, ac ſi ſingula oculis ſuis coram conſpexiſſet, & de re iam præſenti, vel peracta narrationem contexeret, aut hiſtoriam conſcriberet, inquit S. Hieronymus in cap. 20. Iſaiæ: nominatim quæ Chriſti Domini Adventum, Nativitatem eius ex Virgine, vitam, prędicationem, miracula, paſſionem, mortem, ſepulturam, & regnum concernunt. Vndè ab eodem Hieronymo non tàm Propheta, quàm Evangeliſta, & Apoſtolus vocatur. Vir igitur fuit per omnia magnus, puta. Primò ſplendore generis, vtpotè Nepos Amaſiæ regis Iuda ex fratre, patruelis, & ſocer Manaſsis, vt, teſte Hieronymo, Hebræi tradunt. Secundò vitę ſanctitate, vt patebit ex cap. 1. 20. 22. & alijs. Tertiò eloquentia, qua vt aulicus, & è regia ſtirpe, & regiè educatus plurimùm valuit. Vndè à Chryſoſtomo hom. 8. in Gen. & hom. 40. in primam ad Corint. Propheta vocaliſsimus, & magniloquentiſsimus vocatur. Quartò conſtantia in adverſis, & glorioſo martyrio: nam ſerrâ lignea ab impio Rege Manaſſe diſſectum fuiſſe, quod Regem, & Principes acriùs increparet, communis eſt Hebræorum traditio, inquit Tertullianus lib. 3. Carmin. contra Marcion. Totius libri narratio per capita 66. proſa eſt numeris omnibus abſoluta, exceptis tribus canticis, vineæ ſcilicet cap. 5. vrbis Sion cap. 26. & Ezechiæ cap. 38. quæ vna cum oratione Iſaiæ exametris, & pentametris verſibus incedere teſtatur Iſidorus. Quod ad ordinem temporis attinet, etſi primo inter omnes prophetas loco Iſaias ponatur, quòd tùm in ſinagoga Iudaica, tùm in Eccleſia Chriſtiana præ cæteris maximi ſemper habitus ſit, non omnes tamen tempore præceſsit. Nam, vt patet ex initijs prophetiæ ſingulorum, Prophetarum omnium primus fuit Oſee, ſecundus Ioel, tertius Ionas, quartus Amos, quintus Iſaias, qui ſecundum quoſdam. 17. Demùm anno Oziæ, ſeu Azariæ regis Iuda, ſed veroſimilius ſecundum S. Hieronymum in Iſaiæ 6. & 7. & epiſt. 142. 25. anno eiuſdem Oziæ prophetare cæpit, cum Amos 23. anno, alij ſub initia eiuſdem regis cæpiſſent. Poſt hos tempore Ioathan filij Oziæ prophetare cæperunt ſextus Abdias, & ſeptimus Michæas. Hi enim ſeptem Synchroni fuerunt, inquit S. Hieronymus in Oſee primum. Sub Ezechia floruit octavus Nahum, ſub Manaſſe nonus Sophonias, ſub Ioſia decimus Habacuc, & vndecimus Ieremias: anno 5. tranſmigrationis Iechonię cæpit duodecimus Ezechiel; anno 5. ab everſa Ieroſolyma decimus tertius Baruch prophetiam ſuam conſcripſit, vti paulò poſt decimus quartus Daniel. Poſt ſolutam captivitatem Babylonicam anno 11. prophetarunt decimus quintus Aggæus, decimus ſextus Zacharias, denique Malachias decimus ſeptimus, & vltimus. Deſcendamus modò ad capitum ſingulorum Synopſim.

Narrantur primo capite. Breve to-

tius

tius operis, & libri compendium, & piæ, & perfectæ concionis exemplum, concionatoribus meritò imitandum. Vnde reprehenſa populi peccata, nempè ignorantia, & neglectus Dei, Superbia, fiducia ſuarum virium, ac operum, contemptus proximi, fraus in iudicijs, & maximè idololatria. Ira cæleſtis, & vindicta parata adverſus eos, qui dicta peccata non caveant. Modus placandi Deum per pœnitentiam oſtenſus. Huc vſque concionatoris officium exequutus Iſaias. Poſtea ab eodem, tanquam à propheta, indicata Iudæorum reiectio, Gentium vocatio, aliaque Novi Teſtamenti myſteria, & ideo ab Iſaia prophetatum de Chriſto, Apoſtolis, & igne gehennæ. 2. Eccleſia quaſi mons à Chriſto erigenda. Ad hanc omnes gentes convolaturæ, converſuræ bella in pacem, gladios in ligones. Iterum ſcelera ſuorum ſuis temporibus patrata reprehenſa. Prædicta clades, & vaſtatio à Chaldæis Iudæis inferenda. Chriſtus, vtpotè Deus, non laceſſendus, nec exacerbandus. 3. Prædictum excidium Iudæorum per Titum, & Veſpaſianum, ob occiſum ab eis Chriſtum, ita tamen, vt pleraque, quæ hic dicit, adaptare ſibi poſſent Iudæi, qui erant tempore Iſaiæ, hæcque ab illo audiebant. Aſsignata cauſa excidij, ſcilicèt peccata populi, & Principum ſtupor, ac fraus. Aſsignata alia excidij cauſa, ſcilicèt procax, ac ſuperbus ornatus fœminarum, quas proinde decalvandas, funibus, & cilicijs veſtiendas prædicit. 4. In vrbis excidio tanta futura virorum ſtrages, vt à ſeptem mulieribus vnius viri nuptię ambiendæ. Reſiduos ſolatus ex promiſſione Chriſti Salvatoris. Per hunc ijdem illuminandi, deducendi, protegendi inſtar columnæ ignis, & nubis, olim Ducis Hebræorum in deſerto; & inſtar tabernaculi ſuos incolas, quaſi vmbraculi ab æſtu, & pluvia, tutantis. 5. Rhythmus, & carmen lugubre, quo de Synagoga conqueſtus, quaſi de vinea licèt ſtudiosè exculta, provuis tamen reddente labruſcas, ſcilicèt avaritiam, crapulam, iniuſtitiam, aliaque vitia recenſita. Minis inſinuatum excidium per Romanos, quorum vires, & robur deſcripta, vſus ſemper rhythmo, & carmine lugubri, tum ad concinniùs laudandum Deum, tum ad ſuaviùs influendum verbum in animum populi, eumque efficaciùs movendum, & ingratitudinis erga Deum coarguendum. 6. Viſus Deus ab Iſaia in throno magnifico. Viſi etiam Seraphim ei acclamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus. Commota ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta fumo. A ſe reprehenſus de ſilentio labijs pollutus. Sed à Seraphim calculo ignito tactus purgatus, & accenſus, miſſus Apoſtolus, & Propheta Iudæis, ad prophetandum illis excæcationem, & deſolationem; Semen Sanctum tamen eis remanendum. 7. Achaz, & Iudæis timentibus à Syris, & Samaritis pollicitus Iſaias opem, & liberationem, Syris verò, & Samaritis excidium intentans. Huius rei oblatum, & datum vt ſignum, Emmanuel naſciturus ex Virgine. Achaz, & Iudæis incredulis cladem per Ægyptios, & excidium per Chaldæos comminatus. 8. Nomen pueri naſcituri ſcribendum in libro. Incredulis minatus Aſſyrios paulo poſt perituros. Non timenda coniuratio Raſin, & Phacee, ſed Deus exercituum. Credentibus Pythonibus, eoſque conſulentibus comminatus exitium. 9. Chriſtus prædaturus ſpiritualiter Samariam, & Galilæam, ſicut eas prædati Aſſyrij. Mira lux eis refulgenda, & lætitia: quia parvulus natus nobis, cuius nomen Deus fortis, &c. Comminatus cladem, & exitium Syrię, & Samariæ propter ſua ſcelera. 10. A decem tribubus, idr eſt ab Iſraele progreſſus Iſaias ad Iudam, ideſt ad duas tribus. Harum peccata ab illo reprehenſa. Comminatus eiſdem Aſſyrium, ſcilicèt Sennacherib. Idem Senacherib accuſatus ſupo-

poris, & amentiæ tribuens virtuti, ac ſapientiæ ſuæ victorias. Ideò illi exitium intentans, pollicitus reliquijs Iudæorum liberationem. 11. Chriſtus quaſi flos de radice Ieſſe aſcenſurus. Super eum requieſcenda ſeptem dona Spiritus Sancti. Sub eodem habitaturus lupus cum agno. Sepulchrum illius futurum glorioſum, æquè, ac vexillum crucis, ad quod omnes gentes, & Iudæi vnanimiter convolaturi. Apoſtoli prædaturi Philiſthæos, Idumæos, Moabitas, & Ægyptios, & alias gentes. 12. Ieſu Chriſti victoris, & Salvatoris epinicion, quo decantata Emmanuelis beneficia, præcipuè nos à peccato, & morte liberantis. Ideò hoc carmine invitati ſpirituales Sionidæ, ideſt Chriſtiani ad gratiarum actionem; ijdemque moniti, vt in eo vno, venia, & gratia ab eo accepta, contempta morte, diabolo, peccati conſcientia, infirmitate carnis, & mundo, conquieſcant. Fructus enim Redemptionis Chriſti animi tranquillitas, & fiducia, in qua populus redemptus ſanctè conquieſcit, fretus, ac ſubnixus Ieſu auxilio, nullum amplius malum metuens, ſed hauriens in iubilo aquas vivas ſalientes de fontibus Salvatoris. 13. A Deo quaſi belli duce elato vexillo Cyrus evocatus vnà cum Perſis contra Babylonem. Futurus ille dies excidij horribilis, vndè ſol, luna, & ſtellæ de Cœlo cadentes viſæ. Non tantum viri, ſed & infantes occidendi, & mulieres conſtuprandæ. Babylon ſicut Sodoma ſubvertenda; in ea non homines, ſed feræ, & Dæmones habitaturi. 14. Adhuc depictum excidium Babylonis. Baldaſſaris regis faſtus, & ruina, quaſi alterius Luciferi. Huic alij reges inſultantes in inferno inducti. Eiuſdem nomen, ſoboles, & memoria interitura. Philiſthinis clades per Ezechiam denuntiata. 15. Vaſtatio munitiſsimarum vrbium Moab. Luctus totius populi. Fuga promiſcua. Bonorum direptio. Excidium regionis, & interitus omnium. 16. Optatus ab Iſaia adventus Chriſti in orbem è Moabitide Ruth progignendi. Interim datum conſilium ad benignè excipiendos Iudæos profugos. Superbia Moab maior eiuſdem fortitudine. Planctus, & clades Moab in tribus annis futura. 17. Prædictum exitium Damaſco, & Syris æquè, ac Samaritis. Tàm pauci relinquendi, quàm paucæ ſpicæ poſt meſſem. Clades illis inflicta tanquam Dei oblitis. Reliquiæ ab idolis ad Deum convertendæ. 18. Prædicta clades Æthiopibus, inchoata à Sennacherib, & à Nabuchodonoſor completa. Sed poſteri Æthiopum convertendi ad Deum. 19. Clades Ægypti ob incolarum diſsidia, & ſuperba, ac ſtulta conſilia principum, quibus Pharao ab eis in bellum, & cladem inductus. Prædicta ſalus, & gratia à Chriſto afferenda Ægypto. Propterea ſimul Ægyptij, & Aſsyrij cum Iudæis in Chriſti cultum, & Eccleſiam conſpiraturi. 20. Seorſim de Æthiopia, & de Ægypto vaſtanda prædicta, hic coniuncta. Vtrique igitur imminens exitium per Aſsyrios intentans. Iuſſus nudus incedere ad portendendam denudationem, & expilationem vtriuſque regni, & captivorum. 21. Babylon evertenda per currum cameli, & aſini, ideſt per copias Darij, & Cyri. Contra Idumæam, & Arabiam vaticinatus. 22. Cladibus aliarum gentium clades Ieroſolymæ ſubnexa. Nam earum imitata culpam, ſortita etiam pœnam. A Domino non propter locum gens, ſed locus propter gentem electus. Sobnæ præpoſito templi indigno, & ſuperbo comminatus depoſitionem, & captivitatem. Pius, ac mitis Eliakim illi ſubrogandus. Huic pollicitus ſtabilem, & glorioſum Pontificatum. 23. Tyri excidium per Nabucodonoſor prædictum, quòd Tyrij hoſtes Iudæorum in expugnatione Ieroſolymæ gaviſi. Tyri ergo clades ex priſtina eius gloria, & opibus deſcripta. Tyrus tamen poſt 70. annos reſtauranda, & ad priſtinas merces, & opes reditura. 24. Patheticè deſcriptum excidium

totius orbis. Horribilis eius ſpecies. Illius cauſa impietas, & ſcelera hominum, quibus terra conſpurcata. Pauci indè ſalvandi, & beandi, & horum prædicta exultatio. Anguſtię, & terrores eiuſdem excidij. Æterna gehennæ ſupplicia deſcripta. 25. Hymnus Euchariſticus ſalvandorum per Chriſti Paſsionem. Primò ergò à Beatis actæ gratiæ Deo, quòd hoſtibus eorum impijs, & ſuperbis depreſsis, mundoque vaſtato, ipſi ad portum ſalutis pervenerint. Deindè per convivium medullatorum, & vindemię, atque per vinculi colligati diſſolutionem, Sanctorum libertas, & deliciæ deſcriptę. Demum Moab, ideſt reprobi plauſtro iræ Dei triturandi, atque calcandi. 26. Canticum Beatorum, quo Deo actæ gratiæ de ſua felici ſorte. Rogatus Deus ad compellendos impios per flagella ad rectam vitam, & ſalutem, proſperitate eoſdem ad luxum deducente. Hortatus iuſtos ſpe reſurrectionis alacriter mortem, & dura omnia ſuſtinenda, quaſi ad cælum aſpirantes. 27. Exciſo orbe excindendus etiam Diabolus Princeps orbis. Canticum vineæ, ideſt Eccleſiæ Beatorum à Deo mirè benedictæ. Implendus orbis ab Apoſtolis ſemine verbi Dei, tempore devaſtationis Ieruſalem. Eodem tempore reliquiæ Iudeorum ad Deum convertendæ. Iudæi exules, ac profugi venturi ad Eccleſiam Chriſti. 28. Ab excidio orbis iterum ad excidium particularium gentium. Prędictum igitur excidium Ephraim, ideſt Samarię, & decem tribuum, idque ob eorum ſuperbiam, & luxum. Idem ob eaſdem cauſas prædictum duabus reliquis tribubus Iuda, & Beniamin, verba, & minas Prophetarum irridentibus. Quapropter pactum eorum cum Morte, & & Inferno non ſtaturum. Indè pollicitus eis lapis angularis, & ſolidus, ideſt Chriſtus, in quo recumbant. Cultus Dei ſecum non compaſſus cultum idolorum. A Deo, tanquam ab agricola ſui, nunc ſati, nunc purgati, nunc in meſſem redacti, nunc triturati tribulatione. Vexatione datus intellectus auditui. 29. Excindenda Ieruſalem ob munitionem vocata Ariel, ideſt Leo Dei. Chaldæorum illam excindentium victoriæ inſtar ſomnij: brevi enim ijdem perdendi. Iudæorum clades; à quibus auferenda intelligentia prophetarum. Increpati ſapientes eorum athei putantes ſe, ſuaque conſilia Deum latere. Prædicta excæcatio Iudæorum, & vocatio Gentium. 30. Invectus in Iudæos, poſt 150. annos contra præceptum Domini fugientes ad Pharaonem in Ægyptum deſtructa iam per Nabuchodonoſorem Ieroſolyma, & occiſo Godolia, vt narratur Ieremiæ 42. 43. 44. Vndè ſcribenda hæc in buxo, quaſi diù poſt futura. Reprehenſi cupientes audire à Prophetis placentia, licet falſa, ac perverſa. Sub typo ſanctitatis, & felicitatis regni Ezechiæ, deſcriptum ſanctum, & felix regnum Chriſti. Dies iudicij inſinuatus, quo ſol, & luna ſeptuplo clarius lucebunt. Impijs demum præparata Topheth, & gehenna ignis. 31. Decem tribubus væ, & exitium intentatum, quòd ab Aſsyrijs invaſæ opem non Dei, ſed Ægyptiorum imploraverint. Ex adverſo duæ tribus ſub Senacherib ſolum Deum invocantes commendatæ. Illis promiſſa Dei protectio ad modum Leonis eſcam ſuam, & avis nidum ſuum roſtro, & vnguibus defendentium. Hinc hortatus decem tribus, vt cum duabus ad Deum redeant. Hoc facientibus Deus protector futurus, ſicut eiuſdem protectionem expertæ duæ, qua Deus pro ijs pugnans cecidit caſtra Sennacherib. 32. Per felicitatem regni Ezechiæ deſcripta felicitas regni Chriſti, cuius illud typus. Clades, & excidium Ieroſolymæ, tùm per Chaldæos, tùm per Romanos futura. Deſolatos ſolatus ſpe lætioris fortunę mox affuturæ, maximè adventu Spiritus Sancti optatam orbi pacem ſpiritualem, quietem opulentam, & iuſtitiam allaturi. 35. Comminatus

ex-

excidium Aſsyrio Sennacherib hoſti populi Dei. Hic obſidens Ieroſolymam, certaque ſpe eam devorans ab angelo opprimendus. Ex Aſsyriorum incendio deſcriptus ignis devorans gehennæ, ad excitandos omnes peccatores, vt eius cogitatione peccata caveant, & virtutes ſectentur. Ob oculos poſita Sion cęleſtis, eiuſque ſpecies, & gloria. Regreſſus ad Ieruſalem obſeſſam, & diripientem ſpolia Aſsyriorum. 34. Ab excidio Sennacherib invitatæ omnes nationes ad ſpectandum præſenti animo excidium orbis in fine ſæculi, propterea à poſitum ob oculos. Alius excidij orbis typus propoſitus, ſcilicet excidium Idumææ. Tunc enim ſimili, imò maiori ſupplicio plectendi omnes reprobi, quo olim Idumæi, ſcilicet igne, pice, & ſulphure, & deſolatione perpetua, habitantibus ibi Onocentauris, Faunis, & Lamijs, & alijs beſtijs feriſsimis. 35. Lætum de Eccleſia per Gentes gloriosè propaganda vaticinium, Gentes ergò antea deſertæ, per Chriſtum excolendæ, fertiles futuræ inſtar Libani, Saron, & Carmeli. Tempore etiam Evangelij curandi cæci, ſurdi, claudi, & muti. Nec futuri inter eos dracones, & malæ beſtiæ, nec polluti. Imò ituri ijdem in Sion ad æterna gaudia. Quare oppoſita per antitheſin bonà Eccleſiæ Chriſti, malis, quæ Idumææ, & reliquo orbi in fine mundi obventura prædicta ſunt præcedenti capite. 36. Vaticinium de Sennacherib confirmatum ipſamet hiſtoria de eodem. Rabſaces ergò à Sennacherib miſſus ad Ezechiam, eum hortatus, vt ſe dedat, tanquam non valens reſiſtere; neque illi fidendum in ope Ægyptiorum; hi enim baculus arundineus: neque ei fidendum in ope Dei; huius enim altaria iam everſa. Sed legati, nullo accepto reſponſo, remiſsi. 37. Ab Ezechia narratę Iſaiæ minæ, & blaſphemiæ Rabſacis. Eidem iuſſum ab Iſaia, bono eum eſſe animo, nec timendus Aſsyrius à Deo cædendus. A Sennacherib ituro contra Æthiopes iterum miſſæ minaces litteræ ad Ezechiam, vt ſe dedat, nec ei ſperandum, ſe Dei ope manus eius euaſurum. Ab Ezechia hæ litteræ in templo Deo oblatæ, rogatuſque Deus, vt ſuæ, & populi cauſæ ſuccurrat. Ezechias ab Iſaia rurſus nomine Dei liberatus metu, & blaſphemus Sennacherib increpatus, omniaque ei adverſa prædicta. Datum ſignum, ſcilicet annona ad tres annos. Ab Angelo, vna nocte, cæſa è caſtris Sennacherib 185. millia armatorum. Hic etiam fugiens occiſus à filijs. 38. Ægrotanti Ezechiæ ab Iſaia mors ex illo morbo denuntiata. Fletus Ezechię, & oratio ad Deum pro ſua ſalute. Deus exaudiens, eique adijciens ad vitam eius annos quindecim, inſuper libertatem ab Aſsyrijs pollicitus. Huius rei datum ſignum regreſſus vmbræ in horologio Achaz per decem lineas. Indè à rege læto decantatum Deo carmen Euchariſticum, illudque in tabulis publicis ex eius iuſſu exaratum, ac propoſitum. 39. Legati miſsi ad Ezechiam à Merodach rege Babylonis, congratulationis gratia, ſanitate miraculo recuperata. Oſtenſæ ijſdem ab Ezechia ſuæ omnes opes. Hinc Ezechias correptus ab Iſaia, eique dictum, omnes eius rapiendas à Babilonijs, & filios eius futuros regis eunuchos. Hoc durum Dei decretum æquanimiter acceptum ab Ezechia, à quo rogatus Deus, vt ſaltem in diebus ſuis fiat pax, & veritas. 40. Promiſſus Chriſtus, eiuſque prędurſor Ioannes Baptiſta, venturus vt vox clamantis in deſerto, vt nimirum agnoſcant homines, & ſuam infirmitatem, & Dei erga ſe indulgentiam, ac potentiam, itaque ſe ad eam recipiendam parent. Hinc Iſaias digreſſus ad deſcribendam Dei potentiam, magnitudinem, & ſapientiam, quæ vti omnia creavit, & gubernat, ita, & omnia, quæ promittit, præſtare poteſt. Invectus propterea in eos, qui pro Deo colunt idola muta, & inanimata. Iudæorum in afflictione de Dei ope, & providentia,

dentia diffidentia incuſata. Iis igitur ſperandum in Domino, ſe mutaturos fortitudinem, ac omnia ſuperaturos, & tranſvolaturos quaſi aquilas. 41. Prolata Divinitas veri Dei; ex potentia, & providentia, quam oſtendit ſervis, ſcilicet Abrahæ, & poſteris eius, dando eis tot victorias miraculoſas, deducendo eos per deſertum, protegendo eos, aliiſque beneficijs cumulando. Promittendo eis etiam in poſterum hanc eandem ſuam opem, & beneficentiam. Vndè tacitè eos hortatur, vt in ipſius fide, ſpe, & cultu perſiſtant. Diſceptatum à Deo cum idolis, ea non eſſe Deos, duobus argumentis convincente, certa nimirum futurorum prædictione ſibi propria, aliena autem ab idolis; & præterea infirmitate, & nullitate idolorum, quippè quæ ex ſe nec ſint, nec firma ſint, ſed à fabris ſint facta, & glutino firmata, ne diſſolvantur, & corruant, ac proinde nemini vel benè, vel malè facere poſsint. 42. Pollicitus Chriſtum futurum in fœdus populi, & in lucem gentium, cuius modeſtia, miſericordia, & æquitas deſcriptæ. Omnes gentes, quibus tanta ſalus parata eſt, ad Dei laudes invitatæ. Idola, & luci à ſe deſtruenda. Propoſita Iudæis recens clades, & excidium decem tribuum. Ideò ijdem moniti ad ſe à peccatis convertendos ad Deum, ne ſimilem Dei vindictam experiantur. 43. Iſraeli, ideſt Eccleſiæ promiſſum hoc nomen à Deo, ſcilicet meus es tu; eadem etiam deducenda illæſa per ignem, & aquam; eique gentes omnes, ex quatuor orbis plagis, ſubijciendæ. Iudæi verò, vtpotè cæci, & ſurdi, ejiciendi. Diſceptatum iterum à Deo cum gentibus, earumque idolis. Provocatæ eædem gentes à Deo ad proferendos teſtes, qui teſtentur, Deos illos ſimilia beneficia, & miracula præſtitiſſe ſuis cultoribus, atque ipſe ſe præſtitiſsè docet; huiuſque rei teſtes à ſe producti Iſraelitæ, qui ſe nuper à Sennacherib, olim à Pharaone Dei ope liberatos viderunt, ac mox ſimili modo è Babylone ſe liberari videbunt. Nova etiam divinitatis argumenta prolata, videlicet beneficia populo gentili à ſe conferenda, ſcilicet gratia, ſalus, & peccatorum remiſsio. Hæc enim ab Iſraelitis non ſuis meritis, aut victimis, ſed meræ ſuæ miſericordiæ, & Chriſti meritis aſcripta; indeque expectanda. 44. Felix ſtatus, & ſæculum aureum Evangelij. Idolorum vanitas oſtenſa ex fabris, qui miſeri ſunt homines, & ex materia, puta lignis igne combuſtis, & in cineres redactis. Hortatus fideles, vt idolis à ſe deſpectis, ſe verum Deum colant, vtpotè qui creator eorum, & redemptor eſt, quique Iudæos è Babylone per Cyrum, & Chriſtianos à peccato per Chriſtum vti promitit, educet. 45. Promiſſa à Deo, & prædicta Cyro opes, victoriæ, proſperi ſucceſſus, & everſio Monarchiæ Chaldæorum, ad liberandos per ipſum Iudæos Babylone. Indè ab Iſaia ſuſpiratum ad Chriſtum Cyri antitypum, ad liberandum totum mundum peccato oppreſſum, per adventum ipſius è cælo, tanquam Salvatoris, & Redemptoris. Iterum Propheta regreſſus ad Cyrum. Reſponſum ab eodem propheta murmurationibus contra Dei providentiam, ob ſuam ſortem in captivitate miſeram, & infelicem. Cyri verò, aliorumque felicem: luto non obſtrependum adverſus ſuum figulum, nec filio adverſus patrem, ſe generantem. Hinc factus tranſitus ad Chriſtum, promiſſumque, ſubdendas ei omnes gentes, etiam barbaras, quæ converſæ dicent ei, verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſalvator. Poſt hæc regreſſus ad diſceptationem cum idolis, ac tandem ijs expletis, ab eo iuratum ſe facturum, vt ſibi curvetur omne genu, omniſque ſe colat, & magnificet. 46. Idola Babyloniorum, ſuos cultores gravantia, cum ijſdem confringenda, & in captivitatem itura. Deus verò curaturus, portaturuſque ſuos quaſi vtero ad ſenectam. De more diſceptatum

tatum à Deo cum idolis, ac idololatris, eorumque inanitas, & inopia demonſtrata. Suum conſilium aſsignatum, promiſſuſque Cyrus, ideſt, Chriſtus cæler quaſi avis ad voluntatem ſuam in Babylonis vaſtatione, & Iudæorum ex ea liberatione adimplendam. 47. Babylon quaſi regina plena delicijs luxu, ac faſtu, latèque dominans ſolo deijcienda, atque ancillæ vilis, pauperis, & captivæ ſortem ſubitura: Huius rei cauſa manifeſtata, tria ſcilicet peccata, crudelitas in Iudæos, faſtus, & arrogantia, divinationes, & incantationes. Magi, & augures nihil ei propterea profuturi, ſed cum illa exurendi. 48. A ſolo Deo, non autem ab idolis, vel ab alijs prædicta Iudæorum ob peccata captivitas Babylonica, & liberatio ex eadem, quia Deus verus Deus, non autem idola. Ad ſui ergò agnitionem, & cultum revocati. Conſiliarius idem, Deus, & gubernator Iſraelis propria tamen culpa incidentis in hoſtium manus, aliaſque calamitates, eò quòd ſuis conſilijs non paruerit. Lætus è Babylone reditus deſcriptus, ad eumque captivi excitati. 49. Reddita à Chriſto ratione adventus ſui. Propterea vt gladius, & ſagitta electa Dei, ad configendum ſibi nationes orbis, etiam Sinas. Indè Sioni inductæ, ideſt Eccleſiæ in Iudæa incipienti, conquerenti de Iudæorum credentium paucitate, reſponſum à Deo, ſe pro eis ſurrogaturum omnes gentes, & parvulos. Ad ſignum crucis omnes nationes convolaturæ. Reges, & reginæ futuri nutritij, & nutrices Eccleſiæ. Hoſtes ipſi Eccleſiæ cibandi proprijs carnibus, & ſanguine, vt ſeipſos devorent. 50. Synagoga, hoc eſt Iudæi increduli à Deo repudiandi, ac reprobandi, tanquam Dei, & Chriſti deſertores. Eiuſdem Chriſti potentia, & ſapientia, & lingua erudita, & labores ad eos ſalvandos. Vndè etiamſi dicat, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, adiutus tamen ſemper à Deo, à quo omnia in gloriam converſa. Hortatus igitur exemplo ſuo fideles, vt in omni tribulatione in Deum ſperent, eumque invocent. A deſperantibus enim, ac incredulis, quales fuerunt Iudæi, ſuccendendus ſibi ignis, quo in æternum comburendi. 51. Exemplo Saræ, & Abrahæ promiſſa Sioni, id eſt Eccleſiæ Chriſtianæ ex Iudæis inchoatæ, copioſa proles, lætitia, & ſalus æterna. Indè reprehenſi timidi, monitique, ne timeant perſequutores. Ipſe enim Deus protector eorum omnipotens, ideòque per Chriſtum plantaturus novos Cælos, & novam terram. Conſolatus Ieruſalem vaſtatam, tùm à Chaldæis, tùm à Romanis, pollicitus ei reſtaurationem, & hoſtium cladem. 52. Promiſſa Iudæis libertas è captivitate Babylonica, tum quia ipſi populus eius erant, & indignè, ac iniquè tractabantur à Chaldæis, tùm ne nomen Dei, quaſi ſuos derelinquentis, blaſphemetur. Sub eadem libertate promiſſa toti mundo libertas à peccati, dæmoniſque iugo allata à Chriſto. Vndè tranſitu facto ad Apoſtolos per ea verba, quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis pacem, Chriſtus futurum brachium, & Salvatorem Dei, quod videbunt, quoque fruentur omnes gentes. Hinc iuſſum Apoſtolis, vt à Iudæa exeant, eantque prædicatum per omnes gentes, apud quas tàm glorioſum futurum nomen Chriſti, quàm fuit ipſe apud Iudæos, præſertim in Paſsione, & Cruce inglorius, ac indè eum ſibi gloriam in toto orbe comparaturum. 53. Chriſti cruciatus, livores, deſpectus, & probra æquè, ac conſtantia, patientia, manſuetudo, & charitas viva hypotypoſi ob oculos ſubiecta. Eorum cauſa peccata noſtra, à Chriſto in ſe, ex immenſo amore, & compaſſione, luenda, & expianda, ſuſcepta. Indè demonſtrata merces, & gloria ei à Patre repenſa, ſcilicèt omnium gentium, & hominum etiam impiorum, & potentium ſubiectio, atque in eos plenum Dominium, & Imperium, per

fidem; & gratiam in hac vita, per gloriam verò in futura. Quare titulus huius capitis posset esse, Passio Domini nostri secundum Isaiam. 54. Excitata Ecclesia primitiva pusilla ad laudem, & iubilum, eique anteà sterili promissa numerosa, & glorioſa proles, eò quòd Deus eius derelictæ, & repudiatæ miserebitur, eamque sibi rursus coniugio copulabit. Vndè novum, & perenne fœdus cum ea initum, etiam iuramento firmatum, quo promissæ ei à Deo opes solidæ, consolatio, splendor, & gloria; & ab eodem affirmatum se eam fundasse in saphiris, alijsque gemmis; omnesque eius filios futuros doctos à Domino, & plena pace fruituros. Ab eodem ea fundanda in iustitia, atque ab omni calumnia, & fraude, æquè, ac vi, & hoste, defendenda ab ipso. 55. Ad felicem sortem, ac bona filiorum Novi Testamenti singuli invitati, vt fidem Christi capessendo ijs fruantur, relictis vanis suis rebus, & spebus. Pollicitus eis fœdus novum, hortatus vt Christum ducem, & præceptorem sequantur. Hæ suæ pollicitationes firmæ futuræ, exemplo nivis, & imbris confirmatæ. Hinc explicata magnitudo lætitiæ, fælicitatis, & gloriæ futuræ fidelium. 56. Deus omnes hortatus, vt iustè vivendo comparent se ad salutem, & iustitiam à Christo afferendam. Nullus ab ipso etiamsi advena, & Eunuchus, si iustè vivat, à se, & salute sua repellendus. Quinimò Eunuchis custodientibus sabbatha eius, & eligentibus quę placita sunt ei, pollicitus, se daturum locum in domo sua, & nomen melius à filijs, & filiabus, idque sempiternum. Invitatus ab eodem Israel ad Christum, & Ecclesiam. Iudæis denunciatum excidium per Romanos, eò quòd pastores eorum fuerint canes muti, & ebriosi, impudentes, avari. 57. Reprehensi Iudæi præsentes, & futuri, qui iustos, præsertim Christum spreverunt, vexarunt, illuserunt. Reprehensa etiam eorum idololatria, quod iusano animi impetu, & studio ad idola passim fabricanda, & colenda raperentur, instar meretricis, quę ad amasios insanit. Indè ijsdem comminatus vindictam, & excidium Babylonicum. Pœnitentibus, & ad Deum redeuntibus historicè promissus reditus ex Babylone per Cyrum, atque sub hoc quasi typo promissa credentibus libertas à peccati, & diaboli servitute, simulque pax, & bonorum copia, nam impijs non est pax, dicit Dominus. 58. Præceptum prophetæ clamare voce tubali, ieiunium Iudæorum ingratum Deo, vtpotè mixtum, & contaminatum immisericordia, & iniustitia, scilicèt litibus, contentionibus, & pugnis. Ieiunium verum, ac Deo gratum, ieiunare ab iniquitate, cibare pauperes, nudos vestire, &c. Horum causa ieiunium institutum, facientibus, promissa iustitia, sanitas, illuminatio, & in eis ædificanda deserta sæculorum. 59. Iudæis conquestis nondum hostibus, & calamitatibus liberatis responsum, causam non esse Dei impotentiam, quòd non possit, vel surditatem, quòd nolit eos audire, & liberare, sed ipsorum met peccata multa, & gravia, quæ hoc flagellum exigunt, & Deo quasi invito extorquent. Quo circa multa illorum peccata enumerata, & exaggerata. Deus miserens sui populi omninò deserti, & afflicti armis accinctus, vt eum ab hostibus liberet, omnesque gentes videant eius gloriam, cum mittet Redemptorem Christum ijs, qui redeunt ab iniquitate, qui sanciet inter eos, & Deum, novum fœdus sempiternum. 60. Cum exultatione, & iubilo congratulatus propheta Ecclesiæ; & ab eadem mira eius felicitas, & gloria descripta tàm à prole, & propagatione per omnes gentes, quàm à regibus, principibus, populis ei ministraturis, quamvis anteà suis hostibus, ac suas opes in illam illaturis. Gentes, & regna illi servire abnuentia deperdenda. Indè celebrata dignitas Ecclesiæ militantis, ponam te in superbiam

sæ-

ſæculorum, &c. & gloria triumphantis, ijs verbis, non audietur vltra iniquitas in terra tua, occupabit ſalus muros tuos, &c. 61. Chriſtus teſtatus ſe vnctum Spiritu Sancto, ad conſolandos, & liberandos afflictos, & lugentes in Sion. Teſtatus etiam Apoſtolos, ſimileſque Sacerdotes Domini fortitudinem gentium poſſeſſuros, futuroſque ſemen, cui benedixit Dominus. Ipſius Sion, id eſt Eccleſia de hoc ſalutis à Chriſto acceptæ, & deſponſationis ſuæ beneficio gaudens, & gratulans iubilatio, Deoque gratiarum actio. 62. Sub typo Synagogæ Babylone liberatæ, & redeuntis in Ieruſalem, deſcripta redemptio, & ſalvatio Eccleſiæ. Precibus igitur à ſe non parcendum, donec eius ſalus, & Salvator Chriſtus adveniat, per quem ipſa fiet corona gloriæ, & diadema regni in manu Dei. Vocanda eadem à Domino nomine novo, id eſt voluntas mea in eo; a proindè futura plena pax, & gaviſurus ſuper eam Deus. Teſtatus Deus cum iuramento, quòd non tradet eam ampliùs hoſtibus diripiendam; & propterea ex eius iuſſu præparanda via venientibus ad eam, & ſignum elevandum. Erumpendum in has voces. Ecce ſalvator tuus venit, &c. 63. Chriſti victoris, & de gentibus ſibi ſubactis triumphantis viſa, & deſcripta ſpecies à Propheta. Vndè rogatus Chriſtus, cur rubrum veſtimentum eius, teſtatus, calcavi hoſtes, &c. Recordaturus igitur iugiter propheta miſericordiarum Domini, quas Iſraeli, hoc eſt fideli populo, olim per Moſen, alioſque contulit; mox queſtus, eumdem iam ob peccata derelictum. Precatus, vt zelum hunc, & miſerationes populi ſui reſumat, miſerere igitur filiorum tuorum, &c. 64. Quam felix, ſalutaris, & iucundus futurus Chriſti adventus. A Propheta deplorata reiectio Iudæorum nolentium recipere Chriſtum. Hic idem rogatus, & Ieroſolymæ deſertæ, & Iudæorum derelictorum miſereatur, nec in æternum eos abijciat. 65. Reſponſum Iſaiæ quærenti de Iudæorum reprobatione. Aſsignata cauſa non Deus, ſed ipſimet illi abnuentes, gentes verò eum quærentes præpoſitæ Iudæis. Pauci tamen ex Iudæis convertendi ad Chriſtum, ac ſpargendi per gentes ad has ſubijciendas Chriſto. Incredulorum infelicitas, & felicitas credentium deſcripta. 66. Adhuc vaticinatus propheta Iudæorum reprobationem, & Eccleſiæ gentium vocationem, propagationem, gloriam, & felicitatem. Ideò igitur reiectum Iudæorum templum cum victimis, vtpotè ipſum vocantem aſpernantium. Minatus eis confuſionem, & cladem. Partus, & proles numeroſa Eccleſiæ, cui pollicitus vbera conſolationis, pacem, delitias, & gloriam gentium. Deus in igne venturus, & turbine ad iudicandos, & interficiendos idololatras, & impios. Recapitulata dicta toto libro de miſsione Apoſtolorum ad gentes, vt ijs gloriam Dei, & Chriſti annuncient. Gentes ad Chriſtum, & Eccleſiam magno numero, & lætitia commodè, & facilè venturæ, ac ex eis aſſumendi Sacerdotes, & Levitæ, qui in æternum perſeverent. Ijſdem futurum perpetuum feſtum, & gaudium. Ac ab ijſdem etiam videnda cadavera impiorum, quorum vermis non morietur, & ignis non extinguetur.

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS TUM PROPHETIÆ, TUM Threnorum Ieremiæ, eorumque capitum.*

IEremias Hebraicè Ijrmiahu, id eſt, excelſus Domini, vel celſitudo Domini, Sacerdos fuit, Doctor, Propheta, & Apoſtolus, iam indè ab vtero matris ſanctificatus, & ad id munus conſecratus. Fuit filius Helciæ, oriundus ex Anathoth, quæ erat vrbs in tribu Beniamin, tribus milliaribus diſtans à Ieruſalem, eratque Sacerdotibus attributa, vt patet Ioſue 21. Anno

vitæ circiter 15. adhuc puer exiſtens, teſte S. Hieronymo, prophetare cæpit, immediatè à Deo miſſus ad prædicendum Iudæis, cæteriſque nationibus adventum Nabuchodonoſoris, excidium vrbis Ieroſolymę, & vicinarum provinciarum, ac regnorum. Scatet comminationibus, ac lamentis. Miſcet hinc indè læta promiſſa de reducendis è Chaldæa Iudæis, de redimendo mundo per Chriſtum, de Gentibus in Eccleſiam inducendis, de multiplici gratia, & felicitate Novi Teſtamenti. Quod idem argumentum pertractant etiam Iſaias, Ezechiel, & Abdias. Scripſit Hebraicè ſtylo vt ſimplici, & facili, ita maieſtate ſenſuum profundiſsimo, inquit S. Hieronymus in proœmio lib. 6. comment. in Ieremiam. Scriba eius Baruch fuit, qui & prophetias Ieremiæ, diverſis temporibus editas, in vnum hoc volumen collegit, neglecto tamen ordine temporum, vt legenti patebit. Prophetare cæpit anno 13. Ioſiæ regis, cum eſſet adhuc puer annorum 14. vel 15. cum Medis, teſte Euſebio, imperaret Phraortes, Romanis Aneus Martius, Ægyptijs Pſammerichus ſenior, Olympiade 36. anno mundi 3318. in hunc enim annum mundi incidit annus 13. Ioſiæ, qui fuit ante Chriſti Navitatem annus 632. Quare Ieremias prophetare cæpit poſt Iſaiam anno 165. ante Ezechielem, qui cæpit anno 5. tranſmigrationis Ioachim, Ezech. primo anno 34. ante Danielem, qui cæpit anno 5. ab exciſa Ieruſalem, anno 54. Prophetavit Ieremias ſub quinque regibus, ſcilicèt ſub Ioſia annos 19. ſub Ioachas filio Ioſię tres menſes; ſub IoaKim fratre Ioachas, & filio Ioſiæ annos 11. ſub Ioachim filio IoaKim tres menſes; ſub Sedechia fratre Ioachas, & filio Ioſiæ annis 11. vſque ad menſem quintum anni illius vndecimi, quo capta eſt à Chaldæis Ieruſalem, in qua, & Ieremias captus eſt, ſed liberaliter habitus à Nabuchodonoſor, quia eius victoriam contra Iudæos prædixerat, eiſque ſuaſerat, vt ei ſe dederent. Prophetavit igitur annis 41. in Iudæa, in qua per Chaldæos everſa remanſit, vt reliquijs populi eſſet ſolatio. Ex Iudęa, fugientibus Iudæis Chaldæos, contra iuſſum Domini, in Ægyptum abductus eſt ab eis Ieremias, ibique in Taphnis vrbe regia, vbi Moſes coram Pharaone fecit miracula, prophetavit per annos quatuor, ſcilicèt vſque ad annum quartum captivitatis, & excidij Ieruſalem, qui annus erat Nabuchodonoſoris 23. quo prædixit Ieremias Pharaonem, qui dictus eſt Ephree, vel Vaphre, regem Ægypti à Nabuchodonoſore vincendum, & occidendum, quod contigit anno ſequenti, teſte Ioſepho 10. Antiquit. 11. Quare vniverſim prophetavit Ieremias annis 45. cumque cæperit puer 15. circiter annorum, ſequitur eum occiſum eſſe ſexagenarium, anno mundi 3363. Cum igitur in Taphnis Ieremias ſuis Hebræis, & toti Ægypto cladem minaretur, quæ mox per Nabuchodonoſorem evenit, à ſuis concivibus lapidibus obrutus martyr occubuit. Virgo tota vita permanſit, omnis etiam læthalis culpæ expers. Et Eccleſiaſticus cap. 49. excidium Ieroſolymæ per Chaldæos magna ex parte attribuit crudelitati Iudæorum in Ieremiam exercitæ. Poſt mortem apparuit Iudæ Machabæo, gloria mirabilis, & magni decoris habitudine 2. Machab. 15. de quo ibidem S. Pontifex Onias, hic eſt, inquit, fratrum amator, & populi Iſrael; hic eſt qui multum orat pro populo, & vniverſa ſancta Civitate, Ieremias Propheta Dei.

Quod iam ſpectat ad Threnos eiuſdem Ieremiæ, hic liber Hebraicè vocatur Echah ideſt quomodo, quia ab hac voce incipit. Hebræi in commentarijs vocant eum Kinot, ſeptuaginta Thrijnous vndè Threni apud nos, ideſt lamentationes, & fletus, quibus Ieremias deplorat vaſtationem, & deſolationem Ieroſolymę, non ſub mortem Ioſię, neque per captivitatem Iechoniæ, ſed ſub Sedecia, & conſummatè

ſub

ſub Tito: ſolis enim poſterioribus caſibus, non verò prioribus, aptari poteſt, quod hic maximè inculcatur, captam, vaſtatam, deſolatam iacere vrbem. Porrò Threni maximè pathetica, & affectuoſa totius ſcripturæ pars ſunt, in quibus Propheta, vel magis Spiritus Sanctus per Prophetam, lamenta omnia conglobaſſe, & compaſsioni, planctui, ac lachrymis habenas omnes laxaſſe videtur. Cum quibus comparata Tragica Senecæ, vel alia profanorum auctorum, vix vmbræ ſunt, & ludi. Carmine Hebraico conſcripti ſunt, certo ferè numero, non pedum, vt fit apud Latinos, & Græcos, ſed ſyllabarum dimenſi; & initio carminum litteris Hebraicis ordine alphabeti prætextis, quos verſus Græci acroſticos vocant. Atque vt hoc ipſum in Latina, & Græca verſione ſignificetur, ideò litteræ Hebraicæ ſingulis verſibus integræ ad marginem deſcribuntur, quòd non fit in textu Hebræo, vbi ſinguli verſus incipiunt à dictionibus, quæ à ſingulis litteris ordine inchoantur. Oſtenditur iuxta Ieruſalem, & in eius chorographia depingitur ad meridiem vrbis, non longè ab Aceldema, fovea Ieremiæ, in qua ipſe aſpiciens Ieruſalem à Chaldæis vaſtatam, dolens, & flens, hoſce Threnos dictavit, & quidem anno 11. Sedeciæ, qui fuit 19. Nabucodonoſoris: illo enim anno ipſe cæpit, & vaſtavit Hieroſolymam. Sed iam tempus eſt, vt ad capitum Synopſim, primò prophetiæ, deindè Threnorum Ieremiæ, deveniamus.

Recenſentur primo capite. Proœmium veluti totius libri, quomodò à Deo ad munus prophetiæ deſtinatus Ieremias, & quaſi conſecratus ab vtero, ad attentionem ſibi conciliandam. Vocatus à Deo ad prophetandum, fruſtra ſeſe excuſans. Viſa à ſe virga vigilans, & olla ſuccenſa, tanquam portentum futuri excidij Iudææ per Chaldæos. Sed roboratus à Deo, vt fortior ſit regibus, & principibus omnibus. 2. Mira benevolentia, ac beneficentia ſua in gentem Iudaicam, quaſi in chariſsimam ſponſam à Deo per iuſtas quærelas, & continuum pathos deprædicata ex vna parte: ex altera fœda populi ingratitudo, idololatria, & aliâ ſcelera. Hinc hortatus eundem populum, ad citò reſipiſcendum, & priſtinam cum Deo amicitiam inſtaurandam; alioquin tradendus hoſtibus in rapinam, in direptionem, in excidium. 3. Synagoga idololatrans, ſub metaphora adulteræ repudiatæ, invitata ad pœnitentiam. Peccatum Iudæ gravius, quàm Iſrael. Pollicitus tamen Iudæis veniam, gratiam, & gloriam per Chriſtum. Iterum hortatus Iudæos, vt redeant ad Deum, pœnitentiæ formam illis præſcribens. Hanc amplexi Iudæi, duce Ioſia pio rege, quo regnante hæc Ieremias prophetavit. 4. Invitati Iudæi ad pœnitentiam, non fictam, & ſimulatam, ſed veram, & ſeriam. Hanc non facientibus comminatus excidium per Chaldæos. Horum terribilis adventus, & exercitus graphicè depictus, ſimul cum obſidione Ieroſolymæ, totiuſque Iudææ vaſtatione. 5. Adhuc inſectatus Iudæorum ſcelera, quòd inter eos ne vnus quidem vir inſtus; ſimul eorum obduratio, luxuria, & atheiſmus reprehenſa. Hinc illis comminatus excidium terribile per Chaldæos truces, & ſævos, graſſaturos atrociter in Iudæos, eorumque prædia, opes, & familias. Propterea eoſdem hortatus, ad timendum Deum, ob eius potentiam, & beneficentiam, averſam à ſeipſis ſuis dolis, & ſceleribus. Per epiphonema igitur exclamatum, & concluſum à Propheta, ſtupor, & mirabilia facta ſunt in terra, quia ſcilicèt Pſeudoprophetis, & Sacerdotes, & populus applauſerunt. 6. Propoſita Chaldæorum crudelitate, invitati Iudæi ad pœnitentiam; ſed fruſtra, quia ipſi proterui, à Deo reprobati. Hinc igitur primò Chaldæis quaſi claſicum decantatum, ad expugnationem Ieroſolymæ. 2. Eadem vocata vrbs viſitationis, id eſt punitionis. 3. Eadem

racemanda. 4. Direptio eis intentata ob avaritiam. 5. Eosdem hortatus, ad considerandas vias patrum antiquas. 6. Reiectæ eorum victimæ. 7. Chaldæorum ferocia descripta. 8. Iudæi inexpiabiles, & incorrigibiles, vocati argentum, & æs reprobum. In Ieremia tamen continua quasi declamatio contra peccatum, tanquam contra facem incendij, & vrbis, & templi, ac excidij gentium omnium. Vndè idem passim vociferatus, & ad ravim, nauseamque comminatus. 7. A Ieremia, ex iussu Dei, stante in porta templi increpata idololatria Iudæorum. Ab his nec ob templi sanctitatem, nec ob sacrificiorum frequentiam, excidium evadendum. Obtriti igitur vana confidentia dicentium, Templum Domini. Templum factum spelunca latronum. Quare illi comminatus excidium simile Silo. Vetatum à Deo Ieremiæ, ne pro eis oret, suæque iræ obsistat, eò quòd placentas offerant reginæ cæli. Reiectæ à Deo eorum victimæ. Ijdem occidendi in Tophet, eò quòd ibi filios cremarint idolo Moloch. 8. Adhuc vaticinatus vastationem Ierusalem, ob eius idololatriam, & scelera. A Chaldæis Iudæorum sepulchra evertenda, & ossa dispergenda. Mors magis, quàm vita ab hominibus propterea eligenda. Reprehensa eorum impœnitentia; Aves in vere ad suos nidos regressæ, Iudæi autem nequaquam ad Deum. Reprehensi etiam Prophetæ, & Sacerdotes dicentes, pax, pax. Pro uvis, & vino comminatus illis aquam fellis. Venturi Chaldæi ex Dan, ac sævi vt basiliscí futuri. 9. Insectatus adhuc dolos, & scelera Iudæorum, ac lamentatus excidium illis impendens, sicut Christus videns civitatem flevit super illam dicens, si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, Lucæ 19, Optatus ergo sibi à Ieremia fons lachrymarum, ad plangendam cladem Ierosolymæ. Indè reprehensi doli, & maledicentia Iudæorum. Ierosolymæ desolatio depicta. Cibandi Iudæi à Deo absinthio, & felle. Vocatæ lamentatrices, ad plangendum Ierusalem. Mors, idest Chaldæi, ingressa per fenestras. Moniti Iudæi ne glorientur, aut sperent in sua sapientia, viribus, opibus, aut in circuncisa carne, sed in Domino. 10. Vanitas idolorum, & pœna demonstrata. Hortatus igitur, ad non colenda signa cæli, & idola, eò quòd ipsa non sint aliud, quam dij manu facti. Colendus verus Deus, illis oppositus, à quo solo facta, & gubernata omnia, quæ in Cœlo, & in terra. Vastandi Iudæi idololatræ. Hinc rogatus Deus, ne in furore corripiat illos, quasi hostis, sed in misericordia, quasi pater. 11. Intentatum nomine Dei à Ieremia excidium suis civibus, necem, & Crucem sibi minantibus in Anathoth. Quare ab ipso refricatum pactum populi, cum Deo in Sina initum; eisque ob pacti violationem cladem comminatus. A Deo vetatum Ieremiæ, ne oret pro populo, quia ait, dilectus meus in domo mea fecit scelera multa, egoque eum quasi olivam pulchram plantavi, sed ille fecit se oleastrum. Ieremias vaticinatus in typo Christi, se quasi agnum ducendum ad victimam, mittendumque lignum in panem eius. Hinc implorata, & impetrata Dei vltio in suos, Christique persequutores. 12. Ieremias à suis Anathothitis tot mala, & necis insidias passus, admiratus se, & alios innocentes tot mala pati, cives verò suos, & alios impios bonis affluere. Sibi responsum à Deo, vt sit maiori animo, adhuc graviora passurus in Ierusalem, à se punienda dirisimè cum alijs gentibus. Minatus etiam hostibus Iudæorum excidium. 13. Per hieroglyphica lumbaris putrescentis, & lagunculæ inebriantis, captivitas, aliæque calamitates Iudeæ obventuræ descriptæ, ac depictæ. Rex, Regina, Principes, populares omnes ad resipiscendum invitati, ad ita prævertendum casum. Sed in pertinaces, ac obstinatos lata sententia extremi excidij. Nota

hæc

hæc accidiſſe non tempore obſidionis ſub Sedecia, ſed ſub IoaKim; nam non vni regi, ſed regibus, ſcilicèt IoaKim, Ioachin, Sedeciæ minatur excidium. Et ſub IoaKim, cum ipſe penderet tributum Chaldæis, facilè Ieremias in Babylonem ire, & redire poterat, non autem cum vrbs obſeſſa, & Chaldæi eſſent hoſtes. 14 Prædicta ſterilitas, & fames futura in Ieruſalem, vt Deus videatur eſſe quaſi colonus in Iudæa, & quaſi viator tranſiens, & abiens. Præcatus Deum pro populo, licet prohibitus à Deo, vt eius, ita vndique afflicti, miſereſcat. 15. Teſtatus Deus, ſe eſſe inexorabilem, etiamſi Moyſes, & Samuel orarent pro populo. Minatus ergò ei gladium, canes, volucres Cœli, beſtias terræ, certumque Ieroſolymæ excidium. Hinc lachrymatus Propheta, ſe quaſi virum rixæ, ſcelera arguentem, & excidij prænuncium, ſuis invitum. Sed a Deo roboratus, & communitus, vt ſit quaſi murus æneus. 16. Minatus Deus ſtragem extremam per Chaldæos, illam miris modis exaggerans. Ideo monitus à Deo Ieremias, de non ducenda vxore in Iudæa, & de non procreandis liberis. Morituri enim omnes patres, matres, filij in tanta copia, vt nemini futurum ſit ſepulchrum, aut iuſta funebria. Cauſa tanti mali ſolum peccatum. Iudæos tamen conſolatus, rædicens liberationem è captivitate per Eſdram, & maximè per Chriſtum, & per Apoſtolos, qui non ſolum Iudæos, ſed & gentes plurimas ab vltimis terræ finibus, Dei cognitione, & cultu imbuent. 17. Peccatum Iudæorum ſcriptum in aris idolorum, & in cordibus Iudæorum, eſſe indelebile, nec niſi excidio delendum. Hinc maledictus vocatus, confidens in homine, & benedictus confidens in Deo. Hoc ipſum illuſtratum eleganti ſimilitudine myricæ aridæ, & arboris irriguæ, atque perdicis ovis alienis incubantis. Recedentes igitur à Deo in terra ſcribendi. Præcatus Deus, vt ſe contra Iudæos tueatur, quia non ſum turbatus inquit, te paſtorem ſequens. Hortatus etiam ad obſervationem Sabbathi, & conſequenter ad omnem Dei cultum. 18. Teſtatus Deus, exemplo figuli vas diſſipatum refingentis, poſſe ſe Iudæos diſsipare, & in captivitatem diſpergere, ac poſt in priſtinum ſtatum reſtituere, ſi pœniteant; hinc Iudæis impœnitentibus minatus eis excidium per Ieremiam, ideò à Iudæis quæſitum, vt occidatur. At præcatus Deum Ieremias, vt illos puniat, ſeque liberet. 19. Laguncula fictilis, iuſſu Dei, contrita a Ieremia, ad ſignificandos Iudæos conterendos à Chaldæis, eoſque catervatim ſepeliendos in Topheth, innocentum ſanguine ab ipſis polluta, mactantibus eoſdem innocentes idolo Moloch. Quivis autem alius locus futurus anguſtus ad ſepulturam, præ occiſorum multitudine. Hæc hiſtoria, & Prophetia contigit, vel ſub IoaKim, vel ſub Sedecia: neutrum enim certum ſtatui poteſt 20. Ieremias à Phaſſur Principe Sacerdotum, ob excidium, quod Ieroſolymæ comminatus eſt, in carcerem coniectus. Sed idem ipſum excidium comminatus iterum, & confirmans eidem Principi, amicis eius, & omnibus Iudæis. Magno dolore cruciatus, ſed ob triſtes haſce prophetias tam eſſe exoſum Iudæis. Vndè conqueſtus, ſe à Deo ſeductum. Sed mox reſumens ſpem, & animos, maledictionem imprecatus diei nativitatis ſuæ. 21. Sedecias rex Iuda, in Ieruſalem à Chaldæis obſeſſus, præcatus Ieremiam, vt pro ſui, & vrbis liberatione Deum oret. Illi reſponſum à Ieremia, vrbem cum rege capiendam. Vndè ab eodem illis propoſita via vitæ, ſuadendo ſcilicèt, vt ſe dedant Chaldæo, vtque ritè pauperibus, & oppreſsis iuſtitiam adminiſtrent; alioquin incurſuri viam mortis, ſi videlicet Chaldæo reſiſtant. 22. Miſſus Propheta ad domum regiam, ibi monens IoaKim regem Iuda, reliquoſque Principes, vt iuſtitiam faciant pauperibus: alioquin cum regno evertendum

eſſe,

esse. Iustitia quasi basi regnum firmatum; sine iustitia everten lum. Mox omnium filiorum Iosiæ casus, & fata potius narrata, quàm prophetata. Sellus, seu Ioachaz moriturus in Ægypto. Ioachimus sepeliendus sepultura asini. Ioachin, seu Iechonias filius IoaKimi, na cum matre, captivus ducendus Babylonem, ibique moriturus. 23. Invectus in populi pastores, id est Principes, Sacerdotes, & Pseudoprophetas, sua incuria, impietate, malo exemplo, mendacibus promissis, instar luporum, populum perdentes. Vndè ijs amotis, pollicitus se missurum verum Pastorem Christum, eiusque Apostolos. Quare pro Pseudopastoribus suscitandum Davidi germen iustum, ac Rex sapiens, cuius nomen erit, Dominus iustus noster. Pseudoprophetarum mendacia, adulteria, & scelera reprehensa. Illis intentatus turbo iræ Dei, ignis, & malleus verborum suorum. Ijsdem rogantibus, quod est onus Domini, responsum, vos estis onus Domini ab eo exportandum in Babylonem. 24. Visi à Ieremia vel visione corporea, vel potius imaginaria, duo corbes, vnus ficuum optimarum, alter pessimarum, disparem denotantes fortunam Iechoniæ, & Sedeciæ Regum Iuda. Pessimis significatus Sedecias perdendus cum suis, eo quòd Chaldæis; Deo per Ieremiam id iubente, se tradere noluisset. Optimis denotatus Iechonias, seu Ioachin cum suis, qui se Chaldæo Dei iussu tradiderant, prosperè acturos, tùm in Babylone, vbi Evilmerodach elevavit Ioachin thronum regium supra alios reges, tùm cum indè post septuaginta annos in patriam revertentur. 25. Iudæi cum omnibus gentibus servituri Babylonijs per septuaginta annos, post quos Babylon evertenda. Vndè propinatus omnibus calix iræ Dei. Deus quasi leo rugiens in eos inductus. Hinc tanta futura pastorum, populique strages, vt nec mortui plangantur, nec mandentur sepulturæ. 26. Ieremias in templo prophetans eius excidium captus, & mortis reus actus, sed ab Ahicam, & alijs viris principibus neci subtractus. 27. Vinculorum, & catenarum gestatione, & ad vicinos reges transmissione portentum, & prædictum à Ieremia, gentes illas omnes subdendas servituti Chaldæorum. Vndè conatus suadere regi Edom, Moab, Tyri, Sidonis, & Sedeciæ regi Iuda, vt se dedant Nabuchodonosori, si se, & sua salva velint. Decretum enim à Deo omnes hasce regiones tradere potestati Chaldeorum. Non ergo credendum falsis prophetis, pacem, & prospera promittentibus; sed vasa reliqua in templo, domo regia, totaque vrbe, à Chaldæis Babylonem transferenda. 28. Hananias Pseudopropheta, detracto iugo, & catenis de collo Ieremiæ, conatus persuadere Iudæis, irritum futurum eius vaticinium de excidio templi, & vrbis. Sed iussum Ieremiæ à Deo, vt pro catenis ligneis ferreas faciat, quibus durius iugum Iudæis subeundum significet. Hananię mors ex Deo denuntiata à Ieremia, & Hananias eo ipso anno extinctus. 29. Morte sublato Hanania Pseudopropheta, à Rege Sedecia auris accommodata Ieremię, servatum fœdus cum Nabuchodonosore, eique per legatos tributum, & munera missa. Per eosdem etiam legatos à Ieremia datæ litteræ ad Iudæos, Babylone cum Iechonia captivos, monitos ijsdem litteris, ne quòd & ibi Pseudoprophetæ promittebant, persuaderi sibi sinant, se antè expletos 70. annos servitutis Chaldaicæ, libertati restituendos, & Pseudoprophetas Sedeciam, & Achab contrarium promittentes, igne frigendos à Nabuchodonosore: Semeiam tertium Pseudoprophetam rescribentem in Ierusalem, vt capiatur Ieremias, cum omni stirpe sua funditus excindendum. 30. Promissa è captivitate Babylonica liberatio per Cyrum. 31. Quasi sub typo liberationis Israelis ex Ægypto, Babilone, & Assyria, symbolicè descripta libertas, lætitia, bona

Novi Teſtamenti, & Eccleſiæ multiplicatio per multas terrenas metaphoras. Horum omnium bonorum fons, quòd fœmina circundabit virum. Pollicitus ſe novum fœdus cum Iſraelitis ſanciturum, ſcribendo legem ſuam non in tabulis, ſed in cordibus eorum, vt omnes cognoſcant Dominum. 32. Obſeſſa per Chaldæos Ieroſolyma, à Ieremia concluſo in carcere, iuſſu Dei, emptus ager patruelis ſui, ad faciendam civibus ſuis hoc facto ſpem reditus ad proprios agros poſsidendos, quos iam iam per trasmigrationem in Babylonem deſerturi erant. 33. Pollicitus adhuc reditum è captivitate in Iudæam per Zorobabelem, ac deindè per Chriſtum reditum ad ſalutem, & omne bonum. 34. Ieremias vaticinatus regi Sedeciæ, Ieroſolymam à Chaldæis obſeſſam, tradendam in manus eorum. A Sedecia hoc audiente, ad placandum Deum, populus excitatur, ad ſervandam Dei legem, ſervoſque, & ancillas libertate donandas, ex lege præſcribente id faciendum ſeptimo quoque anno, Exodi 21. Populus dictis Regis obſequutus, & ſtatim obſidio ſoluta, Chaldæis adverſus Ægyptios in auxilium Iudæorum accurrentes caſtra moventibus. A Iudæis metu iam liberis, & avaritia extimulatis, ſervi dimiſsi, iterum in ſervitutem retracti. Hinc à Ieremia reditus Chaldæorum prædictus, omniſque Iudæa ferro, & igne per eos exſcindenda. 35. Exemplo promptæ Rechabitarum obedientiæ reprehenſa inobedientia Iudæorum. Hinc his pœna, ſcilicèt captivitas, & excidium, illis verò præmium, nempè ampla poſteritas, divinumque patrocinium promiſſa. 36. A Ieremia dictata Baruch oracula ſua omnia, & minæ adverſus Iudæos prolatæ, ſimulque iuſſum in templo, coram omni populo, ab eo prælegenda. Liber à rege IoaKim combuſtus, & iuſſum Ieremiam, cum Baruch occidendum. A Ieremia fugiente conſcriptus mox ſecundus liber minacior, ac terribilior. 37. Ieremias Sedeciæ conſulenti, & roganti, vt pro ſe, & vrbe oret, vaticinatus, Nabuchodonoſorem, qui à Ieruſalem receſſerat, pugnaturus contra Pharaonem, reverſurum, & Ieruſalem combuſturum. Hinc, quaſi tranſfugere volens Ieremias ad Chaldæos, captus, & in locum tetrum coniectus; ſed deprecatus Sedeciam, ab eo commodiorem in cuſtodiam cum quotidiana annona tranſmiſſus. 38. Ieremias hortans omnem populum ad deditionem, è carcere in locum limoſum coniectus, ſed ab Abdemelech liberatus Æthiope, connivente Rege. Rogatus à Sedecia ſecretò, hortatus eundem, vt ſe dedat Chaldæo; rurſumque in atrium carceris ligatus manibus, pedibuſque coniectus, in eoque commoratus, vſque ad excidium vrbis. 39. Ieruſalem capta. Sedecias fugiens, & ex fuga retractus, intuitus coram ſe filios ſuos trucidatos, & ipſe excæcatus in Babylonem abductus. Nobiles Iudæi occiſi. Ieremias liberatus, & à Chaldæis benignè tractatus. Abdemelech incolumitas promiſſa, quòd in Deum ſperaſſet. 40. A Nabuzardan principe militiæ cibarijs, & munuſculis recreatus Ieremias. Huic optio data habitandi quocumque voluerit loco. Idem, Babyloni patriam præferens, cum reliquis Iudæis quietè commoratus in Iudæa ſub Godolia. Huic nunciatæ inſidiæ Iſmahelis; ſed ab illo nunciantibus fides non adhibita. 41. Ab Iſmahele dolosè occiſus Godolias; occiſi etiam eidem adhærentes Iudæi, & Chaldæi. Populus reliquus captivus abductus. Inſequutus eum Iohanam, à quo fugatus, & populus liberatus. Cum hoc, veritus ne Chaldæi necem Godoliæ vlciſcantur, meditatus fugam in Ægyptum. 42. Poſt occiſum Godoliam, Iohanam, alijſque principibus timentibus, ne Chaldei vlciſcantur necem Godoliæ, conſulentibus Deum per Ieremiam, an in Ægyptum fugere, an in Iudæa manere debeant, reſponſum à Ieremia, vt maneant in Iudæa,

& obediant Chaldæis; ita futuri salui; si enim fugiant in Ægyptum, ibi interituri Chaldæorum gladio, fame, & peste. 43. A Iudæis Deo, & Ieremiæ inobedientibus, Ieremiam mendacij arguentibus, contra fidem Deo datam, tanquam periuris fugientibus, secum Ieremias pertractus in Ægyptum. Hic in Taphis, Ægypti, vnàque Iudæorum excidium per Nabuchodonosorem, vaticinatus. 44. Eadem Ægypti, & Iudæorum, qui eò fugerant, per Chaldæos clades futura confirmata à Ieremia. Moniti ab eodem Iudæi, ne colant idola, & Deos Ægyptiorum. Sed viri, & mulieres ei, Deoque obstrepentes, testati se Reginam cæli in Ægypto, æquè ac in Iudæa culturos. Hinc à Ieremia iis omnibus, vti, & Pharaoni gladius, & fames intentata. Nota quòd hæc est vltima Ieremiæ prophetia, quæ extat. Sequentes cap. 45. & sequentibus ante hoc tempus editæ sunt, vt patet ex eorum titulis. 45. A Ieremia consolatione recreatus, & animatus ad constantiam Baruch scriba suus, afflictus ob iras, & minas IoacKim regis, promittendo ei incolumitatem in omni Iudæorum strage. Hæc contigerunt anno 4. IoaKim; & hoc caput subnectendum est capiti 36. 46. Vaticinatus instantem cladem Pharaonis Nechao percusi à Nabuchodonosore iuxtà vrbem Charcamis dictam. Vaticinatus vlterius, à Nabuchodonosore Ægyptum ipsam, & Ægyptios, quasi vitulos in sylva sua lascivientes invadendos, & subiugandos. Consolatus Ægyptios, & Iudæos, quòd tandem Deus eorum miserebitur, atque è captivitate reducet. 47. Palestinos omnes cum Tyrijs, & Sidonijs per Nabuchodonosorem vastandos vaticinatus, exclamans, ò mucro Domini, vsquequo non quiesces? 48. Vaticinatus excidium Moab, non per Sennacherib, sed per Nabuchodonosorem. Vndè Moabitæ instar vini ex vno dolio in aliud, id est ex Moab in Chaldæam transferendi. Ijdem comparati ebrijs, & vomentibus præ dolore, idque quia ipsi Iudæis cognatis suis non tulerunt opem, cum à Chaldæis impeterentur, imò eos superbè irrisserunt. Planctus Moabitarum descriptus. Videtur hoc caput subnectendum 27. 49. Vaticinatus excidium Ammononitis per Chaldæos, & Idumæis, & Damasco, & Cedar, & Ælam. 50. Vaticinatus Chaldæis excidium per Cyrum, & Darium, eo quòd superbè alias gentes oppressérint, præsertim Iudæos, quibus libertatem pollicetur. Vndè Darius, & Cyrus evocati, & immissi in Babylonem. Iudæis salus, Chaldæis vbique gladius intentatus. Persarum fortitudo, & ferocia descripta. Hæc prophetata à Ieremia anno 4. Sedeciæ. 51. Multis exaggeratum excidium Babylonis. Vndè exaggerata potentia Dei, robur Babylonis conterentis. Convocatæ contra eam multæ gentes. Causa, eius tyrannis in Iudæos. Moniti Iudæi, vt fugiant è Babylone. A Ieremia data hæc prophetia scripto Saraiæ eunti in Babylonem, vt eam ibi legat, & lectam in Euphratem proijciat, addens futurum, vt pari modo proijciatur Babylon, æterna scilicèt, & irreparabili ruina. 52. Historia cladis Ierusalem, mox Sedeciæ, & templi. Huius vasa à Chaldæis avecta. Principes cæsi, & populus abductus. Liberatio, & exaltatio Ioachim. Subijcienda nunc est Synopsis Threnorum.

Referuntur cap. primo. Deplorata desolatio Ierusalem, non prima sub Ioachim, sed extrema sub Sedecia, templo combusto. Per antithesin prioris status, & felicitatis, bona cum malis posterioris, puta excidij, & captivitatis, collata. 2. Altero alphabeto carminis lugubris deplorata tàm regni Iudaici, quàm vrbis Ierosolymæ, & templi eversio, ac incendium per Chaldæos. Refricatus præsertim eius splendor, & gloria; nunc autem idem splendor per excidium planè obscuratus, attritus, & extinctus. 3. Triplicato alphabeto lachrymatus Ieremias calamitates

tates ſuas, vincula, famem, verbera; quibus durante obſidione fuit à ſuis civibus afflictus. Simul etiam in ſeipſo repreſentatæ calamitates populi Iudaici à Chaldæis. Spes in Deum erecta ex vtilitate tribulationis. Hortatus ſuos cives, vt convertantur ad Deum, ſuas, & ſuorum civium ærumnas deplorans, imprecatus mala ſimilia ſuis inimicis. 4. Ploratus lapſus vrbis, & templi, ac totius populi, præſertim nobilium iuvenum, lactentium, Nazaræorum, mulierum coquerentium filios, ex ſtatu tàm felici in tàm miſerum, & infelicem, primò, & propriè per excidium Chaldæorum, deindè per excidium Romanorum. Obiter Ieremias, avolans ad Chriſtum, cladem minatus Idumæis, ac Iudæos ſpe melioris ſortis conſolatus. 5. Quaſi brevis iteratio, & ſumma Threnorum. Titulus, Oratio Ieremiæ non in Hebræo, ſed à ſeptuaginta, & noſtro Interprete; nam primò mala populo ob peccata à Deo illata, & in Threnis recenſita, refricata, & ſummatim enumerata. Deindè fuſæ preces pro miſericordia, vt Deus populum in priſtinum ſtatum reſtituat. Hæc oratio compoſita à Ieremia, poſt vaſtatam Ieruſalem, antequam iret in Ægyptum. Quamvis non compoſita ordine litterarum Hebraicarum, totidem tamen habet verſus, ſcilicèt 22.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ BARUCH, eiuſque capitum.*

BAruch Hebraicè benedictum ſignificat, qualis certè fuit hic vir è nobili Iudæorum ſtirpe, vtpotè filius Neriæ, filij Maaſiæ, & frater Saraiæ principis, vſque eò ſeſe demittens, vt ſcribam ſe faceret Ieremiæ, eiuſque aſſeclam, & omnium laborum, & afflictionum ſocium, cui ad mortem vſque adhæſit, etiam in Ægypto. Sed à morte illius receſſit in Babylonia, anno 5. ab exciſa Ieroſolyma, vt regem Iechoniam, alioſque Iudæos ibi captivos ſolaretur, ac roboraret. Ibi, librum hunc conſcripſit, haud dubiè Hebraicè, vel Chaldaicè, ſed Hebræum exemplar iam intercidit. Quamvis autem hic liber non inveniatur in Hebraicis codicibus, tamen citatur paſsim à Patribus, ſub nomine Ieremiæ. Scripſit ergo hoc proprium volumen quinque captibus comprehenſum, nam ſextum caput eſt epiſtola Ieremię. Prophetavit tempore Iechoniæ, vt ipſemet teſtatur initio ſui voluminis, id eſt anno mundi 3366. Seruit inſtructioni Iudæorum, quomodo tempore captivitatis gerere ſe debeant, vt veniam peccatorum, relaxationem pœnarum, & priſtinam felicitatem poſsint obtinere à Deo. Prædixit apertiſsimè Dei Incarnationem, & apparitionem in carne Humana. Synopſis capitum ſequens eſt.

Narrantur primo capite. Epiſtolâ Iudæorum in Babylone captivorum ad ſuos contribules in Ieruſalem, qua ſignificant, ſe lecto libro Baruch compunctos, petere, vt orent, & ſacrificent tàm pro ſe, qnàm pro Nabuchodonoſore, & Baltaſſare eius filio, ſimulque mittant eis librum ipſum à Baruch in Babylone conſcriptum, vt eum legant, & pariter cumpungantur. Incipit vero liber hic verſu 15. 2. Continuata confeſsio, quòd iuſtè Iudæi puniantur à Deo. Pro eis interceſſa, & orata venia, eo quòd ipſi ſint populus Dei, cui pœnitenti Deus eam promiſſit, & quia per hoc celebrabitur Dei nomen, & magnifica clementia, ac potentia. 3. Preces continuatę. Iudæi, & Gentes ob neglectum ſapientiæ in ruinam itæ. In ſapientia ſita immortalitas, ſalus, & beatitudo. Illa igitur petenda à Deo, Deuſque, ad eam homines docendos, Incarnatus. 4. Commendans adhuc hortatus ſuos ad ſapientiam. Hæc ſita in Dei lege, & cultu. Inducta Ieruſalem, quaſi mater lugens filiorum ſuorum captivitatem. Hos conſolatus ſpe liberationis; con-

ſolatus etiam Ieruſalem, prædicens excidium Babylonis; & Iudæorum libertatem. 5. Ieruſalem induenda veſte lætitiæ, ad eius iuſſum, ob lætum filiorum è Babylone reditum, Deo præeunte, ac rebus omnibus in via collætantibus. 6. Epiſtola Ieremiæ data Iudęis, per Nabuzardan collectis, in Babylonem iam iam ituris. Hac illos dehortatus, ne Chaldæorum idola ſequantur. Hæc enim trunci, & lapides ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia, & ineptitudine ad omnia. Quòd hæc epiſtola ſit Ieremiæ, patet ex 2. Machab. 2. vbi eius nomine citatur.

## SECTIO QUARTA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ EZEchielis, eiuſque capitum.*

EZechiel, id eſt robur, ſeu fortitudo Dei, ex nobili Sacerdotum ſtirpe, ſui ſæculi portentum, à Chaldæis Babylonem deportatus, filius Buzi, Sararites vnà cum Iechonia rege Iuda, prophetare cœpit in Chaldæa anno quinto deportationis eiuſdem, qui fuit annus mundi 3371. continuavitque vſque ad vigeſimum ſeptimum, id eſt per vigintiduos annos, quorum priores vndecim concurrerunt cum vndecim poſterioribus Ieremiæ prophetantis in Iudæa. Et verò idem eſt vtriuſque Prophetæ argumentum. In hoc ſolum varietas, quod quæ Ieremias clarè, & apertè Iudæis Ieroſolymæ, eadem Iudæis in Babylonia Ezechiel tectè per figuras, & ænigmata proponat. Hoc autem ideò feciſſe arbitror, quia nolebat ſua innoteſcere Babylonijs (ne anſam indè ſumerent irridendi, & vexandi Iudæos) ſed ſolis popularibus ſuis, quibus ipſemet omnia explicabat. Quare quæ Ieremias primis 27. capitibus, de excidio vrbis, & templi, & de captivitate Babylonica commemorat, eadem ijſdem ſubindè verbis Ezechiel primis 27. capitibus inculcat, maximè, vt enervet ficta vaticinia Hananiæ, Semeiæ, aliorumque Pſeudoprophetarum, qui Ieremiam falſitatis arguebant, pacem, & proſpera omnia Iudæis prædicentes. Et ſicut Ieremias à capite 46. ad 51. alijs nationibus, Ammon, Moab, Edom, Philiſthææ, Tyro, & Ægypto ſimile per Chaldæos excidium intentat, ita facit & Ezechiel à capite 25. vſque 34. Denique ſicut Ieremias à capite 30. vſque 34. & alibi ſparſim, ita Ezechiel 14. vltimis capitibus prædicit reditum, & liberationem Iudæorum à captivitate, Meſsiæ regnum, vocationem gentium, victoriam, & inſtaurationem Eccleſiæ Dei, & interitum hoſtium illius. Martyrem fuiſſe, à Iudæis, imò à Duce populi Iudaici occiſum, quòd eos idololatriæ argueret, docet Martyrologium Rom. die 10. Aprilis, & quidem Adrichomius vult, anno mundi 3386. cum equis diſtractum fuiſſe; Auctor verò operis imperfecti dicit, illum ſuper ſaxa raptatum, & excerebratum. Eumdem fert Epiphanius ſepultum in terra Aſſyriorum, in monimento Sem, & Arphaxad progenitorum Abrahæ, quod ad ſua vſque tempora dicit extitiſſe. Perperam igitur nonnulli, vt auctor eſt Clemens Alexandrinus, crediderunt Ezechielem fuiſſe Pythagoram Philoſophum. Capitum Synopſis ſequens eſto.

Narrantur primo capite. Obiecta phantaſiæ Ezechielis Primò turbo, nubes, & ignis, venientia ab Aquilone. 2. Ex igne prodeuntia animalia quatuor, ſingula cum quaternis faciebus, ſcilicèt hominis, & à dextris eius leonis, à ſiniſtris bovis, deſuper aquilæ, euntia inſtar fulguris. 3. Quatuor rotæ horrendæ altitudinis, plenæ oculis, pariter cum quatuor animalibus incedentes, vitę ſpiritum habentes. 4. Super eadem animalia firmamentum, inſtar cryſtalli horribilis, & in eo ſolium ex ſaphiro. 5. In ſolio ſedens homo, ſupernè ſimilis electro, & infernè totus igneus, & amictus iride. 2. Miſſus

Eze-

Ezechiel ad contumaces Iudæos, ac accipiens à Deo librum, in quo ſcriptæ ſunt lamentationes, carmen, & væ, vt per eorum comminationem, eos ad pœnitentiam, & ad Deum revocet, ac ita minas has ipſi evadant. 3. Ezechiel commeſtione libri, viſione gloriæ Dei, crebra iuſsione, & corroboratione Dei, factus quaſi adamas, excitatus, vt liberè prophetet Iudæis obſtinatis. Hinc ſpiritu Dei translatus ad Iudæos habitantes iuxtà Chobar, cum eiſque ſedens mærens ſeptem diebus. Indè ſpeculator à Deo conſtitutus, ac ſibi iuſſum ſub pœna mortis, mortem ex parte Dei denuntiare impijs. Rurſum videns gloriam Dei, ab eoque domi incluſus, & quaſi amens ligatus, factus elinguis, vt hæc ſua incluſione, & ſilentio repreſentet vrbis obſidionem. 4. Ad repreſentandum ad vivum tàm inſtantem obſidionem, quàm famem, ac preſſuram Ieruſalem, quæ poſteà anno ſexto contigit, hoc eſt anno 11. Sedeciæ, Primò ab Ezechiele ex præcepto Dei deſcripta in latere vrbs, & circa eam aggeres, & caſtra Chaldæorum eam obſidentium, ac ſartago ferrea, quaſi murus, poſita inter ſe, & civitatem. 2. Ab eodem cubatum ſuper latus ſiniſtrum 390. diebus, pro totidem annis iniquitatis Iſrael, & 40. diebus ſuper latus dextrum, pro totidem annis iniquitatis Iudæ. Cibus verò, & potus quotidianus eidem præſcriptus, panis ponderans viginti ſtateres, id eſt decem vncias, & aquæ ſexta pars hin, id eſt duo ſextarij Italici. 3. Ab eodem ſuus pannis coctus ſtercore hominum, ſed eiuſdem precibus impetratum à Deo, vt pro ſtercore hominum ſubſtituat ſtercus bovum. His omnibus indicata fames, ſordes, & anguſtiæ, quas paſſuri erant Iudæi obſeſsi à Chaldæis in Ieruſalem. 5. Præceptum à Deo datum Ezechieli, vt radat barbam, & caput, atque vnam partem pilorum comburat igni, alteram concidat gladio, tertiam diſpergat in ventum, vt per hoc portendat, tertiam partem civitatis Ieroſolymæ conſumendam peſte, & fame, tertiam gladio, & tertiam diſpergendam per orbem. 6. Deus minatus montibus, aris excelſis, idolis, & idololatris, ac toti terræ Iſrael, id eſt Iudæis, vaſtationem, & ſtragem. Idem pollicitus, ſe reliquias populi ſervaturum, quæ videntes tantam ſtragem, ad cor, & ad Deum redibunt. Iuſſum à Deo prophetæ, manu percutere femur, & pede plodere, terramque pulſare, vt ira ſua oſtendat iram, & vindictam Dei. 7. Prædictum à Deo Ezechieli, iam iam imminere vaſtationem vniverſæ terræ Iſrael. Ab eodem Ezechiele deſcripta Iudæorum infirmitas, pavor, & trepidatio. Opes eorum, & aurum avarè collectum, item templum, polluenda, futuraque prædæ impuris Chaldæis. Demum auditum ab eodem Ezechiele, fac concluſionem, qua ſcilicèt omnium ſtragem vna ſententia concludat. 8. Ab Ezechiele exiſtente in Babylone viſus Deus ſpecie illa viri, qua viſus cap. 1. Ab eodem Deo, eiuſque manu raptus Ezechiel in ſpiritu in Ieruſalem. Hic ab Ezechiele viſa idololatria, & abominationes quadruplices, quæ fiebant in templo, ſcilicèt idolum zeli, id eſt Baal, depicta idola in exedris, ac Sacerdotes eis thurificantes, mulieres plangentes Adonidem, & Sacerdotes obvertentes terga Sancto Sanctorum, adorantes Solem Orientem. Hinc Deus illis minatus ſuum furorem, ac vindictam. 9. A Deo iuſſum Angelo, vt Hieroſolymæ ſignet pios lugentes peccata populi ſigno Tau. Deindè ab eodem iuſſum ſex alijs Angelis, vt ſignatis parcat, reliquos omnes non ſignatos per Chaldæos occidant. 10. Iterum deſcriptus à Propheta Dei, currus Cherubim à ſe viſus in templo. Ad hæc à Deo iuſſum viro lineis induto, accipere prunas è medio currus ſui, eaſque ſpargere per Ieruſalem, vt hoc ſigno portendat vrbis incendium per Chaldæos. 11. Iudæis, qui contra Dei juſſum remanſerant in Ieruſalem, præ-

dictum ab Ezechiele excidium; ijs verò, qui Deo, & Ieremiæ obedientes tradiderant se Chaldæis, ductique erant in Babylonem, promissus ab eodem reditus in Ierusalem; atque idem propheta avolans ad Christianos, his pollicitus corcarneum, & spiritum novum. 12. Iussum Ezechieli à Deo, convasare sua, & transmigrare vespere velatis oculis, ad portendendam fugam Sedeciæ, & principum ex vrbe capta, eiusque comprehensionem, & excæcationem à Chaldæis insequentibus. Iussum etiam eidem comedere, & bibere in conturbatione, & mærore, ad representandum idem facturos cives, obsessa Ierusalem. Hæc autem non differenda diu, sed brevi reipsa esse complenda. 13. Minatus Ezechiel, iussu Dei, prophetis falsis, qui pacem, & prospera pollicebantur. Propterea instar parietis, luto absque paleis illiti, imbre, & grandine divinæ vindictæ prosternendi. Hoc idem intentatum ab Ezechiele mulieribus, puta Pseudoprophetisis, quæ consuebant puluillos sub omni cubito, & faciebant cervicalia sub omni capite: hæc enim cum ipsis sutricibus se dirupturum minatur. 14. Hypocritis, fictè verbum Dei à Propheta requirentibus, minatus idem propheta, tùm realem per plagas, & verbera, tùm fictam, & fallacem per Pseudoprophetas responsionem. Nec ijsdem parcendum à Deo, etiamsi Noe, Iob, & Daniel orarent pro Iudæis: pollicitus tamen propheta reliquias ex eis servandas. 15. Improbi, & incorrigibiles mores Iudæorum præ alijs gentibus ostensi à Deo per lignum vitis præcisum, quòd præ alijs lignis ad nihil, nisi vt comburatur, aptum est. Propterea ab eodem prædictum, se Ierusalem igne crematurum. 16. Sub specie adulteræ descriptus Ierosolymæ, id est synagogæ ortus, educatio, adulterium, id est idololatria, sorores scilicèt Sodoma, & Samaria; repudium, & rursus reconciliatio cum Deo meritò per Dei vocationem, & gratiam, & synagogæ pœnitentiam. Quare primo descripta à Propheta beneficia collata à Deo in synagogam, quòd nimirum, in Ægypto eam afflictam, nudam, & miseram collegerit, honestarit, vxorem duxerit, omnibusque ornamentis dotarit. 2. Ab eodem descripta eius adulteria, quòd scilicèt omnibus his ornamentis abusa sit, ad cultum idolorum, quodque lupanaria, id est aras, & idola passim, ad omne caput viæ erexerit, ibique Deos Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium coluerit. 3. Intentatæ illi pœnæ tùm lapidationis, quasi adulteræ, tùm gladij, quasi homicidæ, tùm ignis, quasi incendiariæ, eò quòd filios suos concremarit idolo Moloch. 4. Explicatum à propheta, quòd impietate vicerit sorores suas, scilicèt Sodomam, & Samariam. Demum Deus pollicitus, se eam cum sororibus è captivitate tùm Babylonica, tùm potiùs diabolica, per Christum reducturum. Datur ergo hoc capite vivus typus, & schema animæ peccatricis, & pœnitentis. 17. Sub typo duarum aquilarum pugnantium, quarum maior minorem debellat, descripti Nabuchodonosor, & Pharao, inter se pugnantes, ex quibus ille hunc debellat. Propterea prædictum ab Ezechiele Sedeciam cum Iuda, quam vineę comparat, innixum Pharaoni, ac contra Dei voluntatem Nabuchodonosori rebellantem, regno, oculis, & patria ab eodem Nabuchodonosore privandum; Ioachim verò, ex Dei voluntate eidem Nabuchonosori se tradentem, exaltandum. Primò ergo proposita ipsa parabola ab Ezechiele, deindè eadem applicata, & explicata eo modo, quo dictum est. 18. Filij non puniti pro delictis parentum, sed pro meritis cuique vel vita, vel nex reddita. Invitati etiam peccatores ad pœnitentiam. 19. Sub duplici metaphora, catulorum leonum scilicèt, & vineæ, descripta, & deplorata clades Hierosolymæ, & misera sors filiorum Iosiæ, scilicèt Ioachim,

Ioa-

Ioakim, & Sedecię Regum Iuda. 20. A Deo per Ezechielem, consulto à senioribus Iudæorum de eventu belli Iudaici, denegatum, se responsurum, sed exprobrata illis propria, & patrum peccata, assertumque, se, ijs relictis, piè colendum à veris Israelitis. Quo circa primò exaggerata beneficia à se in eos collata, tùm in Ægypto, tùm in deserto, tùm in Chanaam, ostensumque, se omnibus hisce locis beneficijs certasse cum ipsorum impietate, & ingratitudine. 2. Graves eis pœnæ intentatę. 3. Prædictum, se impijs, & idololatris Iudæis relictis, facturum, vt à pijs Israelitis collatur in Sion, tùm eò redeuntibus ex Babylone sub Esdra, tùm potius in Sion nova, id est Ecclesia erigenda per Christum. Denique nova parabola ignis, & flammę, Iudæis excidium intentatum extremum. 21. Parabola flammæ grassantis in sylvam, in fine capitis prędcedentis propositа, hic explicata. Deindè prædictum à Nabuchodonosore sagittas in bivio commiscente, capiendum ex ijs omen, an Ierusalem, an Ammonitas invadere debeat, omnemque casurum in Ierusalem, & contra eam porrecturum regem. Denique eadem vastatio Ammonitis, atque Chaldæis per Cyrum, & Persas intentata. 22. Enumerata crimina Ierusalem, scilicèt impietas, incestus, adulteria, cædes, vsuræ, &c. Iudæi propterea per hæc quasi versi in scoriam, ideòque igne conflandi, & expurgandi. Horum omnium causa in Principes coniecta, & prophetas falsos: ab ijs enim tanquam lupis, ab his tanquam leonibus, prædam inhiantibus, omne ius, & fas violatum. 23. Sub parabola duarum meretricum, scilicèt Oollæ, & Oolibæ, descripta fornicatio, id est idololatria tàm decem, quàm duarum tribuum, scilicèt tàm Samariæ, quàm Ierusalem. Hæc tamen scelere præstantior, quàm Samaria. Propterea vtrique pœna adulterarum, ac homicidarum intentata, lapidatio scilicèt, incendium, gladius, & excidium. 24. Sub parabola ollæ carnium igne excoctæ, percoctæ, & liquefactæ, significata, tùm consumptio carnium, id est civium Ierosolymæ à Chaldæis obsessæ, tùm olla, id est ipsa Ierusalem destruenda, & comburenda. Mortua deindè vxore Ezechielis, huic imperatum à Deo, ne eam plangat, ad portendendum excidium vrbis, in quo quasi in communi omnium clade, & comploratione, nemo fratrem, patrem, aut vxorem planctu-rus. Hinc statutus à Deo Ezechiel in portentum Iudæis. 25. Post intentata tot mala præcedentibus capitibus à propheta Iudæis, hoc capite, & sequentibus vsque ad 40. intentata etiam eadem mala ab eodem propheta alijs gentibus. Hoc igitur capite minatus Ezechiel vastationem hostibus Iudæorum, puta Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Philisthæis, eò quòd de Ierusalem vastatione exultaverint, eique insultaverint, vel odio gentis, vel Dei, quasi Deus Hebræorum se, suos, & templum defendere non potuisset; quodque Chaldæos in expugnatione Ierusalem adiuverint. 26. Clades Tyri invidentis, ac æmulæ gloriæ Ierusalem graphicè descripta. Insulæ, principes, ac naves in Tyri eversione vsque ad stuporem futuræ. 27. Tyri naves, opes, merces, superbia, adeòque eiusdem excidium quasi naufragium descripta. Primò igitur eius merces, & gentes Tyrum ad mercatum venientes recensitæ. Deindè horum omnium ruina, & rapina pronunciata; ideòque Tyrus futura materia lamenti omnibus gentibus. 28. Reprehensa arrogantia regis Tyri, quòd hominem se esse oblitus, Deus esse voluerit. Indè assumptum super eum lamentum ijs verbis, tu signaculum similitudinis, &c. Sidoni idem excidium intentatum. Denique ex adverso promissus Israeli reditus è captivitate, & felicitas propter patriæ inhabitationem. 29. Ægyptus, quæ Iudæis Deo, & Nabuchodonosori rebellandi fuit instigatrix, & opitulatrix,

trix, Nabuchodonosori à Deo tradenda pro mercede, qua in Tyro expugnanda, & punienda pro Deo laboravit Nabuchodonosor. Ægypti igitur excidium per Chaldæos prædictum. De hoc autem excidio duæ recensitæ visiones, quarum vnam habuit Ezechiel anno decimo Sedeciæ, alteram post 17. annos, hoc est anno 27. transmigrationis Iechoniæ. 30. Adhuc vaticinatus eladem Ægypti, & Æthiopiæ illi vicinæ. De his etiam fusè vaticinati Isaias cap. 30. & 31. & Ieremias cap. 24. 43. 44. & 46. 31. Sub parabola cedri, Assyrij, id est Ægyptij regis gloria, superbia, casus, & clades descripta. 32. Pharaonis gloria, ac ruina, & clades prædicta, eaque per lugubre carmen deplorata æquè, ac descripta. Ergo primò prędictum à Propheta, tantam futuram Ægyptiorum stragem, vt omnes aves, & feræ accurrant ad eos devorandos, vtque Sol, Luna, & Stellæ obscurari videantur. Deindè ab eodem instaurante planctum, & carmen lugubre dictum, eosdem descensuros in imum inferni, vbi sepulti sunt Assyrij, Persæ, Idumæi, alijque Tyranni, quorum descensus, & sepultura fusè, & prophetice descripta. 33. Officium speculatorum, id est Prophetarum, & prædicatorum quale; præmonere scilicèt populum de instante clade. Invitati ad pœnitentiam ab eodem propheta docente, & promittente, quòd impius, si se convertat, vivet, instus si à iustitia deficiat, morietur, idque esse æquum, & iustum. Ab eodem Ezechiele existente in Babylone edictum, Ierusalem à Chaldæis iam esse captam, & vastatam; quod, postridie nuncius ex Iudæa veniens, verum esse confirmat. Indè ab ipso propheta Iudæis in Iudæa reliquis superbientibus, quasi ipsi soli Iudæam essent possessuri, clades intentata. Ab eodem ijs, qui oracula Prophetæ, quasi carmen musicum audiebant, & irridebant, strages ijsdem comminata certò obventura denunciata. 34. Pastores non gregem, sed seipsos pascentes reprehensi, puniti, & officio privati. A Deo visitandus grex suus, ac verus pastor mittendus promissus. Christus scilicèt, qui dissipatum gregem colligat, pascat, & salvet. 35, Prædictum excidium Idumæorum, eò quòd Iudæos semper divexarint, & nominatim, quòd exultarint in Ierosolymæ excidio, eiusque cives à Chaldæis afflictos magis afflixerint, ac terram eorum invaserint. 36. Pollicitus Deus, se Israel è Babylone reducturum, & restauraturum, ac eius antypo per Christum à captivitate peccati, ac Diaboli eum redempturum, atque daturum ei spiritum novum, & vitam novam, Sanctam, & Divinam per Baptismum. Vbi adverte, à Propheta more suo res sui populi, scilicèt captivitatem, & liberationem pertractari, sed sub his potiùs spectari, aciemque mentis defigi in Christum, quasi prophetiæ suę scopum, vndè clarè, & disertè ad eum assurgit. 37. Sub typo ossium aridorum revivisentium significata captivorum in Babylone liberatio: & sub eodem rursum symbolicè ad litteram significata peccatorum à morte animæ suscitatio, & reductio ad Ecclesiam per Christum, primò quidem obscurè, & tacitè, sed deindè clarè, & expressè, scilicèt à versu 15. 38. Gog, scilicèt Antichristi, arma, copiæ, gentes auxiliares, vis, ac impetus, qua Ecclesiam, ac nominatim Ierosolymam tunc fidelem, & Christianam invadet descripta. Deindè eiusdem Gog stragis explicata, quòd scilicèt mutuis cædibus, peste, igne, lapidibus, & fulmine de cælo in eius copias misso, interibunt omnes. 39. Adhuc atrocitas cladis Gog descripta. Huius ergo exercitus cædendus in montibus Israel tanta strage, vt Iudæi per septem annos eius hastas, & arma comburant, ab eaque vocetur vallis multitudinis Gog, & civitas vicina Amona, id est turba, sive multitudo. Hinc omnes gentes, & feræ invitatæ ad epulum tot cadaverum,

rum, quasi ad victimam suam sanctam. Demum, cæso Gog, & Antichristo, Iudæos ad Christum convertendos vaticinatus. 40. Ab Ezechiele, spiritu rapto in templum Hierosolymitanum, visus, ac descriptus Angelus definiens mensuras atriorum eiusdem templi, nimirum mensuras longitudinis, & altitudinis portarum, thalamorum, fenestrarum, vestibulorum, cubiculorum, graduum, & totius denique ædificij. Primò ergo descriptus Angelus dimetiens portam orientalem, & cæteras exteriores atrij laicorum. Indè atrium laicorum ingressus, illud ipsum cum suis porticibus, thalamis, portis, & vestibulis à porta in portam per partes sigillatim mensurans. Tertiò ingressus atrium Sacerdotum, illud pari modo dimetiens. Denique descriptæ mensæ, in quibus mactantur victimæ, ac cubicula tàm laicorum, quàm Sacerdotum. Adverte ab hoc capite 40. vsque ad finem libri per novem capita visam ab Ezechiele ideam templi, & vrbis, in eoque ordinem, & officia Levitarum, titus, & victimas à Deo præscribi, terramque Israel per tribus dividi. 41. Visus Angelus, ac descriptus dimetiens templum, puta sanctum, & sanctum sanctorum, thalamos, id est cubicula templo adhærentia, eorumque cochleam, plateam, oratorium, ethecas, limina, & fenestras. Denique à Propheta explicatum, templo insculptos fuisse Cherubim, & palmas, ac altare incensi, & templi ostia descripta. 42. Atriorum templi mensuræ sigillatim descriptæ, ac explicatæ. Extimus omnium ambitus quingentis calamis in quolibet latere, id est vniversim bis mille calamis, hoc est duodecim mille cubitis circunscriptus. 43. Glorioſa Maiestas Domini, capite 9. 10. & 18. visa è templo egredi, cum illud à Chaldæis evertendum erat, nunc, cum illud à Zorobabele reædificandum est, illuc reversa. Iussum à Domino Ezechieli, vt ideam templi, eiusque ritus, & præcepta Iudæis ostendat, vt ipsi eam custodiant: quòd si fecerint, pollicitus Dominus, se in eo cum ipsis iugiter habitaturus. Inde descriptum altare holocaustorum, & ritus sacrificandi. 44. Descripta porta Orientalis clausa, sancitumque, vt in ea solus sedeat Princeps, eò quòd Dominus ingressus sit portam. Sancitum deindè, vt incircuncisi carne, & corde arceantur à Sanctuario. 3. Levitę, qui ministrarunt idolis remoti à templi ministerio, ijsque surrogati Levitæ filij Sadoch, & Sacerdotes, qui nunquam idolis, sed semper Deo vero servierunt. 4. Sanciti eorundem ritus, & vestes; scilicèt vt in templo vtantur vestibus lineis; vt caput non radant, neque comam nutriant, sed tondeant, vt Sacerdotes ministrantes in templo vinum non bibant; vt vxorem ducant virginem, vel viduam Sacerdotis; vt populum doceant, quid sanctum sit, quid pollutum; vt ad mortuum non ingrediantur. Demum in mercedem, & præmium eius pollicitus Deus, quòd ipse eis erit hæreditas, dando eis suas victimas, primitias, & oblationes, vti in Levitico sanxerat, cuius præcepta, obliterata in captivitate, hic iterat, & in memoriam revocat. 45. Vrbis divisio, ac dimensio descripta. Prima pars vrbis deputata Sacerdotibus; & templo. 2. Levitis. 3. Civitati, & civibus. 4. Principi. Sancitæ etiam leges iustitiæ, præsertim, vt iusta sint ponderа. Sancitæ præterea leges religionis de primitijs, & victimis, & nominatim de sacrificijs primo mense, & in Paschate, & in festo Scenopegiæ offerendis. 46. Præscripta sacrificia Principi. Leges latæ de donis, & legatis Principis. Demum præscriptus locus, & culinæ victimarum. 47. Visæ à Propheta aquæ ex templo manantes. Deindè divisa terra inter duodecim tribus. 48. Post descriptionem, & divisionem terræ sanctæ ad quatuor mundi plagas, nunc eadem inter duodecim tribus distributa; data cuique sua pars, & sors, iuxtà distributionem olim

factam à Moyſe, & Ioſue. Primò ergo ſeptem tribubus, ſcilicèt Dan, Aſer, Nephthali, Manaſſe, Ruben, Ephraim, & Iuda, verſus ſeptentrionem aſsignata ſua cuique ſors. Deindè Sacerdotibus, Levitis, Civitati, & Principi ſuà, in medio duodecim tribuum, pars attributa. Tertiò quinque reliquis tribubus, ſcilicèt Beniamin, Simeon, Iſſachar, Zabulon, Gad, portiones ſingulæ verſus meridiem datæ.

## SECTIO QUINTA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ DANIELIS, eiuſque capitum.*

DAniel, quæ vox apud Hebræos à Domino iudicatum, ſeu iudicium Dei deſignat, propheta fuit ſapientiſsimus, ex ſemine regum Iuda, natuſque eſt anno circiter 15. Ioſiæ. Adhuc puer ſeu adoleſcens 20. annorum, captivus à Nabuchodonoſore, ductus eſt Babylonem vnà cum rege, & cognato ſuo IoaKim, anno tertio regni eiuſdem. Nomen vnà cum conditione in captivitate Danieli mutatum eſt, ſivè à Rege Nabuchodonoſore, ſivè ab Aſphenez Eunuchorum Principe, dictuſque eſt Balthaſſar. Fuit vir omnium hominum ſui ſæculi, tùm Sanctiſsimus, vt apparet ex Ezechiele 14. vbi comparatur cum Noè, & Iob, nec tamen exceſſerat annum vitæ 34. tùm etiam ſapientiſsimus, vt ex Ezechielis 28. colligitur, vbi regi Tyrio, qui ſe ſapientiſsimum reputabat, per Sarcaſmum obijcitur, ecce ſapientior es tu Daniele, iam tum nonniſi 38. annos nato. Propterea fuit gratiſsimus Regibus, etiam Idololatris, & ab eis magnis honoribus cultus. Anno ætatis 57. Monarchiæ Nabuchodonoſoris ſecundo, qui fuit annus mundi 3398. cæpit prophetare, & interpretatus eſt eidem ſomnium, tàm quod capit. 2. quàm quod 4. deſcribuntur. Anno 66. viſionem habuit, quæ cap. 7. Anno 68. quæ cap. 8. Eodem anno 68. cædem Balthaſſaris prædixit, quæ cap. 5. narratur. Sequenti anno tempus adventus, & mortis Meſsiæ, 70. illis hebdomadis cap. 9. comprehenſum, divinitùs cognovit. Biennio poſt, nempe 3. anno Monarchiæ Cyri, revelata ſunt ei, quæ cap. 10. & 11. de excidio vrbis Ieroſolymæ, & orbis totius, de Antichriſto, de extremo iudicio prædixit. Quo eodem anno, ſi mortuus eſt Daniel (quia ſcriptura deinceps non meminit illius) vixerit vniverſum annis 71. & prophetarit annis 47. Populo Iudaico prophetiæ librum emiſsit, & ſcopus Danielis eſt, Regnum Chriſti deſcribere, quod incipit facere cap. 7. & proſequitur capitibus 9. 10. & 12. Nam hiſtoriæ Regum Babylonis, Medorum, & Perſarum, quæ primis ſex capitibus præponuntur, & reliqua, quæ capitibus 7. 8. & 11. de quatuor Monarchiarum viciſsitudine narrantur, eò pertinent, vt intelligamus, omnia alia regna, & imperia aliquando peritura, ſolum Chriſti regnum æternum futurum. Conſcriptus eſt hic liber à Daniele à verſu 4. capitis 2. vſque ad finem capitis 7. primùm Chaldaicè, vtpotè de rebus in Chaldæa geſtis, cætera Hebraicè, ex quo idiomate omnia in Græcum traslata ſunt à ſeptuaginta Interpretibus, ab Aquila, & Theodotione, etiam quatuor illæ particulæ, quæ, iam indè à temporibus Hieronymi, ex Hebræo exciderunt, nempè oratio Azariæ, hymnus trium puerorum, hiſtoria Suſannæ, Beli, & draconis. Hieronymus putat, Danielem fuiſſe Spadonem, Epiphanius non re quidem vera Spadonem, ſed ea caſtitate, ac modeſtia, vt Spado à Chaldæis eſſe putaretur. Res veriſimilitudine non caret; nam eius cura Eunuchorum Principi data eſt. Laurea martyrij Danieli non eſt deneganda, quippè qui, ob eximiam pietatem, & zelum honoris Dei, bis miſſus eſt in lacum Leonum, etſi miraculo illæſus indè evaſerit. Virginitatem illibatam ad mortem vſque conſervaſſe tàm Danielem,

lem, quàm tres pueros, omnes Patres consentiunt, & hoc nomine hos ab igne Babylonico, illum à dentibus Leonum, intactos mansisse, affirmat Damascenus. Synopsim iam subdamus capitum, quæ sunt 14.

Referuntur primo capite. Daniel puer cum tribus socijs in Babylonem abductus, ibique educatus, & eruditus, vt regi adstet. Idem Daniel abstinens regio cibo, & potu, indè corporis formam præstantiorem, sapientiam, & prophetiam à Deo nactus, & apud reges Babylonios, vsque ad Cyrum, in maxima vivens gratia, & gloria. 2. Visa à Nabuchodonosore in somnio statua portendens quatuor imperia mundi, & à lapide de monte abscisso, id est à Christo, contrita. Huius somnij enarratio, ac explicatio soli reservata Danieli. Hic propterea à Rege, & Chaldæis honoratus, totique Babyloniæ præfectus. 3. Erecta statua à Nabuchodonosore in eadem adorando. Adorationem illi denegantes tres pueri Sidrach, Misach, & Abdenago, iussu regis in fornacem ardentem missi, sed, orantes ibi Deum, illæsi per Angelum illuc missum, grati eidem Deo canentes canticum. Hinc hoc miraculum à Rege celebratum, & commendata Dei potentia, ac providentia in suos. 4. Epistola Nabuchodonosoris alterum somnium enarrantis de procera arbore ab Angelo succisa. Eiusdem somnij interpretatio facta à Daniele, de Nabuchodonosore è regno expellendo, & in bestiam commutando. Nabuchonosor reipsa, quasi bestia, regno expulsus, sed post septem annos sibi, & regno restitutus. Deus ab eodem agnitus, & glorificatus. 5. Balthasar, seu Evilmerodach Nabuchodonosoris magni filius, & successor temulentus, & sacra templi vasa profanans, perterritus, visa manu scribente in pariete. Vocatus Daniel, & scripturam legens, Mane, Thecel, Phares, interpretatus, per eam exitium portendi regi. Occisus eadem nocte Balthasar, eique successor Darius. 6. Satrapæ, invidentes Danieli summam regni præfecturam, captioso regis edicto dolos ei machinati, & vt in lacum Leonum mittatur, extorquentes. Verum, Daniele inter Leones illæso manente, accusatores Danielis à Rege in eundem lacum coniecti, sanctumque, vt omnes paveant Deum Danielis. 7. Visæ à Daniele anno primo Balthasaris quatuor bestiæ, significantes quatuor Monarchias, & regnum Antichristi. Visus ab eodem Deus Pater quasi senex, iudicans de Antichristo, & de Christo, & causam, ac regnum Christo adiudicans. Regnum Antichristi descriptum. Descriptum etiam regnum Christi, & Sanctorum, omnibus alijs successurum, glorioſum, & æternum. 8. Anno tertio Balthasaris visa à Daniele futura in secunda, ac tertia Monarchia. Quare descriptus hircus cum ariete, idest Alexander cum Dario, & Græci cum Persis de imperio decertantes. Descriptum etiam vnum cornu hirci, id est vnus de successoribus Alexandri, hoc est Antiochus Epiphanes, eiusque potentia & impietas in Iudæos. Gabriel visionem Danielis interpretatus. 9. Ad Danielem, præcantem pro liberatione Iudæorum è captivitate Babylonica, missus Gabriel, significans non solum solvendam captivitatem Iudæorum, sed & totius generis humani per Christum, post 70. hebdomades annorum. 10. A Daniele lugente, & ieiunante, ob interruptam templi fabricam visus Angelus mirificè fulgidus, eidem significans, exauditas preces suas, pugnamque Angeli Iudæorum cum Angelo Persarum, & Græcorum. 11. Prædicta Danieli ab Angelo bella posterorum Alexandri Magni, puta Seleucidarum regum Asiæ, & Ptolomæorum regum Ægypti; & in particulari prædicta crudelitas, ac tyrannis Antiochi Epiphanis, in quo descriptus Antichristus, eiusque tyrannis. 12. Prænunciatus à Daniele Angelus Michael, fideles adiuturus contra Antichris-

christum, spiritu oris Christi extinguendum. Mox subsequenda resurrectio vniversalis piorum, ac impiorum, & gloria doctorum. Monarchia Antichristi, eiusque horrenda persequutio, duratura tres annos cum dimidio, sive dies 1290. 13. Susanna casta, falsò adulterij à duobus senibus accusata. Adverte hanc primam fuisse Danielis prophetiam, per quam cæpit populo innotescere, vt dicitur versu 64. Vndè reliquis Danielis gestis præponenda est, saltem post primum caput. Imò in Græcis codicibus, & apud S. Athanasium, & in Arabica versione, hæc historia caput primum est Danielis. Quòd autem à S. Hieronymo in Latinis reiecta sit in vltimum locum, vnà cum historia Belis, & draconis, ideò factum, quòd illas historias in Hebræo tunc non repererit, sed ex Græcis exemplaribus, non septuaginta Interpretum, fortè nimis hic corruptis, sed Theodotionis, in Latinum transtulerit. 14. A Daniele singulari industria detecto Balthasari regi Babylonico impostura Sacerdotum Belis. Quare Sacerdotes occisi, ac idolum Belis destructum. Draco quoque, alter Babyloniorum Deus, à Daniele occisus. Sed ob hanc causam Daniel in lacum leonum missus, ibique ab Habacuc cibatus, & septimo die è lacu incolumis eductus.

## SECTIO SEXTA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ OSEE, eiusque capitum.*

OSee, idest salva, non solis oraculis, gestis, & vitæ sanctitate, sed & nomine suo Christum præfigurat. Fuit filius Beeri de tribu Isachar, & Christi figuram gerens, qui ex gentium fornicatione sibi Ecclesiam iunxit, fornicariam Dei iussu duxit vxorem. Prophetavit contra Samariam, circa annum Oziæ 18. Ieroboam 33. regum Iuda, & Israel, mundi 3188. nam Ozias regnare cæpit in Ierusalem anno mundi 3170. Quare prophetavit antè initium Olimpiadum, & antè Romam conditam; & quidem totus patheticus est, ideòque commaticus, idest concisus. Agit verò personam Dei, quasi sponsi sponsam synagogam depercuntis, eamque in adulterio deprehensam obiurgantis, punientis, repudiantis, aliamque subinducentis. Primò enim prædicit, & ad vivum representat carnalium Israelitarum, præsertim Gentilium electionem, ac vocationem. 2. idololatriam, aliaque Israelitarum scelera acriter insectatur, minando illis excidium, & alias plagas. 3. pœnitentibus clementiam promittit, & gloriam. Prædicit, propter idololatriæ peccatum, captivitatem decem tribuum, & deinde captivitatem etiam duarum aliarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor. Eloquutione, at dicendi genere multiplici, non multis verbis res multas, maximasque complectens, innumerisque affectibus explicans, obscuriùs interdum loquutus est. Vitæ, morumque sanctitate illustris Sanctorum catalogo adscriptus est quarta Iulij. Synopsim adnectamus copitum, quæ sunt 14.

Narrantur primo capite. Iussu Dei ducta ab Osee vxor fornicaria. Fornicationis filij ex ea procreati, ad representandum hoc suo facto, & connubio, Synagogam, puta Israelitas, religionem, & fidem vni Deo datam violasse, & ad idola quasi adulterinos Deos declinasse. Tres proles ex eadem fornicaria natæ. Primæ datum nomen Iezrahel, idest semen Dei. 2. lo ruchama, idest absque misericordia. 3. lo ammi, idest non populus meus. His prolibus impietas Israel, ideòque punitio, & repudium, velut in quotidiana imagine, obiecta. Promissus demum spiritalis Israel innumerabilis futurus, scilicèt populus Dei, & filij Dei viventis. 2. Ab Osee iussu Dei reprehensus Israel de idololatria, & ingratitudine, quòd

quòd nimirum vinum, frumentum, linum, &c. quæ acceperat à Deo, accepta tulerat idolis. Inde Deus minatus, se eadem ablaturus, ac visitaturus super eum dies Baalim. Prædicta deinde Israelis pœnitentia, & consequenter promissum eumdem Israelem lactandum à Deo, ac ducendum in solitudinem, vt loquatur ad cor eius. Demum cum pœnitentibus percutiendum fœdus sempiternum. 3. Præceptum datum à Deo Osee, vt adulteram domum suam abducat, cum eaque paciscatur, vt ibi multo tempore celebs sedeat, nec fornicetur, nec ad virum suum redeat. Per hoc representatum, Israel multo tempore futurum sine Deo, sine idolis, sine rege, sine Republica, sine Regno, sine Templo, sine Altari, sine Sacrificio, nec nisi in novissimo dierum reversurum ad Deum. 4. Recensitæ causæ iræ Dei, & vindictæ in Ierusalem, ideſt maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, &c. Horum omnium origo, carentia scientiæ Dei in Israele. Rursum horum omnium causa assignata ignorantia, & malitia Sacerdotum, peccata populi adulando foventium, vt pro ijs hostias ab eo acciperent. Demum reprehensa Israelis lascivia, & libido; ideòque comminatus illis Osee ignominiosum excidium, & captivitatem. 5. Vocati à Deo ad iudicium Sacerdotes, & primores, ijque accusati, quòd laqueus fuerint populo, eumque suis idolis, & sceleribus implicarint. Hinc ijdem cum populo, & cum Iuda, & Israelis scelus sequutus est, hostile excidium intentatum à prophetа; ac proinde quasi à tinea, & carie corrodendi, & quasi à Lœna discerpendi. 6. Pollicitus Osee afflictis Christum redemptorem, qui eos vivificabit tertia die; quique orietur quaquasi diluculum, & quasi imber temporaneus, & serotinus. Inde ab eodem, redeunte ad sua tempora, accusata durities Ephraim, quòd eum per Prophetas dolare voluerit, sed ipse omnes dolabras respuerit, item reprehensa immisericordia, cum Deus misericordiam velit, non sacrificium. Demùm invectus in Galaaditas, qui Dei cultores euntes in Ierusalem occidebant in via. 7. Invectus in descriptam nequitiam, & malitiam Iehu, & Israelis idololatrantis comparans eam primò furno succenso, 2. Fermento, & pani subcineritio, 3. Columbæ seductæ non habenti cor, 4. Arcui doloso. 8. Deus comminatus Israeli excidium, quòd Ieroboam, posterosque eius, se inconsultò, crearit reges, cumque eis vitulos aureos coluerit. Reprehensus etiam Israel, quòd amicitiam Assyriorum ambierit, & dato tributo emerit. Hinc ab ijsdem excindendum prædictum, excisis pariter vrbibus, & delubris, quæ magnificè ædificaverat, tàm Iuda, quam Israel. Quare comparatus Israel, eiusque opera, ac idola primò aranearum telis, 2. Vento, & turbini, 3. culmo evanido, vasi immundo, ideſt matulæ, 4. Onagro. 9. Israeli in frugibus, & opibus lascivienti, deosque gentium, quasi earum datores, ludis, & festis colenti, comminatus captivitatem, in qua panem lugentium, & pollutum sit comesturus. Israelitis etiam, imitantibus parentes suos, qui coluerunt Beelphegor, & Gabaitas, qui vxorem Levitæ stupro enecarunt, comminatus cædem filiorum, vulvam sine liberis, & vbera arentia, quòdque eos in perpetuum deserens, & abducens, tradet hostibus, vt plane excindantur, fiantque toto orbe vagi, ac profugi. 10. Primò comparatus Israel viti frondosæ, sed fructibus vacuæ, quòd Dei opibus abusus sit, ac augendum cultum idolorum; ideòdque comminatus ei excidium, quòdque idolum eius, puta vitulus aureus deferetur munus regi vltori, scilicèt regi Assyriorum, tantasque strages, & ærumnas, vt dicturus sit montibus, operite nos, &c. Hæc autem omnia iure fieri, quia priscum est hoc Israelis peccatum, ex die-

bus Gabaa, in quo pertinaciter persistit, quòd nonnisi excidio extirpari potest. 2. Idem Israel comparatus vitulæ amanti triturам, idest fruges, & opes. 3. Hortatus Propheta, vt novale cordis sui Israelitæ innovent, & præparent ad gratiam, quam afferet Christus iustitiæ doctor, ac dator. Demum minatus ijsdem, quòd si perstent in impietate Bethel, idest idola Bethel perdent eos, sicut Beth Arbel, idest domus Gedeonis perdidit Salmana cum Madianitis. 11. Inculcata à Deo, & in os iniecta Israeli amor, & beneficia, à se ei iugiter præstita, ad ostendendam eius ingratitudinem, quòd à se vitulos ad aureos desciverit. Quocirca eidem tanquam ingrato captivitatem, & iram minatus, misericordia tamen ita temperatam, vt ei reditum in patriam spondeat. Ab hac clade exemptus Iuda, quia ipse fidelis à parte Dei stetit cum sanctis Levitis. 12. Lis intentata Iudæ, & Israeli. Primò quòd pascat ventum, implorando opem non Dei, sed Ægyptiorum, & Assyriorum. 2. Quod ingratus sit Dei beneficijs, tùm Iacobo patri præstitis, quippè quem præelegerit, & prætulerit Esau, eumque fecerit Israel, idest dominantem Deo, tùm etiam sibi educto, scilicèt per Moysen, ex Ægypto. 3. Quòd Iudas videns vanitatem, & punitionem idololatriæ in excidio Israelis, eam tamen non caverit. Hinc offensus minatus ei necem, & opprobrium. 13. Comminatus excidium Israeli, quòd homines immolaverit vitulis, vt dispergatur, & vanescat quasi nubes, ros, pluma, & fumus, quia scilicèt Deus invadet eum, quasi leæna, pardus, & vrsa raptis catulis. Inde propheta avolans ad Christum, docens eumdem morientem, ipsos, omnesque credentes à morte liberaturum, & ex Inferno educturum; erit enim quasi ventus vrens, qui per ignem conflagrationis perdens mundum impium in die iudicij, cuique sortem pro meritis dividet, & retribuet. 14. Prædictum à Propheta excidium Samariæ, tanquam Duci idololatriæ toti Israeli. Hortatus eandem ad pœnitentiam, eidem formulam pœnitentiæ, confessionis, & deprecationis præscribens, qua sunt vsi postea Israelitæ conversi ad Christum. His proinde veniam, omnemque Dei gratiam, & benedictionem pollicitus varijs promissis, & parabolis explicatam, & exaggeratam. Inde avolans ad Christum, felicitatem Israelis, idest populi Christiani amplè, fusèque describens.

## SECTIO SEPTIMA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ IOELIS, eiusque capitum.*

IOel idest descensus Dei, vel Dominus Deus, natus est è tribu Ruben in agro Bethor, vel Bethomeron. Prophetavit eodem tempore, & sub ijsdem regibus, sub quibus Osee; licèt Hebræi velint eum prophetasse sub solo Ezechia, & Manasse, eò quòd solis duabus tribubus Iuda, & Beniamin prophetet, non verò reliquis decem tribubus, iam in Assyriam anno sexto Ezechiæ in Assyriam deportatis. Prædicit ijsdem duabus tribubus Babylonicam captivitatem, easque ad pœnitentiam hortatur, & in extremo vaticinio prædicit adventum Messiæ, & Spiritus Sancti per eum mittendi, & vltimi iudicij diem, in quo reprobi omnes gehennæ, probi cælo adscribentur. Relatus est inter Sanctos, & Romano Martyrologio inseritur 13. Iulij. Adnectenda est Synopsis capitum, quæ sunt tria.

Referuntur primo capite. Vaticinium de excidio Iudææ per erucam, locustam, bruchum, & eruginem, puta per varias hostium Chaldæorum populationes. Indè habita ad Sacerdotes, & populum adhortatio ad pœnitentiam, & supplicationem, vt ijs Deum sibi reconcilient, plagasque ab ipso hic comminatas avertant. 2. Horror

diei

diei excidij Ieruſalem per Chaldæos, & ſub eius typo horror diei iudicij deſcriptus, & hunc propheta comminatus. Indè hortatus omnes ad pœnitentiam, & planctum, vt Deum ſibi reconcilient, ac ira eius minas evadant. Ideò pœnitentibus pollicitus ſalutem per Cyrum, & multò magis per Chriſtum doctorem iuſtitiæ, per quem effundet Spiritum Sanctum in fideles. Data demum ab eo ſigna prævia iudicio, & iudici Chriſto. 3. Deſcripta dies iudicij, pœna reproborum, & electorum gloria. 1. Igitur Chriſtus in valle Ioſaphat iudicaturus Tyrios Sydonios. aliaſque gentes, quæ Iudæos, & fideles afflixerunt, impièque vixerunt. 2. Miſsi à Chriſto Angeli cum falcibus, qui demetant omnes gentes, eaſque adducant in vallem conciſionis, vbi, Chriſto contra eos irato, & rugiente, Sol, Luna, & Stellæ obſcurabuntur, ac Cœli, & terra movebuntur. 3. Hieruſalem cæleſtis tunc futura Sancta, felix, & glorioſa in æternum. Fateor ad ſtragem Sennacherib hic alludi, eamque alluſivè perſtringi.

## SECTIO OCTAVA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ AMOS, eiuſque capitum.*

AMos, id eſt populus avulſus, ſupple à Deo, à ſceptro Davidico, vt tunc temporis erat Iſrael, cuius typum nomine hoc ſuo gerebat. Fuit ex Thechme, oppido ſex millibus paſſuum ad meridionalem plagam diſtante à Bethleem in Tribu Iuda, vir integer, ac probatis moribus; vitæ autem conſuetudine, ac genere ſimplici, atque horrido, minus cultus ingenio, atque omni ſcientia, civilique facultate deſtitutus: lingua etiam tardus, ac ſermonis elegantia carens, & quod ipſum nomen Amos indicat, armentarius, bubulcus, vel opilio. Indè à Spiritu Sancto, qui humiles exaltat, inſtar alterius Davidis evectus ad munus propheticum ab anno 23. vel ſecundum alios 25. Oziæ regis Iuda, quo cæpit prophetare ad Regnum Iſrael, ſeu ad decem tribus, obiter tamen etiam ad Iudam, & ad alias gentes. Iſraeli captivitatem prænuntiat Aſſyriacam, Iudę Babylonicam; mixtis hinc indè lætis prænuncijs de Meſsia, qui libertatem, pacem, omnemque proſperitatem, & quaſi aureum ſæculum in orbem invehet. Deum in Samaria, & Bethel idololatras increpat, ab Amaſia vitulorum Sacerdote frequenter plagis afflictus, tandem per filium eius Oſee tempora vecte tranſfigitur, ac ſemivivus in Thecue devectus, poſt pauculos dies ex vulnere occubuit, cuius ſepulchrum iſtic tempore S. Hieronymi adhuc viſebatur. Sanctorum martyrum catalogo adſcriptus legitur in Martyrologio Romano. 31. Martij. Capitum, quæ ſunt novem, adnectenda eſt Synopſis.

Enarrantur primo capite. Damaſco ob tria, & quatuor ſcelera, præſertim eò quòd ſævierit in Iudæos excidium intentatum ab Amos. Hoc idem factum Gazæ, & Tyro, & Idumeæ, & Ammonitis. 2. Ob tria, & quatuor ſcelera Moab, & Iudæ, & Iſraelis cladem, & excidium comminatus Amos, exprobrans deinceps Iſraeli ingratitudinem, eò quòd, cum Chananæam, expulſis Chananæis, dono à Deo acceperit, inſuper prophetas, & Nazaræos, ijs tamen ingratè contra Deum, Deique iuſſum abuſus ſit. Vndè comminatus, ecce ego ſtridebo ſubter vos, &c. 3. Iſrael Aſſyrijs, & Deo quaſi Leoni rugienti, & aucupi in prædam dandus. Advocati Philiſthini, & Ægyptij à Propheta, vt videant ſcelera, indeque ſtragem Iſraelis, quæ tanta erit, vt ex ea vix duo, vel tres, ijque miſeri, & ægri evadant; ſed tàm ipſe, quàm eius idola, & aræ, ac palatia, domuſque eburneæ diruantur. 4. Comminatus Deus Iſraelitis, quòd Aſſyrij levabunt eos in contis, & reliquias eorum in ollis ferventibus. Ijdem à ſe ob impura, & ſacri-

lega

lega eorum ſacrificia percuſsi ſex plagis, ſcilicèt fame, ſiccitate, vento vrente, erugine, eruca, peſte; ſubverſa à ſe Sodoma pœnè eos; nec tamen meliores indè effectos rediſſe ad ſe. Quo circa dira, & extrema quæque Deus illis comminatus. 5. Prædicta, & deplorata Samariæ vaſtatio extrema, & æterna, infligenda à Deo terribili, qui facit Arcturum, & Orionem. Subita vaſtatio ſuper robuſtum, ob eius ſcelera, præſertim ob rapinas, & oppreſſiones pauperum. Hortatus interim omnes ad reſipiſcentiam, ac pœnitentiam. 6. Invectus Deus in optimates Iſraelis, ex rapinis pauperum laſcivientes in ſtratis, & bibentes vinum in phialis, &c. & nihil patientes ſuper contritione populi, ac reipublicæ. Ideò funditus perdendi, ac mactandi. 7. Ab Amos viſa primo locuſta depaſcens terram Iſrael. 2. Viſus ignis immiſſus in illam; ſed vtraque plaga remota à terra Iſrael precibus Amos. 3. Viſus Deus deponens trullam ſuæ curæ, & providentiæ, qua incruſtare, & conſervare ſolebat murum Iſraelis, indeque Iſraelis ruina in interitum. 4. Amos ab Amaſia accuſatus apud Iereboam quaſi ſeditioſus, qui propterea non prophetet in Bethel, ſed redeat in Ieruſalem. Reſponſum ab Amos, ſe non eſſe prophetam, ſed armentarium, à Deo tamen ſibi iuſſum prophetare in Bethel. Hoc impedienti Amaſiæ intentata ab Amos ex Deo vxoris ſtuprum, liberorum nex, expilatio, exilium, totique Iſraeli captivitas, & excidium. 8. Viſus ab Amos vncinus pomorum, vt ſignificet, quòd ſicut vncino poma ex arbore carpuntur, ita ab Aſſyrijs Iſraelitæ carpendi, & abducendi in Aſſyriam. Horum cauſa oppreſsio pauperum, eiſque nimis carè, & fraudulenter frumenta vendita, adhibitis menſuris doloſis. Excidium tam atrox futurum, vt ſol obtenebreſcat, omneſque ſaccum, & calvitium ſibi induant. Comminatus demum famem extremam, tùm corporalem, tùm ſpiritualem. 9. Viſus ab Amos Deus ſtans ſuper altare, ac iubens Angelo, vt percuſſo cardine illud evertat, ob avaritiam, & ſcelera populi, quem ſe perquiſiturum, & perditurum aſſerit, etiamſi is ſe in cælo, abyſſo, vel inferno abſconderet. Comparati Iſraelitæ Æthiopibus, Siris, & Paleſtinis, tàm in culpa, quàm in pœna excidij, & diſperſionis. Reſtauraturus tamen Deus illos per Chriſtum, daturuſque copiam frumenti, & vini, adeò vt montes ſtillent dulcedinem.

## SECTIO NONA.

### *SYNOPSIS PROPRETIÆ ABDIÆ, eiuſque vnici capitis.*

ABdias, id eſt ſervus Dei, etiam nomine ſuo Chriſtum, qui ſervus Dei dictus fuit ab Iſaia cap. 42. repreſentans, natus eſt Sichem, quæ eſt in agro Ethacmar. Fuit contemporaneus Oſee, Ioelis, & Amos, & prophetavit contra Idumæos, & contra perſequutores filiorum Iſrael de venturis ſuper eos calamitatibus, tempore regis Ioſaphat, anno Oziæ 21. mundi 3157. Vitæ ſanctitate claruit, & Sanctorum Catalogo adſcriptus eſt 19. Novembris. Sepulchrum eius in Samaria viſitavit Sancta Paula multis miraculis coruſcum. Iam Synopſis vnici ſubnectenda eſt.

Referuntur vnico capite. Primò Superbia Idumæorum reprehenſa, quòd in rupe ſiti putarent ſe invincibiles, indè Deus ſe illos ex ea per Chaldæos detracturum comminatus. 2. Excidij eius cauſa aſsignata, quòd in fratres ſuos Iudæos, ab hoſtibus afflictos, inhumani fuerint, & crudeles. 3. Promiſſio facta Sionidis, id eſt Iudæis de reditu è Babilone, & de imperio; nimirum, quòd per Machabæos Idumæis, Philiſthæis, viciniſque gentibus, ac multò magis per Chriſtum ijſdem, totique Auſtrali plagæ dominabuntur.

SEC-

## SECTIO DECIMA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ IONÆ, eiusque capitum.*

IOnas, ideſt columba, ex Geth oriundus, non illa Philiſthinorum, ſed alia, quæ eſt in Opher, & pertinet ad ad tribum Zabulon. Prophetavit ferè ab initio regni Oziæ regis Iuda, & continuavit vſque ad poſteriora tempora Ieroboam ſecundi regis Iſrael. Porrò Ionas vnus ex omnibus prophetis miſſus eſt ad gentes, in quo typus Chriſti fuit, vti, & reditu ſuo tertia die ex ventre ceti. Vitæ ſanctitate illuſtris Catalogo Sanctorum adſcriptus eſt in Martyrologio die 21. Septembris. Sepulchrum eius oſtenditur in Geth ſupradicto, iam viculo haud grandi, inquit S. Hieronymus, ſecundo à Sephorim, nunc Diocæſarea, euntibus Tiberiadem milliario. Ionas prophetavit contra Ninivitas, & exitium illis prædixit. Et quamvis agentibus illis pœnitentiam Deus peperceriſt, tamen poſtea reverſi ad iniquitatem, Deus exitium illis immiſit, quod Ionas prædixit, vt habemus libro Tobiæ *cap.* 12. Addamus nunc Synopſim capitum, quæ ſunt quatuor.

Narrantur primo capite. A Deo miſſus Ionas ad Ninivitas. Idem fugiens in Tharſis, vento, & procella in mari à Deo excitatis laceſſitus. Sortibus à nautis iactis ad cauſam putareum dephendendum, indicatus Ionas. Hic fugæ culpam agnoſcens, aienſque tollite, & mittite in mare, &c. miſſus in mare, quod mox tranquillum. 2. Ionas dimiſſus in mare abſorptus à ceto. Ibi pulchro carmine Deus invocatus, & laudatus à Iona, qui iuſſu Dei tertio die evomitur in aridam à ceto. 3. Ionæ concio, adhuc quadraginta dies, &c. A Ninivitis cum ſuo rege acta pœnitentia in cilicio, & cinere. Hinc à Deo data illis venia. 4. Ægrè latum à Iona, quòd Ninivitis contra, quàm illis prædixerat, parcatur à Deo. Sed Ionas à Deo per vmbram hederæ, vermemque hederam comedentem feſtivè correptus, & punitus.

## SECTIO VNDECIMA.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ MIchææ, eiusque capitum.*

MIchæas, ideſt, quis ſicut Deus? è Moraſti viculo tribus Iuda, iuxta Eleutheropolim oriundus, ætate ſuppar præcedentibus prophetis, ac nominatim Iſaiæ, cui, vt ſpiritu, ita & ſtylo quam ſimillimus eſt, citatque illum ſubinde ad verbum, prophetavit initio regni Ioatham, ideſt anno mundi 3223. Iuvehitur autem in idololatriam, & in alia inde enata ſcelera, tàm duarum, quàm decem tribuum, vnde vtriſque excidium, & captivitatem, his per Aſſyrios, illis per Chaldæos prænuntiat. Tandem tamen lætum reditum è Babylonia per Cyrum promittit, & lætiorem ex ſervitute peccati, mortis, & diaboli per Chriſtum, quem in Bethleem naſciturum prædicit. Occiſus gladio, fortè ſub Manaſſe, martyr occubuit; vnde Sanctorum catalogo adſcribitur in Martyrogio 16. Ianuarij, & corpus eius divina revelatione ſub Theodoſio ſeniore, vnà cum corpore S. Habacuc prophetæ repertum fuit haud procul Eleutheropoli, vbi ſepultum fuerat. Subijcienda eſt Synopſis capitum, quæ ſunt ſeptem.

Recenſentur primo capite. Denuntiatum excidium primò Samariæ tanquam primæ, & principi idololatriæ, eiuſque opes quaſi mercedes meritricis, ideſt idololatriæ, ad meretrices, ideſt ad Aſſyrios pariter idololatras reverſuræ. Nominatæ aliquot eius vrbes, ſcilicèt Aphra Sappir, Saanan cum ea vaſtandæ. 2. Idem excidium prædictum Iudæ imitatæ Samariam in idololatria, ac nominatim prædictum

idem excidium Lachis, quæ prima vrbium Iudæ ſuſcepit idola Iſrael, ac Bethaetſel, Moroth, Mareſa, & Odollam. 2. Recenſitę pauperum oppreſſiones, aliæque iniuriæ proximis illatæ ab Iſraelitis; ideòque eiſdem Propheta comminatus captivitatem, non ex odio, ſed ex amore, & compaſsione, ſed triſtibus læta ſubiungens pollicitus Chriſtum, qui eos è captivitate in vnum Eccleſiæ ovile, quaſi paſtor, colligat. 3. Taxati optimates tam Laici, quam Eccleſiaſtici, hoc eſt principes Sacerdotum iura pervertentes, & plebem opprimentes. Incuſati etiam pſeudoprophetæ adulantes populo, & vaticinantes fauſta, ſed falſa, quæſtus cauſa. Tandem propheta comminatus Ieroſolymæ, & templo excidium. 4. Mons Sion, & templi reſtituendus, imò ſuprà omnes montes extollendus per Chriſtum inchoaturum Eccleſiam ſuam in monte Sion, ad quam velut ad firmiſsimam arcem ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes. Hinc conſolatus propheta Iudæos, qui captivi ituri erant Babylonem, quòd brevi inde ſint liberandi à Deo, qui hoſtes eorum Chaldæos conteret, & Sioni robur priſtinum reſtituet. 5. Vaſtata filia latronis, ideſt Aſſyrijs, Chriſtus naſciturus in Bethleem, qui paſcat Iſrael in fortitudine Domini, & magnificetur vſque ad terminos terræ. Idem Chriſtus futurus pax, cum venerit Aſſyrius in terram noſtram, tunc enim eum conteret. Reliquiæ Iacob, ideſt Apoſtoli, & primi Chriſtiani futuri quaſi ros Domini, irrigantes mentes hominum, eaſque efficaciter inſtar Leonis rapientes, ſibique & Deo ſubiugantes. Tamdem Deus tunc ablaturus maleficia, divinationes, lucos, omniaque arma, & præſidia, in quibus infideles confidebant. 6. A propheta nomine Dei patheticè expoſtulatum cum Iudæis ſui ævi. Beneficia multa, & grandia eis à Deo collota etiam recenſita, ad oſtendendam eorum ſummam ingratitudinem, quòd à Deo ad idola, & ſcelera deſciverint. Poſtulantibus Iudæis, qua ratione Deum ſibi reconciliare poſsint, reſponſum à propheta, indicabo tibi, ò homo, &c. Comminatus idem propheta eis vocem horribilem Dei, & minas, ob eorum iniquas menſuras, & pondera, ſimileſque fraudes, & dolos, quibus expilabant pauperes; quapropter comminatus eis egeſtatem, excidium, captivitatem, & opprobrium. 7. Conqueſtus Michæas, ſe fruſtra concionando laboraſſe, eò quòd vix vllum reperiat, qui mores pravos in melius commutarit. Comminatus ergo excidium, & captivitatem Babylonicam. Quamvis deinde pollicitus ex ea liberationem, pacem, & felicitatem, tùm per Cyrum, tùm magis per Chriſtum, ideòque in divinæ clementiæ, & beneficentię laudem, & doxologiam erumpens.

## SECTIO XII.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ NAHUM, eiuſque capitum.*

NAhum idem eſt, quod Noe, ideſt conſolator, in ElKeſi viculo Galileæ natus trans Iordanem, verſus Begabar, in tribu Simeon, & ideò dictus Elceſeus, minas Ionæ contra Ninivem renovat, & reſtaurat. Quamvis enim poſt relapſum in priora ſub Sardanapalo ſcelera, paucis annis à diſceſſu Ionæ, vtcumque graviter punita eſſet Ninive, dum à Phul bel ocho Babylonio, & Arbace Medo capta, & ſubiugata eſt, Sardanapalo ad mortem ſibi conſciſcendam compulſo, eadem tamen vrbs tunc non eſt funditus exciſa, quin potiùs magis paulò poſt floruit, ſub eodem Phul bel ocho, alijſque potentiſsimis regibus Aſſyriorum Teglat phul aſſar, Salmanar, Sennacherib, & Aſſarhaddon, quibus ducibus ad priora, imò graviora ſcelera, & ty annidem redijt. Vnde de novo vind. tam divinam, & plenum excidium illi intentat Propheta Nahum,

& cum illa toti Aſſyriæ, & Aſſyriacæ Monarchiæ, cuius ſedes Regia, & Metropolis erat Ninive. Fluxerunt autem à Ionę prophetia, ſexto anno Oziæ Regis, vſque ad prophetiam Nahum, duodecimo circiter anno regis Ezechiæ, anni nonaginta, ſub hoc enim tempus Nahum prophetaſſe conſtat, ex eo, quòd poſt abductas à Salmanaſſare decem tribus, hoc eſt poſt ſextum annum Ezechiæ, prædixerit adventum Sennacherib in Iudæam, qui contigit inchoante decimoquarto anno eiuſdem Ezechiæ; & ideò prophetaſſe creditur Nahum circa annum mundi 3321. Excidium porrò Niniyæ, totiuſque Monarchiæ Aſſyriacæ contigit 85. annis poſt hanc prædictionem Nahum, tot enim fluxerunt anni à decimo tertio Ezechiæ vſque ad decimum tertium Ioſię Regis, quando à Nabuchodonoſore ſeniore Chaldæo, & Cyaxare Medo expugnata, & exciſa eſt vrbs, & imperium, ac Monarchia ad Chaldæos translata. Sanctè, & vixit, & obdormivit Nahum, ſepultuſque eſt in Begabar. Synopſis capitum, quæ ſunt tria, eſt adiungenda.

Recenſentur primo capite. Prædictio facta à Nahum Ninivitis, toties relapſis de extremo illorum excidio. Idem Nahum conſolatus Iſraelitas, pollicitus Regis Sennacheribi hoſtis ſui in Iudæa turpem ſtragem, totiuſque tandem Aſſyriaci imperij everſionem per Chaldæos. 2. Vaticinium de obſidione, & excidio Ninivis per Medos, & Chaldæos. Horum etiam arma, caſtra, & milites feroces, celeres, & terribiles inſtar fulguris graphicè deſcripta. Ninivis deſolatio, ſpoliatio, pavor, & conſternatio depicta, cauſaque addita, & inculcata, quòd ſcilicèt fuerit cubile leonum, id eſt tyrannorum, & prædonum. 3. Deſcripti currus, equites, micantes gladij, fulgurantes haſtæ Chaldæorum, quibus conficienda Ninives meretrix, ob eius cædes, rapinas, & maleficia. Collatio eiuſdem cum Alexandria in frequentia, robore, & opibus. A Deo omnes eius munitiones debilitandæ, & diſijciendæ; duceſque eius, & milites futuri ignavi, imbelles, & pavidi quaſi mulieres; mercatores, & merces ab ea avolandæ more bruchi, & locuſtarum avolantium.

## SECTIO XIII.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ HABACUC, eiuſque capitum.*

HAbacuc, id eſt, amplexator, vel luctator, quod in certamen, & luctam cum Deo congreſſus, de impiorum proſperitate cum eo diſputet, oriundus ex agro Bithicucar, vel Bexzochar in tribu Simeon, prophetavit poſt Nahum, antè, vel vna cum Sophonia, & Ieremia, videtur probabiliùs, quòd hic noſter Habacuc non ſit vnus, idemque cum illo, qui prandium tulit Danieli coniecto in lacum Leonum. Prophetavit contra Babylonem, & Nabuchodonoſor de adventu Domini, & ſubverſione Babylonici regni, circa annum Manaſſe 37. mundi 3283. quo ante duarum tribuum captivitatem, ſuam prophetiam, iuxta præcepta Domini, ipſemet ſcripſit, ac vniverſæ deindè poſteritati reliquit. Chriſti Nativitatem, Vitam, Paſſionem, Reſurrectionem, & Extremum Iudicium inſigni carmine pangit, ac depingit. Vita ſanctè peracta, Sanctorum Catalogo adſcriptus legitur 15. Ianuarij, corpus eius ſub Theodoſio Seniore divina revelatione repertum fuit. Subnectenda nunc eſt Synopſis capitum, quæ ſunt tria.

Referuntur primo capite. Lamentatio Habacuc de Iudæorum pravitate, quòd ſcilicèt nullus apud eos iuri, & rationi ſit locus, ſed impunè dominetur opum, honoriſque cupido, ideòque iniuſtus prævaleat adverſus iuſtum, & egrediatur iudicium perverſum. Reſponſio Dei quærenti Habacuc, quòd hanc pravitatem ſit puniturus per Chaldæos, eamque Iudææ excidio

cidio vindicaturus. Hinc mirè Chaldæorum potentia, celeritas, induſtria, ferocia, & crudelitas exaggerata. Habacuc his minis territus deprecatus Deum, vt ſuum populum, quaſi filium virga corripiat, non gladio interimat, & perdat, eò quòd minora ſint peccata Iudæorum ſceleribus Chaldæorum, nedum leviora illorum expurgat, graviora horum ſinat perpetrari. 2. Quærenti Habacuc, indignum eſſe tam multa concedi Chaldæis, reſponſum à Deo, ſe poſtquam per Chaldæos punierit Iudæos, aliaſque gentes, illicò perditurum illos. Vndè carmen lugubre ab Habacuc, decantatum Nabuchodonoſori, multiplex væ illi intentante; ac propterea fruſtra Nabuchodonoſorem confidiſſe in Belo, & alijs idolis ſuis. 3. Primò Deus à propheta obſecratus, vt opus redemptionis Hebræorum è Babylone promiſſum, reipſa præſtet, & perficiat. 2. Recenſita, & celebrata magnalia Dei, edita in eorundem liberatione ex Ægypto, quo tacitè rogatus idem Deus, vt ſimilia præſtet in eorum liberatione è Babylone. 3. Rediens propheta ad cladem Babylonis, mox gaudens, & exultans in Domino, qui Iudæos è Babylone liberabit, eoſque quaſi cervos veloces, & alacres in Iudæam reducet. Quare hic allegoricè inſinuata liberatio populi fidelis è captivitate diaboli, idque meritis Chriſti, per Cyrum typicè adumbrati, cuius Nativitatem, miracula, & alia geſta vſque ad vltimum eius Iudicium, typicè deſcribit.

## SECTIO XIV.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ SOPHONIÆ, eiuſque capitum.*

SOphonias, id eſt ſpeculator Dei, vel abſconditus Domini, è nobili proſapia, & tribu Simeon oriundus, iuxtà Montem Serabatha, tempore Ioſiæ Regis Iuda convixit Ieremiæ, cui per omnia ſimilis eſt, etiam in ſtylo, vt videatur quaſi abbreviator illius. Fuit filius Chroni, nepos Godoliæ, & abnepos Ameriæ, & prophetavit in Ieruſalem, & vniverſa Iudæa de idolorum deſtructione, & de divinæ iuſtitiæ ſeveritate, anno Ioſiæ 20. mundi 3323. adhuc antè captivitatem Babylonicam. Hortatur igitur Iudæos, vt relicta idololatria, aliiſque ſceleribus, ad pœnitentiam, & veri Dei cultum redeant, ni faxint, inevitabile excidium per Nabuchodonoſorem ipſis prædicit, æquè ac Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus, & Aſſyrijs. Solatur tamen eoſdem ſpe reditus è Babylonica ſub Cyro, & è ſervitute Diaboli ſub Chriſto, & per Chriſtum. Qnare prædicit converſionem gentium, ruinam idololatriæ, Chriſti Reſurrectionem, Iudæorum excæcationem, exitium vltimum, & Eccleſiæ gloriam, & felicitatem. Vita Sanctè tradu&ta in agro proprio ſepultus eſt. In Martyrologio Rom. adſcribitur Sanctorum Catalogo die 3. Decembris. Iam ſubnectamus Synopſim capitum, quæ ſunt tria.

Habentur primo capite. Dei vaticinium de excidio Ieroſolymæ, ob incolarum peccata, per Chaldæos, quaſi per Sanctos Sacerdotes, qui impios Iudæos quaſi hoſtiam iuſtitiæ, & vindictæ ſuæ immolent. Indè Iudæorum clamor, & vlulatus deſcriptus. Acerbitas huius diei repreſentata, cum ſit futura dies calamitatis, & miſeriæ, æquè ac iræ, & zeli Dei, à qua nemo ſe per aurum, vel argentum redimere poterit. 2. Adhortatio ad Iudæos, vt per pœnitentiam evadant ſtragem Chaldæorum, quam ſubituræ ſunt vicinæ gentes. Vndè Gazæ, Aſcaloni, Azoto, Accaron, Ammon, Moab, Æthiopiæ, quin & ipſi Ninivæ orbis Dominæ excidium intentatum, ad ſolandos ſimul Iudæos, horum populorum vtpotè Iudæis hoſtilium clade, & interitu. 3. Accuſata Ieroſolymæ ſcelera, ac præſertim rapinæ principum, iudicum iniuſtitia, prophetarum veſana oracula, & mendacia promiſſa,

Sa-

Sacerdotum impietas, quodque ipsa cum vidisset gentes vicinas impias à Deo punitas, & vastatas; non tamen earum exemplo resipuerit. Quapropter eidem, & Gentibus comminatus vindictam non nisi divinam, quòd nimirum Deus per Christum destruet Gentilismum æquè, ac Iudaismum, quodque gentes omnes etiam Barbaras, & remotissimas subiugabit Christo, easque ab idolis ad Deum convertet, vt serviant ei humero vno, æquè ac Iudæos, qui illum recipient; quod maximè fiet in fine mundi, quando credentes ipsi salvabuntur, increduli verò ab ipso reprobabuntur, & igni æterno addicentur.

## SECTIO XV.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ AGGÆI, eiusque capitum.*

AGgæus, idest festivus, lætus, festum agens, cum Iudæis sub Cyro è Babylonia, vbi natus est, redux Ierosolymam, primus ibidem in templo, quòd ipsius maximè, & Zachariæ hortatu restauratum fuit, alleluia cecinit. Prophetavit toti populo, qui erat in Iudæa, & Ierusalem de reædificatione templi anno 2. Darij regis Persarum mense 6. Zorobabelis 18. Mundi 3465. Et in decursu prophetiæ suæ elidit Aggæus frivolas Iudæorum excusationes de fabrica templi diutiùs differenda. Principi autem Zorobabeli fabricam resumenti promittit Messiam ex eius stirpe nasciturum, qui templum hoc sua presentia, doctrina, & miraculis condecorabit, reddetque glorioſius, quàm fuerit Salomonicum, thronum quoque regni sui supra omnium gentium regna, illis subactis, extollet. Fuit Aggæus eximia morum, vitæque innocentia, ac puritate, & magno Spiritu, vtpotè qui adversus potissimi Persarum monarchæ Cambysis edictum, & Samaritanorum, aliorumque in circuitu hostium violentiam iussérit extrui templum Domini. Catalogo Sanctorum adscriptus legitur in Martyrologio Romano vnà cum Osee Propheta, die 4. Iulij. Addenda modò est Synopsis capitum, quæ sunt duo.

Referuntur primo capite. Reprehensi ab Aggæo Iudæi, templi fabricam intermittentes, ac dicentes, nec dum advenisse eius tempus, eò quòd Samaritæ illam impedirent, & Cambyses eandem prohibuisset. Hæc excusatio declarata falsa, prætextusque pigritiæ, quia suis ædibus construendis intenti domum Dei postponebant, & negligebant. Dei ergo voluntas, vt ipsi illicò manum admoveant templo; hanc enim suam voluntatem saris à Deo declaratam, cum ob neglectam templi fabricam immisit eis sterilitatem, famem, & inopiam. Quapropter huic oraculo credentes Zorobabel, Iesus, & populus, illicò rem aggressi. 2. Incitati Iudæi ad fabricam templi ab Aggæo, promittente maiorem eius futuram gloriam, quàm fuerit templi Salomonici, eò quòd in illo docturus, & miracula facturus sit Christus, cuius adventum cunctis gentibus, totique orbi desideratum fore prædicit, adeò, vt in eo commovenda sint cælum, & terra, mare, & arida. Iudæi in inchoata fabrica tardiores, & tædio affecti, dicentes sufficere altare ad victimas, nec opus esse integro templo, reprehensi ab eodem Aggæo, asserente Deum nolle altare sine templo, quod est altaris locus, domus, & decus. Ijsdem ædificare pergentibus à propheta promissa frugum abundantia. Zorobabeli demum, ob præstitam in fabricam templi diligentiam, pollicitus Aggæus, Christum ex eius stirpe nasciturum, eiusque Deum, eversis alijs regnis, daturum regnum æternum, huiusque futurum regem regum, & regnorum omnium Dominum.

)(§)(

## SECTIO XVI.

### *SYNOPSIS PROPRETIÆ ZACHARIÆ, eiusque capitum.*

ZAcharias, ideſt memoria Dei, verè memoria mirabilium Dei; quidquid enim per cæteros prophetas ſparſim prædictum fuit à Deo, in vno Zacharia, quaſi in memoriali ſuo compendio reperitur. Fuit filius Barachiæ, & nepos Addo prophetæ, ex terra Chaldæorum, Synchronos, & cocævus Aggæo, eoque duobus tantum menſibus poſterior, vna cum ipſo vrget inſtaurationem templi Ieroſolymitani, ſimulque monet Iudæos, ne idola, & vitia maiorum imitentur, quorum viderunt acerbam punitionem, excidium, & captivitatem. Per hieroglyphica, parabolas, & ænigmata prædicit varios eventus Iudæis, obventuros vſque ad Chriſtum, maximè quatuor monarchiarum ſucceſsiones, quæ deſinent in Regnum Chriſti, cuius vitam, ac Paſsionem, pœne inſtar Evangeliſtæ recenſet. Cyrillus ſcribit, oriundum illum è Tribu Levi, & Sacerdotem fuiſſe, ac doctorem populi. Virtutibus, & ſenecta gravem deceſsiſſe in Iudæa, & iuxta Aggæum prophetam humatum eſſe, ſcribit Martyrologium Romanum, in quo adſcribitur Sanctorum Catalogo die 6. Septembris. Venerandum eiuſdem corpus, ipſomet revelante, detectum ſub Theodoſio Imperatote iuniore, leges apud Baronium anno Chriſti 415. Verum capitum, quæ ſunt 14. Synopſim adnectamus.

Recenſentur primo capite. Stimulati Iudæi à Zacharia, propoſita patrum culpa, & pœna, puta excidio, & captivitate Babylonica, vt ab eorum idolis, & vitijs, ad Deum, & virtutem conſtanter ſe transferant, ne ſimilem, novamque cladem eis infligat Deus. Per equos rufos, varios, & albos, varius gentium, miſer verò Reipublicæ Iudaicæ ſtatus præſens repreſentatus. Vndè viſus à propheta Angelus ſtans inter myrteta, & orans, vſquequo tu non miſereberis, &c. qui exauditus audit, Deum Iudæis pacem, & bona daturum, vt Ieruſalem reædificetur, hoſteſque eorum perditurum. Hinc viſi etiam à propheta quatuor fabri deferentes quatuor cornua, qui afflixerunt, & ventilarunt Iudam. 2. Viſus à Zacharia Angelus cum funiculo menſorio, vt metiatur Ieruſalem à Nehemia, & Zorobabele reædificandam; cumque ex funiculo exiguo, vtpotè convoluto, conijceret, timeretque Zacharias, exiguam fore novam Ieruſalem, mox ab eo auditus alter Angelus promittens, quòd abſque muro ſit ipſa habitanda, præ copia hominum, & iumentorum, quòdque Dominus ſit ei futurus murus ignis in circuitu, & gloria in medio eius. Quare à propheta invitati Iudæi, qui metu Chaldæorum, aliarumque gentium hoſtilium timebant redire è Babylone, vt audacter redeant in Ieruſalem; Deum enim illam inſtauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideòque effecturum, vt nec Chaldæi, nec Samaritæ, nec aliæ gentes vicinæ, vel fabricam impediant, vel Iudæorum pacem turbent. Allegoricè conveniunt Eccleſiæ. 3. Imperatum ab Angelo Ieſum filium Ioſedec exui veſtibus ſordidis captivitatis, æquè, ac peccati, induique novis, & cidari, vt ſignificet, ſe ei peccata remittere, & Pontificatum reddere, vt templum, cultumque Dei reſtauret. Inſuper eidem pollicitus, Orientem, ideſt Chriſtum, qui in templo ab eo inſtaurando ſit verſaturus, ibique collecturus Eccleſiam, cuius ipſe futurus ſit Pontifex: ipſum enim fore Eccleſiæ lapidem angularem, ſeptem oculis inſignitum, atque clavorum, vulnerumque ſculpturis cælatum, qui auferet iniquitatem terræ, & pacem toti orbi, felicitatemque conciliabit. 4. Viſum à Zacharia candelabrum ſepticeps, vel potius octi-

ceps

ceps, ad cuius latera erant duæ olivæ, vna à dextris, altera à siniſtris; ac per hoc ſignificari intelligit, per Dei curam, & providentiam templi fabricam inchoatam, fore perficiendam, & ad culmen perducendam; Deum enim id velle, cui nulla Perſarum, vel hominum potentia reſiſtere poſsit; conſequenter duas olivas eſſe Ieſum Pontificem, & Zorobabel Principem, qui aſsiſtunt Deo, vt candelabrum, ideſt templum reædificent, & populum in rebus, tàm ſacris, quàm civilibus, & politicis regant. Quapropter totum hoc caput dirigitur ad Zorobabel, ſicut præcedens ad Ieſum Pontificem. 3. Significatum ſymbolo voluminis, & amphoræ in Babyloniam devectæ, idololatria, eiuſque pœna, ac vindicta à Iudæis translata ad Babylonios, hiſque imminere certum excidium, illis nihil amplius mali metuendum; ſed poſſe tutos, lætos, atque alacres patriam ſuam incolere, templum, & vrbes inſtaurare. Quare hic videtur propheta conſolari, & animare populum, ſicut præcedentibus animavit Ieſum Pontificem, & Zorobabelem Principem. 6. Viſæ à Zacharia quatuor quadrigæ, in eiſque viſi equi quadruplices, ſcilicet rufi, nigri, albi, & varij, portendentes quatuor monarchias ſibi ordine ſuccedentes, ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, quibus ſucceſsit Regnum Chriſti ſtabile, & æternum. Vnde iuſſum ei facere coronam auream, eamque ponere in capite Ieſu Pontificis, auditumque à propheta, ecce vir oriens, &c. Porrò occaſio huius viſionis fuit hæc: viderat Zacharias in fine capitis præcedentis amphoram, cui inſedebat impietas, transferri in Babylonem, ibique eam in baſi quaſi in loco ſtabili collocari. Iam videt circa impietatem hanc, & impium Babylonis imperium cætera regna confligere, illudque ei extorquere. 7. Quæſitum à Iudæis, num ieiunia à ſe in captivitate Babylonica ob vrbis, gentiſque excidium ſuſcepta, iam poſt reditum in Ieruſalem, novique templi inchoatam fabricam adhuc ſint obſervanda. A Zacharia eidem quæſito reſponſuro ſequenti capite, hic nonnulla præmiſſa, ſcilicet Deo verum gratum ieiunium abſtinentia ab iniurijs, & à peccatis, obedientia, & miſericordia. Ob harum virtutum neglectum, legiſque Dei traſgreſsionem, illi à Deo puniti captivitate ſeptuaginta annorum in Babylone. 8. Promiſſa à Deo Iudæis è Babylone reverſis in Ieruſalem, ob diligentiam, & laborem impenſum in templi fabricam, læta, & longæva ſoboles, frugum copia, ſuaque benedictio, ſi iuſtitiam, veritatem, & charitatem colant. Quæſtioni præcedenti capite propoſitæ reſponſum, illa ieiunia commutanda in læta feſta, & convivia; ac proinde deinceps Ieruſalem futuram hilarem, felicem, & celebrem, adeò vt vndique ad eam confluant populi, & gentes. Deſcribitur ergo hic felicitas Ieroſolymæ, vt in ea quaſi typo adumbretur felicitas Eccleſiæ Chriſtianæ; quædam enim dicuntur hic, quæ Ieroſolymæ vix, & nonniſi tenuiter, Eccleſiæ verò planè, plenèque conveniunt. 9. Deus populum ſuum è Babylone reducem, pauperem, & afflictum conſolatus, pollicitus illi primò quòd vicinos eius hoſtes, Syros, Tyrios, & Philiſthæos debellabit, illique ſubijciet. 2. Quòd Chriſtum mittet Salvatorem, qui mitis, & humilis, Sedens ſuper aſinam quaſi rex, Meſsias, & Triumphator Ieruſalem ingredietur, ac ſublatis bellis pacem afferens dominabitur à mari vſque ad mare, imò vſque ad lacum Inferni, ex quo vinctos ſuos educet, puta Patriarchas è Limbo. Hac de cauſa mittit Apoſtolos per totum orbem, vt quaſi arcus, & gladij, fortes, & quaſi iacula fulgurantia eum ipſi ſubigant, præſertim quia eos, æquè, ac fideles paſcet, & roborabit Sanctiſsima Euchariſtia, quæ erit frumentum electorum, & vinum germinans virgines. 10. Pluvia, & fruges terræ à Deo poſtulanda,

landa, non ab idolis, vtpotè ob quæ vaſtati, & in captivitatem abſtracti ſint. Mox pollicitus illis Deus, ſe daturum heroes Machabæos, qui ſua virtute, prælijs, & victorijs Iudæam illuſtrabunt, & propugnabunt. Myſticè ſignificatur fortitudo, & felicitas Apoſtolorum, qui Eccleſiam Chriſti purgabunt, & propugnabunt. 11. Vaticinium de excidio Ierofolymæ, puta vrbis, & templi, iam recens à Zorobabele, & Ieſu filio Ioſedec ædificati, faciendo à Tito, & Romanis, idque ob Iudæorum peccata, præſertim ob Chriſtum ab eis occiſum, & venditum triginta argenteis. Quare, vt peccata hęc declinent, itaque excidium evadant, factus à Deo Zacharias paſtor, ideſt propheta, vt futura hæc prædicat, & comminetur. Hinc ſumptæ à Zacharia duæ virgæ paſtoritiæ, quibus quaſi paſtor populum quaſi gregem ſuum paſcat, vnam vocat Decus, ideſt decoram, & gratioſam, alteram vocat Funiculum, quo conſtringuntur, & plectuntur rei. Hiſce repreſentati duo Dei providentiæ, & regiminis erga Iudæos modi, nimirum virga, cui nomen Decus, repreſentans amorem, promiſſa, & beneficia; altera, cui nomen Funiculus, repreſentans timorem, minas, & plagas. Sed cum neque hac virga in melius commutandi ſint, curam illorum, ac providentiam paſtoralem deponit, paſtori ſtulto illos permittens, non tàm regendos, quàm perdendos, & mactandos. 12. Vaticinium de Ieruſalem oppugnanda à gentibus, quin, & à Iudæis perfidis. Deus eam tutaturus per Machabæos, qui quaſi heroes inſtar ignis omnia pervadent, ſubijcient, abſument. Pollicitus etiam Deus, ſe effuſurum in Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum per Chriſtum, quem fideles viſuri ſunt in Cruce clavis, lanceaque transfixum, ideòque planctum maximum facturi. 13. Chriſtus futurus fons gratiæ, iuſtitiæ, & ſalutis; ideòque abolenda idola, & Pſeudoprophetæ, adeò vt parentes ſuos filios, ſi falſa, & impia doceant, graviter puniturí ſint. Fons hic aperiendus plagis in Cruce, iubente Patre, ac dicente, framea ſuſcitare, &c. Vnde Chriſti Paſſione, populi tertia pars ſalvanda, eaque probanda per ignem. 14. Vaticinium de malis per Antiochum Epiphanem obventuris Iudææ, & præſertim de Ieroſolyma ab ipſo intercipienda, ac devaſtanda. Pollicitus tamen propheta, affuturum ſuis Deum, cuius ope, contritis hoſtibus, pax, & quies æterna, & opes ampliſsimæ obvenient Ieroſolymæ, Allegoricè Eccleſiæ Dei, & hic ſenſus præcipuè intentus à Spiritu Sancto.

## SECTIO XVII.

### *SYNOPSIS PROPHETIÆ MALACHIÆ, eiuſque capitum.*

MAlachias, ideſt Angelus Domini, non natura, ſed moribus, officio, & ſanctitate, è tribu Zabulon, poſt reditum populi è Babylonia, natus in Sopha. Adhuc iuvenis, fato functus, iuxta maiores ſuos in proprio agello repoſitus eſt. Inſtaurato ergo per Zorobabel templo, & florente iterum ſynagoga, arguit. Primò Iudæos ingratitudinis in Deum tantorum bonorum auctorem. 2. Sacerdotes taxat negligentiæ, ſocordiæ, & impietatis. 3. Prædicit abolendum ſacrificium, & Sacerdotium Aaronicum, eique ſubſtituendum aliud Eccleſiaſticum. 4. Reprehendit Iudæos, quòd repudiatis legitimis vxoribus, inducant alienigenas. 5. Promittit adventum Chriſti, eiuſque præcurſorem Ioannem Baptiſtam. 6. Ob negatas Deo decimas, & primitias, dicit perituras Iudæis fruges, & annuos proventus. Vltimò denuntiat extremi Iudicij diem, eiuſque prodromum Eliam, qui reliquias Iudæorum convertet ad Chriſtum. Malachias poſterior eſt Zacharia, quantum diſtat annus 2. Darij ab anno 1. Artaxerxis, qui regnare cæpit anno

no 3521. Mundi, proinde hoc anno vixit, & scripsit Malachias. Catalogo Sanctorum in Rom. Martyrologio adscriptus est die 14. Ianuarij. Capitum, quæ sunt quatuor, Synopsis addenda nunc est.

Referuntur primo capite. Reprehensi à Deo Iudæi ingratitudinis. Deinde reprehensi Sacerdotes, quòd offerant panem pollutum, & hostias cæcas, & mancas. Hinc comminatus Deus, se ijs amotis surrogaturum novos, qui in omni loco offerant piè, & sanctè purissimum, & augustissimum Mincha, ideſt Sacrificium Eucharistiæ. 2. Malis Sacerdotibus in cultu suo incurijs comminatus Deus egestatem, maledictionem, infamiam, eò quòd eorum sit custodire scientiam, cum sint Angeli Domini. Multis deinde reprehensi Sacerdotes, & populus, quòd repudiarent suas vxores Israelitides, & ducerent alienigenas. Quare Deus protestatus, se eorum victimas repudiaturum. 3. Ad tollendam incuriam, & improbitatem Sacerdotum veterum, assignatum remedium, nimirum Christus venturus in carnem, suumque templum, & eius præcursor Ioannes Baptista. Culpati etiam Iudæi, quòd Deum configant, fraudando, sibique arrogando eius decimas, & primitias. Reprehensi demum illi, qui dicunt, vanus est, qui servit Domino. 4. Descripta dies Iudicij, vt impijs terribilis, ita pijs iucundissima, & felicissima, in qua pro meritis decernenda cuique, vel gloria, vel pœna. Vnde omnes moniti, vt divinis mandatis, ac legibus sedulò obsequantur, vtpotè ex his vel damnandi, vel salvandi. Præmittendus Elias propheta, qui aberrantes ad legum divinarum obsequium reducat, vt iudicis, non iram, sed clementiam, & remunerationem æternam experiantur.

# APPARATUS
# AD PALÆSTRAM BIBLICAM.
# PARS SECUNDA.
## SYNOPSIS PARTICULARIS NOVI TESTAMENTI.

## PROOEMIUM.

NE TRACTUS CONTINUUS HUIUS SYNOPSIS, QUÆ ALIOQUI est plurimùm profutura ijs qui volunt rem ex ordine retinere, tædio Lectoribus esse possit; duximus eam dividendam esse in Synopsim priorem Veteris Testamenti, quam dedimus, & Synopsim Novi testamenti, quæ statim est modò subsequutura.

### *SYNOPSIS NOVI TESTAMENTI.*

NOvum Testamentum pars illa est Bibliorum à Spiritu Sancto dictata post Christi adventum, non sicut Vetus infirmum, nihil ad perfectum adducens, sed virtus, & potentia Dei ad salutem omni credenti. Non sicut illud tabulis exaratum lapideis, aut atramento, sed Spiritu Dei vivi in tabulis cordis carnalibus: Non prohibens ingressum in Sancta Sanctorum, non huius mundi promittens præmia, non terrorem incutiens, non iugum grave, & importabile, non temporarium, non vni tantum populo datum, sed cæli fores operiens, cælestia, ac æterna pollicens præmia, Spiritum dans adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater, onus leve, & suave, æternum, & invariabile, Veteris vmbras, omnesque typos illustrans. Denique supremi Testatoris Christi Domini voluntatem, novumque fædus à Deo cum populo suo initum continens. Huius Novi Testamenti canon, seu librorum ordo, sicut, & Veteris, & Sacris Doctoribus in quatuor etiam classes dividitur, nempè Legalium, Historialium, Sapientialium, & Prophetalium, quorum Synopsis per totidem capita est subjicienda.

### CAPUT PRIMUM.
### *SYNOPSIS LEGALIUM NOVI TESTAMENTI.*

NOvi Testamenti libri Legales sunt quatuor Evangelia; videlicet Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, & eorum Synopsis per quatuor sectiones est apponenda.

### SECTIO PRIMA.
### *SYNOPSIS EVANGELIJ MATthæi, eiusque capitum.*

EVangelium vox est Græca, boni, faustique nuntij significationem habens, ab *eu*, quod est benè, & *angello*,

*gello*, quod eſt nuntio, deſumpta. Et quando dicitur Evangelium ſecundùm Matthæum, ſeu ſecundum Lucam,&c. nomine Evangelij ſignificatur hiſtoria, qua Salvatoris, fauſtum ſalutis nuntium afferentis, geſta deſcribuntur. B. Matthæus igitur qui, & Levi à B.Marco, & B.Luca appellatur, Alphæi filius, ex Publicano Apoſtolus ponitur, quia primus Evangelium Scripturę tradidit. Et quidem in Iudæa, & Ieroſolymis ad Iudæos, Hebraico, ſeu potius Syriaco tunc Iudæis vſitato ſermone,rogatu diſcipulorum,& iuſſu Apoſtolorum, anno à morte Chriſti 8. adhuc fluente, 3.Caij Caligulæ Imperatoris, 208. Olympiadis anno 3.exemplar illius detulit ſecum S. Bartholomæus ad Indos, & in Græciam S.Barnabas, cum cuius etiam corpore repertum eſt, ſub Zenone Imperatore, & S. Iacobus frater Domini Ieroſolymitanis pro concione expoſuit. S. Matthæus hoc Evangelio proprium habuit argumentum demonſtrare Chriſtum verum Meſsiam ex progenie David, idque eo conſilio, vt qui ad Hebræos ſcriberet ſecundum carnem Chriſtum expectantes, eum iam veniſſe, & ex Abraham ſtirpe, & ſemine David exortum cum primis eſſe demonſtraret.Synopſim capitum, quæ ſunt 28. addamus.

Narrantur primo capite. Catalogus avorum, & proavorum Chriſti ſecundum carnem, ab Abraham ſcilicet vſque ad ipſum. Ioſeph ab Angelo inſtructus de Mariæ coniugis ſuæ ſupernaturali de Spiritu Sancto conceptione,& futuro Meſsiæ partu.Chriſti Nativitas ex Maria Virgine, & nomen Chriſti IESUS. 2. Deſcripta. Primò Magorum per ſtellam vocatio, & adoratio Chriſti.2. fuga Chriſti in Ægyptum.3.infanticidiumHerodis.4.Chriſti ex Ægypto reditus,& feceſſus in Nazareth. 3.A Ioanne Baptiſta prędicata pœnitentia, vt per eam homines prępararet ad Chriſtum, Chriſtique gratiam. Chriſtus ab eodem baptizatus, quando Spiritus Sanctus in eum ſpecie columbæ deſcendit, & vox Patris, hic eſt filius meus dilectus,ipſum eſſe Meſsiam toti orbi declaravit. 4. Poſt quadraginta dierum ieiunium à Chriſto victa triplex Satanę tentatio. Inchoata à Chriſto in vrbe Capharnao prædicatio de Regno Cœlorum. Evocati à Chriſto ad ſui ſequelam, Andræas, Iacobus, & Ioannes. Multi ad eundem ob ęgritudines,quas ſanabat,confluentes. 5. Iuchoatus à Chriſto ſermo in monte. Eodem ſermone Primò explicatæ octo Beatitudines Evangelicę. 2. correcta iuſtitia Scribarum. 3. perfectè decalogus declaratus, ſcilicet illo non tantum externum actum homicidij, adulterij, furti, ſed internam concupiſcentiam prohiberi. 6. Adhuc eodem ſermone habito in monte Primò explicatum, cavendam eſſe in bonis operibus oſtentationem,& vanam apud homines gloriam. 2. traditus modus orandi, præſcriptaque omnibus oratio Dominica. 3. aſsignatus modus ieiunij, vt in eo ſatagamus ſecretò Deo placere, non hominibus. 4. theſaurizanda cæleſtia. 5. vetata avaritia, & ſollicitudo de victu,veſtitu, cæteriſque temporalibus;ac eadem ſollicitudo reſignanda Deo. 7. Eodem adhuc ſermone habito in monte Primò prohibitum à Chriſto, ne alios iudicemus, & ne Sanctum demus canibus.2. inſiſtendum orationi. 3. via in cælum arcta,& à paucis inita. 4.fugiendi falſi prophetæ, & doctores, qui in veſtimentis ovis cælant lupum.5. ille verus ſapiens,qui ita audit verba ſua, vt illa faciat, & opere impleat; ideòque ſimilis ædificanti domum non in arena, ſed in petra, quę ventis, & procellis omnibus reſiſtit. 8. Doctrina Evangelica, ſuperiùs tradita,hic confirmata, & obſignata miraculis. Primò igitur ſanatus à Chriſto leproſus. 2. curatus puer Centurionis. 3. ſocrus Petri liberata à febri. 4. duobus ſe ſequi volentibus iuſſum, omnibus tàm opibus, quàm parentibus renuntiare, eò quòd filius hominis non habeat vbi caput reclinet.

5.ſe-

5. ſedata tempeſtas in mari. 6. ſanati duo dæmoniaci: dæmonibuſque obſecrantibus permiſſum ingredi in porcos, mox in mari ſubmerſos ab ijſdem. 9. A Chriſto, primò paralyticus ſanatus, tùm in anima, tùm in corpore. 2. vocatus Matthæus; Scribiſque obmurmurantibus, quòd cum Publicanis ageret, reſponſum Chriſto, ſe medicum animarum miſſum ad curandos peccatores. 3. ab eodem Diſcipulis Ioannis Baptiſtæ, crebrò ieiunantibus, reddita cauſa, cur ſui Diſcipuli necdum ieiunent. 4. ſanata hæmorrhoiſſa, & à morte ſuſcitata filia Iairi. 5. illuminati duo cæci, & muto loquela reſtituta, omneſque infirmi ſanati, ac à Chriſto, vidente multam populi meſſem, multos in eam optatum mitti operarios. 10. A Chriſto miſsi duodecim Apoſtoli, quorum nomina hic recenſentur, quaſi operarij in meſſem, ad prædicandum, eiſque Primò data poteſtas eijciendi dæmones, & curandi infirmos. 2. data duodecim præcepta, inter quæ præcipua ſunt hæc, primum, vt Iudæis, non Gentibus evangelizent. 2. vt gratis, & in paupertate prædicent. 3. vt pacem hoſpitibus ſuis apprecentur. 4. vt ſint prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 5. prædictum eos paſſuros multas infidelium perſequutiones. 6. contra eas illi animati, multiſque corroborati, ad intrepidam fidei profeſsionem, & propagationem. 7. recipientibus Apoſtolos ampla promiſſa merces, perinde ac ſi ipſi Chriſtum recepiſſent. 11. Primò à Ioanne Baptiſta per Diſcipulos quæſitum ex Chriſto, an ipſe ſit Meſsias, & à Chriſto, non per verba, ſed per facta, puta per miracula, reſponſum, ſe eſſe Meſsiam. 2. laudatus à Chriſto Ioannes, quaſi Angelus, quo inter natos mulierum nullus ſit maior. 3. reprehenſi Iudæi à Chriſto, quòd tàm ſe, quàm Ioannem exploſerint. 4. ab eodem Chriſto dira intentata civibus Corozaim, & Chapharnai, quòd eo toties audito, viſiſque tot ſignis, non crediderint. 5. à ſe declaratus, quòd ſit Deus, ſuaque nonniſi humilibus, & mitibus revelare, & communicare. 12. Probatum primò à Chriſto contra Scribas Sabbatho licere Diſcipulis ſuis vellere ſpicas, & ſibi licere curare ægros. 2. ſanatus dæmoniacus, probatumque, ſe id non facere ope Beelzebub, ſed in digito Dei, ideòque Scribas, id Beelzebub tribuentes, committere blaſphemiam in Spiritum Sanctum, ac proinde irremiſsibilem. 3. petentibus ſignum, datum ſignum Ionę, quodque Ninivitæ, & Regina Saba Iudæos ſibi incredulos condemnabunt in die Iudicij. 4. ſui fratres, & matres illi declarati, qui faciunt voluntatem Patris ſui. 13. Evangelium, eiuſque vis, fructus, & impedimenta explicata à Chriſto, per varias parabolas, primò Seminis, & ſeminantis. 2. zizaniarum. 3. grani ſinapis. 4. fermenti. 5. theſauri abſconditi, margaritæ prętioſæ, & ſagenæ miſſæ in mare. 14. Decollatus ab Herode Ioann. Baptiſta. Chriſti, id audientis, fugientiſque Herodem receſſus in deſertum. Hic ab eo, quinque panibus, & duobus piſcibus, ſaturata quinque hominum millia. Poſt dimiſſam turbam aſcenſus Chriſti in montem, vt oret; mox eiuſdem ambulantis ſuper mare adventus ad Diſcipulos fluctibus iactatos. Petrus ad ſe evocatus, & veniens, cum ipſe fluctus metuens mergeretur, erectus, illicòque venti, fluctuſque ſedati. Vnde exclamatum ab ijs, qui erant in navi, verè filius Dei es, & ex locis circumquaque vicinis ad eum confluentes ægri, ab ipſo ſuo attactu ſanati. 15. Reprobatæ à Chriſto lotiones, & aliæ traditiones frivolæ Phariſæorum, quas illi anteponebant legi Dei, ac contra illos ſtatutum hoc axioma, non quod intrat in os, ſed quod procedit de corde, & ore, hoc coinquinat hominem. Obſecrante Chananæa eius filia ſanata, ob matris fidem, & obſecrandi conſtantiam. Sanati multi muti, cæci, claudi. Septem panibus cibata quatuor millia hominum. 16. Phariſęis à Chriſto

pe-

petentibus ſignum, datum ſignum Ionæ. Moniti diſcipuli, vt caveant à fermento, ideſt à mala doctrina Phariſæorum. Interrogati à Chriſto diſcipuli, quem ipſum cenſeant. Petro reſpondenti, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, promiſſa à Chriſto petra Eccleſiæ, & claves cæli. A Chriſto ſua Paſsio, & Reſurrectio prædicta; Petro dehortanti Paſsionem, faceſſere iuſſum, ſuique vocati ad Crucem. 17. Chriſtus in monte transfiguratus. Sed ab eo iuſſum diſcipulis, hoc premi ſilentio, donec è mortuis reſurrexerit. Venturus Elias ante extremum Iudicium; Myſticus enim Elias, ideſt Ioannes Baptiſta, iam venit. Puer lunaticus curatus, quem diſcipuli defectu fidei curare nequiverunt. Paſsio ſua à Chriſto rurſus prædicta. Didrachma cenſus annui pro ſe, & pro Petro ſoluta, ſtatere in ore piſcis invento; quamvis declaratum, ad ſolvendum ſe non teneri. 18. Humiles, & facti vt parvuli, futuri maiores in cælo. Parvuli non ſcandalizandi quia Angeli eorum ſemper vident faciem Dei Patris. Ad hoc probandum inducta parabola ovis errantis. Aſsignatus ordo ſervandus in correptione fraterna. Eccleſiam non audiens habendus pro Ethnico. Apoſtolis data potentia ligandi, & ſolvendi. Plurium in idem conſpirantium oratio commendata. Integra offenſarum remiſsio, etſi ſeptuagies ſepties, indulgenda, & quidem ex intimo corde, propoſita parabola regis rationem ineuntis cum ſervis ſuis. 19. Phariſæis quærentibus à Chriſto, an liceat quacumque ex cauſa dimittere vxorem, negativè reſponſum, revocatuſque libellus repudij permiſſus à Moſe, atque matrimonium ad primam ſui inſtitutionem, & indiſſolubilitatem reductum. Commendatus cælibatus, iſque matrimonio præpoſitus. Parvulis cum applauſu benedictum, ac promiſſum Regnum Cælorum. Inquirenti viam in Cælum, aſsignata obſervatio mandatorum; eidem perfectiora poſtulanti ſuggeſtum, vt ſuas opes det pauperibus. Ille hoc audiens egreſſus triſtis. Inde à Chriſto concluſum, ægrè divites ſalvari. Apoſtolis pauperibus, ſe pauperem ſequentibus, Chriſtus pollicitus thronos duodecim, ad iudicandum duodecim Tribus Iſrael, cæteris verò ſua, & ſuos, amore Chriſti relinquentibus, idem pollicitus centuplum, & vitam æternam. 20. Propoſita à Chriſto parabola operariorum conductorum ad colendam vineam, è quibus noviſsimi vocati, facti primi in mercede, & præmio. Paſsio ſua iterum Apoſtolis à ſe prædicta. Iacobo, & Ioanni ambientibus primas ſedes, in Regno Chriſti propoſitus calix Paſsionis. In illo futurus maior cupiens eſſe minor. Duo cæci illuminati. 21. Ieſus aſina vectus Ieroſolymam cum triumpho ingreſſus. Eiecti vendentes, & ementes è templo. Ficulnea infrugifera maledicendo deſiccata, & necata à Chriſto. Scribis expoſtulantibus, reſponſum à Chriſto, ſe hæc facere ex Dei poteſtate, & imperio. Ideò data illis tàm parabola duorum filiorum, vnius patri obedientis, alterius inobedientis, quàm parabola agricolarum conducentium vineam, & occidentium heri filium, ac conſequenter vineæ heredem. Vtraque hac parabola ſignificata Eccleſia Dei, à Iudæis Chriſtum occiſuris, ad Gentes ſuas ferenda. 22. Data à Chriſto parabola invitatorum ad nuptias, & non habentis inter eos veſtem nuptialem. Phariſæis quærentibus, an liceat cenſum dare Cæſari, reſponſum à Chriſto, reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Sadducæis negantibus reſurrectionem, eadem probata. Legiſperito roganti, quod ſit magnum legis mandatum, reſponſum à Chriſto eſſe hoc, diliges Deum ex toto corde tuo. A Chriſto quærente ex Phariſæis, quomodo David Chriſtum filium ſuum vocat Dominum, eorum ex ſilentio ignorantia reprehenſa, eiſque os obturatum. 23. Iuſſum à Chriſto Iudæis, vt ſequantur Scribarum, & Phariſæorum

doctrinam, non autem vitam, & mores, vtpotè improbos, inhumanos, iactabundos, & arrogantes. Væ maledictionis eisdem Pharisæis intentatum, ob eorum hypocrisim, avaritiam, superstitionem, aliaque scelera recensita à Christo. Ab eis occidendi sui fideles, & Apostoli; ideòque Ierosolymæ, & Iudææ extremum per Romanos excidium intentatum. 24. Discipulis fabricam templi ostendentibus, & mirantibus prædictum à Christo, illius, totiusque vrbis per Titum, & orbis vniversi in fine Mundi excidium, mox ab eodem signa prævia, sed communia vtrique excidio assignata, scilicet bella, Pseudoprophetæ, terræmotus, pestis, ac prædicatio Evangelij per totum Mundum. Proprium signum prævium excidio vrbis Ierosolymæ datum, abominatio scilicet desolationis stans in loco sancto. Propria signa prævia excidio orbis data, Solis scilicet, & Lunæ obscuratio, Stellarum à Cælo casus, virtutum cælestium commotio. Data à Christo admonitio, vt omnes strenuè se parent ad illum diem vniversalis excidij, & Iudicij extremi; eò quòd dies hic planè incertus sit, & nulli cognitus, sed improvisus hominibus incogitantibus obveniet, eosque securos subitò occupabit. 25. Parabola inducta decem virginum, quinque fatuarum, & quinque prudentum, moniti fideles à Christo, & stimulati ad assiduam vigilantiam, & bonorum operum studium, vt semper sint parati ad incertum eius adventum, diemque Iudicij. Hoc idem intentum à Christo, inducta etiam parabola talentorum, quæ herus famulis suis distribuens ad negotiationem, lucrum, rediens deinde ab eis exegit, ac negotiosos præmijs, pigros, ac otiosos supplicijs affecit. Res ipsa demum à Christo aperta, totaque Iudicij extremi idea, ac sententia tàm in impios, quàm in pios ferenda oculis subiecta. 26. Consultantibus Principibus Sacerdotum de occidendo Christo, hoc ab eodem discipulis suis tanquam futurum prædictum. Descripta vnctio Magdalenæ, qua ipsa vnxit Christum in Bethania paulò antè mortem, cuius pretium ambiens Iudas vendidit Christum. Eadem Iudæ proditio detecta à Christo suis in cæna paschali, & ijsdem panis in corpus suum, & vinum in sanguinem transubstantiata porrecta à se, iubente etiam, vt eadem simili modo deinceps Deo in sacrificium, & Passionis suæ æternam memoriam offerant. Prædictum illis à Christo omnes scandalizandos, Petrum ter se negaturum. Post trinam in horto orationem, captus Christus à Iudæis, & diffugientibus discipulis, idem sistens, & accusatus coram Caipha, & reus mortis iudicatus, consputus, cæsus, illusus, & interea ter negatus à Petro, mox lapsum cum pœnitentia deplorante. 27. A Pontificibus Christus in concilio damnatus, & traditus Pilato, ab ipso pariter damnandus, & occidendus. Iudas, post relatos triginta argenteos, desperans à seipso strangulatus. Ab vxore Pilati Christus innocens proclamatus. Sed à Pilato, frustrà niso Christum liberare, flagellis cæsum, spinis coronatum. Iudæis pertinaciter ad Crucem deposcentibus Christum, Barabbam ei præponentibus, publica sententia damnatus Christus ad Crucem. Hanc humeris eius iniectam baiulare coactus in Golgotha, Simone Cyrenæo invito illum adiuvante. In Golgotha felleo vino potatus, Cruci clavis affixus, medius inter duos latrones, convicijs, ac blasphemijs lacessitus, vestibus eius sorte divisis. Tenebris occupata tota terra ab hora sexta ad nonam. Hac à Iesu resignante Patri Spiritum emissa anima. Mox templi velum sciissum, petræ fissæ, monumenta aperta, corporibus mortuis surgentibus, terra concussa. His visis à Centurione dictum, verè filius Dei erat iste. Sub vesperam à Iosepho ab Arimathæa, post concessum à Pilato sibi corpus Christi, è Cruce depositum, sepultum; sepulchrum à Iudæis ob-

obſignatum, & à militibus cuſtoditum. 28. Magdalena cum ſociabus inviſens Chriſti ſepulchrum. Ab Angelo amovente lapidem à ſepulchro,ac cuſtodes percellente,mulieribus narrata Chriſti reſurrectio. Ab his euntibus hoc idem nuntiatum Apoſtolis, in via viſus Redivivus iubens ipſis, vt idem annuntient Apoſtolis. Milites pecunia corrupti à Iudæis, & ſpargere iuſsi, cadaver, ipſis dormientibus, furto ſublatum. Apoſtoli, vt iuſsi erant, in Galilæam profecti, intuiti eundem reſuſcitatum, à quo & per vniverſum miſsi ad hoc Evangelium vbique evulgandum.

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS EVANGELIJ MARCI, eiuſque capitum.*

FUit B.Marcus Iſraelita, ex Tribu Levi oriundus, à Sancto Petro poſt Chriſti mortem converſus,& eiuſdem diſcipulus, & Interpres. Quare non eſt ille Marcus, qui in actis Apoſtolorum vocatur Ioannes, S.Pauli diſcipulus, Barnabæ conſobrinus;nam hic Ioannes eo ipſo tempore comes adhærebat Paulo Antiochiæ,quo noſter Romæ adhærebat Petro; quod etiam magis conſtat ex Martyrologio Rom. vbi de Evangeliſta fit mentio 25.die Aprilis, de altero verò 27.die Septembris. Non videtur etiam fuiſſe è 72. Diſcipulis Chriſti,quia hoc alicubi inſinuaretur, & tunc Petrus illum non vocaret filium ſuum, ſed honoris cauſa fratrem. Falsò etiam de noſtro Evangeliſta ferunt, pollicem ſibi præcidiſſe, ne Epiſcopus,aut Sacerdos fieret,quod Marco Anachorethæ, non Evangeliſtæ contigiſſe, Baronius demonſtrat. ScripſitEvangelium ex ore S.Petri magiſtri ſui, & quidem Latinè, vtpotè Romæ, primo anno, quo Petrus Cathedram ſuam iſtic fixerat, ideſt 3. anno imperij Claudij, 13.à morte Chriſti. Illud ipſum Latinum vertit ipſemet poſtea Aquileiæ in Græcum, vt habet traditio, quod etiam num Venetijs oſtenditur. S.Auguſtinus Marcum vocat breviatorem Matthæi,quia multa breviùs, quam Matthæus enarret. Quamvis verò S. Marcus plura in Evangelio omittat,quæ à Matthæo fuerant explicata, & in recenſendis doctrinis in illo ſit parcior, in narrandis tamen aliquibus hiſtorijs eſt fuſior. Evangelium S. Marci cum Petrus legiſſet,approbavit, & Eccleſiæ ſua auctoritate legendum tradidit. Proprium habuit argumentum, Chriſtum Regem, & Imperatorem eſſe demonſtrare, quod facit,ſummam eius poteſtatem deſcribens, ac obſequium, quod illi tanquam omnium Imperatori reliquæ poteſtates impendunt. Miſſus eſt S.Marcus,paulò poſt quàm ſcripſit Evangelium,à S.Petro Alexandriam in Ægyptum, & tàm florentem iſtic Eccleſiam inſtituit, & per 19. annos continuos tàm ſanctè rexit, vt apud Baronium cænobitarum Princeps, & Inſtitutor vocetur. Tandem 8.annoNeronis 31.à morteChriſti, Alexandriæ in octava Paſchæ 25. Aprilis, cum pridiè ad altare ſacris operans comprehenſus eſſet, martyrio afficitur. Iam Synopſim capitum, quæ ſunt 16. apponamus.

Enarrantur primo capite. Ioannis Baptiſtæ prædicatio,& vitæ auſteritas. Ab eodem Ieſus baptizatus, & voce cæleſti filius Dei declaratus. Huius ieiunium 40. dierum continuorum, & tentationes Diaboli ſuperatæ. Prædicatum à Chriſto Regnum Dei. Vocati Petrus, Andræas, Iacobus, & Ioannes. Ab eodem habitante in vrbe Chapharnao, & docente in Synagoga, dęmoniacus curatus. Socrus Petri febribus exſoluta. Leproſus mundatus, & ad Principem Sacerdotum ablegatus. 2.Paralytico per tectum in grabato ad pedes Ieſu demiſſo ſanitas,tàm animæ, quàm corporis reſtituta. E telonio vocatus Matthæus ad ſui ſequelam. Scribis obmurmurantibus reſpenſum, non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Phariſæis allata cauſa, cur diſcipuli

ſui

sui non ieiunent. Ijdem, spicas in Sabbatho ad famem levandam vellentes, apud illos excusati. 3. Manco manus arida à Christo restituta Sabbatho. Ob id indignatis Pharisæis, Christi recessus ad mare, sequentibus turbis. Hic ægri multi, & dœmoniaci sanati. In monte à discipulis electi duodecim Apostoli, ijque missi evangelizatum, cum potestate infirmos curandi, & dœmones ejiciendi. Scribæ calumniantes, quòd in Beelzebub dœmones expellerent, confutati. Hæc eorum blasphemia in Spiritum Sanctum non facile remittenda. Mater, & fratres sui non alij, quam facientes voluntatem Dei Patris sui. 4. Parabolæ propositę seminantis, lucernæ expositæ in candelabro, seminis, & sinapis, Apostolis suis seorsim explicatæ. Dormiente Christo orta tempestas. Hæc à se excitato à discipulis, & ventis, ac mari imperante sedata. 5. Ab energumeno ejecta dœmonum legio, & eadem, permittente Christo, ingressa in porcos, eosdem in mare præcipitans. Hæmorrhoissa à profluvio sanguinis sanata. Iairi filia à morte ad vitam revocata. 6. A Nazarenis Iesus prædicans in patria contemptus, quasi concivis, & fabri filius. Apostoli bini missi prædicatum, addita eis potestate curandi morbos, & dœmones ejiciendi. Herodes, auditis miraculis Iesu, suspicatus Ioannem Baptistam à se occisum suscitatum. Hac de causa cædes Ioannis recensita. Regressi ad Christum Apostoli, narrantes quæ egerunt. Mox à Christo quinque panibus satiata quinque hominum millia. Christi ambulantis supra mare adventus ad discipulos. Ab eodem tempestas sedata, multique contactu fimbriæ sanati. 7. A Christo Pharisæorum criminationes, quòd Apostoli illotis manibus manducarent, in ipsos, eorumque scelera retortæ. Syrophænissæ filia à dœmone liberata. Surdus, & mutus sanatus. 8. Septem panibus, pauciscque piscibus satiata quatuor millia virorum. Cavendum à fermento Pharisæorum. Curatus cæcus, videns homines sicut arbores ambulantes. Quis, qualisvè habeatur ab hominibus scisscitatus ex discipulis. Passio, & mors prædicta. Petrus illi renitens quasi Satan rejectus. Cuique crux sua tollenda, suaque anima salvanda. 9. Christus transfiguratus coram Elia, & Mose. Elias rediturus, & præcursurus adventum Christi prædictus. Dœmoniacus surdus, & mutus curatus. Contentio discipulorum de primatu, studio humilitatis curata. Vetatum à Christo, impediri quemdam non suum discipulum, tamen in nomine suo dœmonia expellentem. Grande malum scandalum, illudque igne mortificationis, & sale discretionis tollendum. 10. Libellus repudij ablatus à Christo, ac primæva matrimonij insolubilis firmitas sancita. Parvuli ad se advocati, ijsque benedictum. Diviti adolescenti suasum à Christo, sed frustra, vt relictis opibus sibi adhæreat. Concluſum inde à Christo, divites difficile salvari. Petro asserenti, se cum socijs opes abdicasse, vt Christum sequeretur, & præmium poscenti, Christus pollicitus centuplum, & vitam æternam. Passio sua prædicta per ascensum ad Ierosolymam. Iacobo, & Ioanni primas sedes in regno eius petentibus, calix Passionis propinatus. Ipsis, cæterisque fugienda ambitio, & procuranda humilitas. Bartimæo cæco visus restitutus. 11. Christus asello vectus Ierosolymam triumphabundus invectus. Ficui ficubus carenti maledictum; vnde illa arefacta. Ementes, & vendentes è templo exturbati. Hortatus Christus ad magnam in Deum fidem ab eo omnia impetrantem. Scribis rogantibus, in qua potestate hæc faciat, os obturatum à Christo, vicissim interrogante eos, in qua potestate Ioannes Baptista baptizarit, & prædicarit. 12. Scribis objecta à Christo parabola vinitorum, filium sui heri, qui erat Dominus vineæ, occidentium, vineamque sibi arrogantium. Herodianis quærentibus, an liceat Iudæis tributum

dare

dare Cæsari, responsum, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Sadducæis probata resurrectio. Maximum mandatum de diligendo Deo in toto corde. Interrogatio facta à Christo, quomodo David vocet Dominum Christum filium suum. Cavendus fastus, & avaritia Scribarum. Vidua paupercula, ob duo minuta à se in gazophylacium missa, prolixè laudata, cæterisque præposita. 13. Signa data à Christo prævia excidio vrbis Ierosolymæ, & orbis; vrbis quidem abominatio desolationis; orbis vero prædicatio Evangelij per totum orbem, ac Solis, & Lunæ obscuratio, casusque Stellarum de Cælo. Dies Iudicij omnibus incognitus. Ideò singulis vigilandum, & orandum. 14. Consultatum à principibus de occidendo Christo. Vnguentum pretiosum effusum in caput Iesu à Magdalena. Vnde murmurans Iudas, de Christo vendendo cum Iudæis Pontificibus pactus. Celebratum à Christo convivium agni Paschalis, in eoque Eucharistia instituta. Prædictum eadem nocte scandalizandos, ac fugituros Apostolos. Petrum verò ter negaturum. In horto Christus, ter orans, captus à Iudæis, quorum vni à Petro auricula abscissa, fugientibusque Apostolis, solus Iesus ligatus, & ductus ad Caipham, ibique falsò accusatus, reus mortis iudicatus, consputus, colaphizatus, & à Petro ter negatus. 15. Christus à Pontificibus traditus Pilato, accusatus, Barabbæ posthabitus, flagellatus, spinis coronatus, illusus. In Golgotha crucifixus inter duos latrones. Vestes eius sorte divisæ. A prætereuntibus blasphæmatus, quin, & à latronibus. Tenebræ per totam terram suborta. Iesus à Patre se derelictum quæstus, & clamans mortuus. Vnde à Centurione affirmatum, verè hic homo filius Dei erat. Corpus eius à Iosepho sepultum. 16. Mulieribus ab Angelo nuntiatum Christum resurrexisse, & nuntiari iubente discipulis. Mox Christus apparens Mariæ Magdalenæ, deinde duobus discipulis euntibus in Emaus, denique vndecim Apostolis. Hi ab eo missi per totum orbem evangelizatum, additaque signa, & miracula credentibus concedenda. Dominus, postquam loquutus est Apostolis, assumptus in Cælum, sedens ad dexteram Dei.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS EVANGELIJ LUCÆ, eiusque capitum.*

LUcas Antiochia Syriæ Metropoli oriundus, pictor, & medicus, ad Christum, non ante eius Passionem, sed post, conversus per S. Paulum, in eiusdem Pauli comitatu, dum in Achaia versatur, Evangelium Græcè conscripsit, stylo cæteris elegantiore, vtpotè in Græcis apprimè eruditus, anno 3. Neronis, 26. à morte Christi. Pari postea elegantia conscripsit Acta Apostolorum, maximèque S. Pauli, vsque ad prima eius vincula Romana, nempè quousque illi comes adhæsit. Mox enim Roma in Dalmatiam abijt, Galliam peragravit, Macedoniam, Græciam, Lybiam evangelizando transijt, ac tandem apud Patras vrbem Achaiæ, cælebs, anno 84. ætatis, Apostolatum suum nobili martyrio concluſit, ex olea arbore suspensus, anno Neronis 6. à morte Christi 29. Collegit suum Evangelium non solum ex sacris B. Pauli concionibus, sed etiam ex Apostolorum doctrina; & videtur magis occupatus cæteris circa Sacerdotalem Domini stirpem, atque Personam. Synopsim capitum, quę sunt 24. adijciamus.

Referuntur primo capite. Post præfationem descripta à Luca annuntiatio conceptus Ioannis Baptistæ, per Gabrielem facta Zachariæ eius parenti, qui non sat promptam fidem adhibens, mutus efficitur. Descripta etiam annuntiatio facta ab eodem Archangelo Mariæ de conceptu Iesu filij Dei in vtero illius, sed ex Spiritu Sancto. B. Mariæ Visitatio, & salutatio facta

Eliſabethæ, per quam Ioannes in vtero matris gaudio exilijt, Eliſabeth prophetavit, Maria cecinit Magnificat. Ioannes natus; à Zacharia loquela recuperata. Ab eodem laudes Deo decantatæ, & magna de Chriſto, & filio ſuo prædicta. 2. Iuſſu Cæſaris Auguſti deſcriptus vniverſus orbis Romanis ſubiectus. Hac occaſione Maria cum Ioſepho profecta in Bethlehem; vbi natus ex ea Salvator, & eiuſdem partus annuntiatus ab Angelo paſtoribus iſtic vicinis. Puero octavo die circunciſo nomen inditum IESUS. Quadrageſimo die ſecundum legem purgata Deipara; & Ieſus ab eadem præſentatus in templo, & vlnis Simeonis exceptus, & Annæ prophetiſſæ. Horum encomia, & oracula de Chriſto. Idem, cum ſe ſubduxerit ad triduum iam duodennis, ac multum quæſitus à Maria, & Ioſeph, repertus in templo in medio Doctorum. 3. Quo tempore inchoata Ioannis prædicatio in deſerto; quæ eius doctrina; quod teſtimonium de Ieſu, cur captus ab Herode. Ieſus ab illo baptizatus, & voce cæleſti filius Dei proclamatus. Eiuſdem genealogia contexta, à Ioſeph vſque ad Adamum. 4. Poſt ieiunium 40. dierum, ac repulſas Satanæ tres tentationes, regreſſus Ieſus in Galilæam. In Nazarethana ſynagoga ab eodem explicatum, editum de ſe oraculum Iſaiæ, ſimulque additum, nullum prophetam acceptum eſſe in propria patria. Hinc, Nazarenis volentibus eum lapidare, ipſe per eos tranſiens, vi divina egreſſus incolumis profectus Capharnaum: vbi curatus dœmoniacus, ſocrus Simonis à febribus, & plures alij à varijs languoribus, & dœmonijs liberati. 5. Turbæ doctæ à Chriſto è navicula Petri. Retibus iuſſu Ieſu laxatis, copia piſcium concluſa. Petrus, eiuſque ſocij invitati ad homines in poſterum capiendos. Leproſus mundatus. Fuſæ preces à Chriſto in deſerto. Paralytico peccata remiſſa, & valetudo reſtituta. Publicanus Levi ad ſe ſequendum vocatus, & domi eius convivatum. Murmurantibus ob id Phariſæis, cauſa expoſita, cur cum peccatoribus converſetur, & cur diſcipuli ſui necdum ſe affligant in debitis ieiunijs, Ioannis diſcipulis crebrò ieiunantibus. 6. Famentes diſcipuli, ſpicas Sabbatho vellentes, contra Phariſæos excuſati. Manus arida alio Sabbatho curata. Electi, creatique duodecim Apoſtoli. Veræ Beatitudines Evangelicæ explicatæ. Habita concio de dilectione inimicorum, de miſericordia, de non iudicando, de ſtudio bonorum operum. Vnde propoſitæ variæ parabolæ de feſtuca, & trabe in oculo, de bona, & mala arbore, de domo ſupra petram, & ſupra arenam fundata. 7. Servus Centurionis moribundus ſanatus in vrbe Capharnaum. Filius viduæ in Naim ſuſcitatus. Ioannis diſcipulis rogantibus an ipſe eſſet Chriſtus, editis plurimis miraculis, Chriſto proprijs, probatum ſe illum eſſe. Laudatus prolixè Ioannes apud populum à Chriſto, quaſi ſuus, & Dei Angelus. Scribæ vero, & Phariſæi tàm Chriſtum, quàm Ioannem contemnentes, acriter reprehenſi. Magdalenæ inter epulandum pedes Chriſti inungenti, ac pœnitenti peccata remiſſa. 8. Piæ mulieres famulatæ Chriſto de facultatibus ſuis. Parabola propoſita populo de ſeminante, & diſcipulis ſeorſim expoſita à Chriſto, vt & de lucerna ſuper candelabrum collocanda. Fratres, & mater Chriſti audientes, & facientes verba Dei. Maris tempeſtas ſedata. Obſeſſus à legione dœmonum liberatus. Ijdem dœmones in porcos ire permiſſi. Mulier à fluxu ſanguinis contactu fimbriæ ſanata. Iairi filia à mortuis ſuſcitata. 9. Miſſi Apoſtoli evangelizatum à Chriſto, ijſque data poteſtas dœmones expellendi, & morbos curandi, ac inſtructio, quomodò gerere ſe debeant. Opinio Herodis, & vulgi de Chriſto. Huius ſeceſſus in Bethſaidæ deſertum, ibique quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia virorum ſaturata. Rogati Apoſtoli à Chriſto, quid

de

de se dicant homines, & quid dicant ipsi. Petrus confessus, ipsum esse Messiam. Prædicta à se sua mors, & crux, omnes ad crucem tollendam adhortante. In monte coram Petro, Iacobo, & Ioanne transfiguratus, & cum Elia, & Mose colloquutus. Dœmoniacus lunaticus spumans, & stridens sanatus. Discipulis contendentibus, quis eorum esset maior, responsum, maiorem esse, qui se facit minorem. In Iacobo, & Ioanne spiritus vindictæ in Samaritanos, Christum non recipientes, castigatus. Quidam volens Christum sequi, paupertate eiusdem deterritus. Alter sequi iussus, nec permissus, vt vel defunctum patrem primùm sepeliat. Tertio etiam sequi volenti Christum responsum, nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei. 10. Præter duodecim Apostolos, electi à Christo 72. discipuli. Hi prædicatum missi, monitis ad id idoneis, & miraculorum dono instructi. Ingratis vrbibus impietas exprobata. Apostolis revertentibus, & mira quæ gesserunt narrantibus, Christus lætatus in spiritu. De fide humilibus impertita, Pater cælestis laudatus. Per parabolam hominis à latronibus vulnerati, explicatus legisperito, quis noster proximus. Exceptus Christus hospitio à Martha, cui ab eodem de sorore, quòd pedibus ipsius adhæreret conquerenti, responsum, ipsam partem optimam elegisse. 11. Discipulis à Christo tradita oratio Dominica, & modus orandi. Eiectum ab eodem dœmonium mutum, probatumque, se id non facere in Beelzebub, sed in digito Dei. Mulieri è turba ipsi aclamanti, beatus venter, &c. responsum, beati, qui audiunt, &c. Iudæis petentibus signum, datum signum Ionæ, additumque, illos condemnandos in die Iudicij à Regina Saba, & Ninivitis. Lucerna corporis oculus, isque purus, claruſque servandus. Invitatus Christus à Pharisæo, notatusque, quòd illotus ad mensam accederet, acriter vitia Pharisæorum castigans, eisdem væ comminatus. 12. Cavendum ab hypocrisi. Non timendi homines, qui corpus possunt occidere, sed Deus, qui animam potest perdere. Cavenda avaritia, ac nimia sollicitudo victus, vestitus, &c. Studendum Eleemosynæ. Lumbi præcingendi. Lucernę in promptu semper habendæ. Vigilandum continuò, vt ostendat, nos semper paratos esse debere ad diem mortis, & Iudicij, vtpotè incertam, & inopinatam. Profectus è Cælo in terram, vt ignem, crucem, & separationem ab amicis mittat in terram. Signa adventus Christi diligenter observanda. Cum adversario tempestivè transigendum. 13. Occasione Galilæorum cæsorum à Pilato, & aliorum oppressorum ruina turris Siloe, suasa à Christo pœnitentia. Ad hoc adhibita fici infrugiferæ, ideòque succidendæ parabola. Sanata mulier Sabbatho, per 18. annos incurvata. Archisynagogus inde indignatus, egregiè confutatus, cum alijs adversarijs Christi. Regnum Cælorum comparatum grano sinapis, & fermento. Pauci salvandi, & ideò curandum, intrare per angustam portam. Pharisæis suadentibus secessum Christo, eò quòd mortem Herodes ei machinetur, à se responsum, se non ab Herode, sed à Ierosolymitis, & Pharisæis ipsis occidendum, ideòque Ierusalem, & Iudæam à Tito evertendam. 14. Curatus hydropicus in Sabbatho à Christo invitato à Pharisæo, idque licere evidenti exemplo Pharisæis demonstrante. Parabola data invitatorum, ad fugiendam ambitiosam primi loci occupationem. Pauperes invitandi, non divites. Parabola habita hominis facientis cænam magnam, & vocanti multos, sese excusantes, insinuata salus animæ omnibus rebus præponenda. Suis sequacibus odio parentes habendi, & crux ferenda. Idipsum probatum per parabolam volentis ædificare, & volentis bellum gerere, quorum vterque priùs computat sumptus ad fabricam,

& bellum neceſſarios. 15. Obmurmurantibus Phariſæis, quòd Chriſtus peccatores exciperet, tribus parabolis oſtenſum, quàm laudabile, iucundum, gratumque Deo, & Angelis ſit, peccatores convertere. Primò parabola ovis perditæ, & inventæ. 2. Drachmæ amiſſæ, & inventæ. 3. filij prodigi pœnitentis, à patre in priſtinam gratiam cum oſculo, & publico gaudio recepti. 16. Ex parabola iniqui villici inſinuatum, eleemoſynis incumbendum. Servitium Dei mammonæ ſervitio contrarium. Vis facienda Regno Dei. Vxor non dimittenda. Felix pauperis Lazari, & infelix divitis Epulonis ſors in altera vita; quibus omnibus inſinuatum ſtudium beneficentiæ, & bonorum operum. 17. Cavendum ſcandalum puſillorum. Danda venia peccanti. Fides acuenda, qua poſsint montes trasferri. Mundatis decem leproſis, nonniſi vnus, & hic Samaritanus rediens, gratias acturus. Quærenti, quando veniet Regnum Dei, deſcriptus ſuus adventus ad Iudicium ita inopinatus, ſicut diluvium tempore Noè, & incendium Sodomæ, tempore Loth. Hortatus ideò omnes ſanctè vivere, ad ſe parandos; quia ex eodem loco tunc vnus aſſumetur, alter relinquetur. 18. Per parabolam viduæ, ſua importunitate extorquentis ab iniquo iudice iuſtitiam, inſinuata perſeverantia in oratione. Per parabolam Publicani pœnitentis, ideòque iuſtificati præ ſuperbo Phariſæo, inſinuatum, humiles exaltandos, humiliandos ſuperbos. Parvulis benedictum. Principi ſervanti præcepta, ſuaſa conſilia, vt ſi velit eſſe perfectus, nudus nudum Chriſtum ſequatur. Petro, qui id fecerat, poſcenti mercedem, pollicitus plura in hoc ſæculo, & in futuro vitam æternam. Sibi inſtans Paſsio, Mors, & Reſurrectio. Iericho cæcus illuminatus. 19. Ingreſſus Chriſtus domum Zachæi principis publicanorum, illi ſalutem afferens. Data parabola viri nobilis, qui ſuas mnas inter ſervos diſtribuit, ab eiſque eorum lucrum repoſcit. Ieroſolymam triumphabundus invectus, illius excidium per Titum prædicens, ac flens. Vendentes, & ementes, è templo expulſi. 20. Quærentibus Scribis, qua auctoritate Chriſtus prædicaret, ab eodem oppoſitum teſtimonium Ioannis Baptiſtæ de ſe teſtificantis, quòd à Deo ad prædicandum miſſus eſſet. Per parabolam vineæ, & colonorum perfidorum prædicens comminatus excidium Iudæis. Tentantibus, an liceat cenſum dare Cæſari, reſponſum. Reddite quæ Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Sadducæis negantibus reſurrectionem, hęc illis è ſcriptura probata. Meſsias Deus, qui non ſolum filius, ſed Dominus eſt Davidis. Cavenda Scribarum ambitio, aliaque eorum vitia. 21. Vidua dans duo minuta, cæteris liberalior. Data ſigna prævia excidio, tàm vrbis Ieroſolymę, quàm orbis. Omneſque adhortatus, vt vigilent in orationibus, ac ſobriè, piè, iuſtèque vivant, & ad diem Iudicij ſe comparent. 22. Conſultantibus Iudæorum principibus de Chriſto occidendo, facta ſponſio à Iuda, ſe traditurum illum ipſis. A Chriſto, poſt eſum agni Paſchalis, Sacrificium, & Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui inſtitutum. Contentio Apoſtolorum de primatu reprehenſa. Parata à Iuda proditio, detecta. Petro trina negatio prædicta. Gladios coèmi iuſſum. Sudor aquæ, & ſanguinis in agonia. Chriſtus oſculo Iudæ proditus, facta hoſtibus poteſtate, captus, reſtituta Malcho auris, à Petro abſciſſa. Captus præſentatus Summo Pontifici, ter à Petro negatus, à Iudæis illuſus, cæſus, blaſphematus. In concilio rogatus, apertè ſe filium Dei profeſſus. 23. Accuſatus coram Pilato, illuſus ab Herode, poſtpoſitus Barabbæ, morti adiudicatus, ductus ad Locum crucis, vetans ſe defleri, crucifixus medius inter duos latrones. Horum alter reſipiſcens. Patrem precatus pro crucifigentibus; irriſus, blaſphematus, aceto potatus; poſt tenebras clamans voce magna, &

ex-

expirans. Velum templi ſciſſum. A Centurione iuſtus pronuntiatus. A Ioſepho honorificè ſepultus. 24. Mulieribus ad Chriſti monumentum conſternatis, quòd eius Corpus non invenirent, ab Angelis nuntiatum, ipſum reſurrexiſſe, & ab his nuntiatum Apoſtolis, qui id ſibi perſuaderi non ſinunt. Duobus diſcipulis in Emaus euntibus, illa ipſa prima die, factus comes, & conviva, & panis fractione illis notus. Apoſtolis vndecim eodem veſpere apparens, ſe viſendum, & palpandum præbens, factus illis conviva, intelligentiam ſcripturarum impertiens. Pollicitus ipſis Spiritum Sanctum in Cælum aſſumptus.

## SECTIO QUARTA.

### *SYNOPSIS EVANGELIJ IOANNIS, eiuſque capitum.*

IOannes Zebedæi, & Salomes filius, frater Iacobi Maioris, nepos Iacobi Minoris, ex ſorore eius Salome, è Bethſaida Galilææ, ad mare Tiberiadis oppido oriundus, Epheſi poſtea Epiſcopus, vitæ ſuæ anno 67. à morte Chriſti 66. ab exciſa Ieroſolyma 26. Imp. Nervæ primo, reverſus ex inſula Pathmos, vbi exularat, & Apocalypſim conſcripſerat, rogatu Epiſcoporum Aſiæ, biennio antè mortem ſuam, vltimus Evangeliſtarum, conſcripſit Evangelium hoc ſuum Græcè: primò, vt Cerinthi, Ebionis, aliorumque, tum naſcentes adverſus Chriſti Divinitatem hæreſes refutaret. 2. vt quæ ab alijs Evangeliſtis, qui ferè ſolius vltimi anni geſta Chriſti, puta à vinculis Ioannis Baptiſtæ, proſequuntur, prætermiſſa fuerant, ſuppleret; nam duorum potiſsimum priorum annorum hiſtoriam contexit. Scripſit omnium ſublimiſsimè, prævio prolixo ieiunio, prævijs tonitruis, & fulguribus, vt alter Moyſes, & verus Boanerges, ideſt filius tonitrui. Hic propter doctrinæ ſublimitatem Aquilæ comparatur, & per excellentiam Theologus vocatur à Patribus. Pervenit vſque ad tempora Traiani Imperatoris, & Epheſi 68. poſt Paſsionem Domini anno, qui erat à Nativitate Domini noſtri 100. vel 101. in pace quievit, ætatis ſuæ anno 93. Capitum, quæ ſunt 21. Synopſim adſcribamus.

Narrantur primo capite. Verbum, ſeu filius Dei, cum eſſet Deus, antè ſæcula ab omni æternitate genitus ex Patre Deo, Homo factus in tempore. De eo perhibitum teſtimonium à Ioanne Baptiſta, Iudæos ad ipſum excipiendum invitante, vtpotè promiſſum olim, & iam miſſum ipſis Meſsiam, Salvatorem, & Redemptorem. Andræas, vnus è duobus diſcipulis Ioannis viſitantibus Chriſtum, factus eiuſdem aſſecla, & fratrem ſuum Simonem ad eundem deducens, ſicut & Philippus Nathanaelem, cui à Chriſto ſecreta ſua ſub ficu facta revelata. Inde ab eo agnitus Meſsias, & ideò Chriſtus pollicitus ei maiora, ſcilicet, quod viſurus ſit Angelos è cælo ad ſe deſcendentes, & aſcendentes. 2. A Ieſu, vocato ad nuptias Canæ Galilææ, ibidem aqua converſa in vinum. Ieroſolymæ mercatores expulſi è templo. Iudæis petentibus ſignum, quo oſtenderet ſe à Deo miſſum, datum in ſignum, templum corporis ſui ſolvendum à Iudæis, ſed tertio die à ſe rurſus excitandum. Multi, viſis eius miraculis, credentes in eum, quibus tamen ipſe ſe non credit. 3. Nicodemus inſtitutus à Chriſto de regeneratione per baptiſmum. Exaltatio ſua facienda in cruce, inſtar ſerpentis ænei à Moſe erecti, ad ſalvandum Mundum. A Ioanne Baptiſta diſcipuli ſui de Chriſto murmurantes retuſi, quòd Chriſtus eſſet Eccleſiæ ſponſus, cui omnia Pater in manus dedit, vt qui credit in eum, habeat vitam æternam. 4. Chriſtus è Iudæa, vbi baptizarat, in Galilæam regreſſus, in itinere cum muliere Samaritana colloquutus, docens eam, quæ ſit aqua viva, quæ vera adoratio. Eidem à ſe re-

velatus tanquam Meſsias. Diſcipulis mirantibus eius cum muliere colloquium, & cibum illi apponentibus reſponſum à Chriſto, ſe cibum alium habere, nempè facere voluntatem Patris circa meſſem, & ſalutem hominum. Vnde confluentes ad ſe multi Samaritani, eius prædicatione converſi. Reguli filius ſanitati reſtitutus, & eiuſdem tota domus facta fidelis. 5. Languens per 38. annos ad piſcinam Probaticam, ſanatus in Sabbatho. Iudæi factum calumniantes, auctoritate Patris ſui cæleſtis convicti. Vnde aſſertum à Chriſto, ſe cum Patre mortuos vivificare, etiam à Patre conſtitutum Iudicem omnium. Tribus teſtimonijs probatum ab eodem, ſe eſſe Meſsiam, primo teſtimonio Ioannis Baptiſtæ. 2. teſtimonio propriorum operum, & miraculorum. 3. teſtimonio Moſis. 6. Quinque panibus, & duobus piſcibus cibata quinque millia virorum. Fuga defenſus contra volentes ipſum regem creare. Greſſus ſupra mare. De pane cæleſti, & Euchariſtico multa diſputata. His aliqui offenſi, plerique etiam eius diſcipuli deſerentes magiſtrum ſuum, Apoſtolis tamen ipſi conſtanter adhærentibus. 7. Cognatos ſuos ad feſtum ſcenopegiæ profectos, clam Chriſtus ſubſequutus Ieroſolymam. Hic varij de illo rumores. Sed murmurantibus Iudæis reſponſum à Chriſto, ſe à Deo Patre doctum, & miſſum, eiuſque ductu, & inſtinctu curare ægros, etiam Sabbatho. A Phariſæis, volentibus eum occidere, miſsi fatellites, qui cum comprehendant; ſed hi, audita Chriſti prædicatione, attoniti, & eo intacto, regreſsi Phariſæis dicentes, nunquam ſic loquutus eſt homo, ſicut hic homo. Nicodemus Ieſum defendens, à Phariſæis reprehenſus, quaſi Galilæus, & Ieſu fautor. 8. Mulieri in adulterio deprehenſæ condonata peccata. Ieſus lux Mundi. Iudæi, niſi in ſe credant, in peccatis ſuis morituri. Ieſus principium, credentes in ſe liberans à peccatis. Iudæi increduli peccatis inquinati, ſervi peccati, ac nati ex patre diabolo. Iudæis ſibi obijcientibus, quòd habeat dæmonium, & quòd ſit Samaritanus, reſponſum, ſe dæmonium non habere, ſed Patrem cæleſtem honorificare. Aſſerentem, ſe antiquiorem Abrahamo, & ex Deo natum, ac Dei filium, conati Iudæi lapidare; ſed ipſe ſe ſubducit. 9. Cæcus natus die Sabbathi illuminatus. Inde Phariſæi Chriſtum, quaſi Sabbathi violatorem, criminati. Verum à cæco iam videnti defenſus. Ideò cæcus extra Synagogam eiectus, ſed à Chriſto receptus, & edoctus. 10. Duæ datæ à Chriſto de ſe parabolæ, vna oſtij, alia paſtoris ovium, & vtraque à ſe ſibi attributa. Iudæis, inter ſe de Ieſu diſſentientibus, & rogantibus eum, vt clarè dicat, num ipſe ſit Meſsias, ideſt Chriſtus, reſponſum à Ieſu, ſe eſſe Chriſtum; ſed Iudæos id nolle agnoſcere, eò quòd non ſint oves ſuæ. Adverſus Iudæos, tollentes lapides, vt in eum iaciant, Chriſtus ſe, & ſua dicta tutatus illo dicto Pſalm. 81. Ego dixi Dij eſtis. Quare à Iudæis, eum capere volentibus, inviſibiliter elapſus. 11. Lazarus, quatriduo mortuus, ac ſepultus, reſuſcitatus à Chriſto, præfato ante, ſe vitam eſſe, & reſurrectionem. Multis hoc miraculo converſis, à Phariſæis, & Pontificibus communi concilio decreta mors, Chriſto inferenda, ſuggerente Caipha, & prophetante, expedire, vt Chriſtus pro populo moriatur. Chriſti, eorum iras declinantis, ad paucos dies feceſſus in Ephrem. 12. Ieſus Bethaniæ convivio exceptus, in quo & à Magdalena voctus, eandem contra murmur Iudæ defendens. Principes etiam Lazarum interficere meditati. Interim Chriſtus aſino vectus, cum pompa quaſi Meſſias Ieruſalem ingreſſus. A Gentilibus expetitus; voce cæleſti clarificatus. Per parabolam grani frumenti, quod moriens copioſè reſurgit, prædicta inſtans ſibi Paſsio. Morte ſua princeps tenebrarum foras eijciendus, Pater cæleſtis ho-

honorandus, Iudæi magis excæcandi. 13. A Christo, antè institutionem Eucharistię, pedes discipulorum abluti. Mox prodendus à Iuda, proditorque, porrecta illi buccella, Ioanni indicatus. Datum novum dilectionis mandatum, ac Petro trina sui negatio prædicta. 14. Christus, abiens è terra, solatus discipulos, dicens quòd vadat eis parare locum in domo Patris. Thomę roganti, quo vadis? & qua via? Responsum à Christo, ego sum via, veritas, & vita. Philippo cupienti, sibi ostendi Patrem, dictum, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Pollicitus, se suis alium Paraclitum missurum. Iudæ Thadæo testatus, se servantem mandata sua diligere. Sua pax Apostolis à se donata. 15. Christus vitis, nos palmites, vt scilicet nos in eo, quasi palmites in vite manentes, uvas, & vinum spiritale proferamus. Inculcata dilectio Dei, & proximi. Prædictæ mundi persequutiones, post mortem suam in Apostolis irruiturę. His oppositus Paraclitus à se mittendus. 16. Persequutiones, & cruces prænuntiatæ a Christo discipulis suis: sed contra eas promissus Spiritus Sanctus, qui arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio, vt Christum clarificet. Mulieri in partu dolenti, sed post partum gaudenti comparati discipuli morte sua afflicti, sed resurrectione mox iterum recreandi. Dispersio eorum, ac fuga prædicta. 17. Pater à Christo rogatus, vt mutua fiat illustratio gloriæ suæ, & ipsius; rogatus & pro Apostolis, & pro toto credentium grege. 18. Christus à Iuda proditus Iudæis. Hi omnes, vno verbo Christi, resupini prostrati. Malcho auris dextra gladio abscisa à Petro. Dein, sponte capiendum se præbens, ad Annam ductus, vbi alapa cæsus cædentem iniustitia redarguens, priùs tamen ibidem Petro Christum negante. Ab Anna missus ad Caipham. Pilato traditus, & apud eum accusatus. Examen Iesu factum à Pilato, qui, deprehensa eius innocentia, eum liberare fatęgit, conferens eum cum Barabba. 19. Iesus flagellatus, spinis coronatus, & varijs modis illusus. A Pilato, cum eum liberare nequiret, iudæorum improbitate superato, crucifigendus traditus, medius inter duos latrones, impositio cruci titulo, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, quo causa mortis innotesceret. A militibus vestimenta eius sorte inter se distributa. Matri suæ à Iesu Ioannes in filium assignatus. Aceto potatus, & vociferatus, Sitio, & consummatum est, expirans. Mortui latus lancea transfixum, sanguine, & aqua inde profluente. Cadaver aromatibus conditum, à Ioscpho ab Arimathæa, & Nicodemo novo monumento mandatum. 20. Nuntiatum Apostolis à Maria Mandalena, Christum resurrexisse. Petrus, & Ioannes currentes profecti ad monumentum id exploraturi. His redentibus, hærenti ibidem Mariæ Magdalenæ visus Iesus redivivus. Visus eiusdem diei vespera à decem discipulis domi congregatis, ijdem dans spiritum, & potestatem remittendi peccata. Deinde visus ab ijsdem post octiduum vna cum Thoma. Hic nolenti aliter credere, vulnera manuum, & lateris exhibita contrectanda. 21. Petro, & sex eius socijs, piscantibus in mari Galilææ, iterum apparens Iesus, & ab ijs miraculo captorum piscium cognitus. Petro, plus cæteris diligenti Christum, oves à se suæ pascendæ, & fideles omnes regendæ commissæ, eidemque mors crucis prædicta, & roganti, quid de Ioanne futurum, responsum, quid ad te? tu me sequere.

## CAPUT SECUNDUM.

### *SYNOPSIS LIBRI HISTORIALIS Novi Testamenti.*

VNicus est liber Historialis Novi Testamenti, qui Acta Apostolorum inscribitur. Huius Synopsis per vnicam sectionem exponenda.

SEC-

## SECTIO VNICA.

### *SYNOPSIS ACTVVM APOSTOLORVM, eorumque capitum.*

ACta Apoſtolorum, Syriacè Hiſtoria Apoſtolorum, à S. Luca Medico, & pictore Antiocheno Græcè eleganter conſcripta ſunt. Conſpicies hic primam Eccleſiæ Chriſtianæ infantiam ſimul, & perfectionem, fidelibus aſpiratam à Spiritu Sancto per prędicationem Apoſtolorum Petri præſertim, ac Pauli, cuius comes individuus, & cooperator fuit Lucas. Hic denique conſpicies, Eccleſiam Chriſti non (vt optabant Iudæi) cum cruce, & morte ipſius extinctam, ac ſepultam, ſed maximis ſubitò incrementis auctam, ampliatam, ſtabilitam. Et quidem primis novem capitibus per Iudæam, & Samariam, poſterioribus novendecim per Syriam, Licaoniam, Pamphyliam, Græciam, & reliquum orbem. Complectitur autem hæc hiſtoria annos omninò 27. nempe quot ab Aſcenſione Chriſti effluxerunt vſque ad quartum annum Neronis Imperatoris. Synopſim capitum, quæ ſunt 28. addamus.

Recenſentur primo capite. Chriſtus quadrageſimo die à Reſurrectione gloriosè in cælum aſſumptus. In locum Apoſtatæ Iudæ ſurrogatus Matthias. 2. Spiritus Sancti, cum vento valido, & linguis igneis, die Pentecoſtes adventus in diſcipulos Chriſti. Petri prima concio, qua converſa tria Iudæorum millia. Deſcriptæ continuæ orationes, ſynaxes, charitas, & mores ſancti primorum Chriſtianorum. 3. Claudo greſſus à Petro reſtitutus. Populus, ad miraculum obſtupeſcens, edoctus id patratum nomine, & virtute Ieſu Chriſti. Inde hic demonſtratus Meſsias, per Moyſem, & Prophetas toties promiſſus. Quapropter moniti omnes, vt in eius Fidem, & Eccleſiam tranſeant. 4. Petrus, & Ioannes, prædicantes Chriſtum reſuſcitatum, eiuſque Evangelium, capti, incarcerati, & od concilium ducti. Hic vetiti prædicare Chriſtum, conſtanter reſpondentes, oportere magis obedire Deo, quàm hominibus, liberati. Reddit ſuis, laudantes Deum, & vberiorem Spiritus Sancti gratiam, ac robur accipientes. In huius rei ſignum terræ motu concuſſus locus, in quo orabant. Chriſtiani omnes concordes, ac vnanimes, inter eos nullus egens, vendentes promiſcuè poſſeſsiones ſuas, & domus, & ex earum pretio ſinguli habentes tantum, quantum opus habebant. Inter illos recenſitus etiam Barnabas. 5. Ananias, & Sapphira, ob fraudatum agri pretium, morte ſubitanea à S. Petro puniti. Huius alia crebra miracula, ſicut etiam aliorum Apoſtolorum, recenſita. Apoſtoli à Iudæis incarcerati, liberati ab Angelo. Inde, concionantes in templo, à magiſtratu abducti in concilium. Huic, quamvis ab eo increpati, intrepidè reſpondentes, obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Sapienti conſilio Gamalielis, morti ſubtracti; flagelis cæſi, ſed his gaudentes, & læti alacriùs, atque audatiùs Chriſtum prædicantes. 6. Creſcente in dies credentium numero, ad ſedandum murmur Græcorum, creati ſeptem Diaconi. Inter hos eminens Stephanus, à Iudæis, quos convicerat, captus, & in concilio reus actus violatæ legis Moſaicæ. 7. Acta cauſa ſua à Stepheno in concilio perorante, ac altè retexente geſta Abrahæ, Iſaac, Iacob, Moyſis, aliorumque Prophetarum. Ab eodem inde demonſtratum, quòd ſicut illis prænuntiantibus venturum Chriſtum reſtiterunt priſci Iudæi, ita nunc poſteros eorundem reſiſtere Chriſto, eiuſque diſcipulis, eſſeque proditores, & Chriſticidas. Vnde à furentibus Iudęis raptus Stephanus, & lapidibus obrutus, Saulo veſtes lapidantium aſſeruante. 8. A morte, & ſepultura S. Stephani gravis excitata in Eccleſiam Ieroſolymitanam per-

perſequutio. Vnde fideles diſperſi in varias regiones, & inter alias in Samariam. Hæc ad Fidem converſa cum Simone Mago. Sed hic, volens emere pecunia poteſtatem dari Spiritum Sanctum, acriter à S. Petro increpatus. Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus à Philippo. 9. Saulus converſus ad Chriſtum. A S. Petro Æneas paralyticus curatus, & Dorcas à morte ad vitam revocata. 10. Cornelius Centurio Romanus, iuſſu Dei, per viſionem lintei, & quadrupedium, id ſignificantis, in Fide Chriſti inſtructus, & baptizatus à S. Petro, ex Ioppe Cæſaream evocato. Sic omnibus Gentibus palam apertum oſtium ad Evangelium, & Eccleſiam. 11. Iudæo, Chriſtianis ob inductum in Eccleſiam Cornelium expoſtulantibus cum Petro, ob hoc narrante ſuam, & Cornelij viſionem, ſatisfactum. Narratum incrementum Fidei, præſertim Antiochiæ. Huc ideò miſſus Barnabas, à quo cum Saulo, totum annum ibi Evangelizante, multi converſi. Quapropter ibidem primò diſcipuli cognominati Chriſtiani. Fames inſtans toti orbi ab Agabo propheta prædicta. Quare à fidelibus Antiochenis facta collecta pecuniaria, & fidelibus Ieroſolymitanis opportunè tranſmiſſa. 12. Herodes Agrippa à Caio Caligula Imperatore, vt Iudæis gratificetur, rex Iudææ creatus. Ab hoc occiſus gladio Iacobus Zebedæi, & Petrus in carcere coniectus. Verum Petrus ab Angelo liberatus, & Herodes, à populo Deus acclamatus, occiſus ab Angelo. 13. Saulus, & Barnabas, expleto Ieroſolymis miniſterio delationis eleemoſynarum, reverſi Antiochiam, iuſſu Spiritus Sancti miſsi, vt etiam alibi Gentibus evangelizent. Ergo peragrata Seleucia, Cypro, Salamina, Paphi ab ijſdem Sergius Paulus Proconſul converſus, excæcato Elima Mago. Inde profecti Pergen Pamphyliæ, & Antiochiam Piſidiæ, ſed à Iudæis ſynagoga expulſi, pedum excuſſo pulvere, convertentes ſe ad gentes, progreſsi Iconium. 14. Iconij multi à Paulo, & Barnaba converſi. Vnde, pulſi à Iudæis, fugientes Lyſtram. Hic, ob claudum ſanatum, ab ijſdem divini honores Iovis, & Mercurij ſibi à Gentilibus delati recuſati, & refutati. Ibidem rurſum opera Iudæorum lapidati; ſed fugientes Derben, ac tandem relegentes ſuum iter, confirmatis vbique fidelibus, ordinatiſque presbyteris, regreſsi Antiochiam. 15. Suborta Antiochiæ quæſtione, an è Gentilibus converſi ad Chriſtum eſſent circuncidendi, & ab ijſdem ſervanda lex Moyſis, ad huius quæſtionis ſolutionem petendam, Ieroſolymam miſsi Paulus, & Barnabas ad Apoſtolos, & presbyteros. Ab his coacto concilio reſpònſum, Chriſtianos lege Moyſis non teneri. Quo reſponſo Antiochiam delato, Paulus aſſumpto Sila, & Barnabas Ioanne Marco, profecti ad Evangelizandum Gentibus verbum Dei. 16. Circunciſus à Paulo, ne Iudæos offenderet, Timothæus, iſque à ſe ſuæ prædicationis ſocius aſſumptus in Aſia, & Bithynia. Hinc divino monitu per viſionem evocatus Paulus in Macedoniam, vbi Philippis à ſe converſa Lydia purpuraria, ac dæmon eiectus è puella. Quamobrem virgis cæſus cum Sila in carcerem compactus. Sed eius oſtia terræmotu, ipſis orantibus, noctu aperta. Ipſi adhuc in carcere perſiſtentes, & converſo ad Chriſtum cuſtode, totaque eius familia, liberi, & cum honore à Magiſtratu dimiſsi. 17. Philippis egreſſus Paulus, cum ſuis profectus Theſſalonicam, vbi multi à ſe converſi. Sed Iudæis eum perſequentibus, abiens Berœam, inde Athenas, hic occaſione aræ ignoto Deo dicatæ, Deum hunc Chriſtum eſſe demonſtrans, plurimos ad eius Fidem lucratus, & inter alios Dionyſium Areopagitam. 18. Paulus Athenis pergens Corinthum, hic iuſſu Dei pollicentis multorum converſionem per ſeſquiannum concionatus. Accuſatus à Iudæis, ſed à ſe purgatus apud

Proconſulem. In huius conſpectu à furentibus Iudæis Soſthenes verberatus. Poſthæc à Paulo peragrata Epheſus, Cæſarea, Antiochia, Galatia, & Phrygia. Apollo à Priſcilla, & Aquila inſtructus, à quo Epheſi, & in Achaia Fides Chriſti fortiter propugnata, & propagata. 19. A Paulo, Epheſum redeunte, ibi duodecim diſcipuli Ioannis Baptiſtæ baptizati, & confirmati. In ſinagoga tres menſes, mox in ſchola tyranni biennium concionatus. Plurimis miraculis à ſe ſua dicta confirmata, ſolis ſudarijs ſuis ægri ſanati, & dœmones pulſi. Hoc volentes imitari Iudæi Sceve filij, invaſi à dœmone. Quare ab alijs territis magia damnata, & magici combuſti. Tumultus, à Demetrio argentario Dianæ excitatus contra Paulum, à Scriba ſedatus. 20. Paulus Epheſo excedens, per varias Aſiæ, & Græciæ vrbes profectus in Macedoniam, inde Troadem, vbi Eutychus à morte revocatus. Inde Miletum, quò ſeniores Epheſi à ſe accerſiti, & commendata ipſis Eccleſia, vltimum vale dictum. 21. Paulus navigio vectus Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaida, Cæſaream, vbi ab Agabo vincula ei Ieroſolymitana prædicta. Profectus igitur intrepidus Ieroſolymam, vbi, ſuadente Iacobo, purificans ſe in templo, à Iudæis captus, & pœnè occiſus, ſed à Tribuno ereptus, à quo poteſtate ſibi facta, populum ex editiore loco alloquutus. 22. Paulus ad populum perorans, quamdiu vocationem ſuam de cælo, & converſionem ad Chriſtum enarrat, cum ſilentio auditus: Sed ſtatim ad convertendas gentes faſſus ſe miſſum, ab omnibus ſublato clamore ad mortem poſtulatus. Quare à Tribuno iuſſus flagellari, & torqueri. Sed cognitus tanquam civis Romanus, flagris exemptus, & poſtero die in publico Iudæorum concilio ſe purgare permiſſus. 23. Paulus in Iudæorum concilio cauſam ſuam exorſus, iuſſus à Pontifice percuti, inde Phariſæum ſe proclamans, ad illius Sectæ favorem ſibi conciliandum, à Tribuno in arcem retractus; à Chriſto viſitatus, & animatus. Iudæis in eius necem conſpirantibus, ſed conſpiratione detectis, Cæſaream à Tribuno ad Felicem Iudææ Præſidem tranſmiſſus. 24. A Tertullo oratore accuſatus coram Felice Paulus cauſam ſuam ſic tutatus, vt Felix optarit inſtrui in Fide Chriſti, totuſque contremuerit, diſputante Paulo. Hic tamen Portio Feſto ſucceſſori ſuo vinctus à ſe relictus. 25. Poſcentibus Iudæis Feſtus ſciſcitatus ex Paulo Cæſareæ à ſe audito, num velit cauſam Ieroſolymis coram ſe dicere. Hoc à Paulo denegatum, & Romam ad Cæſarem appellatum. Feſtus annuens, priuſquam ad Cæſarem illum mittat, deprecatus Agrippam regem, vt eundem audiat, & quid de eo faciendum ſit ſuggerat. 26. A Paulo coram rege Agrippa, Præſide Feſto, totoque procerum conſeſſu, vita acta à iuventute, divinaque vocatio, tanto ardore, & auctoritate expoſita, vt Præſes exclamet eum inſanire. Rex Agrippa etiam in Chriſtianam Religionem ſe propendere faſſus, ſimul Paulum innocentem pronuntians, mittendum tamen ad Cæſarem, quia ad illum appellarat. 27. Paulus Romam devehendus cum alijs pluribus vinctis traditus Centurioni. Cretam appellenti, ac prædicenti inſtantem tempeſtatem, & naufragium, fides illi non habita. Iteratò idem à Paulo inculcatum, additumque vectores omnes (vt cælitùs ſibi revelatum fuerat) poſt naufragium ex vndis eripiendos, & terræ ſalvos reſtituendos, & ita factum. 28. Paulus è naufragio Melitam appulſus, è manu vipera à ſe excuſſa illæſus. Sanatus à Paulo pater Publij, & alij. Inde poſt trimeſtre nave vectus, & Romam ingreſſus. Hic convocatis Iudæis, cauſa adventus ſui, & Fides in Chriſtum expoſita, ac biennio Romæ in libero carcere degens, intrepidè concionatus Evangelium.

****

CA-

## CAPUT TERTIUM.

### *SYNOPSIS SAPIENTIALIUM NOVI Teſtamenti.*

SApientiales libri Novi Teſtamenti, quibus hominum Fidelium mores inſtruuntur, ſunt Apoſtolorum Epiſtolæ, omnes numero 21. videlicet B. Pauli quatuordecim, ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Epheſios vna, ad Philippenſes vna, ad Coloſſenſes vna, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timothæum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna, ad Hebræos vna; B. Petri Apoſtoli duæ; B. Ioannis Apoſtoli tres; B. Iacobi Apoſtoli vna; B. Iudæ Apoſtoli vna. Ordo, quo ſingulæ ſcriptæ ſunt, hic eſſe videtur: omnium prima eſt S. Petri prior Epiſtola, Romæ ſcripta anno à morte Chriſti 13. 2. fuit S. Pauli prior ad Theſſalonicenſes, Corintho data anno à Chriſti morte 20. 3. poſterior ad eoſdem, ex eadem vrbe data anno ſequenti. 4. quadriennio poſt prior S. Pauli ad Corinthios, Epheſo miſſa anno à morte Chriſti 25. 5. eodem anno è Macedonia prior ad Timothæum 6. ſequenti anno poſterior ad Corinthios. eodem 7. ad Galatas, & 8. ad Titum, Nicopoli omnes. 9. eodem anno ſcripta Cenchris Epiſtola ad Romanos. 10. ſequenti anno puta à morte Chriſti 27. ſcripta Epiſtola ad Epheſios, & 11. ad Philippenſes, vtraque è carcere Romano. 12. anno à morte Chriſti 28. ex eodem carcere data Epiſtola ad Coloſſenſes, & 13. ad Philemonem, & 14. ad Hebræos. 15. S. Iacobi data videtur anno ſequenti, & paulo poſt 16. S. Iudę. 17. Pauli poſterior ad Timothæum, & 18. S. Petri etiam poſterior, datæ à morte Chriſti anno 35. vltimæ ſunt prima, 2. & 5. S. Ioannis.

Porrò ex his 21. Epiſtolis, ſi 14. S. Pauli excipias, reliquæ ſeptem dicuntur Catholicæ, hoc eſt orbiculares, quòd non ad vnam gentem, aut Ciuitatem datæ ſint, ſed vniverſaliter Fidelibus, ſivè Iudæis, qui diſperſi erant, ſivè etiam Chriſtianis ſub eadem Fide degentibus. Quòd ſi aliquando Canonicas appellari legimus, nos Catholicas eas vocamus, cum Biblijs correctioribus, quæ dum earum primam, & vltimam ſic appellant, idem iudicium fieri videntur voluiſſe de medijs. Hæ omnes 21. Epiſtolæ primum Græcè conſcriptæ ſunt, vtpotè ad Græcos, vel Græcæ linguæ, cuius tunc paſsim vſus, ſat peritos. Excipiò Epiſtolam ad Hebræos, de qua ſuo loco.

Argumentum illarum ferè triplex eſt. Primum Sinceram fidei, morumque Chriſtianorum doctrinam, ad quam per orbem promulgandam à Chriſto miſsi erant, evulgare, explicare, inculcare. Et quidem priore omnium Epiſtolarum parte, quæ Dogmatica eſt, ea, quæ Fidei ſunt, exponunt; poſteriore, quæ Ethica eſt, mores componunt. Secundum Argumenti genus eſt, Iudaiſmum, & cæremonias Iudaicas, per novam Chriſti Legem abrogatas, impugnare, & convellere. Id maximè in Epiſtolis ad Romanos, Galatas, Philippenſes, & Hebræos præſtitum videas. Tertium eſt, hæreſes iam tum naſcentes ſuffocare, & eradicare, puta Simonis Magi, cum ſua ſobole Menandro, Saturnino, Baſilide, Carpocrate, Cerintho, Gnoſticis, & alijs. Ad has hæreſes convellendas ſcriptæ primariò Epiſtolæ S. Pauli ad Epheſios, Coloſſenſes, & Timothæum, S. Petri Epiſtola poſterior, & S. Iudæ. Reliquis Epiſtolis, videlicet ad Corinthios, Theſſalonicenſes, Titum, Philemonem, vt & S. Iacobi, Ioannis, & priore Petri, ferè privata documenta traduntur; propoſita dubia diſſolvuntur, & ad conſtantiam in Fide, & officio Chriſtiano ſtimuli ſubduntur.

Nunc omnium Epiſtolarum Synopſim per 21. ſectiones adijciamus.

)(§)(

SEC-

## SECTIO PRIMA.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD ROMANOS, eiusque capitum.*

QUoniam hæc Epistola, cum alijs tredecim sequentibus, scripta est à S.Paulo, placet aliqua de eodem præmittere. B. ergo Paulus Apostolus, qui Saulus antè suam conversionem dictus est, extra numerum Apostolorum, Iudæus de Tribu Beniamin, natus Tharsi, Ciliciæ non ignobili loco, ac oppido, à parentibus, ob studia legis, missus Ierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo eruditus est. Tantum, eo præceptore, in doctrina legis Moysis, paternarumque traditionum profecit, vt multos coætaneos in genere suo superaret, & in ordinem Pharisæorum cooptaretur; scænofactoriam artem, qua fiebant pertinentia ad tabernacula, vel vmbracula, pelles, funes, & alia didicit. Æmulator autem existens paternarum traditionum, atque arbitratus se magnum obsequium præstare Deo, Christianos omnes, non solum Ierosolymis est persequutus, & custos factus vestimentorum lapidantium protomartyrem Stephanum, sed postulans quoque litteras à Principibus Sacerdotum, ad Synagogas, in Damascum profectus est, vt Christianos ibidem repertos, vinctos perduceret Ierusalem. Adolescens, hoc est vir iuvenis annorum 35. natus, anno Christi 36. die 25. Ianuarij, 2. post Dominicam Ascensionem, Mosaycis renuntiavit cæremonijs. Mox publicè Damasci, & alibi prædicare cæpit, & post annos octo. Dei monitu, cum Barnaba est Antiochiam profectus, vbi erant Prophetæ, & Doctores, inter quos diu conversati, Spiritus Sancti iussu, ordinati sunt ab ijsdem Sacerdotes. Cælebs fuit, orationibus, vigilijs, & ieiunijs deditus, sollicitus pro colligendis eleemosynis, eisque pauperibus Christianis Ierosolymis habitantibus, mittendis. Numquam vinum bibit; raptus est vsque ad 3. cælum, non quidem in sua conversione, quando à Christo vocatus est de cælo, & tribus diebus non vidit, nec aliquid cibi, potusvè sumpsit, sed sicuti suum ipsemet raptum commemorans affirmat, antè annos quatuordecim, qui computandi cum sint à tempore, quo illam scribebat Epistolam, sanè post triennium à sua conversione raptum fuisse, necesse est affirmare: annos enim 17. ab anno suæ conversionis vsque ad tempus illius Epistolæ interfluxisse, diligenti animadversione deprehendit Baronius anno Christi 36. tomo 1. suorum Annalium. Statura erat pusillus, corpore scilicet parvo, & contracto, atque paululum inflexo, facie candida, annosque plures præferente, & capite modico, oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulchrè inflexus, idem longior, barba densior, satis promissa, eaque non minus, quàm capitis coma, canis respersa. Post peragratam Hispaniam, Romam reversus, à Nerone Imperatore, eò quòd eius Pellicem, vel Patroclum eiusdem pincernam, è mortuis susciatos ad Christi Fidem traduxisset, vnà cum Petro, Redemptionis nostræ anno 69. 3. Kal. Iulij, ætatis suæ 68. martyrij laurea Romæ decoratus est, in cuius martyrio admirabile illud contigit, quod à venis dissecti gutturis lac effluxit pro sanguine, & amputatum caput, virtute divina, tribus se saltibus extulit, tresque fonticulos patentis aquę, qui etiam hodie visuntur, excitavit. Scripsit Epistolas ad diversos, nec plures, quàm quatuordecim enumeratas. Nàm Epistola ad Laodicenses, cuius meminit scribens ad Colossenses cap. 4. est eadem cum illa, quàm B. Paulus ad Timothæum per Tychicem Diaconum ex Laodicea misit. Scriptæ ad Senecam non recipiuntur. His præmissis de S. Paulo, quod pertinet ad Epistolam ad Romanos, hæc est scripta Græcè,

vt

vt ſuadent Græcanici Idiotiſmi,& quidem è Cenchrenſi portu Corintho vrbi vicino, miſſa per Phœben, anno à morte Chriſti 26. Ponitur primo inter omnes loco, partim ob præeminentiam Romanę Eccleſiæ, partim ob exactam omnis generis doctrinam, partim quia gratiam Fidei maximè commendat, & inculcat, quę caput eſt, & initium Chriſtianiſmi. Primis quinque capitibus reprimit faſtum, tùm Iudæorum, tùm Gentilium, docetque, tàm hos legem naturæ,quàm illos legem Moyſis violaſſe, ideòque omnes eſſe ſub peccato, & conſequenter egere Salvatore Chriſto, quodque ex Fide, & Gratia Chriſti, non autem ex operibus legis Moſaycæ, vel noſtrę, petenda ſit Iuſtitia. Capite 6.& 7.inſtruit fideles, quomodo in Iuſtitia per Chriſtum accepta progredi, vitijſque, ac concupiſcentię ſuæ reſiſtere debeant. Cap. 8. fructus enumerat ex Fide, & Iuſtitia Chriſti ſubnaſcentes. Capite 9. 10. & 11. docet Gentes ad Iuſtitiam electas eſſe, Iudæos ab illa reiectos, eò quòd Gentes Chriſto crediderint, Iudæi vero credere noluerint. A cap. 12.vſque ad 16. quod eſt poſtremum, mores inſtruit fidelium, hortaturque ad varia virtutum Chriſtianarum exercitia. Synopſis capitum eſt adijcienda.

Referuntur primo capite. Evangelij à S. Paulo prædicati excellentia demonſtrata. Gentes omnes, ante acceptam Chriſti Gratiam, graviſsimis, fædiſsimiſque peccatis, & iræ Dei obnoxiæ, & conſequenter Fide, & Gratia Chriſti indigentes. 2. Reprehenſi Iudæi ex data ſibi lege condemnantes Gentiles quaſi peccatores. Deus iuſtus Iudex, cuique, tàm Iudæo,quàm Gentili redditurus ſecundùm opera. Non auditores Legis, ſed factores iuſtificati;atque non ſolis Iudæis, ſed, & Gentibus Lex à natura indita. Iudæi reprehenſi ex Lege ſua docentes alios, non ſeipſos, facientes eadem, quæ in alijs carpunt. Circunciſio vera, non externa, ſed interna, conſiſtens in obſervatione Legis,quæ eſt circunciſio cordis in Spiritu, non littera, coram Deo, non coram hominibus. 3. Omnes igitur homines, tàm Iudæi, quàm Gentiles ſub peccato Gratia Chriſti egentes. Iudæi tamen præcellentes Gentibus, in eo, quòd ijſdem Iudæis credita ſint eloquia, & promiſſa Dei, quæ Deus fideliter adimplet, etiamſi nonnulli eorum fuerint, & ſint increduli; etſi enim Deus verax, omnis tamen homo mendax. Iudæi vero pares Gentibus in eo, quòd omnes ſub peccato; idque multis probatum argumentis. Iidem à peccato liberati, & iuſtificati, non ex operibus Legis, in quibus gloriabantur Iudæi, ſed ex Fide in Chriſtum Propitiatorem. 4. Exemplo Abrahæ probatum, iuſtificationem Fidei non per opera Legis, aut naturæ, ſed per Fidem Chriſti. Nam ſi credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, eadem verba dicta Abrahæ antè datam citcunciſionem ad Abraham ab Abraham poſtea acceptam, vt ſignaculum iuſtitiæ iam acceptæ per Fidem. Nos igitur pari modo, non per circunciſionem, aut Legem, ſed per Fidem nos amplexi, & participantes benedictionem, ideſt iuſtitiam, & ſalutem Abrahæ, eiuſque ſemini gratuitò promiſſam. Quare omnes Abrahæ fidem imitantes, ſivè Gentiles, ſivè Iudæi, veri Abrahæ filij, & hæredes. Exaggerata demum Abrahę fides contra ſpem in ſpem credentis, ſe ſenem ex Sara anu, & ſterili generaturum Iſaac, & ſemen à Deo promiſſum; vnde concluſum, hanc Abrahæ fidem nobis imitandam, ſi iuſtificari, & ſalvari velimus. 5. Huius Iuſtitiæ per Chriſtum, & non per Legem recenſita excellentia, vtilitas, & ſex eius fructus, qui ſunt pax, ſpes gloriæ, magnitudo animi, & lætitia in adverſis, quòd per eam Dei amici effecti, & dilecti per charitatem, quòd per eandem à Deo adoptati in filios, gloriantes eodem Patre, merces vitæ æternæ. Ex quibus factum, vt gloriemur non tantum in

ſpe beatitudinis, ſed etiam in tribulationibus, quia charitas Dei, & Chriſti diffuſa eſt in cordibus noſtris. Oppoſita, & præpoſita Gratia Chriſti peccato Adæ. Vnde per vnius Adæ inobedientiam peccatores facti, & morti obnoxii, per Chriſti tamen obedientiam adepti Iuſtitiam, & vitam æternam. Lex inter Adamum, & Chriſtum ſubingreſſa, vt abundaret delictum, idque ad hoc, vt vbi abundavit delictum, ibi abundet, & Gratia Chriſti. 6. Poſt dogmata Fidei præmiſſa, ad mores dogmatibus conformes tranſiens, hortatus Fideles, vt Iuſtitiæ per Chriſtum acceptę ſervandæ, & augendę ſtudeant. Nos ergo in baptiſmo Chriſto conſepulti, complantati, & commortui peccato, vt deinceps in novitate vitæ ambulemus: ſic enim Chriſtus ſemel mortuus, ad novam vitam, non amplius moriturus reſuſcitatus, vt & nos quandoque cum eo ad gloriam reſurgamus. Chriſtiani non ſubijciendi regno à peccato, vt obediant concupiſcentijs eius, vtpotè qui per Chriſtum liberati ſunt à peccato, & ſervi effecti iuſtitiæ; itaque par eſſe, vt membra ſua tradant in obſequium iuſtitiæ ad vitam, quæ prius tradiderant immunditiæ ad mortem. Nam ſtipendia peccati mors, gratia autem Dei vita ęterna. 7. Fuſius probatum, nos non ſub lege, ſed ſub gratia Chriſti, exemplo vxoris ſolutę à lege viri iam demortui: Lex enim mortua nobis, & nos mortui legi. Ab hac quamvis in ſe Sancta, per occaſionem tamen, nimirum indicando, & vetando peccatum, magis illud in homine prono ad vitia auctum. Concupiſcentiam demum ex peccato, & ex lege reliquam viri etiam iuſti paſsi, quamvis inviti, & ideò contra eam aſsiduè luctantes. 8. Poſt ſuperius explicatam infirmitatem legis, peccati, & concupiſcentiæ, hic expoſitæ vires gratiæ, & Spiritus Chriſti; ac proinde quanta bona iuſtis per Chriſtum, Chriſtique Spiritum data. Inſiti ergo Chriſto per fidem, & gratiam, ab omni culpa, & damnatione liberi, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum viventes. Vnde multis probatum, nobis ſecundum Spiritum, quem accepimus vivendum, ſecundum Spiritum ſcilicet adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater, qui nos Dei filios, ac futuræ gloriæ cum Chriſto cohęredes efficit. Demonſtrata magnitudo gloriæ, quamque ambienda à nobis, vtpotè ad quam ſuſpiret non ſolum omnis creatura, quæ in hac vita vanitati ſubiecta eſt, ſed, & hi, qui Spiritus primitias acceperunt. Vnde affirmatum, & adiuvari à Spiritu infirmitatem noſtram, & poſtulari pro nobis. Denique exaggerata charitas Dei erga ſe diligentes, qua ſcilicet omnia eis cooperantur in bonum, vtpotè quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri Chriſto, & pro quibus tradidit Chriſtum in morte. Ex quo concluſum, quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? 9. Iudæi reiecti à iuſtitia, & ſalute ob infidelitatem, Gentes verò ad illam aſcitæ propter fidem. Vnde oſtenſus à Paulo ſuus amor in Iudæos, & dolor de eorum ruina, & repulſa. Non tamen propterea irritæ promiſſiones à Deo Abrahæ, eiuſque filijs, ſive Iſraelitis factæ; eò quòd illæ non pertineant ad filios carnis, puta ad Iudæos, ſed ad filios promiſsionis, & electionis Divinæ, puta ad Chriſtianos, qui credendo in Chriſtum Abrahæ fidem imitantur. Hoc tamen nullo modo iniquum, eò quòd Deus, cum ſit omnium Dominus, cuius vult miſereatur, & quem vult induret, non duritiem eis immittendo, ſed ſuſtinendo eos in multa patientia, quaſi vaſa iræ apta in interitum. Hi filij promiſsionis partim Iudæi credentes in Chriſtum, ſed pauci, partim Gentes, eæque plurimæ. Propria, directa, & adæquata cauſa data, propter quam Iudæi à iuſtitia, & ſalute reiecti, Gentes verò ad eam aſcitæ, nimirum quòd Iudæi noluerint credere in Chriſtum, Gentes verò in eum crediderint; omnis enim

iuſ-

iuſtificatio (Deo ita volente, & decernente) ſaluſque noſtra ab vno Chriſto petenda, ac expectanda. 10. Iuſtitiæ legis oppoſita, & præpoſita iuſtitia Dei, ſita in fide Chriſti. Ad hanc fidem, ac iuſtitiam vocati à Deo, non ſolum Iudæi, ſed omnes Gentes, ac proinde eis prædicari debuiſſe Evangelium; idque probatum teſtimonio Iſaiæ, Davidis, & Moyſis. Demum ex Iſaia probatum, vocari à Deo Iudæos ad Chriſtum, ſed eos Chriſto nolle credere, eique contradicere. 11. Ad ſolatium Iudæorum monitæ Gentes, ne Iudæorum incredulitati, & repulſæ indignentur, & inſultent, ſed potius eis compatiantur, & condoleant, vtque eos ad ſui imitationem provocent. Non enim omnes Iudæi increduli, & reiecti, & ipſemet Paulus, & alij quaſi reliquiæ ſalvæ factæ. Et quamvis plures ex Iudæis excœcati, illorum tamen cæcitas ſalus Gentibus: cum Iudæorum incredulitas cauſa fuerit, cur prædicatio Evangelij, iuſtitia, & ſalus deflexerit ad Gentes. Iudæi etiam Patriarcharum ſanctorum filij, quaſi conſecrati, & ſanctificati ipſi Deo in illis. Gentes verò, quaſi oleaſter Paganiſmi per gratiam inſertæ in oleam Iudæorum, puta in Eccleſiam Dei, à qua facile per infidelitatem, ſuperbiam, & inobedientiam rurſus excidere poſſunt. Ideòque Iudæi, recedere volentes à ſua infidelitate, rurſus inſerendi ſuæ oleæ, ideſt Eccleſiæ. Imò, in fine mundi, plenitudine Gentium ingreſſa, omnis Iſrael crediturus, & ſalvus faciendus. Demum ipſæ etiam Gentes ante Iudæos incredulæ, & neglectæ à Deo, vti nunc Iudæi increduli, & neglecti. Quare concluſum à Paulo, concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur; atque ab eodem admirante hanc viciſsitudinem, & ſucceſsionem Iudæorum, & Gentilium in obſequio, & Eccleſia Dei, exclamatum. O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! 12. Moniti fideles ad exhibendos ſeipſos hoſtiam Deo, & ad probandam, ac ſapiendam voluntatem Dei bonam, beneplacentem, & perfectam. Quare non offerendi de ſuſceptis donis, ſed ipſis ſapiendum ad ſobrietatem, atque, in modum membrorum eiuſdem corporis, quiſque ſuo dono contentus, eo ritè vſus ad proximorum vtilitatem. Pari modo ab ijſdem opera danda dilectioni ſinceræ, prudenti, patienti, & forti, vnde dilectionis officia, & conditiones, recenſitæ. Dilectioni iungenda humilitas, qua etiam bonum pro malo reddant, & vincant in bono malum. Chriſtianis enim maximè commendandæ hæ duæ virtutes, charitas, ac humilitas, tanquam compendium cæterarum, & complectentes vitam, & perfectionem Chriſtianam. 13. Poſt ſuperiùs inſinuatum ſtudium charitatis, & humilitatis, hic inculcatum ſtudium obedientiæ. Obediendum igitur à Chriſtianis etiam magiſtratibus ſæcularibus, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; idque probatum octo argumentis. Primum, quia hæc eſt ordinatio Dei, & præceptum Divinum. Secundum, quia miniſtri ſunt Dei, eiuſdem vices gerentes. Tertium, quia gladium portant, vt inobedientes plectant. Quartum, quia eis parendum propter conſcientiam, quæ peccati ſit rea, ſi inobediens ſit eis. Quintum, quia Deus ijs, qui reſiſtunt eis, minatur damnationem. Sextum, quia hanc ſubiectionem, & obedientiam indicant tributa, quæ ſubditi pendunt magiſtratibus. Septimum, quia charitas Chriſtiana hoc exigit, vt omnes quemque pro ſuo gradu, & modo diligamus. Octavum, quia lex Chriſtiana arcta eſt, vetans commeſſationes, & libidines, precipiens omnem diſciplinam, & ſanctimoniam, multo ergo magis præcipit obedire magiſtratui, & legi civili. Deinde inculcata iterum dilectio proximi, quia plenitudo Legis dilectio. Hortatus demum Paulus fideles, vt ſplendente luce Evangelij de ſomno peccatorum ſurgant, vtque fugientes

gu-

gulam, libidinem, ambitionem, induant Dominum Ieſum Chriſtum. 14. A firmioribus in fide fovendi infirmi. Nec hi, nec illi à ſe invicem iudicandi, ſi illi cibis lege veteri vetitis veſcantur, hi eiſdem abſtineant; ſed vnicuique in ſuo ſenſu abundandum. Omnes eumdem habentes Dominum, cui vivimus, & morimur, quique ſolus omnium Iudex eſt. Firmiores in fide inſtructi, quod etſi iam nullus cibus ſit immundus, nemo tamen quidquam edere debeat, quo proximus ſcandalizatur. Moniti etiam infirmi in fide, ne quidquam comedant, aut agant contra ſuam conſcientiam. 15. Tàm à Gentibus, quàm à Iudæis ad fidem, & grâtiam Chriſti vocatis agendæ gratiæ Deo, & invicem ab ipſis exhibenda ſibi gratulatio, & pax. Quare cuique ſtudendum, tàm vtilitati proximorum, quàm mutuæ paci, vocatis à Chriſto ad ſe, & ad ſalutem tàm Iudæis, ex promiſsione, quàm Gentibus ex miſericordia. Excuſatio allata à Paulo, quòd liberius Romanis ſcripſerit, tanquam Gentium Apoſtolus. Ab eodem ſimul oſtenſum, quomodo hoc munus ſit exequutus, nimirum quòd ab Ieruſalem ad Illyricum primus ipſe vbique evangelizaverit. Decretum à ſe iter in Hiſpaniam, priùs tamen à ſe deferenda eleemoſyna in Iudæam, ac in tranſitu videndi Romani. Precatus interim eoſdem, vt pro ſe orent. 16. Commendati, & ſalutati amici, mos ſervatus à Paulo in clauſulis omnium ſuarum Epiſtolarum; vnde colligas humanitatem, benevolentiam, & charitatem maternam eiuſdem erga ſingulos. Cavendum illis à facientibus diſſenſiones, & offendicula. Optatus, & tributus honor, & gloria æterna Deo, qui omnes Gentes per Chriſtum vocavit ad Evangelium, & ſalutem.

)(§)(

*** *** ***
*** *** ***

## SECTIO SECUNDA.

### *SYNOPSIS PRIMÆ EPISTOLÆ AD Corinthios, eiuſque capitum.*

HÆC Epiſtola eſt Epheſi ſcripta anno à morte Chriſti 25. Eſt autem Corinthus Achaiæ, ſivè Peloponneſi (nunc vulgo Morea dicitur) metropolis, duobus inclyta portubus, Ionio, & Ægæo mari imminentibus, vnde vocata Corinthus bimaris, condita primùm à Siſypho Æoli filio, & Corcyra nominata, poſtea Ephyre; deinde à Corintho Pelopis, vel Oreſtis filio Corinthus eſt appellata. Fuit totius Græciæ lumen tùm ob opes, & præcipuè metalla, inter quæ æs Corinthiacum celeberrimum, ac laudatiſsimum, etiam auro æquiparatum; tùm ob ſplendorem ædificiorum, quæ cæteris præcellebant, forma Corinthiaca ſtructoribus toto orbe optatiſsima; tùm ob Oratorum, & Philoſophorum frequentiam; nam, & Periander vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus Corintho prodijt. In hoc igitur nobiliſsimo Emporio, monente ipſomet Chriſto, Paulus ſeſquiannum prædicavit Evangelium, tanto incolarum profectu, vt eorum ſapientiam, & eximia cælitus accepta chariſmata paſsim deprædicet. Scripſit hanc primam Epiſtolam Paulus ad Corinthios, eamque miſsit per Stephanum, & Fortunatum, ſtudens ſedare eorum diſsidia, ac diverſas factiones, quas potiſsimum circa Evangelij prædicatores, circa Divina Sacramenta, & Sacramentorum miniſtros, arrogantes quidam, mundanæ ſapientiæ profeſſores, excitaverant. Poſtponitur Epiſtolæ ad Romanos, quæ fidem docet, licet ante illam ſcripta ſit, quoniam eos, qui fidem iam acceperant, in bono opere inſtruit. Quatuor igitur primis capitibus, humanæ ſapientiæ, & eloquentiæ faſtum, quo divites, & docti turgere ſolent, inanes item contentiones de magiſtrorum ſuorum, Petri,

Pau-

Pauli, Apollo, præcellentia, redarguit, & comprimit S. Paulus. 5. Capite iubet inceſtuoſum excommunicari. 6. lites coràm tribunalibus infidelium, & fornicationes reprehendit. 7. & ſequentibus capitibus vſque ad 16. quod eſt poſtremum, varia dubia, quæ ad Paulum præſcripſerant, reſolvit, puta de matrimonio, & virginitate, de eſu idololythorum, de velatione mulierum, de cæna Euchariſtica, de virtutibus fidei, ſpei, charitatis, de gratijs gratis datis, de reſurrectione corporum, de eleemoſynis, &c. Vnde Epiſtola eſt mixtim Dogmatica, & Ethica; Synopſim capitum ſubtexamus.

Referuntur primo capite. Actæ Deo gratiæ pro gratia data Corinthijs; promiſſumque, quòd Deus in ea illos confirmabit. Inſectatus Paulus eorum ſchiſma, quo hic dicebat, ego ſum Pauli, ille ego ſum Apollo; omnes enim Chriſti. Radix igitur ſchiſmatis ſucciſa à Paulo monente Corinthios, ſibi non ſpectandam eloquentiam Apollo, vel alterius prædicatoris, ſed rem prædicatam ſcilicet crucem, quæ licet Iudæis ſit ſcandalum, Gentibus ſtultitia, fidelibus tamen eſt Dei virtus, & ſapientia. Ideò à Deo, non vocati ad prædicationem, & fidem crucis, & ſalutis ſapientes, potentes, & nobiles mundi, ſed ſtulti, infirmi, & ignobiles Apoſtoli, alijque primi fideles; idque ne quis in ſe, ſed tantum in Deo glorietur. 2. Adhuc elata ſapientia ſpiritualis ſuper omnem naturalem, & animalem. Propterea teſtatus Paulus, ſe non aliud ſcire, & prædicare, quàm Chriſtum crucifixum, idque non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Loquutus tamen ſapientiam inter perfectos, ſapientiam ſcilicet mundo abſconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, ſed ſolus Dei Spiritus revelavit. Verum ab animali non percepta Divina, à Spiritali tamen omnia percepta, & iudicata. 3. Ad componendum ſchiſma Corinthiorum per ſubiectionem, & vnionem in Chriſto, & Deo, moniti ijdem Corinthij, Paulum, & Apollo tantùm eſſe miniſtros Chriſti, additumque propterea, ego plantavi, &c. Propterea Eccleſiæ fundamentum Chriſtus: videndum igitur cuique quid fundamento ſuperædificet, ſi enim fœnum, & ſtipulam, ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Templum Dei, quod ipſimet ſunt Corinthij, ab ijſdem non ſcindendum, & violandum per ſchiſmata. Tandem concluſum, nemo itaque glorietur in hominibus, &c. 4. Ad evellendum ſchiſma, faſtum, & gloriationem Corinthiorum, ac præſertim aliquorum Doctorum arrogantiam, Paulum deſpicientium, demonſtratum ab eodem Paulo, ſe non curare, nec eſſe curanda hominum iudicia, ſed ſolius Dei. Eorum inflatio reprehenſa ijs verbis, quid habes, quod non accepiſti? Ijdem maximè convicti ſuo, & aliorum Apoſtolorum exemplo, qui in omni humilitate, afflictione, & deſpectu quaſi purgamenta mundi, & peripſema, vbique evangelizabant. Tandem ijdem preſsi tanquam filij ſui, quòd quaſi pater illos genuerit in Chriſto; minaturque ſe brevi venturum Corinthum, vt hos Pſeudodoctores glorioſos, & inflatos redarguat, & puniat. 5. Poſt repreſſum ſchiſma Corinthiorum, invectus in ſcandalum inceſtus. Reprehenſi igitur Corinthij taciti ferentes inceſtuoſum privigni cum noverca coniugium; moniti ijdem ſatis cauſæ eſſe, cur pudore deijciantur potiùs, quàm ſuperbiant, Sceleſtus ille excommunicandus, & tradendus Satanæ. Hoc, & quolibet aliud peccati fermentum propterea expurgandum, vt puri Paſcha perenne celebrent, & iugiter epulentur in azymis ſinceritatis, & veritatis. Non commiſcendum cum Chriſtianis palam criminoſis. Infideles enim, & Pagani nequaquam ſubditi ſuo, & Eccleſiæ iudicio. 6. Reprehenſi Corinthij inſtituentes lites coram iudice

ethnico, eásque subinde iniquas, & iniustas. Ab iniquis, quorum species variæ enumeratæ, Regnum Dei non possidendum. Fornicationem insectatus sex argumentis. Primum, quia corpus non est nostrum, sed Domini. 2. quia si castum sit, resurget in gloria. 3. quia corpus nostrum membrum est Christi. 4. quia corpus castum templum est Spiritus Sancti. 5. quia libido corpus dedecorat, & decolorat. 6. quia corpus nostrum Christi sanguine emptum est, ergo non dandum meretrici. 7. Satisfactum à Paulo Corinthiorum quæstionibus de iure matrimonij, & consilio virginitatis, ac cælibatus. Christiano igitur renato, & sanctificato licitum matrimonium, eiusque vsus, & coniugi petenti debitum reddendum, ideòque melius nubere, quam vri.

Non faciendum divortium. Infideli consentienti habitandum cum coniuge fideli. Ob Christianismum non mutandus status. De virginitate nemini præceptum, sed omnibus consilium, melior enim virginitas ob sex rationes. Primò ob necessitatem præsentis temporis brevis ad lucra æterna, quibus comparandis tota insistit virgo. 2. quia coniugatus alligatus, cælebs solutus, ac liber. 3. quia cælebs caret tribulatione carnis, quę est in coniugio. 4. quia virgo tantùm cogitat quomodo placeat Deo, coniugatus divisum habet cor, & curam in vxorem, & Deum. 5. quia virgo sancta est, & corpore, & Spiritu, coniugatus nec corpore, nec Spiritu sæpè. 6. quia cælibatus facultatem præbet virgini sine impedimento Dominum obsecrandi, cum coniugatus mille habeat impedimenta devotionis, & pietatis. 8. Esus idololythorum, idest ciborum, qui fuerunt idolis immolati, per se non illicitus, cum idolum nihil sit. Illicitus tamen factus, repugnante conscientia, vel cum scandalo infirmorum valdè cavendo. 9. Exemplo suo instructi Corinthij de cavendis scandalis. A se stipendium, sivè alimenta, prædicatoribus debita, non accepta, tùm maioris meriti, tùm ædificationis causa. Hæc tamen alimenta sibi, aliisque Evangelizantibus debita propter sex argumenta. Primum, exemplum aliorum Apostolorum. 2. similitudo militum, pastorum, & agricolarum. 3. lex Moysis. 4. exemplum Sacerdotum, & Levitarum Veteris Testamenti. 5. Dei, & Christi ordinatio. 6. ipsa rei natura, sivè ius non tantum Divinum positivum, sed etiam naturale. Propterea demonstratum à Paulo, se omnibus omnia factum, vt discant Corinthij, quàm cuique ædificatio, & salus proximi curanda sit. Maximum incitamentum ad eandem ædificationem, quia vita nostra studium, & agon virtutis, in quo semper ad meliora, & ad bravium iugi abstinentia, & corporis castigatione currendum, & certandum est. 10. Occasione agonis superiùs explicati, in quo abstinentes, ritèque certantes præmiati, inertes verò, luxuique dediti reprobati, & confusi, digressus hic Paulus ad mores Veterum Hebræorum, concupiscentias, & vitia, maximè idololatriam, punitionem pariter, & reprobationem, vt horum exemplo instructi Corinthij, quàm cavenda vitia, etiam tentationes, maximè idololatria. Hinc ab eodem Paulo regresso ad idololytha, quæstio de ijs inchoata absoluta. Ijsdem ergo non licitum vesci idololythis, quia hæc idolis immolata sunt; hoc enim esset immolationi, & sacrificio idololatrico consentire, & idololatriam profiteri. Illicitum etiam idololythis vesci, vbi infirmiores hac re scandalizantur. Vnde Corinthijs ædificatio maximè commendata, vtque omnia in gloriam Dei, & sapientiam proximorum faciant. 11. Satisfactum hic à Paulo Corinthijs de velamine mulierum. Ab his enim, maximè publicè orantibus, caput velandum propter quinque rationes. Prima, quia hoc exigit honestas, & verecundia mulierum. Secunda, quia subditæ sunt viris.

viris. Tertia, quia si nudo capite prodeant, offendent Angelos. Quarta, quia natura dedit illis comam pro velamine. Quinta, quia hæc est Ecclesiæ consuetudo. Actum deinde de cœna Eucharistica; & reprehensus abusus, quòd scilicèt in agape, sive cœna communi divites excluderent pauperes, & seorsim quisque cum suis genio, & ebrietati indulgeret. Vnde recensita Eucharistiæ à Christo institutio, & scelus, ac pœna indignè ad illam accedentium; ideòque quisque à seipso probandus, antequam accedat. 12. Disputatum hic à Paulo de gratijs tum gratis datis, tum gratum facientibus. Gratiæ igitur gratis datæ variè à Spiritu Sancto distributæ. Ad hoc explicandum vsus Paulus exemplo corporis humani, quod licèt vnum sit, multa tamen, & varia habet membra. Inde ab eodem Paulo concluſum, quamlibet in Ecclesia suo gradu, & gratia contentum debere illo fungi, & vti ad commune bonum, vt quasi membra invicem se omnes iuvent, & foveant. A Christo provisum Ecclesiæ de varijs hominum statibus, vt alij sint Apostoli, alij Prophetæ, alij Doctores, &c. 13. Inter omnia dona, & gratias præstantissima charitas, sine qua nullum donum, aut virtus vtilis. Recensitæ sexdecim conditiones, seu officia charitatis in proximos. Charitatis præcellentia maximè ex eo ostenso capite, quòd etiam permaneat in cælo, cum Fides mutanda sit in visionem, Spes in fruitionem. 14. Dono linguarum præstantior prophetia, tùm quia hæc perutilis ad ædificationem aliorum, linguæ vero non, nisi quis eas interpretetur; tùm quia prophetia data fidelibus, linguæ verò datæ in signum non fidelibus, sed infidelibus, idque probatum ex Isaia. Tradita norma, qua vtendum ritè his donis; ac ordo præscriptus servandus in sacro Ecclesiæ conventu, in quo omninò mulieribus silendum. 15. Probata multis mortuorum resurrectio, contra pseudodoctores illam negantes. Traditus ordo resurrectionis, assignatæ quatuor dotes corporis glorioſi. Omnes quidem resurrecturi, sed non omnes immutandi. In resurrectione facienda in momento, tuba canente, mors planè absorbenda. Præcepta collecta facienda pro pauperibus Ierosolymitanis. Commendati Corinthijs Timotheus, Stephana, Achaicus, & Fortunatus. Sui salutati à se. Intentatum anathema maranata non diligentibus Christum.

## SECTIO TERTIA.

### *SYNOPSIS SECUNDÆ EPISTOLÆ ad Corinthios, eiusque capitum.*

HAc Epistola Paulus consolatus, quos priore obiurgarat, & incestuosum excommunicatum iam pœnitentem absolvit, propterea & priori subiecta. Et hac occasione agit de vera pœnitentia, de dignitate ministrorum Novi testamenti, de infidelium societate cavenda, de patientia, de eleemosyna, denique contra æmulos suos apologiam contexit, qua labores, & egregia facta sua persequitur; refractarijs Apostolicam potestatem, & minas intentans. Scriptam Philippis in Macedonia, missam per Titum, & Lucam, habent Græca, Syriaca, & Latina Complutensia in fine epistolę. Sed Baronius tomo primo annalium vult, & benè probat scriptam Nicopoli in Græcia, anno à passo Christo 26. Synopsis capitum, quæ sunt 13, sequens est excipienda.

Narrantur primo capite. Ex quantis tribulationibus ereptus in Asia à Domino Paulus ad alias consolandos. Insinuata, & declarata Corinthijs à Paulo cordis sui, & doctrinæ sinceritas. Idem amolitus à se levitatis, & inconstantiæ notam, quod ad eos, vti promiserat, non venerit, simul testatus firmam, & constantem suæ prædicationis veritatem. 1. Denegatus adven-

ventus à Paulo ad Corinthios, ne non tàm ſibi, quàm illis eſſet occaſio triſtitiæ. Hortatus eoſdem, vt fornicarium à ſe excommunicatum iam pœnitentem in gratiam recipiant, eumque excommunicatione, & pœnitentia abſolvit. Teſtatus idem Paulus, ſe vbique bonum Chriſti odorem ſpargere, eumque bonis, & fidelibus eſſe ad vitam, malis, & incredulis ad mortem. 3. Teſtatus etiam Paulus, ſe non captare, nec indigere commendatione hominum, vti pſeudoapoſtoli Iudaizantes eandem captabant, cum fructus ſuæ predicationis ſe ſatis commendet. Cauſa huius rei allata, quòd ſcilicèt Apoſtoli, alijque miniſtri Noui Teſtamenti, ac Spiritus maiori honore, & gloria à Deo decorati, quam Moyſes, alijque miniſtri Veteris Teſtamenti, & literæ. Iudæi adhuc velamen habentes ſuper cor ſuum in lectione Veteris Teſtamenti, vt Chriſtum in eo non agnoſcant; illum tamen agnituri, quando velamen hoc in fine mundi per Chriſtum auferetur. 4. Prædicatum à Paulo Euangelium caſtè, ſincerè, ac clarè; ideòque illud omnibus cognitum, ac manifeſtum, præterquam habentibus mentes excæcatas. Inde teſtatus Paulus, ſe, & Apoſtolos pro Euangelio multa aduerſa pati, nec ſuccumbere, ſed fortiter ſemper mortificationem Ieſu circunferre in corpore, propter ſpem melioris vitæ, & reſurrectionis: ac proinde momentanea, ac leuis tàm ſua, quàm noſtra tribulatio æternum gloriæ pondus operans. 5. Inculcata futura gloria à Paulo, ad eam ex hoc exilio, & tabernaculo ſuſpirante, ac peroptante petegrinari à corpore, & præſentem eſſe ad Dominum. Propterea conatus cum omni contentione, non vt hominibus, ſed vt vni Chriſti, vtpote nos iudicatura per omnia placeat. Ad hoc etiam coactus charitate Chriſti, qui ſua morte nos conciliauit, itaque ſe iam neminem noſſe ſecundum carnem, ſed tantùm ſi qua in Chriſto noua creatura. Proſeſſus ſe miniſtrum, & legatum Chriſti, ac pro Chriſto obſecrantem, vt reconcilientur Deo. 6. Hortatus ad non negligendam oblatam reconciliationis gratiam. Quales miniſtri, præſertim Apoſtoli, & præcones Euangelij. Cor ſuum à Paulo, charitate in Corinthios dilatatum, expenſum; ijdemque propterea ad ſimilem charitatis dilatationẽ prouocati. Multis antitheſibus oſtenſum, quam cauenda fidelibus infidelium commertia, & connubia. 7. Declaratus à Paulo ſuus amor, ſinceritas, & confidentia erga Corinthios. Gaudium eiuſdem de eorum pœnitentia, & emendatione. Data ſigna, & actus veræ pœnitentiæ Corinthiorum. Huius pœnitentiæ, amoris, & obedientiæ Corinthiorum teſtis allegatus Titus. 8. Hortatus Corinthios ad eleemoſynam pauperibus Ieroſolymitanis faciendam, exemplo Macedonum in eoſdem adeo liberalium: imò exemplo Chriſti facti propter nos egeni, ad nos inopia ſua ditandos. Ex ipſorum etiam propoſito, & quaſi promiſsione eoſdem adhortatus ad eam re ipſa præſtandam pro ſua cuiuſque facultate. Per eleemoſynam reddita æqualitas diuitum, & pauperum, & ab his pro temporalibus bonis reſtituta illis ſpiritalia. Curandum ergo Corinthijs, ne ex eo, quod Titum, alioſque Apoſtolos, ad eam colligendam miſerit, ſi parci ſint, ipſos pudefaciant; ipſique coram eis pudefiant. 9. Adhuc adhortatus Corinthios ad eleemoſynam, ex humano pudore, & laude, ne ſcilicèt coram Macedonibus, qui tam liberales fuerant, erubeſcant. Eleemoſyna frugifera ſuos eleemoſynarios ditans bonis, & præſentibus, & futuris. Ex eleemoſyna gratiarum actio in Deum redundans, & lætitia pauperum Chriſtianorum eam excipientium, atque pro Corinthijs ſuis benefactoribus obſecrantium pluribus explicata. 10. Contexta hic, & duobus ſequentibus captibus à Paulo apologia pro ſuo Apoſtolatu contra PſeudoApoſtolos,

Pau-

Paulum quasi vilem, & abiectum deprimentes, eumque nimiæ severitatis, audaciæ, & insolentiæ accusantes. Arma igitur Pauli non esse carnalia, sed spiritualia, eaque potentissima, vtpotè quibus, tùm omnes munitiones mundi, consilia, & sapientiam posternat, tùm vlciscatur omnem inobedientiam. Pseudo Apostolis se opponens, quòd illi falsò provincias à se obitas, & conversas iactarent, cum ipse verisimè plurimas obiviisset, & convertisset. 11. Adhuc tutatus suum Apostolatum contra Pseudo Apostolos. Ab his nihil maioris Spiritus, vel Christianæ doctrinæ allatum, quàm à Paulo. Ab ijsdem pro lucro, à Paulo gratis prædicatum Evangelium. Hebræus æquè vt illi, & plusquam illi minister Christi. Vnde ab Apostolo sua insignia recensita, labores scilicet pro Christo, persequutiones, pericula, plagæ, passiones, sollicitudines, & curæ pro Ecclesijs omnibus, in ijsque gloriante. 12. Narratus ab Apostolo raptus suus in tertium cælum, ad se ipsum Corinthijs prę Pseudo Apostolis commendandum. Datus sibi stimulus carnis, ne inde extollatur; nam virtus in infirmitate perficitur. A philautia se excusans testatus, quòd ipsi compulerint eum, vt se laudaret, cum ab illis potiùs debuisset commendari à patientia, miraculis, prædicatione gratuita, charitate, & sollicitudine. Refutata à se calumnia sibi obiecta, quòd dolosè non per se, sed per Titum à Corinthijs pecunias corrogarit. Timor suus indicatus, ne ad eos veniens inveniat aliquos dissensionibus, alijsque vitijs involutos, quos tacitè hoc ipso monet, ne eos cum luctu, & dolore castigare cogatur. 13. Paulus comminatus aliquibus libidini, alijs superbiæ, & contentionibus, nonnullis deditis alijs vitijs, & Corinthi degentibus. Paulique monita parvi pendentibus, vt eos ad pœnitentiam provocet. Ijdem à se moniti, vt gratiam, & potentiam à Christo sibi datam, eiusque opera mira à se edita considerent, & revereantur. Precatus eosdem, vt nihil mali agant, ne suam in eos potestatem puniendi exercere cogatur. Hortatus demum omnes ad perfectionem, dilectionem, pacem, & osculum sanctum, eosdem salutans.

## SECTIO QUARTA.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD GALATAS, eiusque capitum.*

SCripta fuit hæc Epistola Nicopoli anno à passo Christo 26. palò ante Epistolam ad Romanos, cuius est quasi compendium, ijsdem constans sententijs, phrasibus, rationibus, discursibus. Habet Galatia ab Oriente Cappadociam, ab Occidente Bithyniam, à meridie Pamphyliam, à Septemtrione Pontum Euxinum. Incolæ Gallo Græci, sivè Galatæ dicti sunt, quòd è Galijs in Græciam demigrarint. Alij ortus volunt ex Gomer Iapheti filio, vnde Comari seu Cimbri, & Germani vocati, è quibus prodijsse Gallos, seu Francos volunt complures. Ponitur hæc Epistola post tres præcedentes ob maximam, quam cum eis habet cognationem, & causa scribendi illa fuit, quòd Galatas recèns ad Christum conversos quidam Pseudo Apostoli ad cæremonias Iudaicas, quasi ad salutem necessarias, vna cum Evangelio suscipiendas pellexissent. Vnde acri obiurgatione revocat illos Paulus, docetque Christianos liberos esse à servitute legis Mosaicæ. Synopsim capitum, quæ sunt 6. adnectamus.

Recensentur primo capite. Increpati Galatæ permittentes ab Evangelio à se prædicato abduci à se novantibus, aliterque evangelizantibus, quibus dictum Anathema. Sui Evangelij certitudo ostensa à Paulo, ex eo, quòd à Christo illud immediatè acceperit. Narratum etiam se à quomodò à Iudaismo, quem accerrimè propugnabat, conversus sit ad Christum, ab eoque segregatus ad evangelizandum, Arabiam Damascum,

Syriam,& Ciliciam peragrarit. 2.Collatum à Paulo ſuum Evangelium cum Petro, Iacobo, & Ioanne; ab eis approbatum per omnia; nihil ab iiſdem doctrinæ illius additum, aut demptum. Acceptæ à ſe ex eis dextræ ſocietatis,ſcilicet vt ipſi Iudæi,Paulus Gentilibus Evangelizaret. A ſe reprehenſus Petrus incautè ſimulans Iudaiſmum; vnde incitatæ Gentes ad Iudaizandum. Probatum ab eodem, nos iuſtificari, non ex operibus legis, ſed ex fide Chriſti, idque tribus rationibus. Prima, quia alioquin Chriſtus, legem abolens, eſſet peccati miniſter. 2.quia lex ipſa profitetur ſe in Chriſto deſinere, & mori. 3. quia alioquin Chriſtus gratis mortuus eſſet. 3. Adhuc quinque alijs rationibus probatum, nos iuſtificari, non per legem, ſed per fidem Chriſti. Prima ab experientia,qua Galatæ experti erant ſe, non in circunciſione, ſed in Baptiſmo Spiritum Sanctum, eiuſque dona accepiſſe. 2. ab exemplo Abrahæ, qui iuſtificatus eſt, quia credidit Deo, ideſt ex fide. 3. quia qui ſub lege ſunt, ſub maledicto, quod lex omnibus ſuis prævaricatoribus intentat, à quo Chriſtus nos liberavit, factus pro nobis maledictum. 4. ex Abacuch dicente, Iuſtus ex fide vivit. 5. quia Abrahæ, & poſteris eius promiſſa eſt benedictio, ideſt iuſtitia, & ſalus, igitur ex promiſsione, quam fide apprehendimus, non autem ex lege iuſtificamur: Lex enim tantum data fuit ad hoc, vt quaſi pædagogus Iudæos duceret ad Chriſtum, vt ex fide Chriſti iuſtificarentur, Chriſtumque induerent, & vnum cum eo omnes fierent. 4. Iudæi quaſi parvuli, & ſervi ſub lege quaſi tutore, & pædagogo, Chriſtiani verò quaſi filij iam adulti, non lege, ſed Spiritu adoptionis acti, clamantes, Abba Pater, ac proinde indignum eſſe, ſi ad infirma, & egena legis elementa revertantur. Demonſtratum à Paulo, quanta aviditate,ſtudio, & reverentia Galatæ ſe,ſuamque prædicationem antea complexi ſint, vt pudeat eos, ſi tam leviter ab ea reſiliant. Allatum novum argumentum ex Allegoria Abrahæ, cuius ex Sara libera filius, & hæres Iſaac, ſignificans Chriſtianos quaſi iugenuos Dei filios liberos à Lege Veteri, & benedictionis Abrahæ hæredes futuros: Iſmael verò ex ſerva Agar genitus, & electus, ſignificans, Iudaizantes à benedictione Abrahæ, Deique excludendos. 5. Moniti adhuc Galatæ, vt iugum Legis Veteris non admittant, ne expertes fiant fructus, & iuſtitiæ Chriſti, in quo nec proderit circunciſio, nec præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. Ijdem vocati ad libertatem Chriſtianam, ſitam in charitate, & Spiritu. Caro verò concupiſcens adverſus ſpiritum, & contra. Tàm carnis, quàm ſpiritus opera recenſita. 6. Hortatus ad bona opera; præſertim miſericordiæ,& beneficentiæ in Chriſtianos, maximè doctores, catechiſtas, vtque non quærant laudes, & gloriam humanam, ſed ſtudeant ſeminare bona,quibus metant vitam æternam. Gloriationi Iudæorum in circunciſione oppoſita ſua in cruce Chriſti, ijs verbis, mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.

## SECTIO QUINTA.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD EPHEſios, eiuſque capitum.*

ROma eſt è carcere ſcripta hæc Epiſtola, & per Tychicum Diaconum tranſmiſſa,anno à morte Chriſti 27. Epiſtola ſanè ſubtiliſsima; cuius priore parte, quæ Dogmatica eſt, vſque ad cap.4. diſputat de Arcano Divinæ prædeſtinationis, & electionis Gentilium, nominatimque Epheſiorum, ad veram fidem, iuſtitiam, & ſalutem, præ tot myriadibus aliorum hominum. Stabilit,etiam Epheſios in ſuſcepta fide, carpitque errores Platoni-

co-

corum, aliorumque Gentilium Philosophorum, qui Ephesi maximè florebant, item Pseudo Apostolorum, qui ex schola Simonis Magi Ephesum irrepserant, & iuxtà Pauli prædictionem acriter Ecclesiam illam infestabant. Posteriore parte; quæ Ethica est, mores cuiusque ætatis, & conditionis instruit. Est autem Ephesus Asiæ minoris Metropolis, magnæ, vt aiebant, Dianæ Sacra; hinc idololatrię, & quæ ex ea consequitur, Magiæ, præstigijs valde dedita, vt colligitur ex cap. 20. Act. Apost. vbi libros suos magicos maxima copia coram ipsomet Paulo combusserunt. Dicitur, & Pythagoras Epheso prodijsse, & omnis schola Ionica, è qua Plato, & tot alij celebres Philosophi, quorum errores hic Paulus perstringit, & convellit. Collocatur post eam, quæ scripta est ad Galatas, quia sicut ibi Galatæ revocantur ad fidem, ita hic Ephesij confirmantur in fide; ibi carnales legis observantiæ ab illis, qui eas suscipere cæperant, removentur, hic ne suscipi debeant, prædamnantur. Præscribit ergo Paulus in hac Epistola formam Christianæ vitę, quam ab eo Ephesij, in fide iam instructi, flagitaverant. Synopsim capitum, quæ sunt sex, apponamus.

Referuntur primo capite. Benedictus Deus, quod per Christum nos prædestinarit, & omni gratia cumularit, itaque instaurarit omnia, quæ in cælis, & quæ in terra sunt. Excitati Ephesij ad laudem Dei, vtpotè qui eos ad hanc gratiam præ alijs vocaverit. Actæ à Paulo gratię Deo ob fidem, & charitatem Ephesiorum, simul precante, vt perfectam in Christo Sapientiam adipiscantur, scilicet, vt penetrent magnitudinem suæ vocationis, Deique potentiam, qua eos ad Christum convertit, quaque Christum à morte suscitavit, & super omnes Angelos exaltavit, constituitque caput supra omnem Ecclesiam. 2. Instructi Gentiles peccatis mortui per Christum vivificati, non merito operum, sed gratis per fidem Dei, qui in Christo nos Deo quodam modo creavit ad opera bona peragenda. Demonstratum à Paulo, quòd Christus Gentes, quæ priùs alienæ erant à Deo, Deique promissionibus, Iudæis in vnam Ecclesiam sibi, & Deo coniunxerit. Inde ab eodem concluſum, nos iam non esse hospites, & advenas, sed concives Sanctorum, & domesticos Dei, atque in Ecclesia superædificatos supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. 3. Admiratus Paulus vocationem Gentium, docens hoc mysterium hactenus incognitum, revelatum Apostolis, scilicet quod Gentes æquè, ac Iudæi per Christum participent gratiam, Ecclesiam, & promissiones Dei. Huius mysterij se ministrum gloriatus, puta quòd à Deo constitutus sit Doctor gentium. Precatus Deum, vt Ephesios in Christi fide, & Spiritu corroboret, vt in charitate radicati ad plenum Divinis, hisce Christi mysterijs edoceantur, scilicet, vt comprehendant, quę sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum, sciant etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. 4. Post explicata dogmata fidei, hic adhortatus Ephesios ad mores Christianos, ac in primis ad vnionem, & concordiam, tùm in fide, tùm in charitate Christi, idque quinque rationibus. Prima, quia sumus vnum corpus, & vnus spiritus in Christo. 2. quia omnes ad eadem cæli bona, quæ geramus, vocati sumus. 3. quia omnes vnum habemus Dominum, vnam fidem, vnum Baptisma. 4. quia omnes fratres sumus, eiusdem Dei Patris filij. 5. quia Christus ascendens in cælum, cuique suam gratiam distribuit, qua quisque contentus sit oportet, nulli invidens, nihil ambiens, deditque alios Apostolos, alios Doctores, &c. vt singulos fideles, vsque ad finem mundi, quasi Christi membra perficiant, itaque totum Christi Corpus, scilicet Ecclesia, in Christi fide, vnitate, & charitate crescat,

&

& compleatur. Hinc hortatus eos, vt damnata priſtina cæcitate, & carnali, immundaque vita Gentilium, veterem hominem exuant, novum in Chriſto induant, vtriuſque partes explicans, ſcilicet, vt deponant mendacium, loquendo veritatem; abdicent iram, furtum, ſermonem malum, amaritudinem, &c. per benignitatem, miſericordiam, & condonationem iniuriarum. 5. Adhuc adhortatus Epheſios, vt Chriſtum quaſi filij imitentur, fugiantque libidinem, ſcurrilitatem, ſtultiloquium, cæteraque opera tenebrarum, tanquam filij lucis; eoſdem monens, vt redimant tempus faciendo Dei voluntatem, & implendo ſe, non vino, ſed Spiritu Sancto, in Pſalmis, himnis, & canticis ſpiritualibus. Vxores ſubditæ viris, à quibus diligendæ, ſicut à Chriſto dilecta Eccleſia; duo enim in carne vna, atque hoc Sacramentum magnum, in Chriſto, & Eccleſia. 6. A filijs præſtanda parentibus, ſicut, à ſervis Dominis ſincerè, & ex animo obedientia. Viciſsim parentes filijs, ac domini ſervis non minaces, ſed benevoli curam debitam præſtantes. Demonſtratum à Paulo, quanta nobis lucta cum dœmonibus; contra quos arma, & panoplia militis Chriſtiani aſſignata, baltheus ſcilicet veritas, lorica iuſtitia, calceus præparatio Evangelij pacis, ſcutum fides, galea ſalus, ſivè ſpes ſalutis, gladium verbum Dei. Adhortatus Epheſios ad aſſiduam orationem, vtque ſibi libertatem, & animos Evangelizandi orando impetrent. Miſſus Tychicus Epheſijs nuncians ſtatum ſuorum vinculorum: ijſdem pacem, & gratiam apprecatus Paulus.

## SECTIO SEXTA.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES, eiuſque capitum.*

EOdem anno à morte Chriſti 27. & ex eodem carcere Romano, quo præcedens ad Epheſios, ſcripta hæc Epiſtola, & per Epaphroditum Apoſtolorum, ideſt Epiſcopum Philippenſem tranſmiſſa. Fuerunt autem Philippi prima vrbs, quam Paulus ingreſſus eſt, cum Macedoniam cæleſti monitione excitus peteret, vbi & ob pythoniſſam curatam virgis cæſus, & incarceratus fuit; vnde & Philippenſes obſtricti tot nominibus S. Paulo, tenerrimè illi afficiebantur, & mox vt audierunt vinctum Romæ detineri, miſerunt eò cum muneribus Epiſcopum ſuum, ſolatio, & auxilio futurum Apoſtolo; ſed is in morbum ibidem lapſus parum abfuit à morte. Cumque tandem convaluiſſet ad ſuos his litteris remiſſus eſt, quibus, monentur, vt in fide Chriſti conſtanter perſtent, nec adverſis frangantur, nec fidem habeant Iudaizantibus, qui legalia Moyſis annexa volunt Evangelio; vel Simonis Magi, aut Corinthi aſſeclis, qui Chriſtum negant verè Crucifixum eſſe. Miſcet pia hinc inde monita, vt Chriſti humilitatem, charitatem, obedientiam, æmulentur, mutuam quoque concordiam, & pacem foveant, & alias virtutes Chriſtianis dignas ſectentur. Capitum, quæ ſunt 4. Synopſim adijciamus.

Referuntur primo capite. Precatus Paulus pro Philippenſium in fide, & in vita Chriſtiana conſtantia, ad eandem eoſdem animans, & incitans, tùm verbis, tùm exemplo ſuo, narrans ſcilicet vinculorum ſuorum fructum, & Evangelij per ea propagationem. Lætatus idem, quòd Chriſtus annuntietur, ſivè per invidiam, ſivè per charitatem, ſivè per vitam, ſivè per mortem ſuam, dicens, mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et quamvis exoptans diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, teſtatus tamen, ſe in carne manſurum, ad eorum conſolationem, eos roborans ad perſecutiones, vtpotè quæ ſunt cauſa ſalutis, & martyrij, ideòque magna dona Dei. 2. Philippenſes, vti & Corinthij laborantes ambitione, & ſchiſmate, ardenter à Paulo incitati ad ha-

humilitatem, & fraternam charitatem tùm exemplo Christi Domini, qui se amore nostri humiliavit vsque ad mortem crucis, ideòque exaltatus est, vt in nomine IESU omne genu flectatur; tùm ex metu, & reverentia Dei, qui operatur in nobis velle, & perficere, ipsamque salutem. Hortatus eosdem Paulus, vt inter Gentiles quasi luminaria virtutibus præluceant, ad idque optans martyrium dat se exemplum. Missurus ad eos Timothæum, & Epaphroditum ad eorum consolationem, & profectum. 3. Refutati Iudaizantes, & Simoniani hæretici, & contra eos vera iustitia, & salus non à lege Mosis, sed à Christo Incarnato, & Crucifixo petenda, & expectanda. Reliqua omnia à Paulo propter Christum existimata vt damna, imò vt stercora. Testatus tamen Paulus, se non esse perfectum, sed tendere ad perfectionem Christianismi. Infectatus etiam inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, nostra autem, aiens, conversatio in cælis est, &c. 4. Hortatus Philippenses ad concordiam, gaudium, orationem, modestiam, pacem, honestatem, omnemque sanctimoniam. Laudata à Paulo ipsorum erga se cura, & sollicitudo, ac munera sibi missa, testante simul se scire abundare, & penuriam pati; vicissim eis beneprecante, eosque salutante.

## SECTIO SEPTIMA.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD COLOSSENSES, eiusque capitum.*

EOdem cum duabus præcedentibus anno à morte Christi 27. ex eodem Romano carcere conscripta est hæc Epistola, & per Tychicum, & Onesimum Colossas transmissa, quæ Civitas est non Rhodiorum, quasi à Colosso solis sic dicta, sed Phrygiæ, vicina Hierapoli, & Laodiciæ. Vnde & Apostolus iubet, vt Colossenses legant Epistolam Leodicensium, vtpotè vicinorum, & contra. Hæc cùm duabus vicinis vrbibus Laodicia, & Hierapoli sub hoc idem tempus terræmotu concidit. Nunc Chonæ vocantur, vbi celebris fuit apparitio S. Michaelis. Porrò Colossas penetrarant etiam Simoniani, qui dicebant, non Christum, sed Angelos nostræ salutis auctores esse, & mediatores, vrgebantque obseruationem mulierum Iudaicarum, & Gentilitiarum superstitionum. Quibus auditis Paulus, & si numquam illos adisset, per Epistolam tamen instruendos putavit, qua errores istos ipsis eximeret, & mores Christianis dignos edoceret. Estque hæc Epistola quoad materiam, & sententias valdè similis illi, quam ad Ephesios dedit, & instar illius grandiloqua, & sublimis. Synopsis capitum, quæ sunt quatuor, adnectenda est.

Habentur primo capite. Gratulatus Paulus Colossensibus de eorum fide, charitate, & vita Christiana, orans, vt in ea crescant, & roborentur, vtque in patientia, & gratiarum actione seruiant Deo, qui eos transtulit in regnum, puta Ecclesiam filij sui. Moniti ijdem Colossenses à Paulo, non Angelos, sed Christum Dei filium esse tàm opificem, & creatorem rerum omnium, etiam Angelorum, quàm Redemptorem hominum, caputque Ecclesiæ, vtpotè qui omnia, quæ in terris, & quæ in cælis sunt, pacificarit; & hanc Christi Redemptionem ad Gentes quoque pertinere, seque huius mysterij, & Evangelij legatum, & ministrum esse, atque pro Christo, Christique Ecclesia multa se pati gloriari. 2. Adhortatus Colossenses, vt radicentur, & firmentur in fide, & charitate Christi, Iudaizantium, & Pseudophilosophorum somnijs opponens Christum, in quo omnis plenitudo Diuinitatis inhabitat: per Christum enim nos circuncisos, non carne, sed Spiritu, cum ei consepulti in Baptismo mortui sumus delictis. A Christo deletum chirographum peccati, illudque ab eo affixum

cruci, ibique triumphatum de peccatis, & dœmonibus, & consequenter Iudaicæ abstinentiæ, & cæremoniæ, quasi vmbræ inutiles ab eodem abrogatæ. Non ergo ficta Angelorum in superstitiosa humilitate, & abstinentia; sed vera Christi Mediatoris religio sectanda. 3. Ad studium, & desiderium rerum cælestium, inde ad mortificationem vitiorum adhortatus, sicut etiam ad renovationem mentis per misericordiam, humilitatem, patientiam. Præ omnibus commendata charitas, pax, cantica spiritualia; omniaque facienda ad gloriam Christi. Inculcata ijsdem sincera obedientia præstanda, non ad oculum, sed ex animo, maritis ab vxoribus, parentibus à filijs, Dominis à servis. 4. Dominos ad æquitatem, & benignitatem in servos, & omnes Christianos ad orationis frequentiam, sapientiam Christianam, & gratiam, ac prudentiam in loquendo adhortatus, fusè, & particulatim suos salutans.

## SECTIO OCTAVA.

### *SYNOPSIS PRIMÆ EPISTOLÆ AD Thessalonicenses, eiusque capitum.*

HÆC prima Epistola scripta est ad Thessalonicenses anno 20. à morte Christi, non Athenis, vt habent Græca, & Syra in fine Epistolæ, sed Corinthi, præsente Timothæo. Est igitur omnium Epistolarum S. Pauli prima. Thessalonica verò metropolis est Macedoniæ, priùs Halis dicta, deinde à Philippo Amintæ filio vocata Thessalonica, ob devictos ibi Thessalos: nunc Salonica dicitur. Hic evangelizarat Paulus, sed obiter tantum, ob persequutiones Iudæorum, de quibus Act. 17. Ergo per Timothæum primò, deinde per hanc, & sequentem Epistolam instruit, & confirmat illos in fide, multa interserens de resurrectione mortuorum, & adventu Christi ad Iudicium, & ad illud seria, ac sancta præparatione. Synopsim capitum, quæ sunt quinque, subijciamus.

Scribuntur primo capite. Post gratias actas Deo refricata à Paulo Thessalonicensibus fervida ipsorum conversio ad Christum per efficaciam suæ prædicationis. Laudata, & corroborata eorum in fide constantia. 2. Ad incitandos eosdem ad constantiam in Christi fide, & persequutionibus, demonstrata eis à Paulo sinceritas, sanctitas, & zelus prædicationis suæ octo argumentis. Primum ex illius fructu. 2. ex persequutionum, quæ Act. 16. & 17, narrantur, tolerantia. 3. ex doctrina sana, & pura, quam docuit. 4. ex sancta intentione, quam, non quærens favores, & opes, nec gloriam hominum, sed Dei tantùm, prædicavit. 5. ex eo, quòd eos tàm tenerè educarit in fide, quàm tenerè mater amat, & educat suos filios, quòdque pro eis vitam suam tradere voluerit. 6. quòd, ne eos gravaret, sibi victum pararit, nocte, & die laborando. 7. quod sanctè, & irreprehensibiliter inter eos vixerit. 8. ex testimonio Thessalonicensium, qui Evangelium Pauli acceperunt, vt verbum non hominum, sed Dei, ideòque dira ab impijs, & invidis Iudæis passi sunt. Demum ad eos magis alliciendos ad se, & ad fidem Christi testatus suum maternum subinde in eosdem affectum, ideò vocans eos suam spem, gaudium, coronam, & gloriam. In hoc ergo capite viva exhibita idea veri prædicatoris, & Pastoris Evangelici in se à Paulo. 3. Missus à Paulo Timothæus ad Thessalonicenses eosdem in fide confirmaturus. Redeunte ad se Timothæo, ex eoque cognita illorum constantia, mirè gavisus Paulus. Pro eadem ab ipso Paulo Deo gratiæ actæ, rogatusque Deus, vt eos revisere, & in fide perficere sibi concedat. Ad hoc Dei in eos benedictio invocata, vt adaugeat eorum charitatem, & sanctitatem. 4. Adhuc eosdem adhortatus ad vitam Christianam, puram, & sanctam,

tam, atque ad fugam fornicationis, refricans eis ſtudium charitatis fraternæ, fugam otij, & laborem manuum: agens ſimul de fide, & ſpe reſurrectionis, ſcilicet ne contriſtentur in ſua, vel ſuorum morte, teſtatus, quòd fideles piè mortui brevi reſurgent, ita vt non tàm mortui, quàm dormire videantur, quodque Chriſto cum tuba Archangeli venienti ad Iudicium omnes ſimul occurrent in aera, vt ſemper cum eo ſint, & regnent in cælo. 5. Venturus dies Domini ex improviſo, ſicut fur in nocte. Hinc hortatus eos Paulus, vt ſemper ſobrij, & vigiles ad eum ſe comparent per vitæ integritatem, & bona opera, charitatis præſertim erga ſuos præpoſitos, miſericordiæ, patientiæ. Eoſdem etiam hortatus, vt ſemper gaudeant, orent, & gratias Deo agant, vtque ſpiritum non extinguant, & prophetias probent. Omnimodam ſanctitatem eis apprecatus, omneſque ſalutans.

## SECTIO NONA.

### *SYNOPSIS SECUNDÆ EPISTOLÆ ad Theſſalonicenſes, eiuſque capitum.*

PAulò poſt primam ſcripta eſt hæc ſecunda, non Athenis, vt habent Græca, & Regia Latina, non Leodiciæ, vt Syrus, non etiam Romæ, vt Oecumenius, & Athanaſius, ſed Corinthi anno à morte Chriſti 21. vt probat egregiè Baronius. Cum enim occaſione primæ Pauli Epiſtolæ falſi, & fraudulenti doctores terrerent animos Theſſalonicenſium metu Iudicij extremi, quaſi ex mente Pauli iamiam inſtantis, & in hanc rem ſuppoſititias proferrent litteras eiuſdem Pauli; hac ſecunda Epiſtola redarguit impoſtores illos, docens nondum inſtare diem Iudicij, debereque priùs adeſſe Antichriſtum, cuius vitam, mores, aliaſque qualitates graphicè deſcribit. Denique hortatus omnes ad patientiam, conſtantiam, & monitorum ipſis traditorum obſervantiam, ſignum illis dat, quo genuinas ſuas Epiſtolas à commentitijs dignoſcant. Synopſis capitum, quæ ſunt tria, ſubdenda.

Narrantur primo capite. Paulus quà gratias agendo, quà laudando Theſſalonicenſium in perſecutionibus pro fide toleratis conſtantiam, hortatus eoſdem, vt in illa pergant. Propterea ijſdem à Paulo propoſitæ tàm pœnæ horrendæ perſequutorum, quàm præmium admirandum gloriæ, quod ipſi, omneſque Sancti accepturi ſunt in die Iudicij. Oratus Deus, vt opus hoc fidei in eis compleat. 2. Probatum non inſtare diem Iudicij; ante quem facienda generalis apoſtaſia, & venturus Anti-Chriſtus, cuius faſtus, impietas, miracula, ſeductio, & exitium deſcripta. Congratulatus Paulus Theſſalonicenſibus, quòd ſint primitiæ fidelium, & ſalvandorum; ijſdem in fide à ſe confirmatis iuſſum, vt teneant traditiones, non tantum ſcripto, ſed & verbo acceptas. Apprecatus tandem eis Paulus gratiam Dei. 3. Theſſalonicenſium preces contra Evangelij hoſtes à Paulo imploratæ, ac viciſsim eis à Deo conſtantia in fide, patientia, & charitate promiſſa, & efflagitata. Evitandi, & coercendi otioſi, & inquieti, ijque cogendi ad laborandum. Pacem, ſalutem, & gratiam eis apprecatus.

## SECTIO DECIMA.

### *SYNOPSIS PRIMÆ EPISTOLÆ AD Timothæum, eiuſque capitum.*

ANno à monte Chriſti 25. ſcripta eſt è Macedonia, inquit S. Athanaſius, & Baronius; vel ſi malis, Leodicia metropoli Phrygiæ Pacatianæ; & ita habent Græca, & Syra in fine Epiſtolæ, & ibidem Theodoretus. Erat autem Thimothæus recens à Paulo, cum hic à fabris Dianæ Epheſo pelleretur, creatus Epheſiorum Epiſcopus, imò

imò primas omnium Ecclesiarum Asiæ minoris, quarum Metropolis erat Ephesus. Vnde & hunc præ omnibus alijs Asiæ Episcopis primo loco compellit Christus Apoc. 2. nam & Baronius ostendit eum vixisse decennio adhuc toto post S. Ioannem, puta vsque ad annum Christi 109. quando ob reprehensos Dianæ cultores martyrio perfunctus successorem habuit Onesimum: Igitur 50. integris annis præfuit Timothæus Ecclesiæ Ephesinę, nempè ab anno 25. vsque ad 75. à morte Christi. Nam adolescentem adhuc, ob egregias animi dotes Episcopatui admotum fuisse, colligitur ex hac Epistola, & docet Baronius. Et hæc eius tenerior ætas movit S. Paulum, vt ipsum præ alijs exactiùs instrueret binis his Epistolis de ijs, quæ seu agere, seu docere deberet. Porrò Timothæus, licet Patre Græco, & Gentili natus, à matre tamen Iudæa, & Christiana, cui Eunice nomen erat, in Christi fide fuit educatus, ideòque probæ indolis, & à puero in sacris litteris eruditus, zelosus pro fide, pro quà, & martyr Ephesi occubuit, fuit & virgo per omnem vitam. Hac ergo Epistola Timothæum iuvenem Episcopum, imò Archiepiscopum à se creatum Paulus instruit, & monet 1. muneris Episcopalis, vt rejectis genealogijs, & fabulis Iudaicis doceat ea, quę fidem, & charitatem excitent. 2. iubet orari pro principibus licet ethnicis, docetque quid viros, quid mulieres deceat, præsertim in Ecclesia. 3. recensetvirtutes, requisitas in Episcopo. 4. superstitiosum Encratitarum, & Marcionitarum ciborum delectum, & coniugij vituperium vitari iubet. 5. præscribit quomodo monendi senes, iuvenes, anus, iuvenculæ, agitque de viduis senioribus Ecclesię. 6. docet quid servi dominis debeant; quæ veræ divitiæ. Quare sæpius hac Epistola pungit, & perstringit suborientes tunc hæreses Simonis; vt propterea hæc Epistola ex parte scripta sit contra Simonianos, vti & Epistola ad Ephesios, quorum Episcopus erat Timothæus. Iam capitum, quæ sunt sex, Synopsim adijciamus.

Referuntur primo capite. Monitus à Paulo Timothæus, vt afferentes nova dogmata, genealogias, & fabulas arguat, vtpotè quæ lites generent, non autem ædificationem in fide, & charitate, quæ finis est legis. Ostensa lex Moysis bona, sed data iniustis, non iustis, puta Iudæis, non Christianis. Gratiæ ergo actæ à Paulo non legi, sed Deo, quòd per Christum, qui venit peccatores, quorum, inquit, ego primus sum, salvos facere, ex persequutore factus sit Christianus, & Apostolus. Maximè propterea commendata Timothæo à Paulo militia in fide, & bona conscientia. Inde ostensum à Paulo, quòd mala conscientia sit causa naufragij in fide, & hæreseos. 2. Episcopo Timothæo ante omnia commendata oratio, qua oretur pro omnibus, etiam regibus; Deum enim velle omnes homines salvos fieri. A quibuslibet viris orandum in omni loco. Orandum etiam à mulieribus, sed in habitu, & ornatu modesto, in humilitate, & silentio. Mulieri non permissum docere; sed eadem subijcienda viro, & ab eo edocenda, filiorum generationi, & educationi intendens, & ita salva futura. 3. Descriptæ dotes, & virtutes requisitæ in Episcopis, in Diacono, in eorum vxoribus. Monitus Timothæus, vt reverenter versetur in Ecclesia Dei, quæ columna est, & firmamentum veritatis, quæ docet Christi Incarnationem, & Redemptionem, quod est magnum pietatis Sacramentum. 4. Vaticinium de instantibus hæresibus damnaturis nuptias, & certos cibos, quasi in se malos, cum omnis creatura Dei in se bona sit. Corporali exercitationi prælatum exercitium pietatis. Monitus Episcopus, vt sit exemplar sanctitatis, vt gratiam sibi in ordinatione datam exsuscitet, vt intendat sibi, & doctrinæ. 5. Instructus Timothæus quomodo se Episcopus gerere debeat cum senibus,

bus, iuvenibus, puellis. Munus Episcopi providere viduis, quæ verè sunt viduæ, ac præsertim ijs, quæ in misericordiæ operibus probatæ, & castitatem viduilem vovendo professæ, in Ecclesiasticarum viduarum cœtum allectæ, & selectæ sunt; ideòque easdem seniores esse debere, ne fidem Deo datam, id est votum cælibatus violent; iuniores autem magis nubere debere, & familiam regere. Presbyteri laborantes in verbo, & doctrina, honorandi, & liberaliter alendi. Ad Episcopum spectare corrigere peccantes, nec citò ab ijs alicui manus imponenda. 6. Dominis obedientia præstanda à servis. Novorum dogmatum, & hæresum auctores reprehensi; eorumque fructus, ac vitia recensita. Multis insectatus Paulus eorum avaritiam, tanquam omnium malorum radicem. Instructas Timothæus sibi non sectandas opes, sed iustitiam, pietatem, fidem, &c. ac servanda mandata eiusdem Pauli vsque in adventum Domini. Servanda à divitibus humilitas, pietas, liberalitas. Ijsdem curandum, vt bonis operibus divites sese faciant in cælo. Novitas hæresum cavenda, ac fides quasi depositum servanda.

## SECTIO VNDECIMA.

### *SYNOPSIS SECUNDÆ EPISTOLÆ ad Timothæum, eiusque capitum.*

SCripta hæc est Epistola vltima à Paulo, quam quasi cycneam vocem edidit cum Romæ in secundis vinculis ageret, & iam se ad martyrium accingeret, vt colligitur ex capite. 4. quod martyrium vna cum S. Petro subivit à morte Christi 37. Imperij Neronis 14. & insinuatur in fine Epistolæ, & in exemplari Syriaco. Argumentum idem est, quod primæ Epistolæ, nisi quòd hic quædam subnectat de ijs, quæ sibi acciderant; quædam item de electis, & reprobis, & hæreticis exorituris, quorum errores, & mores ad vivum depingit. Capitum, quæ sunt quatuor, Synopsim adiungamus.

Explicantur primo capite. Amor Pauli erga Timothæum, quòd fidem, & pietatem è matre, & avia suxerit cum lacte. Eundem adhortatus vt excusciteat gratiam, præsertim fortitudinis in ordine acceptam, animans eum, vt non erubescat prædicationem Evangelij, sed pro eo secum vincula, & quævis adversa, si incurrant, fortiter spe auxilij divini, & resurrectionis futuræ patiatur: monens præterea eundem, vt depositum sanæ doctrinæ arctè custodiat, etiamsi ideò aliqui, vt Phigellus, & Hermogenes ab eo avertantur: commendans demum Onesiphori erga se vinctum fidem, & charitatem. 2. Adhuc adhortatus Timothæum, vt relictis negotijs sæcularibus prædicationi, & propagationi Evangelij totus incumbat, quasi miles, pugil, & agricola Christi, spe resurrectionis, & gloriæ cælestis eundem excitans, vt pro Evangelio quævis adversa, etiam martyrium subeat. Hortatus etiam eum, vt rectè tractet verbum veritatis; profanas verò novitates, & hæreticos negantes resurrectionem vitet; monens illum, ne turbetur, si aliqui à fide excidant, quia reliqui in fide fundati persistunt, qui signati sunt per præscientiam Dei, & per fugam peccati: addens demum, vt iuveniles philautias, & contentiones vitet, leniterque errantes corripiat, & instruat. 3. Descripti mores impiorum hæreticorum exoriturorum. Inde hortatus Timothæum ad constantiam, patientiam, & martyrium, eundem incitans ad studium Sacræ Scripturæ, tanquam quæ vtilis sit, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus. 4. Obtestatus Timothæum, vt instanter prædicet, moneat, arguat suos, idque propter instantes hæreticos: se enim id amplius facere non posse: docens simul eundem, sibi instare mortem, ac martyrium, prædicationis, laborumque coronam; iubens illi vt ad se omnibus

pœnè derelictum cum penula, & libris veniat, recensens quomodo à Nerone, & primis vinculis sit liberatus, sperans eadem Dei ope è secundis vinculis non liberari, sed per martyrium evolaturum ad Regnum cæleste. Suos demum salutans, gratiam apprecatus.

## SECTIO XII.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD TITUM, eiusque capitum.*

SCripsit hanc Epistolam Paulus anno à morte Christi 26. ex loco vicino Nicopoli Macedoniæ, vt habent Græca, & Syriaca in fine Epistolæ, & colligitur ex cap. 3. cum anno præcedente Titum Cretæ, vicinarumque insularum Archiepiscopum creasset Paulus, vtroque parente Gentilem, & Græcum, atque Corinthium, ob insignum morum innocentiam, sanctitatem, & castimoniam (tota enim vita virgo permansit) extremè sibi charum, vnde & filium suum vocat, & fratrem. Qui etiam in Dalmatia, multisque alijs provincijs Evangelium prædicavit, ac tandem in sua Creta sanctitate illustris excessit è vivis anno ætatis 94. ibique sepultus, & in sanctorum numerum relatus colitur 4. Ianuarij. Porrò recens creatum Episcopum hac Epistola instruit Apostolus, qua ratione se gerere debeat in suo Episcopatu. Addenda nunc est capitum, quæ tria sunt, Synopsis.

Narrantur primo capite. Testatus Paulus se esse Apostolum Christi ad hoc, vt doceat veram fidem, & spem vitæ æternæ, quam ab æterno promisit Deus, nunc autem per sui prædicationem manifestavit; docens inde Titum, quales oppidatim ordinare debeat Presbyteros, & Episcopos. Iudaizantes, & hæretici acriter reprimendi. Cavendæ eorum fabulæ, & observantiæ in ciborum delectu, omnia enim munda sunt mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum. 2. Instructus Titus, quid senes, anus, adolescentulas, iuvenes, servos, verbo, & exemplo docere debeat. Hinc omnibus à Paulo proposita gratia Christi, qui ad hoc natus est, vt nos erudiret, abnegatis sæcularibus desiderijs, sobriè, iustè, & piè vivere, expectantes beatam spem immortalis vitæ, & gloriæ. 3. A Christianis obedientia præstanda Magistratibus, etiam ethnicis: ijsdem Christianis inculcata modestia, & mansuetudo: inculcata etiam gratia Christi, qua per baptismum nos regeneravit, vt bonis operibus studeamus, imò præsimus. Vitandi hæretici. Titus, Zena, & Apollo ad se vocati à Paulo suos salutante.

## SECTIO XIII.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.*

HÆC Epistola scripta est à Paulo Romæ è primis vinculis, anno à morte Christi 28. eodem tempore, quo Epistola ad Colossenses, & per eundem baiulum, puta Onesimum transmissa. Erat autem Onesimus Phryx genere, servus, seu mancipium Philemonis viri nobilis, atque inter cives Colossenses, vt potentia, & opibus, ita & pietate conspicui. Hic, vt Phryges furaci sunt indole, compilatis quibusdam Domini sui rebus Colosis Romam profugerat: hunc Paulus conversum, & baptizatum cum hac commendatitia remittit ad Philemonem, rogatque, vt eum in gratiam recipiat. Receptus in virum evasit maximè insignem: imò post Timothæum Ephesi creatus est Episcopus, & sub Traiano Romæ martyrium gloriosè consumavit. Ex quo discimus de nullius, quantumvis duri, fraudulenti, perditi hominis salute vnquam desperandum. Hæc Epistola nulla in capita divisa est, sed in tanta brevitate, & simplicitate plura perutilia continet documenta.

SEC_

## SECTIO XIV.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ AD HEbræos, eiuſque capitum.*

SCripta hæc eſt Epiſtola à Paulo Romæ anno à morte Chriſti 28. cum Paulus è primis vinculis cauſam ſuam apud Neronem feliciter peregiſſet, & ſpes optima eſſet liberationis, ſcripta ſanè diſertiſsimè primum Hebraicè, vel mavis Syriacè, vtpotè ad Iudæos, ſeu converſos ex Iudæis; maximèque ad eos, qui in Iudæa degebant, vt patet ex fine capitis vltimi; Iudæis autem tunc, ſicut & ipſi Paulo Syriacum idioma nativum erat. Sed mox pari eloquentia in Græcum verſa, non tamen ſenſibus exornata, fuit à S. Luca, ſeu potius, à Clemente Romano. Prima parte Epiſtola extollit Chriſti, & Novi Teſtamenti dignitatem præ Moyſe, & lege Moſaica. 2. parte ſolatur eos, qui à Magiſtratibus propter Chriſti fidem bonis ſuis ſpoliabantur. 3. mores inſtruit. Capitum, quæ ſunt 13. Synopſim apponamus.

Referuntur primo capite. Chriſtus Moſe, Prophætis, & Angelis, ac conſequenter lex Chriſti lege Moſis per Angelos datæ præſtantior. Quare idem Chriſtus Deus, Dei Patris filius, hæres, & imago, conditor, & gubernator ſæculorum; & quà homo eſt, redemptor peccatorum, & ſedens à dextris Dei. Demum ex Pſalmis probatum, quòd Chriſtus homo Angelis præcellat divina origine, & filiatione, honore, & cultu latriæ, potentia, æternitate, dominio, & imperio, ſcilicet, quòd Chriſtus omnium ſit Dominus, Angeli verò Dei, & Chriſti miniſtri. 2. Paulus hortatus Hebræos, vt Chriſtum, Chriſtique legem ſtudioſè obſervent. 1. ex eo, ne ſi tantam negligant ſalutem, graviter à Deo puniantur. 2. quòd lex Chriſti confirmata ſit multis miraculis, & donis Spiritus Sancti. 3. quòd non Angelis, ſed Chriſto ſubiecerit orbem terræ futurum. Multis demum explicatum, decuiſſe Chriſtum pati, & mori, itaque fratribus per omnia aſsimilari, & compati, ideòque hoc fine, vt ab Hebræorum mentibus tollat ſcandalum Crucis Chriſti. 3. Prælatus Chriſtus Moſi, tanquam Dominus famulo. Deterriti Hebræi ab apoſtaſia à fide Chriſti, exemplo Patrum, qui ob incredulitatem terra promiſſa excluſi ſunt, ne & ipſi Cœlo excludantur, hodie, inquit Paulus cum Davide, ſi vocem eius audieritis, & fit vis in particula, hodie. 4. Hortatus Hebræos ad conſtantiam in fide Chriſti, vt per Chriſtum in requiem æternam admittantur, docens hanc promiſſam Chriſtianis, ſicut Iudæis promiſſa, & data fuit requies Sabbathi, & requies in Chanaam. Deficientibus à fide Chriſti comminatus excluſionem à requie cæleſti; vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, vindexque apoſtaſiæ. Rurſum hortatus eoſdem, vt Chriſtum æquè, ac ipſos, tentatum per omnia, ipſiſque compatientem fidenter adeant, & invocent. 5. Chriſtus Pontifex noſter non à ſe, ſed à Deo conſtitutus, nobis ſimilis, & condolens, oranſque exauditus pro ſua reverentia, & obedientia, Pontifex, inquam, ſecundum Melchiſedech. Hinc à Paulo increpata Hebræorum tarditas, & cruditas, vtpotè, quibus adhuc opus ſit lacte, non ſolido cibo. 6. Teſtatus Paulus ſe nolle rurſum Hebræis tradere rudimenta fidei, & pœnitentiæ, eò quòd eos, qui tot Dei dona receperunt, quanta ipſi in Chriſtianiſmo, impoſsibile ſit renovari ad pœnitentiam; itaque Hebræos avertit à lapſu, & apoſtaſia. Animati ab eodem Hebræi ad conſtantiam, ſpem, patientiam, longanimitatem, propoſito eis exemplo Abrahæ patienter expectantis ea, quæ ſibi promiſſerat, & iuraverat Deus tandem eadem adepti. 7. Ex typo Melchiſedech ſeptem rationibus probatum Chriſti Sacerdotium Aaronico quaſi præſtantius, & perfectius ſucceſsiſſe. Prima eſt, quia

Abra-

Abraham, qui fuit pater Levi, & Aaronis, decimas dedit Melchisedech, quasi suo Pontifici, & typo Christi. 2. quia Melchisedech benedixit Abrahæ, & consequenter Aaroni. 3. quia Melchisedech sine patre, & matre, quasi æternus inducitur, cum Aaronici sint temporanei. 4. quia Sacerdotium Christi quasi perfectius successit Aaronico, vt expleret ea, quæ illi deerant. Quinta non Aaronis, sed Christi Sacerdotium est à Deo cum iureiurando Psal. 109. 6. Christus est immortalis, Aaronici sunt mortales. 7. Christus vno Sacrificio omnia expiavit peccata, Aaronici multis sacrificijs ne vnum quidem peccatum expiant. Hæ autem omnes rationes fundatæ in illo versu Psal. 109. Iuravit Dominus, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hunc enim versum vrget, & perurget Apostolus. 8. Per anacephalæosin ostensum Christi Sacerdotium præstantias Aaronico, tanquam corpus vmbra. A Sacerdotio progressus Paulus ad Testamentum, docens Vetus Testamentum æquè, ac Sacerdotium abolitum per Novum Christi, vtpotè quod leges Dei non scribat in tabulis lapideis, sed in corde, & mente. 9. Probatum ex fabrica, & significatione Tabernaculi, quod erat figura Ecclesiæ Christi, quòd lex vetus cessare debuerit, & cedere Christo, eiusque legi. Descriptum igitur Sanctum, & Sanctum Sanctorum, eorumque vasa, Pontifice veteri semel in anno cum sanguine hircorum introeunte in Sancta Sanctorum, ad significandum Christum, qui per sangainem suum ingressus in cælum, illud reseravit, & æternam redemptionem nobis comparavit. Hinc Christus mediator Novi Testamenti, quia illud suo sanguine, & morte sanxit, & confirmavit, sicut sanguine hircorum sancitum, & confirmatum est Vetus Testamentum. Idem Christus per sanguinem suum ingressus in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, & expectantibus se sit in salutem. 10. Non hostijs Aaronicis, licet permultis, sed vna Christi in cruce hostia expiata omnia. Facto progressu à dogmatibus ad mores illatum, & inculcatum Hebræis, vt in fide Christi constantes sint, tùm ob terrorem vindictæ Dei, tùm ob pristinam eorum in persequutione constantiam, tùm quia post modicum veniet Christus Iudex, & Liberator noster. 11, Pro corroborandis Hebræis in fide Christi ad persequutionum tolerantiam descripta fides, quanta bona certissimè promittat, quamque magna, & heroica vel effecerint, vel passi sint veteres patres, & heroes per fidem, & spem cælestis gloriæ excitati, & animati. 12. Conatus hic Apostolus per exempla promissa superius fidei vrgere Hebræos, vt in fide constantes sint, vtque persequutiones, quasi disciplinam Dei paternam libenter excipiant. Exemplo Esau vili esca vendentis primogenita, & reprobati inculcatum Hebræis, ne ob lucra temporalia vendant fidem, & gratiam Christi, ideòque reprobentur. Demonstratum quantùm lex nova data in Sion præstet veteri datæ in Sina, ac consequenter quanto gravius puniendi sint Christiani legem novam, quam Iudæi veterem violantes. Adhuc eos conatus Paulus vrgere metu, & minis, docens, quòd Deus, cum daret legem in Sina, & Sion, Cælum, & terram commoverit, vt ostenderet, se terribilem fore legis suæ vindicem, esseque ignem consumentem. 13. Adhortatus Hebræos ad charitatem fraternam, hospitalitatem, misericordiam, castitatem coniugalem, fugam avaritiæ, imitationem propositorum; monens eosdem ne doctrinis novis, & varijs sinant se abduci, sed gratia stabiliant cor, sumendo scilicet Eucharistiam ex altari, quod Christus non Iudæis, sed Christianis dedit. Hinc ex typo veteris, hostiæ publicæ pro peccato, quæ cremenda erat extra castra, allegoricè conclusum à Paulo, exeamus igitur ad eum (Christum) extra castra, improperium

rium eius portantes. Iussum ijsdem à Paulo, vt obediant suis præpositis, vtque pro se orent. Denique benè eis precatus salutationibus de more claudens Epistolam.

## SECTIO XV.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ IACOBI, eiusque capitum.*

HÆC Epistola,& aliæ sex sequentes Epistolæ, quas Sancti Iacobus,Petrus,Ioannes,& Iudas conscripserunt, catholicæ, ideſt vniversales vocantur, eò quòd non particularia tractent negotia, vt solent V. G. Ciceronis, vel similium Epistolæ, quæ inde familiares dicuntur; sed vniversalia,& toti Ecclesiæ communia. Vnde ab alijs œcumenicæ, ab alijs encyclicæ, ideſt circulares, nominantur, quòd passim, & per omnia loca terrarum legendæ,& crebro relegendæ mitterentur. Sicut enim Iudæi, & alij Ecclesiæ hostes publicis, & generalibus rescriptis fidem Christi, moresque Christianorum vbique per orbem conabantur in odium trahere, ita ex adverso Apostoli suis quoque generalibus litteris satagebant fideles toto orbe in suscepta fide, & Christianis virtutibus corroborare, & confirmare. Porrò plurimæ erant eiusmodi Epistolæ, quas successu temporis varij Episcopi hunc in finem conscripserunt, vt de S. Clemente Romano, Dionysio Corinthio, Theophilo Alexandrino, Polycarpo, & alijs testatur Eusebius; quin & ab alijs etiam Apostolis alias similes conscriptas, quis dubitet? Ex omnibus tamen hæ solæ septem, vna scilicet Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ, in canonem librorum Sacræ Scripturæ ab Ecclesia assumptæ sunt, vnde & canonicæ vocantur, ad distinctionem aliarum circularium Epistolarum aliorum Episcoporum,quę veritatis infallibilis, & à Deo revelatæ, vel comprobatæ, auctoritatem, dignitatemque non obtinent. Quod ad materiam attinet, omnes idem, sed brevius inculcant, quod Paulinæ Epistolæ, nisi quòd Iudas præcipuè fidem vrgent orthodoxam, Ioannes charitatem Iacobus orationem,& patientiam, Petrus vitæ, morumque sanctitatem. Quod verò ad ordinem spectat harum Epistolarum, quem supra innuimus, non dignitatis,sed solius temporis,non quo scriptæ, sed quo in canonem, seu catalogum sacrorum librorum relatæ sunt, ab Ecclesia habita fuit ratio. Græcè omnes ab Apostolis conscriptæ sunt, vtpotè vulgari tunc lingua etiam Iudæis, maximè extra Iudæam degentibus, ad quos primariò destinabantur.

Prima ex Epistolis Catholicis est Epistola B.Iacobi Apostoli, qui minor dictus est, non perfectione, ac virtute, cum ob eius maximam sanctitatem cognomento dictus sit Iustus; sed quia ad Apostolatum post Iacobum Zebedæi, fratrem Ioannis vocatus est; frater verò Domini est appellatus, qua filius erat Mariæ Cleophæ sororis matris Domini, cuius Ioannes in libro suo meminit, quæ idcircò soror matris Domini est dicta, quia erat vxor Cleophæ fratris Ioseph; satis enim vsitatum est, vt coniuges duorum fratrum sorores nominentur; vnde quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur soror Mariæ matris Domini, sic etiam Iacobus dicebatur frater Domini,quia erat filius eius, quæ dicebatur soror matris Domini. Dictus est etiam Iacobus Alphæi, quod Cleophas esset binomus, & vocaretur etiam Alphæus, nec enim novum est in sacris litteris nonnullos esse binomos; nam S. Matthæus dicitur etiam Levi, S. Petrus Simon, &c. fuit Iacobus primus Episcopus Ecclesię Ierosolymitanæ, à reliquis Apostolis mox à morte Christi non ordinatus; nam omnes Apostoli immediatè à Christo fuerant ordinati Episcopi in vltima cæna,sed donatus,ac deputatus; fuit perpetuò virgo, perpetuus Naza-

ræus, vino, carne, pisce, oleo, balneis, alijsque delicijs perpetuò abstinens, perpetuò nudis pedibus incedens, tanta etiam apud Iudæos opinione sanctitatis, vt vltrò ipsi, licet non è Tribu Levi, sed Iuda oriundo, concederetur ingressus in Sancta Sanctorum, non illa intima, vbi currus erat Cherubim, nam huc nulli, nisi Summo Pontifici, & huic non nisi semel in anno patebat ingressus; sed extima Sacerdotum atria, & exedras, quæ vulgata Hebræis phrasi Sancta Sanctorum, ideſt Sanctissima loca vocabantur, sicut & victimæ, & quidquid ad cultum divinum pertinebant, subinde Sancta Sanctorum, seu Sanctissima nominabantur. Ad hæc ergo solis Sacerdotibus, ac Levitis vsurpata loca, etiam Iacobo Episcopo, ob eximiam sanctitatis famam, accessus orandi, vel dicendi gratia, ex singulari privilegio concedebatur. Putatque noster Salmeron, pluris illum, quam Pontificem summum à Iudæis habitum fuisse, & præcipuam neci eius causam dedisse Ananum Pontificem, quòd tolerare non posset, Iacobum sibi à populo præferri. Ecclesiam suam vsque ad septimum Neronis annum rexit, post quem dum à Iudæis publicè compelleretur, vt Christum Dei filium denegaret, contradicens, lapidari iussus est, cumque præcipitatus de templi pinna, confractisque cruribus semianimis pro interfectoribus oraret, fullonis fuste in cerebro percussus interijt post 30. annos à morte Christi. Et Ioseph eversionem Ierosolymæ per Titum ascribit iniustæ cædi Episcopi Iacobi. Quo præcisè anno hanc Epistolam scripserit incertum: certum scripsisse post editam Epistolam Pauli ad Romanos, ideſt post annum à morte Christi 26. nam occasione quorundam à S. Paulo scriptorum in illa Epistola, suam tunc Iacobus conscripsit. Argumentum, & scopus Epistolæ est, animare fideles ad patientiam, constantiam in persequutione, & studium virtutum, ac bonorum operum, præsertim orationis, & beneficentiæ in proximum. Cum enim partim ex Epistolis S. Pauli ad Romanos, & Galatas, vbi fidem Christi mirè extollit, & opera legis Mosaicæ vbique deprimit, partim aliunde ansam accepissent Simon Magus, eiusque sequaces Menander, Carpocras, & alij plures, docendi etiam opera fidei, charitatis, legisque Christianæ non esse necessaria ad salutem, sed nudam fidem sufficere, vt pestilentem hunc errorem primis ipsis initijs extinguerent Apostoli Iacobus, Petrus, & Ioannes, tam acriter calamos in eum strinxerunt, vt prorsus confecerint, ac iugularint. Synopsim capitum, quæ sunt quinque subijciamus.

Recensentur primo capite. Gaudendum in tentatione, eò quòd illius patientia opus perfectum habeat. Postulanda à Deo sapientia certa spe, & fide Humilibus, & pauperibus gloriandum in sui exaltatione futura. Divites verò, & superbi confundendi in humiliatione, quæ eos mox excipiet. Beatus tolerans tentationem. Hæc non à Deo, sed omne donum, & bonum, quasi à Patre luminum descendens. Frænanda lingua, ira, & immunditia. Iustificandi factores verbi, non auditores tantum. Vera Religio, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire in hoc sæculo. 2. A fide religionis fundamento, ac initio non admissa personarum acceptio, ita vt dives præferatur pauperi, nobilis ignobili. Ex eiusdem fidei præcepto, violans vnum legis præceptum, factus omnium reus. Fides sine operibus inanis, & mortua instar cadaveris; idque multis argumentis, & exemplis probatum. 3. Magisterium fidei explicatum. Contentioni igitur, & ambitioni oppositа sapientia humilis, & mansueta. Vnde taxati ambientes officium docendi. Horum occasione in linguæ vitia excursum. Lingua enim indomabilis, ignis omnia conburens, adeòque vniversitas iniquitatis. Vera sapientia discendi,

& docendi nequaquam ſita in contentione, & zelo, ſed in manſuetudine, & pace. 4. Mali radix indicata, & amputata, ſcilicet concupiſcentia, amorque mundi, & commodorum præſentis vitæ, cui oppoſitus amor, & acceſſus ad Deum. Quare concupiſcentiæ litium, & bellorum fomites perſtrictæ. Amicitia mundi inimica Deo. Ad Deum ſuperbis reſiſtentem, per humilitatem, & munditiem cordis accedendum, vt ipſe nos exaltet. Invectus in detractores. Demonſtrata vanitas concupiſcentiarum ex vanitate vitæ, cui inhærent, & adhærent. Summa ergo, ac finis capitis, concupiſcentiam honoris, & excellentiæ, ſivè ambitionem matrem invidiæ, litium, bellorum, & detractionum ſanare, & extinguere per ſtudium humilitatis, & modeſtiæ. 5. Divitum in pauperes perſtricta ſævitia, inſolentia, & luxus. Inde hortatus pauperes, & afflictos ad patientiam, exemplo Iob, & Prophetarum. Mox vetatum iurare; triſtibus iuſſum orare, lætis pſallere, ægris vngi oleo, peccatoribus peccata ſua confiteri. Commendatum demum ſtudium orationis, & ſalutis proximorum.

## SECTIO XVI.

### *SYNOPSIS PRIMÆ EPISTOLÆ Petri, eiuſque capitum.*

PEtrus, qui Græcè Petros, & Chaldaicè, ſeu Syriace Cephas, hoc eſt Petra (illi enim propterea à Chriſto dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.) Betſaidæ, Galileæ oppidi civis fuit, Andreæ frater, & artificio piſcator. Adductus eſt primò à fratre Andrea ad Ieſum; deinde ſimul cum fratre ad Apoſtolatum vocatus à Chriſto, relictis omnibus, ſequutus eſt eum. Hunc Chriſtus Dominus noſter deceſſurus ex hoc mundo ad cæleſtem Patrem, Eccleſiæ ſuæ in terris Gubernatorem effecit. Cum autem Antiochenſi Eccleſiæ ſeptem præfuiſſet annis, Evangelium prædicavit in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bytinia. Secundo verò anno Claudij ad expugnandum Simonem Magum pervenit Romam, vbi annis 25. eiuſdem vrbis tenuit Pontificatum, vſque ad vltimum Neronis annum ideſt 13. à quo Nerone anno 37. 3. Kal. Iulij poſt paſsionem Chriſti Cruci affixus, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatis. Sepultus eſt Romæ in Vaticano iuxta viam Triumphalem, tertio ab vrbe lapide ad Orientalem plagam, vbi totius orbis veneratione celebratur. Fuit haud craſſa corporis ſtatura, ſed quæ eſſet aliquantò erectior, facie ſubpallida, & alba admodum; capilli capitis, & barbæ criſpi, & denſi, ſed non admodum prominentes; oculi quaſi ſanguine reſperſi (quod aſsiduè fleret) fuere nigri, ſupercilia propè evulſa, naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimuſque magis. Scripſit duas Epiſtolas ex Catholicis; hæc prima ſcripta eſt Romæ, & miſſa per Silam, ſeu Silvanum, anno à morte Chriſti 13. nempè ſub initium adventus Petri Antiochia Romam. Paſsim Interpretes cenſent Græcè eſſe ſcriptam, vtpotè ad Græcos, ſeu ad Chriſtianos per Græciam diſperſos, puta ad Ponticos, Galatas, Cappadoces, Aſianos, Bytinios, quos paulò antè converterat, cum regiones illas peragraret. Tota hac prima Epiſtola celebrat admirabile Dei conſilium, & beneficium in Verbi Incarnatione, & Paſsione, mundi Redemptione, Iudæorum, & Gentium ad fidem Chriſti, ſalutem, & gloriam æternam Vocatione. Sparſim mores etiam ad Chriſti legem efformat, hortaturque ad obedientiam, prudentiam, vigilantiam in orationibus, charitatem, hoſpitalitatem, temperantiam, & patientiam. Capitum, quæ ſunt quinque Synopſim adnectamus.

Habentur primo capite. Præmiſſa ſalutatione benedictus Deus à Petro, quòd

quòd fideles per Christum regenerarit, & destinarit ad hæreditatem æternam. In huius spe Christiano exultandum in quibusvis tribulationibus, & hæc omnia prædicta à Prophetis. Incitati fideles ad vitam puram, & sanctam, qua Christum imitentur, eiusque hæreditatem, & gloriam assequantur. 2. Instructi fideles iam per baptismum renati, quibus virtutibus quasi cibis alendi, vt crescant in virum perfectum in Christo: Sicut ergo modo genitis infantibus rationabile sine dolo lac concupiscendum. Ijsdem magnitudo vocationis suæ æstimanda, & iuxta eam condignè vivendum, offerendo Deo spirituales hostias, quasi genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta. Ijsdem etiam quasi peregrinis abstinendum à carnalibus desiderijs, & obedientia præstanda debita erga suos principes, & heros licet ethnicos, & discolos; ac demum patienter sustinendæ persecutiones, & afflictiones quælibet exemplo Christi, qui quasi agnus tradidit se Iudæis ad Crucem, & mortem. 3. Vxores fideles subditæ viris etiam infidelibus. Et hac occasione vxoris æquè, ac viri officia descripta. Hortatus fideles omnes ad concordiam, charitatem, modestiam, humilitatem, patientiam, proponens eis exemplum Christi, cui per baptismum incorporati sunt, vt eius puritatem, & mores imitantes, cum eo conscendant in cælum, vitaque æterna donentur. 4. Hortatus fideles primo, vt pristinas gentilismi luxurias, & cupiditates abdicantes, Christo passo se conforment, solique Deo vivant. 2. ad studium orationis, mutuæ dilectionis, hospitalitatis, & gloriæ Dei promovendæ. 3. ad tolerantiam, & magnanimitatem, vt cum Christo, & pro Christo quaslibet persequutiones, & afflictiones constanti, fortique animo sustineant. 5. Pastoribus commendatus grex Christi, quem pascant non turpis lucri gratia, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Adolescentibus commendata subiectio, omnibus humilitas, vtque sollicitudinem omnem resignent in Dei providentiam. Commendata item sobrietas, & vigilantia, vt resistant diabolo, qui circuit quasi leo rugiens, quærens quem devoret; jidem demum animati, quod Deus modicum passos ipse perficiet. Salutatione, & apprecatione clausa Epistola.

## SECTIO XVII.

### *SYNOPSIS SECUNDÆ EPISTOLÆ Petri, eiusque capitum.*

SCripta est Romæ circiter 24. annis post primam Epistolam, anno vitæ Petri vltimo, imperij Neronis 13. à morte Christi 37. è carcere, vt videtur, Mamertino, in quo novem vltimæ vitæ suæ menses exegit, cum iam cælitus revelatum ei foret à Christo, velocem fore depositionem Tabernaculi sui. Scripsit eam Petrus occasione Simonis Magi, eiusque sequacium hæreticorum adversus Christum insurgentium; vnde cap. primo Christi gratiam, & æconomiam egregiè extollit, constantiam in fide Christi Christianis commendans. 2. capite hæreticos, eorumque scelera, ac fraudes depingit, & confutat. 3. & vltimo acrem vtrisque stimulum impingit, nempè instans Iudicium extremum, quod pluribus describit. Sparsim hinc inde prodit insignem suum pro Christo patiendi ardorem, zelum, martyrium. Estque hæc vltima Petri, & quasi cycnea vox, qua Ecclesiæ suæ, & mundo vale dicit, & fidem, doctrinamque suam futuris sæculis contestatur. Cur autem videatur esse diversus stilus huius posterioris à priori ratio potest esse, quia Apostolus non semper eodem Interprete vtebatur. Synopsim capitum superaddamus.

Narrantur primo capite. Precatus fausta omnia fidelibus, docens per Christum, cuius gloriam mirificè extollit, maxima, ac prætiosissima dona

no-

nobis cælitus obtigisse; ideòque par esse, vt non amplius carnalem, aut mundanam, sed cæleſtem vitam vivamus, omnibus virtutibus inſtructam. Habenda meritò fides ſibi, vtpotè oculato teſti gloriæ Chriſti, & propediem hinc in cælum demigraturo, ſibique benè monenti obſequendum. 2. Cavendi Pſeudoprophetæ prophetis contrarij, ideſt hæretici. Horum primo malignitas, mox punitio deſcripta. Puniendi enim ijdem inſtar Luciferi, & dæmonum, ac inſtar mundanorum, qui merſi ſunt diluvio; atque Sodomæ, & Gomorrhæ, quæ celeſti igne conflagrarunt. Eorundem pravi mores deſcripti, præſertim luxuria, ſuperbia, rebellio, audacia, philautia, blaſphemia, adulatio, avaritia. Comparati cum Balaam, cuius malitiam redarguit aſina, cò quòd illius inſtar pelliciant in errores homines, docendo luxuriam, ac libertatem carnis, quæ mera, & fœda eſt ſervitus. 3. Horror extremi Iudicij contra Gnoſticos, alioſque hæreticos id negantes, acriter inculcatus. Iudicium dilatum, ſed eius mora brevis conceſſa hominibus, vt pœniteant, & ſuę ſaluti conſulant, vti monuit S. Paulus in ſuis Epiſtolis, quas aſſerit S. Petrus eſſe difficiles intellectu, & ab hæreticis depravari. Moniti fideles, vt in fide Chriſti firmi perſiſtant, & creſcant.

## SECTIO XVIII.

### *SYNOPSIS PRIMÆ EPISTOLÆ Ioannis, eiuſque capitum.*

PRima hæc Epiſtola ſcripta fuit à Ioanne paulò poſt conſcriptum ab ipſo Evangelium. Emerſerat ſub id tempus duplex hæreſis, prior Cerinthi, Ebionis, & aſſeclarum, negantium Divinitatem Chriſti. Altera Baſilidis cum ſuis negantium veram Chriſti carnem, ſeu humanitatem. Vtramque evertit S. Ioannes, tùm Evangelio ſuo, tùm hac Epiſtola. Evertit, & hæreſim Simonis Magi, eiuſque ſequacium, ſolam fidem ad ſalutem ſufficere contendentium; vnde paſsim præter fidem, & fiduciam in Deum (quam ex ſinu Chriſti hauſerat) charitatem tùm Dei, tùm proximi, piorum operum exercitia, cuique ætati, puta pueris, adoleſcentibus, ſenibus præſcribit. Hæc Epiſtola quamvis vna ſit è catholicis, ac proinde vniverſalis ſcripta in vſum fidelium vbivis degentium, nominatim tamen miſſam ad Parthos volunt nonnulli, quibus videtur adhærendum. Parthorum enim imperium æquè, ac nomen tum temporis amplum erat, & celebre, & etiam Perſas, pluresque alias Orientis nationes complectebatur, & plurimi ibidem degebant partim ex Iudæis, partim ex Gentilibus converſi, colligitur ex Actis Apoſtolorum cap. 2. Sed Synopſim capitum, quæ ſunt quinque, ſupponamus.

Habentur primo capite. Teſtatus Ioannes Verbum Incarnatum à ſe viſum, auditum, & manibus contrectatum, vt cum illo, & per illud ſocietatem habemus cum Deo Patre; inde docens, tùm Deum eſſe lucem expertem tenebrarum, ac proinde Chriſtianos in luce vitæ Chriſti debere ambulare, tùm etiam neminem à peccato eſſe immunem, ac proinde quemlibet debere confiteri, ſe eſſe peccatorem, quod ſi faciat, ſanguis Chriſti emundabit eum ab omni peccato. 2. Fidelibus in ſocietate cum Deo perſiſtendum ſtudioſè, ideòque cavendum à peccatis, Dei præcepta obſervanda præſertim charitatis tàm Dei, quàm proximi, quod vocat mandatum vetus, & novum. Inde ſingulæ hominum ætates compellatæ, puta patres, adoleſcentes, infantes, iuvenes, ſingulique ad Dei cultum, & amorem accenſi. Ideò eos hortatus Apoſtolus, vt caveant à mundo tranſeunte, vtpotè in quo non eſt aliud, quàm concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Perſtricti hæretici, monitique fideles, vt illos quaſi Antichriſtos execrentur, fidem verò in Deum Patrem,

& Filium, & Spiritum, eiusque vnctionem constanter retinendam, vt in eo maneant, nec confundantur in aduentu eius, sed ab eo accipiant vitam æternam. 3. Inæstimabile novæ ex Deo nativitatis, & filiationis beneficium elatum ex fine, & mercede, quæ est gloria æterna, in qua similes ei erimus. Ad illam retinendam, & ad hanc consequendam præscripta media. Primum, fuga peccati, & studium sanctitatis. 2. amor fraternus, & reliquorum mandatorum custodia. Hæc obseruans, omnia, quæ à Deo postulat, consequutus, tamquam fructum horum omnium. 4. Adhuc inculcata vera Christi fides, & charitas tàm Dei, quàm proximi. Vnde discernendi spiritus, an veritatis sint, an erroris, hoc signo, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo sit, qui solvit Christum, sit ex mundo & diabolo. Multis etiam commendata charitas, eò quòd Deus sit charitas, & ex charitate filium suum per Incarnationem nobis dederit. Tres præcipui charitatis fructus, & effectus recensiti. Primus est, quod habens charitatem, in Deo maneat, & Deus in eo. 2. quòd charitas datura sit fiduciam in die iudicij. 3. quòd charitas foras mittat timorem. 5. Commendata adhuc fides, & amor erga Deum, & Christum Incarnatum, eiusque sex effectus, & fructus assignati. Primus est nativitas Divina. 2. victoria mundi. 3. testimonium Dei. 4. vita æterna. 5. fiducia impetrandi quidlibet à Deo, dummodò non oret pro venia peccati ad mortem. 6. impeccabilitas, hoc est præservatio à peccato, & diabolo, quare hoc caput, quasi conclusio Epistolæ, & epilogus.

## SECTIO XIX.

### *SYNOPSIS SECUNDÆ EPISTOLÆ Ioannis.*

EOdem tempore scripta hæc est 2. Ephesi, & vel in Parthiam, vel in aliquam Asiæ provinciam missa, quo prima, & tertia, eiusdem etiam argumenti, & styli, vt vel hinc pateat esse eiusdem quoque auctoris. Cuidam fœminæ re, & nomine Electæ, & eius liberis specialiter fuisse missa ex principio Epistolæ apparet. Vocatur eadem Domina, tùm quia fortè princeps erat fœmina, & eximij honoris, ac potentiæ, tùm quia fortè ministros Ecclesiæ sustentabat. Laudata igitur Electa, & eius familia à fide, & charitate. Hortatus eamdem Ioannes, vt in ea permaneat, ideòque cavendæ hæreses tum subnascentes, quasi Antichristi, adeò vt nec Ave eis dicat, neque cum ipsis vllum commercium admittendum.

## SECTIO XX.

### *SYNOPSIS TERTIÆ EPISTOLÆ Ioannis.*

HÆC tertia Epistola scripta est à Ioanne, & missa ad Caium, qui vulgo is creditur esse, quem B. Paulus ad Romanos 16. hospitem suum vocat. Hac ergo Epistola à S. Ioanne laudatus Caius sibi familiaris ob hospitalitatem, quòd fideles peregrinos hospitio excipiat, foveat, benignè, lautèque habeat. Ex adverso accusata Diotrephis inhospitalitas, & arrogantia, quòd fideles non suscipiat, & suscipientes ex Ecclesia ejiciat. Demum Demetrius publico omnium, suoque testimonio commendatus. Brevi se præsentem affuturum significans Ioannes: salvere iubens amicos.

## SECTIO XXI.

### *SYNOPSIS EPISTOLÆ IUDÆ.*

IUdas, idest confitens, celebransque Deum, qui etiam Syriacè Taddæus est appellatus, hoc est apprehendens, seu attendens Principem, & ab Evangelista Luca frater Iacobi minoris; dictus etiam Lebæus, quod interpretatur corculum, vel quasi cor, sivè custos sui cordis, & quidem ob eius insig-

ſignes virtutes. Fuit de Tribu Iuda, ex patre Cleopha, alio nomine vocato Alphæo, vocatus ad Apoſtolatum vnà cum reliquis proximè à Chriſto Domino. Poſt Apoſtolorum diviſionem prædicavit in Iudæa, Galilæa, Samaria, Idumæa, Arabia, Syria, & Meſopotamia, & tandem in Perſidem profectus, ibi martyrij laurea coronatus eſt. Scripſit hanc Epiſtolam ex Catholicis vltimam eis, qui ex omnibus populis, & nationibus ad Chriſti fidem converſi erant, & ſcriptam credimus ante annum 31. à morte Chriſti, quo S. Iudas cum fratre ſuo Simone Chananæo martyrium in Perſide ſubivit. Scripta igitur fuit circiter ſexennio ante 2. Epiſtolam S. Petri, qui plurimas ex Iudæ Epiſtola ſententias pænè verbo tenus in ſuam tranſcripſit. Græcè ſcriptam teſtatur ipſa phraſis; brevis eſt, ſed fœcunda admodum Epiſtola, primariò fidei myſteria, morumque Chriſtianorum præcepta paucis verbis complectens. Hac ergo Epiſtola Hæreticorum improbi mores depicti grave, & acre Dei iudicium ab Henoch prædictum ijſdem intentatum. Ijdem omnes quaſi ſeductores, & peſtes cavendi. Chriſtianis vero in fide ſuſcepta conſtanter perſiſtendum, ne ſi deflexerint, contingat ijs, quod Hebræis, Sodomitis, & Angelis à Deo apoſtatantibus. Hortatus demum S. Iudas fideles ad orationem, caſtitatem, & charitatem, & zelum animarum, vt ijdem ſeductos ab hæreticis ad fidem reducant, inſigni doxologia Epiſtolam concludens.

## CAPUT QUARTUM.

### *SYNOPSIS LIBRI PROPHETALIS Novi Teſtamenti, ſcilicet Apocalypſis D. Ioannis Apoſtoli, eiuſque capitum.*

PRophetalis liber Novi Teſtamenti vnus eſt, D. ſcilicet Ioannis Apoſtoli Apocalypſis, hoc eſt revelatio, omnium ſcripturarum obſcuriſſima, ac difficillima, tot habens ſecreta, quot verba, imò in verbis ſingulis multiplices intelligentias, opus immenſæ difficultatis, mare magnum plenum procellis, & tempeſtatibus, in quo omnis ſapientia humana devoratur; vnde abſque ſingulari Dei revelatione eſt prorſus incomprehenſibile, tùm ob ſublimitatem materiæ, quæ totius Theologiæ medullam, & Evangelicæ Philoſophiæ nucleum continet; tùm ob parabolas, & ænigmata, quibus ſcatet; tùm denique ob innatam omni prophetiæ, quandiù necdum impleta eſt (& talis fere tota eſt Apocalypſis) incertitudinem, & obſcuritatem. Scripſit autem Ioannes hanc Apocalypſim quarto anno ante mortem ſuam, biennio ante conſcriptum à ſe Evangelium, anno à morte Chriſti 64. ab excifa Ieroſolyma 24. Imperij Domitiani 14. in Inſula Patmos, in quam ab hoc tyranno relegatus fuerat. Scripſit, inquam, vt hoc quaſi antidoto fideles communiret adverſus venena Ebionis, Cerinthi, Gnoſticorum, Nicolaitarum, & aliorum tunc, & poſt exſurgentium hæreticorum, eoſdemque fideles roborat ad fortiter ſuſtinendas reliquas octo generales perſequutiones à totidem Imperatoribus mox concitandas. Quòd verò hic liber Apocalypſis in Græco aſcribatur Ioanni Theologo, factum id eſt, quoniam hoc nomen Ioanni Apoſtolo, ob doctrinæ ſublimitatem, proprium erat. Styli differentia ab Evangelio, & Epiſtolis Ioannis perexigua eſt, & quis neſciat, alium prorſus ſtylum prophetiam exigere, quàm hiſtoriam, vel Ethica? Iam quod ſpectat ad argumentum Apocalypſis, tribus primis capitibus inſtruit, corripit, corrigit ſeptem Epiſcopos, & Eccleſias Aſiæ. 4. capite proponit librum ſeptem ſigillis ſignatum, quæ ſex ſequentibus capitibus referantur, pauduntque futura in Eccleſia vſque in finem mundi, maximè verò plagas, & ſigna præambula tàm extremo Iudicio, quàm Antichriſto. Reſeratis, atque explicatis

ſigillis,

ſigillis, ipſum librum, ſeù contenta libro, enarrat à cap. 11. vſque ad finem totius Apocalypſis, puta perſequutionem Eccleſiæ per Antichriſtum, Henoch, & Eliæ prædicationem, martyrium, & reſurrectionem, ſeptem plagas noviſsimas, ſtragem Gog, & Magog, Antichriſti, & complicum illius interitum, vniverſi excidium, vniverſale Iudicium, & gloriam Beatorum æternam. Ioannes enim ſicut in Evangelio ſuo deſcribit vt hiſtoricus primum Chriſti adventum, ita vt prophèta deſcribit in Apocalypſi ſecundum eiuſdem adventum. Capitum, quæ ſunt 22. Synopſim adijciamus.

Recenſentur primo capite. Libri titulus, & elogium. Epiſtola dedicatoria, ſeù dedicatio libri, qua ſeptem Aſiæ Eccleſijs, quibus prædicaverat, ſuam Apocalypſim dedicat, eiſque gratiam, & pacem apprecatur. Prologus continens narrationem primæ viſionis, puta glorioſam Chriſti ſpeciem in medio ſeptem candelabrorum, ideſt ſeptem Eccleſiarum Aſię repreſentantem omnia, quæ tota Apocalypſi continentur. 2. Iuſſu Chriſti à Ioanne datæ Epiſtolæ ſeptem ad ſeptem Epiſcopos, & Eccleſias Aſiæ, quarum Epiſtolarum quatuor recenſitæ in hoc capite. Prima ad Angelum Epheſi, vt primam charitatem collapſam reparet, comminatus Ioannes, ni faciat, quòd amovebit candelabrum eius, pollicitus, ſi faciat, lignum vitæ. 2. ad Angelum Smirnæ, vt ſit conſtans in fide, & virtute vſque ad mortem; promittens etiam Ioannes ei coronam vitæ. 3. ad Angelum Pergami, vt fortiter ſe opponat Nicolaitis; minans illi idem Ioannes gladium, & promittens ei manna abſconditum, & calculum candidum. 4. ad Angelum Thyatiræ, vt reſiſtat Iezabeli docenti fornicari, & veſci idolothytis, pollicitus illi Ioannes poteſtatem ſuper gentes, & ſtellam matutinam. 3. Tres reliquæ Epiſtolæ. 1. ad Epiſcopum, & Eccleſiam Sardenſem, quod dicatur vivere, & mortuus ſit, ni pæniteat, comminatus quod veniet ei ſicut fur in nocte; ſin reſipiſcat, & vincat, pollicitus ei veſtes albas, quodque ſcribet eum in libro vitæ. 2. ad Epiſcopum Philadelphenſem modicæ virtutis, ſuadens tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam, quod ſi fecerit, pollicitus, quòd faciet eum columnam in templo Dei, & ſcribet in eo nomen Dei, & novæ Ieruſalem. 3. ad Epiſcopum Laodicenſem, eidem exprobrans, quòd neque calidus ſit, neque frigidus, ſed tepidus, quem proinde Deus ore ſuo ſit evomiturus. Eidem ergo ſuaſum, vt emat aurum ignitum, veſteſque albas induat, & collyrio vngat oculos, quòd ſi fecerit, vincenti promiſſa ſeſsio in throno ſuo. Hæ tres Epiſtolæ, & aliæ quatuor præcedentes ab ipſomet Chriſto dictatæ Ioanni, tanquam ſcribæ, & amanuenſi. 4. 2. Ioannis viſio, qua aperto cælorum oſtio, viſus Deus habitu iaſpideo, & ſardinio, in throno ſuo ſmaragdino reſidens, & iride amictus; viſi etiam circunſedentes vigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia plena oculis, alis ſenis inſtructa, Deum aſsiduè laudantia ac dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ad horum laudes viſi vigintiquatuor ſeniores procedentes cum ſuis coronis ante thronum, & Deum pari modo collaudantes. Hoc capite propriè inchoata Apocalypſis, ideſt revelatio futurorum prophetica: hiſtoria enim præcedentibus capitibus narrata potiùs, quam prophetia. 5. Viſus à Ioanne liber in manu Dei ſignatus ſigillis ſeptem, Scriptus intus, & foris, quem nemo in cælo, vel in terra poterat aperire. A ſolo Agno occiſo apertus, quo circa tàm Deus, quàm idem agnus à quatuor animalibus, & vigintiquatuor ſenioribus, omnibuſque cælitibus celebratus, & glorificatus. 6. Reſerata ab Agno ſeptem libri ſignati ſigilla, nimirum primum apertum, & exit equus albus cum equite habente arcum, & coronam. 2. apertum, & exit equus rufus cum equite

habente gladium magnum. 3. apertum, & exit equus niger cum equite habente in manu ſtateram. 4. apertum, & exit equus pallidus, cui inſidet mors, quem ſequitur infernus. 5. apertum, & prodeunt animæ Sanctorum martyrum petentes vindictam. 6. apertum, & fit ingens terræ motus, Sol obſcuratur, Luna, vt ſanguis rubeſcit, Stellæ de Cœlo cadunt, omnes homines territi in ſpeluncas ſe abdunt. Alia pars 6. ſigilli ſequenti capite referata. 7. Pro altera parte ſexti ſigilli reſerati, ſignati ab Angelo electi, ne tangantur plagis impiorum, puta duodecim millia ex ſingulis Tribubus Iſrael. Deinde viſa à Ioanne innumera turba ex Gentibus ſtans antè thronum Dei cum ſtolis albis, & palmis, gratias agens, & laudans Deum, & Agnum. 8. 7. Sigillum apertum, & poſt ſilentium mediæ horæ prodeunt ſeptem Angeli cum tubis. 1. canente, facta grando, & ignis comburens tertiam partem terræ, & arborum. 2. canente, mons igneus cadens in mare deperdens tertiam partem piſcium, & navium. 3. canente, Stella cadens in flumina amaricans tertiam eorum partem. 4. canente, tertia pars Solis, Lunæ, & Stellarum obſcurata. 9. 5. Angelo canente, ſtella cadens è cælo aperiens puteum abyſsi, vnde prodeunt locuſtæ monſtruoſæ, ſimiles equis coronatæ, habentes capillos mulierum, & dentes Leonum, & caudas ſcorpionum, quæ cum rege ſuo Abaddon cruciant homines per quinque menſes. 6. Angelo canente, ſoluti quatuor Angeli ligati in Euphrate, qui colligunt maximum, & terribilem exercitum, à quo cæſa eſt 3. pars hominum, & tamen hiſce plagis cæteri impij à ſuis ſceleribus non avulſi, & averſi. 10. Viſus à Ioanne Angelus amictus nube, iride cinctus, dextro pede mare, ſiniſtro terræ inſiſtens, ac iurans, quòd amplius non erit tempus, mox reboantia & conſonantia ſeptem tonitrua; Ioannes ex iuſſu Angeli accipiens librum apertum, acceptumque devorans, in ore dulcem illum, ac mellеum, in ventre verò amarum expertus. 11. Iuſſus Ioannes metiri templum, deinde atrium, quod audit dandum eſſe Antichriſto per menſes 42. Vnde auditum ab eodem Ioanne, quòd contra eum prophetabunt, & plagas immittent Elias, & Henoch, qui ab eo tandem occidentur in Ieruſalem, ac poſt tres dies, & dimidium publicè reſurgent, ac in cælum evocati aſcendent, tuncque fiet terræ motus, quo tertia pars Ieroſolymæ corruet, & ſeptem millia hominum occidentur. 7. Angelo canente tuba, mox facta omnium conſummatio regnum glorioſum incipiens. Quocirca à 24. Senioribus actæ gratiæ, & celebratus Deus, quòd iam Dies Iudicij, & reſurrectio, ac impiorum ſupplicia, & ſanctorum præmia adveniant. Apertum demum cælum, & apparens arca Teſtamenti, factaque fulgura, tonitrua, terræ motus, & grando magna. 12. Deſcriptis præcedenti capite ducibus belli fidelium contra Antichriſtum, puta Eliam, & Henoch, hic ipſum bellum deſcriptum, quare ſub ſchemate mulieris, & draconis concertantium deſcripta multiplex Eccleſiæ, & diaboli pugna in fine mundi, Eccleſiæque victoria. 1. ergo muliere pariente maſculum, hunc draco rapere, & devorare molitus, ſed ille raptus ad Deum; inſequutus tamen draco, vt ei in iudicio Dei calumnietur, & accuſet; verum à Michaele deiectus trahens ſecum tertiam partem ſtellarum, quo circa à cælitibus glorificatus Deus. Inde draco deiectus, & frendens perſequutus mulierem, quæ acceptis alis fugit in deſertum: Draco inſequutus ore vomens, & emittens in eam flumen, à terra hiante abſorptum. Quare draco fremens reliquias ſeminis eius perſequutus. 13. Viſa à Ioanne beſtia habens cornua decem, & capita ſeptem, ſimilis pardo, pedes habens vrſi, & os leonis, loquens blaſphemias contra Deum, & Sanctos, eoſque perſequens, ac dominans omnibus gentibus,

& ab omnibus adorata, quia visa erat à mortuis resurrexisse. Hæc bestia futurus Antichristus. Visa à Ioanne alia bestia faciens ignem descendere de cælo, vtque imago prioris bestiæ loquatur, aliaque prodigia, quæ docet, & iubet adorari priorem bestiam, eiusque charactere omnes consignat, vetans ne cui sine eo quippiam emere, aut vendere liceat. Hæc bestia futurus Pseudopropheta aliquis, & præcursor Antichristi. Numerus nominis prioris bestiæ, ideſt Antichristi, dictus futurus 666. 14. Recensita 144. millia fidelium, qui tunc Antichristo resistent, non tàm lingua, quàm vita. Nam in summa morum licentia, quam dabit Antichristus, servabunt virginitatem; quo circa eorum gloria, & palmæ subiunctæ; quòd nimirum empti de terra quasi primitiæ Deo, & Agno, quòd sequuti Agnum quocumque ierit, habentes nomen Dei, & Agni in frontibus, quod citharædi Dei, & cantantes Canticum novum. Inde transgressus Ioannes ad tres Angelorum voces, quorum primus edicit, vt homines timeant Deum, eò quòd instet eius iudicium. 2. edicit Babylonis casum, & ruinam. 3. Antichristi assectis minatur gehennam. Audita à Ioanne è cælo, Beati mortui, qui in Domino moriuntur; & Angelus vnus edicens Christo, vt falce demetat electos; & alius Angelus edicens alteri, vt vindemiet botros, ideſt reprobos, eosque mittat in lacum iræ Dei. In hunc ergo missi, ibibem quasi uvæ calcati, ita vt sanguis eorum exundet vsque ad frænos equorum per 1600. stadia. Omnia hæc eò spectant, vt homines caveant à peccatis, nec cedant minis, aut promissis Antichristi. 15. Visi à Ioanne septem Angeli effundentes septem phialas iræ Dei. Visi Sancti, qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum, citharizantes, & cantantes Canticum Mosis, & Agni. Identidem à Deo per Ioannem proposita hic, & inculcata gloria Sanctorum, ad animandos fideles ad certamen, præsertim contra Antichristum. Apertum templum in cælo, ex eoque prodeuntes septem Angeli vestiti lino mundo, & zonis aureis, quibus singulis datæ singulæ iræ Dei continentes septem plagas orbis novissimas; quo circa templum impletum fumo à maiestate Dei. 16. Effusæ à septem Angelis septem phialæ, & plagæ novissimæ in orbem. A primo producta vulnera sæva, & pessima. A 2. mare. A 3. fluvij, & fontes versi in sanguinem. A 4. factum, vt Sol adurat homines, & terram. A 5. factum regnum Antichristi tenebrosum, & doloroſum, vt homines linguas suas manducent. A 6. siccatus Euphrates, vt congregentur reges, & cædantur à Deo, in Armagedon. A 7. inducta fulgura, tonitrua, terræ motus, & grando talentaris. 17. Visa à Ioanne purpurata meretrix, cui nomen Babylon, insidens bestiæ habenti capita septem, & cornua decem. Singulorum explicatio audita à Ioanne edocto singula ab Angelo. 18. Inductus Angelus glorioſus clamans, cecidit Babylon. Audita à Ioanne vox de cælo dicens, ex ite de illa populus meus, &c. Multisque descripta clades Babylonis, ideoque planctus regum, mercatorum, & nautarum. Ab Angelo forti missus lapis molaris in mare, dicente, hoc impetu mittetur Babylon, &c. 19. Descriptum hic cælitum ingeminantium Alleluia, gaudium & gratulatio, tum de damnatione Babylonis, quòd dies nuptiarum Agni, & retributio sanctorum adventet. Ioannes Angelum hæc nunciantem adorare volens, ab eodem prohibitus. Christus habens in femore scriptum, rex regum, & dominus dominantium, gladium ore vibrans, regali gloria, & pompa cum exercitu cælitum albatorum adveniens, defensurus sanctos in fine mundi contra Antichristum pugnantes, ac Antichristum cum suis perditurus, & occisurus. Quocirca ab Angelo aves invitatæ ad cænam magnam, vt carnes de-

devorent occiſorum. Hinc Antichriſtus, & eius præcurſor, ſivè Pſeudopropheta vivi à terra abſorpti; reliqui eius aſſeclæ, puta decem regum exercitus, cum Gog, & Magog occiſi. 20. Continuata materia capitis præcedentis per novam viſionem, qua res altiùs à ſuo exordio repetita. Viſus ergo à Ioanne Angelus habens clavem abyſsi, Satanam ligans in abyſſo per mille annos, quibus martyrum, & ſanctorum animæ cum Chriſto regnant in cælo. Inde poſt mille annos ſolvendus Satanas ad modicum tempus. Ab hoc ſoluto congregandæ gentes, & Gog, Magog ad Antichriſtum, vt pro eo pugnent contra Chriſtum, & Chriſtianos, ſed afflabit, & perdet eos Deus igne miſſo de cælo. Satan verò, & Antichriſtus in tartara ab eodem Deo deturbandi. Chriſti deinde deſcenſus ad iudicium, reſuſcitati mortui puſilli, & magni, libri aperti, ex ijſque mortui iam reſuſcitati iudicati ſecundum opera cuiuſque, ac tandem mors, & infernus cum impijs, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, miſsi in ſtagnum ignis. 21. A Ioanne viſa, & deſcripta cæleſtis Ieruſalem, nimirum eius opes, ſplendor, & gloria; murus, & portæ duodecim; altitudo, longitudo, & latitudo; duodecim fundamenta facta è totidem gemmis; claritas, & felicitas. 22. Deſcriptus fluvius cæleſtis Ieruſalem, & ex vtraque fluvij parte arbores vitæ. Ioannes volens adorare Angelum hæc nunciantem, vetitus ab illo dicente, conſervus tuus ſum, &c. Ioannes omnes adhortatus ad huius Civitatis deſiderium; vtque per fugam peccatorum, & ſanctam vitam, eandem ineant; comminatus graves pænas ei, qui addit, vel detrahit aliquid huic prophetiæ. Denique à Ioanne ad cælum, & Chriſtum ſuſpirante dictum, Veni Domine Ieſu, ad quem nos omnes mereamur accedere lætantes, poſt huius vitæ ſuſpiria per gratiam eiuſdem Domini noſtri IESV Chriſti. Amen.

QUÆS-

JHS.

# DECADES BIBLICÆ
## QUODLIBETICÆ.

# PROOEMIUM.

SIQUIDEM IN PRÆCEDENTI APPARATU COMPENDIOSE exhibuimus integra Sacra Biblia, vt modico labore retineri posſint; ſic modo congruum ducimus, eas, ante alias, ſubſequi Quæſtionum Decades, in quarum enodatione, cùm ſint capitaliſsimæ, aliæ plures quaſi per compendium reſolvantur. Vnde, & de lege in communi, & de lege æterna, naturali, divina veteri, novaque divina per otium diſſeritur. Hi enim legum Cardines ad Sacras litteras pertinent: vnde poſtmodum legum humanarum tractatores tuto pergere queant.

## DECAS PRIMA, QUÆSTIO PRIMA.

## TEXTUS
# AD ILLA VERBA.

ET INSPIRAVIT IN FACIEM EIUS SPIRACULUM VITÆ; ET factus eſt homo in animam viventem. *Geneſ. 2. verſ. 7.*

## ARTICULUS.

*UTRUM ANIMA ADAMI CREATA FUERIT, PRIUSQUAM eius corpus formaretur.*

SUppono 1. Vix eſſe aliud quidpiam, in quo Philoſophi plus laboraverint, aut plura ſcrutati fuerint, quàm circa quidditatem animæ rationalis: cùm enim viderint mirificam eius intelligentiam, & profunditatem; & ex vna parte cuncta ſpiritualia, etiam Deum ipſum, ſua ratiocinatione perquirere; & ex alia nihil niſi dependenter à ſenſibilibus operari; neutri obſtupent, & admirantur, dubitantes, vtram in partem corporalium, an ſpiritualium rerum claſſem illam adſcribant. Eccleſia verò Catholica altiori ſpiraculo, quàm ipſa anima eſt, inſpirata iam nobis edixit in illo Lateranenſi Concilio *animam verè ſpiritualem eſſe, & immortalem, veramque corporis formam* creatione quidem productam, non verò eductione, prout cęteræ formæ materiales produci conſueſcunt. Porrò hanc creationem animæ

mæ juxta Catholicos communiter in illis verbis noſtri textus ſupra relati creditur, Moyſen commemoraviſſe: attenta enim origine Hebraica, Græca, & Latina, anima à vento vel refrigeratione dicitur, prout cum ſpiritu quoque coincidit. Vnde explicans Caietanus, quomodo anima, vna cum ſit, triplicem vitam corpori præſtet, inquit, id miniſterio triplicis ſpiritus contingere, quibus ipſa vtitur, tanquam inſtrumentis, ſcilicèt ſpiritu naturali, qui generatur in iecore, ſpiritu vitali, qui generatur in corde, & ſpiritu animali, qui generatur in cerebro. Non me latet peracutum Caſtell Minoritam in ſuo Athenæo Minoritico, vbi quadruplicem ſecat ſuorum doctrinam ſcilicèt Scoticam, Seraphicam, Nominalem, atque Lullianam, conari defendere adhuc poſt Lateranenſe Concilium, triplicem animam diſtinctam in vnoquoque homine reperiri: quæ tamen cogitatio, neque recepta eſt, neque probata: proindeque ſuppoſito vnicam eſſe animam hominis ſpiritualem, & immortalem, quæritur hic duntaxàt: *An primi hominis anima fuerit prius creata, quàm corpus?*

2 Suppono 2. Alium in hac re fuiſſe errorem Philoſophorum præſertim Platonicorum, qui cum ipſo in Timæo dixere, omnes animas rationales in mundo futuras, fuiſſe in eius exordio concreatas; licet Deus optimus maximus poſtea detulerit alijs dijs quaſi ſecundis, (vt puta intelligentias angelicas) quòd vniuſcuiuſque hominis, tùm corpus, tùm animam altricem, ſentientemque adaptarent. Qui tamen error, in quem impegere non pauci iam à ſancta, & catholica veritate manet exploſus: reſtat verò ex inde aliquid, quod tutò, & non ſine ratione dubitandi poſsit inquiri: *An ſcilicèt prior anima crearetur, quàm corpus?* Altera enim ex parte videtur, quòd ſic: ſiquidem ea non educitur de potentia materiæ, ſed creatur independenter ab ipſa: rurſuſque cum eadem toto corpore reſoluto perſiſtat, potuiſſet fortè præexiſtere ante illud compactum. Ex altera verò parte videtur, quòd non potuit prius creari. Quia, videlicet, ipſa ante corpus tunc eſſet aliquid habitura actionis, meriti, aut demeriti, quod non eſſet ex homine: itemque, quia ad formam quamlibet præexiſtere debet materia formanda.

3 His poſitis pro relatione ſententiarum venit in primis Ariſtoteles obſervandus, qui, vt multis placet, ex vna parte ſententiam affirmativam amplectitur quatenus *lib. 2. de Generat. Animalium cap. 3.* ait animam rationalem eſſe ante corpus. Ex alia verò parte *lib. 12. Metaphiſ. text. 17.* dicit contrarium, ſcilicèt nullam forma poſſe exiſtere ante compoſitum; licet poſt illud poſsit exiſtere anima illa, quæ intellectus eſt. Cæterum accedendo ad Doctores Chriſtianos; ſicuti certus error eſt Origenis putantis ex Platone, animas ante corpora exiſtere ab initio creationis, & pro diverſo merito in operando, in hæc corpora potius quàm in alia poſteà detrudi; ita falſum eſt quòd in hac parte à Rufino D. Hieronymo impingitur, quaſi cum Origene conſenſiſſet; cum tamen ex eius *Epiſtola 139.* ad Cyprianum, & *61.* ad Pammachium conſtet oppoſitum. His relictis prima ſententia, ſit non tàm ex aſſerentibus, quàm ex aliquomodò dubitantibus: *An anima primi hominis fuerit creata ante corpus?* Ita ſenſiſſe videtur D. Auguſtinus *lib. 7. de Geneſi* ad litteram *cap. 24.* Hugo de S. Victore Petrus Comeſtor, Petrus Lombardus, & alij Theologi ſupreſſo nomine citati apud Pereiram *Genſ. 2. quæſt. 1.* ſupra noſtrum textum. Secunda ſententia aſſerit, animam ſimul fuiſſe creatam cum formatione corporis Adami, ipſique infuſam; non ſecus ac reliqui homines illa informantur. Hanc tuentur Gregorius Niſſenus *in lib. de Homine cap. 29. & 30.* Damaſcenus *lib. 2.*

*de Fide Orthodoxa cap.* 12. Hieronymus *Epist.* 61. & 139. Leo *Epist.* 71. Augustinus quatenus magis in eam propendet *lib.* 12. *de Civitate Dei cap.* 23. D. Thomas 1. *part. quæst.* 90. P. Benedictus Pererius *lib.* 4. *in Genesi, in disput. de Creat. Anima quæst.* 1.

4 Sit nostra conclusio: *Animam primi hominis nullatenus fuisse productam ante corpus; sed potius simul cum ipso.* Probatur primo: hæc conclusio ex Patribus scilicèt, primo ex Hieronymo *Epist.* 61. ad Pammachium *cap.* 6. ibi: „ Hoc nunc interrogo. Anima ista, „ Dei conditio, liberi arbitrij rationa„ lis, neque de substantia creatoris, „ quando facta sit? Vtrum eò tempo„ re, quò de limo factus est homo, & „ insuflactum est spiraculum vitæ in „ faciem eius? An, quæ prius fuerat, „ & inter rationabiles creaturas, & „ incorporeas erat atque vivebat, Dei „ posteà insuflatione donata sit? Hic „ taces... illud magis debueras dicere „ quod omnes quærimus: non eam „ quæ prius fuerat, non eam, quam „ antea condiderat, quæ inter ratio„ nales atque incorporeas, & invisibi„ les creaturas multo iam tempore „ versabatur: nihil horum loqueris, „ producis nobis Manichæum, & abs„ condis Origenem. Secundo ex Gregorio Nisseno *de Opificio Hominis cap.* 29. ibi: *Animus adeò quemadmodùm ante corpus non extitit; sic hominis initio sine animo corpus esse dici verè nequit.* Tertio ex D. Thoma 1. *part. quæst.* 90. *art.* 4. ibi: *Sed contra est quod actus proprius sit in potentia propria. Cum ergo anima sit proprius actus corporis, anima producta est in corpore, & cum corpore. Ipsa enim fuit creata simul cum corpore.* Et ita per totum: ergo, &c.

5 Probatur secundo conclusio. Aut naturale est animæ rationali esse coniunctam cum corpore; aut ei est contra naturam? Sed hoc secundum dici nequit; & ex primo sequitur productam fuisse cum corpore: ergo ita producta fuit. Min. quoad 1. *part.* est clara: quia alioqui homo diceretur factus contra naturam; vnde & mori ipsum esset iuxta appetitum naturæ: & posteà resurgere foret ei iniucundum, atque violentum: quæ omnia sunt absurda. Min. quoad 2. *part.* etiam patet: quia Deus ab initio condidit creaturas, prout natura vniuscuiusque postulabat: ergo si de natura animæ erat corpori vniri; non nisi vnita corpori fuit producta. *Confirmatur*: Anima est pars essentialis hominis, & in statu imperfecto sine vnione ad corpus. At Deus in statu incompleto creavit nihil: ergo ipsam creavit vnitam. Probatur secundo à ratione. Status merendi in homine solum est in coniunctione ad corpus. Sed si anima ante corpus creata fuisset; ita non esset: ergo, &c. Mai. patet ex textu Pauli 1. *ad Corinth.* 5. vbi asserit oportere nos *omnes manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria prout gessit in corpore, sivè bonum, sivè malum.* Min. etiam probatur: quia anima creata ante corpus gauderet suo libero arbitrio; & in statu viæ, ita vt potuisset mereri, aut demereri prout potuerunt Angeli in via sua: ergo non benè restrictum est à Paulo tempus merendi ad ea, quæ sunt gesta per vnum quemque in corpore suo.

6 Obijcies 1. Eatenus anima rationalis non fuisset creata ante corpus, quatenus, vt actus corporis, sine illo præxistere non valeret. Sed hoc est falsum: ergo, & conclusio. Minor probatur. Quia vt constat ex fide anima resoluto corpore permanet separata. Sed ad existendum sine corpore perinde se habet, hoc necdum existere; aut extinctum iam esse: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo concessa mai. neg. min. & ad huius probationem neg. etiam min. propter manifestam disparitatem: quia anima, postquàm producta est, licèt corpus ex sui mortalitate resolvatur; ipsa tamen naturaliter non potest destrui: vnde permansura est ex natura sua;

prius

prius verò quam ipsa creatur, potest naturaliter creari, vel non creari; at si naturaliter creanda sit; non est creanda nisi corpori vnita propter rationem nostræ conclusionis: atque, si ipsa naturaliter destructibilis esset, pereunte corpore deberet quoque ipsa perire: quando ergo separata est non habet statum planè connaturalem pro hoc sæculo, licèt pro alio sit satis connaturalis, eò quòd ipsa creata sit cum exigentia informandi, commensurata ad corporis durationem: vnde & ipsa, quousque in resurrectione iubeatur redire ad corpus, non erit violenta; alioqui beata esse non posset. Cum verò antequàm ipsa creetur, neque immortalitas eius reclamet, & exigentialis informatio ad corpus non sit transacta; naturaliter creari non posset, nisi informando. Quare D. Thomas ad 3. ait: *Quòd animam remanere post corpus accidit per defectum corporis, qui est mors. Quiquidem defectus in principio creationis animæ esse non debuit.*

7 Obijcies 2. Animam produci per creationem est, ipsam produci independenter à materia, & à corpore. Sed si non fuit producta ante corpus id non componitur expeditè: ergo antè fuit producta. Minor probatur. Si producta fuisset tanquam actus proprius corporis, producta fuisset dependenter à corpore. Sed hoc est educi, & non creari: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo in primis per instantiam de reliquis animabus præter animam Adami: nam de ipsis nemo dubitat: quin simul producantur simultate temporis cum corpore ad animationem disposito. Pretereà respondeo distinguendo mai. dependenter à corpore *tanquam à puro extremo vnionis*, neg. mai. tanquàm à subiecto *receptionis*, & *inhæsionis*, concedo mai. & respectivè distincta min. nego consequent. Itaque termini sunt de Philosophia notissimi: nam dependentia à re corporea, tanquàm à puro extremo vnionis, non sufficit vt res dicatur educi de potentia materiæ, & fiat ipsa materialis atque corporea: vnde, & anima spiritualis remanet corpori vnita, & similiter Verbum Divinum vnitum humanitati; illa verò forma, quę vi agentis naturalis extrahitur per actionem, quasi fuisset prius in ipso sinu, & gremio materiæ contenta, hæc est quæ per eductionem producitur; & quæ subiecto suo non præcisè vnitur; sed inhæret: quod vinculum inhęsionis in eo ab vnione distinguitur, quòd de ijs, quæ vnita sunt, vtrumque simul potest existere separatum; secùs verò ea, quæ iunguntur per inhærentiam.

8 Obijcies 3. Deus in mundi opificio ita se gessit, vt produceret ea, quæ erant de creatione; & posteà successivè ea, quæ attinere videbantur ad ornatum mundi. Sed anima planè est de linea creationis; corpus verò humanum post omnem ornatum sexto die compactum est: ergo anima producta fuit ante corpus. *Confirmatur.* Anima rationalis plus convenit cum Angelis, quàm cum rebus corporeis. Sed Angeli ante creaturas corporeas creati sunt: ergo saltem anima primi hominis fuit ante creata. Ad hoc argumentum respondeo distinguendo maiorem, *qua* erant de linea creationis *completè sumpta*, concedo mai. *incompletè sumpta*, neg. mai. & disting. min. anima secundum *statum completum* sui est de linea creationis, neg. min. Secunndum *incompletum*, conc. min. & neg. conseq. Itaque, prout bene obsservat, & respondet D. Thomas ad 1. Sola illa quę erant de specie completa, & ex nihilo facta sivè corporalia, vt Cœlum, & terra, sivè spiritualia vt Angeli, debuerunt esse prius creata; ea verò quæ attinebant ad creationem tanquam entia incompleta, & ordinata, vt cum altera comparte vnum ens completum efficerent non poscebant naturaliter creari, nisi, quando compars altera suo tenore debito formaretur: cùm enim omne *esse* na-

naturaliter sit propter operari; & pars incompleta ante compartem suam operatura non esset; inde est, quòd anima non debuit ante corpus quod informatura erat, creari. Hinc responsio patet ad confirmationem: nam licèt anima assimilaretur Angelis in spiritualitate; non verò in ratione entis completi: & sic ante corpus humanum aliqua de linea creationis creata sunt quia revera erant entia completa, licèt non spiritualia, vt cœlum, & terra; anima verò quamquam spiritualis, cùm à completione deficeret; non habuit eam proportionem, qua cum Angelis creari debuisset.

9 Obijcies 4. D. Augustinus *lib. 7. de Genes. ad litteram cap.* 24. expressè ait animam primi hominis creatam esse cum Angelis primo die mundani opificij; corpus autem posteà esse formatum, eique infusam animam. Sed expressa Augustini Authoritas contemnenda non est: ergo creata fuit ante corpus. Hoc argumentum nihil premit quando quidem Augustinus solita sua humilitate subiungit. *Credatur ergo, si tamen nulla scripturarum authoritas seu veritatis ratio contradicit*, & lib. 12 de Civit. Dei ait cap. 23. de anima Adami *sive quam iam fecerat, suflando indidisse; sive potius suflando, fecisset*: vbi ostenditur quanta humilitate, & docilitate mentis pergat Augustinus quem aliqui, vt Ianseniste, ipsum ferreum, & inflexibilem fingunt; sed ideo est, quia ipsi ei adfigunt cerebrum suum. Deinde de D. Thomas vbi suprà de tali pronuntiato Augustini loquens sic ait: *Posset autem vtique hoc tolerari secundum eos, qui ponunt, quòd anima habet per se speciem, & naturam completam: & quòd non vnitur corpori, vt forma, sed solum ad ipsum administrandum... sustinendo ergo opinionem Augustini de operibus sex dierum dici poterit, quòd anima humana praefuit in operibus sex dierum secundum quandam similitudinem generis prout convenit cum Angelis in intellectuali natura. Ipsa enim fuit creata simul cum corpore. Secundum alios verò Sanctos tàm anima, quàm corpus primi hominis in operibus sex dierum fuit producta.* In quibus verbis tria noto pro responsione ad authoritates, quæ mihi semper placuerunt. *Primum* est quod D. Thomas etiam de suo Augustino non refugit dicere, aliquid tolerari non posse, nisi secundum quemdam modum; qui nunc iam post Concilium Lateranense intolerabilis est. Scilicèt quod anima non sit corporis forma. *Secundò*, quod quando deserit tantum Doctorem, id non facit nisi pervrbanè admittendo eius verba *in similitudine generica animæ cum Angelis*, quam quis negavit? *Tertio*, quod vnam sententiam non alligat ad vnum Sanctum, sed etiam alios consulit, ibi: *Secundum alios vero Sanctos, &c.* Nos autem suprà iam vidimus quot Sanctos habeamus nobiscum: quibus adde Bonaventuram *in 2. sentent. distinct. 17. art. 1. quæst. 3.* vbi vbertim est locuples, meritòque hic relegendus.

10 Rogabis. An Corpus Adami formatum fuerit priusquam anima? Asserunt Genadius, Chrisost. August. 13. *de Civit. cap.* 24. Tostat. Ioan. Ferus, Castro, Eugubin. apud Pererium *lib. 4. in Genes. cap. 2. quæst. 4.* Negant vero Nissenus, Damascen. S. Thom. & Augustin. de Genesi contra Manichæos *c. 8.* apud eundem citati, inter quos media potest esse consensio; quòd re ipsa quidpiam materiæ terrenæ quomodolibet à Deo formatæ præcesserit, antequàm Deus animam insuflasset, vnde aptæ dispositiones inerant ad corpus humanum; postea verò inspirante Deo spiraculum vitæ, & cuncta ibi debita organizatio repente fabricata, & simul tali corpori organico animæ infusa.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## TEXTUS
## AD ILLA VRBA.

NE FORTE SUMAT DE LIGNO VITÆ, ET VIVAT in æternum. Geneſ. 3. verſ. 22.

### ARTICULUS.

*VTRUM LIGNUM VITÆ TALE FUERIT, QUO HOMO ſemper viveret?*

1 SUppono 1. Etiam in Prophanis Scriptoribus inveniri veſtigium aliquod illius, quod nos docuerunt Sacræ literæ de ligno vitæ. Vbi notatu dignum eſt id, quod ex Iuſtino Martyre, ſecunda Apologia pro Chriſtianis, tradit noſter Pererius *in diſp. de Arbore Vitæ, in lib. 3. in Geneſim ſuo primo tomo*, ſcilicèt, dœmonem vaferrimo ſuo aſtu feciſſe, vt priſcas illas veritates Scripturarum, quas ab exordio mundi Moyſes tradidit, Gentiles, tàm Poetæ, quàm Philoſophi ſibi cooptarent, & mille modis adulteratas poſtmodum traderent: quo perfidus ille obtineret, vt, quemadmodum fabularum figmenta noſcenda erant: vt talia, ita ſimiliter haberentur inſtar fabuloſi figmenti ea, quæ ipſis ſimilia, & quaſi ex parte eadem à nobis de Scripturis Sanctiſsimis traderentur. Inter hæc ergo res præſens eſt. Heſiodus enim Græcorum vir ſatis celebris, mirè adfabulatus eſt de Nectare, & Ambroſia Deorum, quibus Dij ſemper eſſent immortales, & iuveneſcerent: obaudierat enim fortè de Sacris litteris pervetuſtis, quam vim Deus indidiſſet ligno illi vitæ, quod in Paradiſo plantaverat: de quo certum eſt Deo Authore Homini paratam eſſe longævitatem; & poſt peccatum, vt verè morte foret ille plectendus, hoc lignum ſignata prohibitione fuiſſe ipſi interdictum. De cuius virtute in hoc articulo diſputamus.

2 Suppono 2. Origenem, & aſſeclas, qui tam vltra metas ad allegorias deflexerunt, vt primordia mundi in eas converterint, & everterint ſenſum litteralem, ſimul cum Auguſtino, Steucho Eugubino, in ſua coſmopæia hoc lignum vitæ, de quo eſt præſens quæſtio, ad ſenſus myſticos traduxiſſe. Et quamquam ſpecioſi ſanè ſint ſenſus, qui inde poſſunt cudi atque proficiſci, quoſque tum Toſtatus *Geneſ.* 13. enumerat; tum Pererius, vbi ſupra, ſolita eruditione recenſent; nihilominus inde non poteſt ſenſus litteralis everti; ſed eo præſtabilito de vera exiſtentia, & realitate ligni vitæ, poſtea poterunt liberiores, & fundatiores excurrere allegoriæ. Ad hæc oppoſita ſatis ſunt verba profundi Auguſtini, quæ quia vniverſim pro

multis locis opportuna ſunt hic ſunt obſervanda. Igitur *lib. 3. de Civitate Dei, cap. 21.* ſic ait. Nonnulli totum „illum Paradiſum, vbi primi homines „fuiſſe narrantur, ad intelligibilia refe„runt, arboreſque illas, & ligna fruc„tifera in virtutes vitæ, moreſque con„vertunt: tanquam viſibilia, & corpo„ralia illa non fuerint, ſed intelligibi„lium ſignificandorum cauſa eo modo „dicta vel ſcripta ſint. Quaſi propterea „non potuerit eſſe Paradiſus corpora„lis; quia poteſt etiam ſpiritualis intelli„gi: tanquam ideò non fuerint duæ mu„lieres Agar, & Sara, & ex illis duo fi„liæ Abrahæ vnus de ancilla alius de „libera; quia duo teſtamenta in eis fi„gurata dicit Apoſtolus. Nemo itaque „prohibet, intelligi Paradiſum vitam „beatorum: quatuor eius flumina, qua„tuor virtutes, prudentiam, fortitudi„nem, temperantiam, atque iuſtitiam: & „ligna eius omnes vtiles diſciplinas, & „lignorum fructus mores piorum: & „lignum vitæ ipſam bonorum omnium „matrem ſapientiam: & lignum ſcien„tiæ boni, & mali, tranſgreſsi mandati „experimentum. Poſſunt hæc etiam in „Eccleſia intelligi, vt ea melius accipia„mus, tanquam prophetica indicia præ„cedentia futurorum: Paradiſum, ſcili„cèt, ipſam Eccleſiam, ſicut de illa legi„tur in Cantico Canticorum: quatuor „autem Paradiſi flumina, quatuor Evan„gelia: ligna fructifera, Sanctos: fruc„tus autem eorum, opera eorum: lig„num vitæ, Sanctum Sanctorum, vtique „Chriſtum: lignum ſcientiæ boni, & „mali, proprium voluntatis arbitrium. „Hæc & ſi qua alia commodius dici „poſſunt de intelligendo ſpiritualiter „Paradiſo; nemine prohibente dicuntur; „dum tamen, & illius hiſtoriæ veritas „fideliſsima rerum geſtarum narratione „commendata credatur. Hæc Auguſti„nus. Vbi nota primo, quàm pulchrè ibi texit ſenſus myſticos ſcilicèt anagogicum de vita beata, allegoricum de Eccleſia, tropologicum de libero arbitrio. Secundò, quod ex inde conſtat Auguſtinum verè non reſpuiſſe ſex veros dies creationis, vt etiam conſtat *lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 1. & 2. & 29.* Quia nimirum hic S. D. ex littera ipſa non everſa, ſed ſuppoſita poſtmodum conſcendit ad meditationes ſuas mirè ſublimes. Tertiò, quod quando loquens de Paradiſo contra Origeniſtas profert quaſi de fide Paradiſum exiſtere, non tàm id intelligit de permanentia vſque adhuc, quàm de vera realitate ipſius.

3 Suppono 3. Plura de hoc ligno vitæ inquiri ſolere apud DD. ſcilicet primò an fuerit vnicum; an multiplex? Secundo an eiuſdem ſpeciei cum reliquis; aut diverſæ? Tertio an verè poſſet facere hominem immortalem? Quarto an id potius ſupernaturali virtute, quàm ſola naturali præſtaret? Quæ omnia in hoc vno noſtro quæſito facile reſolventur. Sed oportet de ſingulis nonnihil libare de ſententijs, vt amplior eruditio reſultet. Circa primum cenſet Toſtatus *Gen. 13. quæſt. 163.* Vnicum fuiſſe lignum. Pererius verò *lib. 3. quæſt. 2.* Cenſet durante hominis innocentia arborem vitæ multiplicatam iri. Circa ſecundum quod cum quarto connectitur videtur Pererius ſentire, talem arborem eiuſdem ſpeciei cum reliquis eſſe futuram, eo quod non niſi virtute naturali polleret: in quo habet ſibi conſetientes apud ipſum *quæſt. 4.* Strabum, Hugonem de S. Victore, & D. Thomam. Econtra verò ibi Auguſtinus, Bonaventura, & Beda, qui potius adſcribere videntur virtutem ſupernaturalem, conſequenter arborem eſſe diſtinctæ ſpeciei autumare videntur. Circa tertium verò in quo noſter articulus præcipuè verſatur; prima ſententia ait, tale lignum dare ſemper vivere. Ita Toſtatus *Geneſ. 13. quæſt. 168.* Auguſt. *de Civit. lib. 13. cap. 20. & 23.* Chryſoſt. *hom. 18. in Gen.* Rupert. *lib. 3. de Trinitate cap. 30.* Secunda verò ſententia eſt negativa, & ait ad ſolum tempus determinatum longævitatem præſtare. Ita Scot. *in 2. diſt.*

*dist. 9. quæst. 1.* S. Thom. *1. part. quæst. 97. art. 4.* Caietanus, Pererius, *lib. 3. in Gen. disp. de Arbore Vitæ quæst. 3.*

4 His positis sit nostra conclusio: lignum vitæ veram virtutem habuisse conservandi hominem in æternum. Probatur conclusio primo ex authoritate Sacræ Scripturæ. Nam ex regula decantata D. Augustini verba Sacræ Scripturæ cum omni proprietate sumenda sunt, semper ac possunt. Sed Sacra Pagina clare dicit, hominem sumentem de ligno vitę sine fine victurum esse: & aliunde nihil obstat, quominus hæc verba proprie sumantur: ergo id constat ex Sacra Scriptura. Min quoad prim. part. constat *Genes. 3. vers. 22.* „ibi. Nunc ergo ne fortè mittat manum „ suam, & sumat etiam de ligno vitæ, „ & comedat, & vivat in æternum. Secunda pars minoris constabit ex solutione argumentorum. Confirmatur, & vrgetur hæc probatio sic. Talis cautio divina de via ligni vitæ adhibita fuit statim ab intimatione qua homo fuit morte mulctatus. Sed id probat in ligno vitæ conteniri vitam non solùm diuturnam; sed æternam: ergo, &c. Probatur min. Nisi vita talis ligni futura esset æterna; nunquam impediretur, pœna mortis in hominem lata: quia licet post longum tempus, tandem moreretur: ergo, &c. Secundo probatur conclusio ex PP. primo ex Augustino *lib. 8. de Gen. ad Litteram cap. 5.* ibi. „Illud quoque addo quamquam corpo„ ralem cibum talem tamen illâ arbo„ rem præstit isse quo corpus hominis „ sanitate stabili firmaretur. *Et lib. 3. de* „ *Civit. Dei cap. 20.* ibi. Corpora primo„rum Parentum ante peccatum sic erant „ affecta, vt scilicèt senio non veteras „ cerent, vt necessitate perducerentur „ ad mortem: qui status eis de ligno vi„ tæ, quod in medio Paradisi cum arbo„ re vetita simul erat, mirabili Dei gra„ tia præstabatur... de ligno autem vitæ „ propterea gustabatur, ne mors eis va-

decumque subreperet. Secundo ex Venerab. Beda apud Pererium. ibi. Lig„ num vitæ, dictum est, quia divinitus „ acceperat, vt qui ex eo manducaret, „ corpus eius stabili sanitate firmaretur, „ ne vel ætate in deterius vel tandem in „ occasũ dilaberetur. Tertio ex Bona„ ventura *in 2. dist. 17.* ibi. Tertij generis „ fuit arbor vitę ipsi homini, hoc est, cõ„ iuncto ex anima, & corpore profutu„ ra; quippè tribuens perpetuam homi„ ni vitam, & indissolubilem faciens „ corporis, & animæ coniunctionem. Ergo ex PP. satis apertè constat, hominem, si de ligno vitæ sumeret perpetuò victurum.

5 Probatur secundo conclusio à ratione. Eatenùs homo etiam sumens de ligno vitæ non posset vivere in æternum; quatenus conditus ex contrarijs humoribus, & elementis, etiam si reficeretur purissimè; tamen ex actione, & reactione demum resolvendus esset, sed hoc est falsum: ergo viveret in æternum si de ligno vitæ sumpsisset. Mai. videtur contrariorum sententia. Min. probo. Tota pugna, actio, & reactio humorum, & elementorum posset per fructum ligni vitæ, tàm specialissimè refici ac reparari, vt humidum radicale post actionem, tàm purum simplex ac vegetum maneret, ac antea, tractu perpetuo, & successivo. Sed si hoc ita esset actio & reactio nihil impedirent, quominus homo in statu vegeto, & firmo permaneat: ergo, &c. Probatur mai. Non est vnde negari possit fructui ligni vitæ talis modus reficiendi hominem ita cum eo symbolicus, vt nedum expelleret ex vasis nutritijs omnem impuritatem ab extrinseco, vel etiam ab intrinseco ex alio alimẽto diverso inductam, verum etiam superadderet homini totidem gradus perfectè homogeneos, & symbolicos humidi radicalis humani quos in pugna, & reactione perdidisset. Sed si id ita esset, homo planè restitueretur ad humidum radicale, tàm purum, quam habebat ante reactionem:

ergo,

ergo, &c. Mai. constat: nam quemadmodum talis virtus productiva humidi radicalis humani naturaliter existit in generante, ita à Deo creatore poni potuit in alimento: ergo, &c. Nunc sic; sed si hæc ita disponi potuerunt, sub quibus homo semper viveret, & non videret mortem; concedi debent vt plena, & prona sit Sacri Textus expressi intelligentia: ergo de primo ad vltimum lignum vitæ veram habuit virtutum, qua homo semper viveret.

6 Objicies 1. Si homo comedens de ligno vitæ semper viveret; fieret immortalis, sed hoc est falsum: ergo & conclusio. Probatur min. Talis immortalitas, vel esset per naturam, vel per gratiam; sed neutro modo fieri posset ex ligno vitæ: ergo, &c. Min. probatur quoad primam part. Immortale per naturam est illud, quod ex suis intrinsecis mori ac resolvi repugnat, veluti Angelus, & anima rationalis. Sed licèt homo ederet de ligno vitæ; tamen ex suis intrinsecis mori, ac resolvi non repugnaret: si enim de tali ligno non ederet, moreretur: Ergo talis esus ligni non eum immortalem faceret per naturam. Probo secundam partem min. Immortale per gratiam est illud, quod ex dono Dei, secluso quovis extrinseco, morti repugnat: vt immortalitas ad resurrectionem consequuta. Sed hæc immortalitas, quæ esset ex gratia Dei, & sine indigentia cuiusvis extrinseci non potest provenire à ligno vitæ, vt patet: ergo, &c. Confirmatur ex Aristole 3. *Metaph. cap.* 1. *text.* 15. Vbi irridet tanquam fabulas Poetarum id scilicèt, quod alij de ipsorum dijs immortales essent, eo quod de certo cibo, & potu gustassent; alij verò secus, eo quod nemo à cibo immortalis fiat: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando min. & min. probationis ad cuius primam part. probatam permitto integram probationem, & distinguo secundam partem sic: Non fieret immortalis per gratiam supernaturalem secum trahentem verum, & strictum donum immortalitatis conced. min. gratiam naturalem, & extrinsecam nego min. & consequentiam. Itaque verum est hominem, qui re ipsa mortalis creatus est, non posse rursus immortalem fieri per naturam, quemadmodum Angelus, & anima rationalis: verùm immortale, quod strictè loquendo est id quod mori non potest, satis clarè dividitur in id, quod immortale est ab intrinseco, vel ab extrinseco. Primum est illud, quod sivè ex natura, sivè ex dono gratiæ in ipsa recepto, iam ab intrinseco mori ac resolvi repugnat: & in hoc genere certum est quod per lignum vitæ, & eius esum huiusmodi immortalitas comparari non posset; licèt re vera ita sit comparanda nobis in resurrectione: hæc enim immortalitas licèt quoad effectum tollendi mortem in homine, conveniret cum illa, quæ futura esset in statu innocentiæ per lignum vitæ, nihilominus ab ea multifariam differret. Primo quia immortalitas resurrectionis cibo non indigeret, secus verò immortalitas Adami. Secundo, quia per illam, vt donum gratuitum non posset mori homo, etiam si vellet; secus verò per hanc. Tertio, quia in illa non erat necessaria nova providentia ad arcendos casus mortis extrinsecos; in hac verò opus erat præter esum ligni speciali custodia Dei, ne homo occideretur à fulmine, à feris; & alia quæ persequitur Tostatus *quæst.* 169. & 170. Hæc autem immortalitas de ligno vitæ proveniens, si per se solam consideretur non esset verè immortalitas per se loquendo, esset tamen per accidens; quatenus homo ille, cui nunquam agens extrinsecùs inferret mortem, semper duraret. Ea verò associata cum extrinseca custodia, & decreto Dei de arcenda simul ab homine in statu innocentiæ omni morte violenta, & extrinseca, esset per se verè immortalitas, licèt ab extrinseco, tùm ex parte cibi, tùm ex parte custodiæ: & sic considerata esset vera gratia naturalis tunc homini facta, seu favor extrinsecus, ex quo vt concedunt

dunt omnes DD. cum Magistro *in* 2. *dist.* 19. Homo in illo statu deberet dici absolutè immortalis: quia licet ex divino favore, & decretis, tamen verè mori non posset. Ad confirmationem ex modo dictis patet manifesta responsio; siquidem, vt optimè aiebat Aristoteles, ex solo cibo nulli homini posset vera immortalitas advenire, sivè ab intrinseco, eo quod cibus adveniens non posset facere naturam alterius conditionis quam in se esset in ordine ad substantiam: neque ab extrinseco, siquidē solus cibus non posset removere pericula extrinseca, vt fulmen gladium, & ignem.

7 Objicies secundo. Talis virtus ligni vitæ, qua homo semper viveret futura esset, aut naturalis, aut supernaturalis. Sed neutrum dici potest ergo non esset talis virtus. Probo min. Quod non purè naturalis: quia virtus illa naturalis esset finita, sed effectus præstandus esset infinitus: ergo, &c. Secundo: quia tale lignum evaderet distinctum specie à reliquis Paradisi ex perfectione ipsius tam excellenti; sed aliunde non videbatur futurum propter illam specialitatem circa vitam hominis in textu signatam: ergo, &c. Probatur min. Arbor scientiæ boni, & mali fuit eiusdem speciei cum reliquis; sed nihilominus specialissima nota indicata est in textu: ergo, &c. Probo secundam: part. prim. minoris scilicèt, quod non fuerit virtus supernaturalis. Quidquid supernaturale est spectat ad ordinem gratiæ, & statum elevationis; sed virtus illa ad talem statum planè pertinere non poterat, vt de se patet: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando min. præsertim quoad prim. part. quod illa virtus non esset naturalis: & ad primam probationem distinguo mai. Esset finita cathegorematicè, concedo mai. Syncathegorematicè, nego mai. & disting. min. Infinitus syncathegorematicè, concedo min. Cathegorematicè, nego min. & nego consequentiam. Nullum enim est inconveniens, quod virtus in se limitata successivè per sæcula, & agentia à Deo dispositа, & conservata sit infinita syncathegorematicè in productionibus suis ita vt sine fine in æternum producat, & operetur, licet effectus semper foret in se limitatus; & ita hic accideret, Deo in æternum conservante solem, terram, & aquam quibus tale lignum conservaretur. Ad secundam probationem omitti potest penitus argumentatio, & transmisso antecedenti negari consequentia, eo quod transitus fiat de re logica ad physicam: sivè enim eiusdem foret speciei cum reliquis, sivè secus; posset habere talem virtutem: vnde & problematicè in hoc puncto si velis poteris respondere, fuisse eiusdem speciei cum reliquis: siquidem quod fructus eius faceret hominem semper vivere; est perfectio quæ vnice sistit quoad suum excessum notabilem in quantitate discreta maioris durationis, quæ non est sufficiens diversificare in substantia: veluti si quisquam homo semper viveret, non ideò esset distinctæ speciei à reliquis. Dixi forè eiusdem speciei cum reliquis loquendo signate de vi ministrativa victus humani ex arboribus sumendi, vel potius loquendo de cibatione arborea, quoad virtutem cibandi non substantialiter diversam in ratione talis: nam alioqui, cum lignum vitæ esset singulare, vt videtur congruentius, specie distingueretur à reliquis, sicuti pruna, mala, & cerasa inter se distinguntur in specie fructus. Si vero substinere malles, fuisse diversæ speciei cum reliquis etiam in specie cibationis humanæ; debebis dicere Deum tali fructui concessisse specialem gratiam naturalem præ reliquis consistentem in modo speciali substantiæ ipsi concesso ad alendum hominem: quatenus videlicet non solum sicut reliqui fructus foret pabulum hominis, de quo succum traheret humidum radicale convertendum in substantiam aliti; sed insuper haberet in se talem virtutem symbolam cum humido radi-

cali humano, vt nedum converteretur in ſubſtantiam aliti, ſed converteretur etiam in ipſummet humidum radicale, ita vt ſemper hoc quoad ſuos gradus integrum permaneret: & certe hic modus mihi magis probatur. Atque ex eo explicantur Patres ſupra in probatione concluſionis fuſius apud Pereiram *ſupra quæſt.* 4. dicentes talem virtutem ligni fuiſſe divinitus conceſſam, vt inquit Beda; vel inſtar Sacramenti, vt ſe explicant Auguſt. & Bonavent. Nam hi Patres ſolum intendunt virtutem Dei ſibi divinam, naturalem tamen, ſpecialiſsime refulſiſſe in illo fructu modo quo nos ſupra explicavimus. Vnde, & ait Auguſt. 8. *de Geneſ. ad Litter. cap.* 5. id fuiſſe nonnulla inſpiratione (ideſt infuſione) ſalubritatis occulta: & dum comparat Sacramento fit in ſenſu myſtico: veluti & Bonav. *de Sacramento* loquebatur comparativè, & ad inſtar; non vero quia vtrobique virtus fuiſſet eiuſdem claſsis.

8 Obijcies tertio. Fundamentum ad aſſerendum lignum vitæ præſtare potuiſſe vivere in æternum eſt multum debile: ergo concluſio non ſubſiſtit. Probatur antecedens: Fundamentum præciſsè eſt, quia Scriptura dicit, quod per illud homo viveret in æternum; ſed hoc fundamentum eſt debile: ergo, &c. Probatur min. Quia ſæpè in Sacra Scriptura ponitur æternum pro longa duratione ſicuti dicitur *Deuteronom.* 15. de ſervo Hebræo quod ſerviret in æternum, & tamen *Levitici* 25. *an* 50. iubilęi dimittendus erat. Item dicitur *Exod.* 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra; & tamen vltra rigoroſum æternum nihil eſt vltra. Ad hoc argumentum reſpondeo nego antecedens. Ad cuius probationem, diſt. mai. Præciſsè ex illa voce, nego mai. Ex illa, & toto contextu, concedo mai. & permiſ. min. neg. conſequent. Itaque tàm ex Auguſt. quàm ex Abul. *quæſt.* 175. æternum vivere, pro ſemper vivere ſumi debet ſi alioqui nihil ſequitur contra Scripturam; quin potius favet contextus; vt videtur in præſenti, tum quia eatenus ibi conſtat homo expulſus de Paradiſo, & intercluſa via ligni vitæ, quatenus id opus foret vt ſententia illa ſtaret *morte morieris*; ſi autem lignum vitæ non daret ſemper vivere; non opus eſſet viam eius interdici; vt talis ſententia perſiſteret. Tùm quia ideò in Paradiſo homo locatus fuit, vt beate viveret in terris, ſi foret innocens; & non eſſet ſatis proviſum de beatitudine in terris, ſi demum tranſacto certo tempore licet longo dira mortis pœnalitas foret ventura. Quam ob rem concludo cum verbis Toſtati quæ ſuperiora colluſtrant. Ait ergo *quæſt.* 175. loquendo de hac beatitudine in terris in hunc modum. Sed hoc non poterat fieri, niſi id quod tranſijt de cibo in ſubſtantiam, tranſeat ſecundum eamdem puritatem, & perfectionem, in qua erat id quod reſolutum eſt: ergo lignum vitæ hoc conferebat. Sed vbi iſtud accidit non poteſt accidere mors naturalis, ſed ſolum violenta: ergo vere lignum vitæ faciebat quod homo viveret in æternum, etiam ſi viveret per mille millia annorum. Sed dicendum quod cum lignum vitæ hoc conferret, non conferebat, ſi ſemel tantum ſumeretur; ſed oportebat vt ſæpè ſumeretur: nam cibus ille faceret, quod tranſiret cibus adveniens ad perfectam ſimilitudinem eius, quod reſolutum eſt; & ideò oportebat quod talem aut tantam virtutem daret corpori convertenti illud in ſe, vel cibo, qui convertebatur; quod iret in ſimilitudinem perfectam... & ita erat vt cibus, & medicina: ſed magis erat vt medicina large loquendo, quam vt cibus, quia ad cibum omnia alia ſerviebant ligna Paradiſi, ſed excellentia ſua erat in hoc, quod virtutem dabat ad perfectam ſimilitudinem, & ideò licet cætera ligna nutrirent; hoc ſolum erat quod faciebat, quod homo non ſeneſceret, neque debilitaretur, ſed maneret in eo virtus perfecta.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO TERTIA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ERITIS SICUT SCIENTES BONUM, ET MALUM.
*Geneſ.* 3.

## ARTICULUS.

*VNDE NAM ARBORI SCIENTIÆ BONI, ET MALI FUERIT inditum nomen huiuſmodi?*

1 SUppono 1. Non defuiſſe aliquos, quos ſupreſſo nomine citat Perius *lib.* 3. *in diſp.* præſenti *quæſt.* 3. qui exinde ſuſpicati ſunt talem arborem non fuiſſe veram, & realem, ſed quaſi quidpiam ſpirituale, myſticum, & intelligibile, eò quod in Sacra pagina vocaretur arbor ſcientiæ *boni, & mali.* Nam cum hæc conditio plane, ſpiritualis ſit, & intelligibilis, nec præſtabilis à quodam irrationali, & inſenſibili; videbatur nullibi fundatius ad ſenſum myſticum recurrendum eſſe, quem multiplicem, & doctrinalem ibi cudere, & accomodare non eſſet valde operoſum, inſpecto lugubri eventu primorum Parentum. At cùm hæc licèt ſub earum vocum prætextu redolere non deſinant errores in quibus Origeniſtæ totam hiſtoriam Geneſeos evertebant; id ſtatim explodimus: ſupponimuſque cum communi, & certa TT. ſententiam arborem veram, & realem extitiſſe; necnon vere facientem fructum iuxta genus ſuum. Et vt bene obſervat Toſtatus *Gen.* 13. *quæſt.* 164. licet hæc arbor interdicta, vt talis fuerit vna, & ſingularis in individuo, quod ſatis patet ex toto textus tramite decurrente; nihilominus non erat vnica in individuo, ſed eiuſdem ſpeciei, & fructus credibilius eſt fuiſſe quam plures, eam vero de ſua ſpecie dumtaxàt fuiſſe interdictam, vt obedientiam exerceret Adamus, & ſui Dei ſupremum dominium agnoſceret: quod eò magis vrget, quo inter arbores, quas nominare, & conſignare ſolent AA. ſemper invenio ex eis eſſe, quæ frequenter multiplicatæ inveniuntur. Licet autem demus lignum vitæ fuiſſe vnicum individum, imò & ſpecie phyſica in eo ſolo conſervata; at pronum eſt diſcrimem propter ſingularem eius virtutem, & breviſsimam durationem. Quæſitum ergo noſtrum eſt. Vnde illi arbori ſcientiæ boni, & mali nomen impoſitum?

2 Suppono 2. Etiam circa qualitatem prædicti arboris diverſa placita recenſeri: neque defuerunt qui de vite aut frumento intelligerent, longa quadam ducta Analogia cum Euchariſtia: Alij communius talem arborem malum fuiſſe cenſuerunt ex verbis *Canticorum* 8. Sub arbore mala ſuſcitavi te

ibi

ibi corrupta eſt mater tua. Vnde & manavit dœmonem ſub ſpecie pomi decepiſſe primos Parentes : licèt de argumento arcaniſsimo Canticorum non niſi ſubobſcure, & laxiſsimè duci argumentum queat. Litteralius rem perſcrutantur Moſes Barcepha, & Theodoret. *q.* 28. qui cum alijs ficum fuiſſe inde autumant, quod nimirum illico primi Parentes ſibi de ficorum folijs perizomata confeciſſent. Quorum argumentum etiam nutat; tùm quia Eva prior comedens poſtea detuſit ad Adamum, quò comedente, & ibi iam non præſente ficulnea, pudor, & perizomata ſucceſſerunt : tùm ex Toſtat. quia ipſa ruina cognita in commeſtione à folijs quoque atrectandis plurimum deterreret. Igitur cum eodem, & cum Pererio ſatius exiſtimo quandoquidem nulla traditione ſcripta, aut non ſcripta res hactenus firma venit; iam nullibi ſuper hac re greſſum firmum eſſe figendum.

3 Suppono 3. Nullum eſſe inconveniens in eo quod à viris mendacibus arioiis, aut dœmonibus aliquid proferatur etiam mendaciter, quod tamen ex intentione Dei ſimul poſsit verum ſenſum aliquem retinere : quod manifeſtè conſtat in illo pronunciato „ Caiphæ aientis. Expedit vt vnus ho„ mo moriatur pro populo ne tota „ gens pereat. In quibus verbis Caiphas mendaciſsimè loquebatur in ſuo illo ſenſu quem intendebat, ſcilicèt oportere virum illum, qui erat Dominus Ieſus Cruce ſuſpendi, & interfici, ne populum turbaret, & pacem ac gubernationem everteret; cum tamen pro eiſdem verbis alius à Deo eſſet ſenſus latitans, & arcanior, quo prophetaret vno Ieſu moriente pro omnibus, omnes in eo fore vivificandos. Cuiuſmodi facile ſuppetent exempla non pauca. Ratio autem à priori eſt, quia ſemel ac eadem verba poſsint proferri à duplici loquente per ipſa ſubduplici ſenſu diverſo reſpectivo ad vtrumque; ſtare optime poteſt, quod alter loquens ſit verax, & alter mendax. Ita fuit quidem diabolus ex conſenſu Patrum atque Doctorum, quando decepit primos Parentes dicens : eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum: cæterum neque dubitari etiam poteſt, quin hæc verba ille non niſi Deo diſponente vſurpaverit, ita vt ea veritas quæ ibi reperiretur, poſſet eſſe de mente Dei, licet diabolus id mendaciſsimè protuliſſet, ſignificando, videlicet, primis Parentibus, quod ſi comederent divinitate pariter, & ſuprema ſapientia fruerentur.

4 His poſitis circa noſtrum quæſitum, pergimus ad ſententias in quarum cenſu adſcribi non valet negatio illa ridicula Rabbinorum, qua putantes, Parentes cum ſimplicitate infantium de manu Dei prodijſſe, crediderunt arborem ſcientiæ boni, & mali, ideo appellari, quia per eius eſum venturus eſſet vſus rationis. Quod confutatione non eget. Igitur prima ſententia aſſerit. Exinde talem arborem fuiſſe compellatam ſcientiæ boni, & mali, quia pollebat virtute ad acuendum ingenium, & vim cogitandi, & diſcendi. Ita ſenſit Ioſephus *lib.* 1. *Antiquit.* Quod effatum malè accipitur ab Authoribus, & ex contextu benè obſervato ſtatim procumbit. Secunda ſententia aſſerit. Talem arborem ſic compellatam ab ipſo rei eventu, ſiquidem verè contigit, vt primus homo proprio criminis experimento edoctus noviſſet, quid inter bonum, & malum intereſſet. Hanc ſequitur Auguſt. *lib.* 14. *de Civit. cap.* 17. *lib.* Geneſ. ad litteram *cap.* 6. & 14. Magiſter ſententiarum *in* 2. *diſt.* 17. & hæc eſt quaſi celeberrima, & communiſsima Theologorum. Tertia, & vltima ſententia eſt. Id nomem veniſſe ex verbis diaboli aientis. Eritis ſicut Dei ſcientes bonum, & malum. Hanc tenet Rupert. *lib.* 2. *de Trinit. & Operibus cap.* 27. Toſt. *Geneſ.* 13. *quæſt.* 154. & 155. Perer. *lib.* 3. *in Geneſ. diſp. de Arbore Scientiæ Boni, & Mali, q.* 3.

Di-

5 Dico igitur. *Tale nomen impositum fuit tali arbori, tùm ab eventu, tùm à verbis diaboli; sed principalius à primo.* Probatur primo. Concluſio ſic quoad primam eius partem. Quando conſtat de eventu rei, & aliqua eiuſdem prænominatione per voces, quæ ex ſuo ſignificato eum poſſunt ſignifire; licèt ſub diverſo ſenſu fuiſſent prolatæ; tunc æquè poteſt talis res nominari, ſivè ab ipſo eventu, ſivè à tali prænominatione iam facta. Sed in noſtro caſu eventus fuit talis, vt de eſu talis ligni reſultaret cognitio boni, & mali: & aliunde prænominatio facta ex ore ſerpentis talis erat, & per tales voces, quæ, licet in alio ſenſu à diabolo dictæ fuiſſent; tamen ex parte ſui ſignificati talem eventum claudebant: ergo rectè potuit talis arbor nominari ſcientiæ boni, & mali, tùm ab eventu, tùm ex illis verbis promiſſorijs ſerpentis dicentis. Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum. Maior in primis videtur manifeſta: ſiquidem quod vnaquæque res ex ſuo eſſe, & eventu ſortiatur nomen, eſt de iure naturæ, & primævæ nominum impoſitionis. Deinde, quod vnaquæque res poſit nominari ex aliquibus vocibus antea ei applicatis, & cum *eſſe* talis rei congruentibus etiam eſt clarum fieri poſſe à veraciter loquente; licet quando prædictæ voces primò applicatæ fuerunt ad rem eiuſmodi fuerint applicatæ ſub ſenſu falſo. Id enim aptè explicatur in dicto Caiphæ. Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Nam ſi loqueretur ſic D. Paulus in aliqua ex Epiſtolis ſuis *Præparabat Dominus in Ieruſalem illam mortem ſuam expedientem ne gens tota periret*, quis negaret talem mortem, ſic fuiſſe appellatam, tùm ab eventu rei, & mortis ſalvantis genus humanum, tùm à verbis ipſis vſurpatis à Caipha, licet ab ipſo falſo ſenſu vſurpatis. Quorum ratio à priori ex tertio noſtro notabili illuſtrari poteſt. Iam minor, quoad primam partem negatur à nemine: ſiquidem verè homo edens de tali ligno experimentaliter novit, quantum intereſſet inter bonum, quod amiſerat, & malum, quò venerat. Quoad ſecundam partem etiam videtur conſtare: quia licet dœmon vſurpaverit illa verba. Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum: ſenſu quo primis Parentibus divinitatem, & ſupremam ſapientiam polliceretur; tamen reipſa illæ voces *ſcientes bonum, & malum*, claudunt in ſuo ſignificato quamlibet cognitionem verè diſcretivam inter bonum, & malum, prout eam damno ſuo comparavit Adamus. Probo iam ſecundam partem concluſionis, ſcilicèt, quod præcipuè fuerit illa arbor, ſic nominata ab eventu rei. Implicat loquentem ſummè veracem, & cognoſcentem rem à ſuo eſſe, & eventu, ab eoque ipſam appellantem, non potius, & præcipuè ductum fuiſſe ad eam, ſic nominandam, à vero eius eſſe, & eventu, quam ab aliqua prænominatione antea facta per loquentem ſummè mendacem. Sed Spiritus Sanctus, qui eſt Author Sacræ Scripturæ eſt infinitè verax, cognoſcenſque eſſe, & eventum eſus talis ligni, exinde illud appellans *ſcientiæ boni, & mali.* Et aliunde qui talem rem, & eventum antea prænominavit dicens. Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, fuit dœmon loquutus ore ſerpentis: ergo potius ab eventu, quam ex dicto diaboli talis nominatio credi debet appoſita. Confirmatur: Si ex præciſis verbis dictis ſerpentis motus fuiſſet ſacer Scriptor ad arborem ſic compellandam; non debuiſſet proferre, & nominare abſolutè arborem ſcientiæ boni, & mali, ſed reſtrictè adijcere, quam dœmon dixerat, futuram eſſe ſcientiæ boni, & mali. Atqui ita non fecit: ergo, &c. Maior patet, tùm quia id profectò decere videtur loquentem ſummè veraciter, tùm quia

sæpè vsuvenit in Sacra pagina, id, quod alias videretur absolutè sonare; ibi statim restringere.

6 Probatur secundo conclusio. In primis tale nomen congruebat eventui rei. Sed deinde conveniebat cum prænominatione facta à serpente: ergo vtrinque talis expressio potest ei adaptari. Consequentia liquet: siquidem nullum est inconveniens, quod casus aliquis, vel persona indicetur duplici via, altera, scilicèt ex re ipsa vel eventu, altera ex nominatione antea ipsi facta: sicuti, & vocamus Davidem Psallentem, quia Psalmos composuit, & cecinit; & quia in libris Regum vocatur egregius Psaltes Israel. Maior præterquamquod est Augustini 14. *de Civit. cap.* 17. & 8. *de Genes. ad Litteram cap.* 6. & 15. Probatur sic. Homo per peccatum, & eius miseram experientiam verè habuit illam partem sapientiæ Salomonis, qua non solum bona cognovit, sed & errores, & stultitiam. Atqui hoc est scire bonum, & malum: ergo, &c. Min. quoque patet propter eandem rationem, quia licet aliud intenderit dœmon; tamen cum eius vocibus vsurpatis verè cohæret aliqua scientia boni, & mali nuper relata. Probatur tertio conclusio, talis arbor fuit nominata ad eventu ex consuetudine Scripturarum, sed aliunde constat ex præiactis verbis dœmonis fuisse, sic nominatam: ergo ex vtroque capite dicta est arbor scientiæ boni, & mali. Maior constat exemplis allatis à Pererio hic *quæst.* 3. *ex Genes.* 26. & 31. Quia nimirum ab eventu fuerunt, sic nominata puteus iurgij seu calumniæ, & puteus iuramenti, & tumulus testis, seu acervus testimonij, castra quoque Dei, & domus Dei. Minor constat ex Ruperto vbi supra, „ sic aiente. Hoc lignum ironicè appel„ latum est scientiæ boni, & mali, vt ip„ so nomine suo monumentum legen„ tibus repræsentet diabolici mendacij „ ex eo igitur, quod illo falso promis„ so decepisset primos homines, impo„ situm est ei arbori nomen scientiæ „ boni, & mali, vel ab ipso Adamo, „ vel à Moyse: ergo, &c.

7 Obijcies primo. Talis arbor nominatur scientiæ boni, & mali *Genes.* 2. ibi, *& lignum scientiæ boni, & mali* antequam Adamus de illo comedisset: ergo id nomen esse non poterat ab eventu. Confirmatur eatenus ab eventu tale nomen ei venisset quatenus post cum aliquam scientiam boni, & mali comparasset antea non habitam, sed difficile est creditu, & dictu quod Adam aliqua scientia obiecti realis polleret post peccatum, qua caruisset in statu iustitiæ originalis. Ergo. Ad hoc argumentum, respondeo: distinguendo antecedens, loquendo per anticipationem, concedo antecedens, sine illa, nego antecedens, & conseq. Itaque satis cognita est in omni historia, & præcipuè in Sacra pagina, quia hic magis versatur, anticipatio illa, qua nonnulla extra locum suum prænarrari solent, vt eis absolutis, historicus peritè pergat ab alia. Et ista anticipatio ait Tostatus hic *quæst.* 156. causat multas difficultates legentibus Sacram Scripturam. Itaque non invenitur, quod Deus ipse, quando Paradisum plantavit, illam arborem sic nominaverit, sed quando illam prohibuit id fecit demonstrativè, vel coram Adamo, vel quoad locum eam indigitando. Fuit autem vel Adamus iam lapsus, vel potius Moyses, qui eam à misero eventu, sic nominavit: & quidem per anticipationem, quando eius plantationem prædicto *cap.* 2. recensuit. Sic Tostatus ibi fusè: cui adiungo verba Ruperti suprà sic prosequentis. Ac licet in historia Moysis ante congressum serpentis cum Eva bis ea arbor appelletur eo nomine, videlicet, scientiæ boni, & mali; id facit tamen Scriptor historiæ Moyses per anticipationem: re vera enim ante non habuerat id nominis; sed cum

Deus

Deus dixit Adæ, ne ex ea commederet; vel alio nomine eam appellavit, vel quasi digito speciem, & locum eius demonstrando eam indicavit. Vnde quando Augustinus videtur dicere 8. *de Genes. ad Litter. cap.* 15. quod Deus ante sermonem cum Eva, sic nominavit, denuntians bonum, & malum obedientiæ, aut inobedientiæ futuræ; id debet intelligi non de Deo immediatè loquente tempore creationis, sed de Deo mediatè loquente per Moysem: quatenus Augustinus suo ingenio ex eventu sequuto talem nominationem anticipatò inventam pulchrè, & accomodatè explicavit. Ad confirmationem disting. mai. Scientiam experimentalem, & practicam, conced. mai. Speculativam, neg. mai. & respectivè distincta minori, nego consequentiam. Nam scientia quæ est domum, & ornatus mentis est speculativa, & activa, seu penetrativa; experimentalis verò est practica, & passiva, & non propria intellectus, sed quarumvis potentiarum in quibus sit talis experientia. Vbi pro perfecta rei notione observa, scientiam experimentalem nihil veræ scientiæ supperaddere in subiecto habente perfectam scientiam speculativam rei, sed solam maiorem propinquitatem, & intimitatem specierum talis scientiæ; licet in subiecto non habente perfectam rei notionem, notitia experimentalis sit multum perfectiva scientiæ speculativæ; quatenus species vivaciores, proximiores, & in se ipso receptæ naturaliter ferunt, & vocant ad totius rei plenam notionem: vnde Medicus dolore laterum correptus in eius morbi cognitione verè perficitur, tùm intensivè, tùm extensivè. In Christo vero habentem plenissimam scientiam infusam, & beatam, locum non habebat perfici intensivè, aut extensivè in vera scientia speculativa, ita vt gradus aliquis notionis accresceret antea non habitus nisi quod passivè, & in se experimentaliter nosceret id ipsum, quod alias perfectè noscebat abstracte. In Adamo demum pleno naturalium scientia, etiam *mali* speculativè cogniti, licet demus, quòd ex eius ruina scientia speculativa crescere non potuisset in extensione; potuit tamen aliqua dici ei advenisse in intensione; quatenus species mali anteà abstracti, modo contracti in se ipso, vivaciùs longè de se informarent, & notificarent. Cæterum omnibus perpensis Adamus de scientia præhabita fatalem fecit iacturam, licet in puncto erroris, & miseriæ vividius mala cognosceret.

8 Obijcies secundo. Si ex eventu rei, & verbis serpentis prolatis nomen, & verum nomen, tali arbori fuisset impositum, diabolus in sua pollicitatione mendax non fuisset. Sed vnanimis sententia Patrum ponit eum solemniter mentitum fuisse: ergo, &c. Maior constat, quia dicere verba significantia aliquem eventum; & revera dari talem eventum eis verbis congruentem, non est mentiri, sed verum dicere. Confirmatur. Intento diaboli, non congruebat, quod verba illa. Eritis sicut dij scientes bonum, & malum. Significarent eventum scientiæ boni, & mali, qui contigit. Sed eius astutia non facilè erraret medium allleiendi Parentes ad crimen: ergo, &c. Maior probatur: quia ea scientia experimentalis, & damnosa potius primos parentes deterruisset: ergo non ea sed alia longè sublimior significabatur in verbis serpentis. Ad hoc argum. resp. neg. mai. Ad cuius probationem, neg. antecedens, licet appareat verum. Ratio est: quia mentiri est contra mentem ire, vnde qui die veneris, putans esse Sabbatum, diceret esse diem veneris mentiretur, esto diceret id quod re ipsa erat: sic similiter quoad voces dicebat diabolus id, quod re ipsa erat propter eventum qui re ipsa fuit. Eas autem voces substituebat ille pro alio distincto conceptu, scilicèt de divinitate, & sublimiori sapientia obtinenda ab Adamo, quod re ipsa non fuit. Vnde

dè clare mentitus est in promissionibus suis. Ad confirmationem dist. mai. Si præcisè per eas voces significaret talem eventum, conc. anteced. significando etiam illam falsitatem *eritis sicut Dij scientes, &c.* Neg. mai. & concess. min. neg. conseq. Quia ipse eas voces mellitas dedit illicio divinitatis, vnde nihil infelix, sed sibi cuncta fausta sperarent.

9 Obijcies 3. Si ex eventu esset talis nominatio; similiter potuisset dici arbor apertionis oculorum, & cognitionis nuditatis, & indumenti. At ita non dicitur: ergo, &c. Confirmatur. Ea scientia boni, & mali erat ibi, quæ ab ipso Deo divinis personis applicabilis esset. Probatur hoc ex verbis *Genes.* 3. vbi Deus dixit. Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum: ergo, &c. Atqui ea esse non poterat, quam paravit eventus: ergo ex solis verbis serpentis potius fuit tale nomen. Ad hoc argum. resp. dist. mai. vel potius concedendo, & dist. minor. Sed ita non fuit sub expressione signata. Conc. min. sub formali exercita, & eminenti, neg. min. & conseq. Quia re vera apertio oculorum, & cognitio nuditatis, & indumenti necessarij erat illa scientia boni, & mali, qua appellata fuit arbor: nam licèt Tostatus resistat eo quod aliunde tale nomen sumi posset; iam vidimus id potuisse eidem rei vtrinque advenire. Ad confirmationem dist. mai. Applicabilis figurate, & increpatorie, conc. maior. verè, & propriè, neg. maior. & respectivè distincta min. neg. consequentia. Quia quando Deus dixit: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum: hoc dixit ironice, & increpatorie in primos parentes vt magis pro suo crimine rubore suffunderentur.

****

JHS.

# QUÆSTIO QUARTA.

## TEXTUS AD ILLA VERBA.

CUSTODITE LEGES MEAS. *Levit.* 18. 5.

### ARTICULUS.

### AN OMNIS LEX FERAT SECUM OBLIGATIONEM ALIQUAM *in conscientia?*

1 Uppono 1. Præter superiorem textum alios plures in Sacris litteris reperiri, qui nos cogunt, vt in nostris dissertationibus aliquid de Lege disputemus: cum enim omnis divina legislatio in Sacra pagina, quam versamus, sita sit; perutile est, immo necessarium, vt in pluribus quæstionibus fiat debita resolutio; rationem legis à sua prima origine perscrutari. Et quidem solus *Psalm.* 118. qui Alphabeticus dici solet, quia in Hebræo ex ordi-

ordine elementa perſequitur, vix habet verſiculum, in quo de lege Domini ſermo non fiat. Verùm occurrunt etiam alij textus, qui, licèt levi calamo, omninò præteriri non poſſunt, eò quòd Heretici legis iugum à ſe vndelibet excutere ſatagentes, in ipſis ſibi patrocinium parent. Igitur primus textus eſt 1. *ad Timoth.* 1. *Iuſto non eſt lex poſita.* Cuius quidem textus intelligentia communis, atque germana cum D. Thoma, Salmeron, Bellarmino, apud Suarium 1. *de Legibus cap.* 19. Eſt, iuſto non eſſe impoſitam legem quoad vim coactivam; benè verò quod ad directivam. Cum enim iuſtus ſit, qui ſponte bonum facit; & à malo declinat; lex quæ illuminat ad faciendum bonum in quo ſtat vis directiva, & cohibet ne fiat malum in quo eſt vis coactiva, non poteſt non dirigere iuſtum, qui omnem lucem de bono ſemper amplectitur: neque poteſt cohibere à malo eum, qui ſponte malum fugit atque declinat. Vnde vt offendicula complanentur, crederem ego, iuſtum non tàm dici debere à lege liberum, quàm à preſſura, vinculo, ligatura, & onere legis. Quod firmat Anſelmus, dicens. *Iuſto non eſt lex poſita*, id eſt, *impoſita vt ſupra illum ſit; in illa enim eſt potius, quàm ſub illa: quia non ſua vita vivit, cui coercendi lex imponitur.* Favetque Salvianus *lib.* 5. Auguſtin. *ad Galat.* 2. Bernardus *Epiſt.* ad Carthuſian. D. Thomas *ad Timoth.* 1. Secundus textus eſt *ad Galat.* 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Cuius ſenſus cum Suario, Chryſoſtomo, & D. Thoma, apud eum ſuprà ſolum eſt *quòd in lege gratiæ, & ſpiritus ſcripta in tabulis cordis nulla indigentia eſt legis ſcriptæ in tabulis lapideis ad fugiendas carnis concupiſcentias, de quibus ibi erat ſermo; cum ipſa lex ſpiritus ea fugienda dictaret.* Vnde ait Hieronymus in brevioribus commentarijs *qui novum implet non eſt ſub veteri Teſtamento.* Tertius textus *ad Roman.* 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia* ſimiliter poteſt explicari ac præcedens; verum Paulus ibi clarè loquitur de iugo veteris legis non dante vires; cùm tamen lex gratiæ vires daret ad vitanda peccata, quod Paulus intenderat. Demum alij textus *ad Galat.* 2. 4. 5. Item 2. *Corinth.* 3. & *Iacob.* 1. & 2. adduci ſolent ab Hereticis, vt ab omni lege ſe excutiant. Quos tamen Suarius *lib.* 10. *de Legib.* ſatis impugnat. Quamvis enim per legem gratiæ multa nobis libertas ſit à iugo; à peccato, à timore; non tamen à vera legislatione, qua perfectius trahimur ad ſequendum bonum, & fugiendum malum.

2 Suppono 2. Quod ſemota in præſenti lege fomitis, ſivè membrorum, ſivè peccati quæ analogicè, & tropicè lex dici poſsit, debet res taxari, & attendi penes illam receptam definitionem legis ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. vbi ait: *Lex eſt quædam regula, & menſura, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Et quamquam inter prophanos abundè ſcripſerint de legibus Plato, Demoſthenes, Plutarcus, & Cicero, qui in conſideratione eſſe poterunt, dum ad leges humanas appendendas deveniendum ſit; tamen nos, qui ad divinam, & æternam legem ferimur explicandam, potius Sacris Doctoribus debemus inſiſtere, qui nimirum Sacras litteras tractaverunt. Quomodo autem inter ſe comparentur hæc tria monoſyllaba, *fas*, *ius*, & *lex* curſim accipito, & quidem Iſidorus *lib.* 5. *Ethimol. cap.* 2. ait: *Fas, lex divina eſt; ius lex humana,* & *cap.* 3. ait ius, & legem comparari vt genus ad ſpeciem: quia ius legibus, & moribus convenit; lex autem eſt conſtitutio ſcripta. Et Auguſtinus *lib.* 83. *quæſt. quæſti* 31. inquit: *Lex ius eſt, quod in eo ſcripto quod populo ex poſitum eſt, vt obſervet, continetur.* Ego verò cenſerem, tria illa quamvis promiſcuè non raro vſurpentur; tamen ſic poſſe diſtingui nimirum, vt *fas* ſit ipſiſsima rectitudo paſsivè ſumpta provt in re-

bus, & actionibus reperitur, contraponiturque ad id, quod est nefas; *ius* verò propriè est personarum quarumcumque, sivè publicæ, sivè privatæ, sivè Principis, sivè subditi: cum vniuscuiusque sit suum ius habere ad has, vel illas res, vel actiones: vnde persona privata potest dici domina sui iuris, quin sit domina legis; ius verò est quasi quædam exigentia, aut debitum vt publicè aut privatim fiat id quod est *fas*: quare *fas*, *iustum*, *æquum*, *& rectum* idem sunt; *ius* verò est exigentia personalis publica, aut privata superior, aut inferior ad id quod est rectum, & iustum. *Lex* verò aliqua ex parte confundi potest cum iure communi, & superiori, quia ipsa lex est ipsum ius commune, & Principis vt talia fiant; sed presè loquendo ipsa lex non est tale ius, sed explicatio talis iuris. Vnde *lex* est illa vis, quæ facit servari *ius* personis, & fieri *fas*, & rectum in rebus, & actionibus. Cumque nos hic solum velimus agere in quibusdam quæsitis de lege æterna, & naturali seu gentium, ac divina, sivè veteri, sivè nova; hæc divisio nobis esto sufficiens, vt paucula differamus. Hic nota pro superioribus, quod licet corpus legum appelletur ius commune hoc non tollit distinctionem datam, quia est locutio tropica, eò quòd leges agant de iuribus personarum.

3 Suppono 3. Circa essentiam verò legis grave certamen est in quonam illa consistat? Eam in actu intellectus ponunt quam plures cum D. Thoma, & alij etiam multi cum Bonaventura, & Scoto in actu voluntatis. Insuper tertiat media opinio, quæ in vtroque actu eam collocat, & cui favet Suarius: de quibus omnibus cum legem ferre imperantis sit, promius est iudicare, legem quidditativè sumptam prout directam ad alium subditum (ne misceamus æternam, & naturalem) consistere in actu voluntatis vnicè formaliter; præsuppositivè, & essentialiter se habente actu intellectus. Vnde ait Bonaventura *in* 3. *dist.* 17. *art.* 1. voluntatem esse illud, penes quod residet Regnum, & imperium eorum, quæ sunt in ipso. Quæ assertio patet 1. *Psalm.* 32. *Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel voluntates suas.* Secundo: *Ex lege* 1. *ff. de Constitut. Princip.* vbi dicitur, *quod Principi placuit, legis habet vigorem*: & ex Platone, & Aristotele vocante legem consensum Civitatis. Tertio: Quia voluntatis potius est movere subditum, & eum ligare ad agendum: & lex sivè à legendo, sivè à ligando veniat, voluntati melius aptatur. Quarto: Quia ferre legem, potestativum, & dominativum est, atque spectans ad iustitiam legalem, quæ virtus voluntatis est. Neque obstat primo: Quod lex dicatur ordinatio rationis, atque illuminare, & instruere; esseque regulam dirigentem, quæ potius actum indicant intellectus. Nam ordinatio rationis idem est, ac imperium ex ratione dictante præsuppositivè se habente. Atque Legislator, & Princeps, sivè ex luce, & prudentia propria, sivè consultorum suorum, semper supponitur recta prænovisse ad imperandum: vnde cum talis lex seu iussio sit intimatio, & notificatio lucis præhabitæ; dici potest congruentius quod actus intellectus est, qui lucet, seu producit lucem; at actus voluntatis est, qui lucem hanc infert, & illuminat: deindeque, cum voluntas Superioris in sapientia fundatæ debeat esse regula, vt benè velint inferiores, atque operentur; regula est, & norma actus voluntatis legislativæ. Neque obstat secundo: Quod stet volitio superioris etiam intimata de actione aliqua, quin sit lex talis actionis: veluti in intimatione facta Abrahæ de sacrificio filij. Nam in primis de actione singulari non est lex; sed præceptum: quia lex in commune tendit. Deinde, quia quidquid sit de modo quo Theologi explicent, decreta intimata Dei frustrari non posse; planum est potestatem legislativam, præcisè qua talem,

esse

esse revocabilem, suspendibilem, dispensabilem, &c. Atque insuper cum ratio legis stet in voluntate obligandi seu obligatione activa; non vero in ipsa obligatione passiva; licet ad hanc requiratur promulgatio; hæc non est de essentia legis, nisi vt obligantis in actu secundo. Verum vt tollatur aliqua equivocatio; hic distingui oportet inter manifestationem voluntatis Principis, & intimationem seu promulgationem legis: nam hæc secunda non est de essentia legis secundum se; sed solum vt *obligantis in actu secundo*, prima verò est de essentia legis secundum se, quæ præter notitiam intellectus essentialiter præsuppositam stat formaliter in ipsa voluntate legislatoris, vt exterius manifestata Ministris suis, vt postmodum promulgetur. Itaque quemadmodum quidditas legis nō potest stare sine voluntate Principis exterius manifestata; alioquin omnes volitiones internæ ipsius leges essent; ita potest stare tota quidditas legis, v.g voluntas Principis iam notificata Prætori, aut Senatui ad promulgationem; & nihilominus non obligans in actu secundo. Pro qua parte manifestationis est Salas *de Legib. quæst.* 90. *tract.* 14. *disp.* 1. *sect.* 3.

4 Suppono 4. Quod præter essentiam legis, quasi subiectivè, & absolutè consideratam; cum ipsa dicat respectum ad subditum, posse etiam quoad essentiam quasi relativè, & respectivè considerari, ita vt aliquo deficiente, deficiat lex. Itaque primò. Postulatur ex Isidoro, D. Thoma, Panormitano, cum Suario *lib.* 1. *cap.* 6. & pluribus Iuristis, & iure civili, & canonico, quod lex sit imposita alicui communitati politicæ, sivè Sæculari, sivè Ecclesiasticæ; quin sufficiat communitas œconomica; poterit tamen salvari in aliqua communitate minori quæ sit pars communitatis maioris. Secundò. Requiritur ex communi ad substantiam legis quod respiciat bonum commune: hic autem respectus ex Suario potest esse, vel mediatus, vel immediatus, ita vt quamvis respiciat privatas personas; inde tamen bonum commune resultet, quiquidem respectus potius attendendus est ex parte operis secundum se, quàm ex parte operantis quia vt ait Augustinus *de Libero Arbit. lib.* 1. *cap.* 5. *Bona lex à non bono ferri potest.* An verò privilegium præsertim perpetuum possit lex nuncupari? Non tollitur ex hoc capite: si quidem ille favor specialis etiam debet esse propter bonum commune ex D. Thoma *quæst.* 97. *in* 1. 2. *art.* 3. *ad* 1. Si verò privilegia sint communitati facta faciliùs leges compellabuntur. Quare tandem licèt ex lege aliquod nocumentum manet; si tamen bonum commune præponderat, lex esse non desinit. Tertiò. Requiritur, quod in legislatore sit potestas publica, & iurisdictionalis, & non solum dominativa, aut œconomica: ideoque oportet (& fit frequenter) Confraternitates de authoritate Ecclesiastica accipere, & provideri, vt possint leges condere. Ratio est, quia omnis lex includit præceptum; licèt non omne præceptum sit lex: præceptum autem potestatem amat in præcipiente: cum autem potestas dominativa respiciat privatas personas, & potestas iurisdictionis communem politiam, & gubernationem; inde est quod ad legem ferendam requiritur, tùm superioritas, tùm etiam iurisdictio. Quarto. Requiritur quod lex sit de re iusta, honesta, & licita; alioquì ligare, & obligare non poterit; immo neque lex erit: quia neque à lege æterna, & naturali originem trahet, quia ambæ rectissimæ sunt. Quod si lex quidem sit de re iusta, & materia honesta, sed feratur iniustè; puto tunc ideo defecturam à ratione legis: quia non respicit bonum commune, eo quòd iuiustè feratur; id est transiliendo ius, & violando iustitiam (posset enim aliàs Princeps male se gerere, & nihilominus legem iustam iustè condere. Quinto. Requiritur quod

sit de re possibili, & sensus obvius est de possibilitate morali, vt nimirum attendatur ad humanæ naturæ conditionem quoad substantiam, & circunstantias. Quoad impossibilitatem verò metaphysicam nec Deus nec homo potest præcipere impossibilia. Quoad physicam verò Deus potest præcipere; secus autem homo, aliquod impossibile secundum naturam, quod sit possibile tamen per gratiam: quia nimirum vires gratiæ Deus potest conferre. Sexto. Requiritur perpetuitas legis. Quæ non debet esse talis, vt sit quasi immutabilitas, & irrevocabilitas, præsertim in lege humana, vt de se patet; sed perpetuitas negativa, quæ omne certum, aut definitum tempus non claudat: vnde licèt sit præceptum communitati impositum, & in bonum commune ipsius; si tamen non sit per modum statuti stabilis, & perpetui; vel quia id non sit in potestate præcipientis, qui nempe leges condere non valeat; vel quia potestate legislativa vti nolit; non erit lex. Septimo. Requiritur promulgatio, vel intimatio, & in hoc sensu solum requiritur ad obligandum in actu secundo, non tamen vt sit lex absolutè: cuiusmodi esset illa, quam tulisset Princeps, & scriptam dedisset Magistratui; quæ tamen, Principe repente sublato, promulgata non esset. Demum postulari solet acceptatio subditorum. Sed cum id solum locum habeat in lege humana non verò in æterna naturali, & divina, ad quas pergimus, id modo relinquimus.

5 Suppono 5. Ex superioribus colligi propriam esse illam definitionem legis datam à D. Thom. *quæst. 91. art. 4. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Vel ad excludendum à ratione legis præceptum commune illam aliam Doctoris eximij scilicèt *lex est commune præceptum iustum ac stabile sufficienter promulgatum.* Et colligitur ex D. Thoma quoad genus ipsius definitionis, *ex quæst. 96. art. 1. ad 2.* Dicitur autem promulgata: quia definitur lex prout obligans in actu secundo sub cuius consideratione attinet ad rem publicam, & vtilis est ad finem legis. Quicquidem est subditos facere bonos ex communi cum D. Thoma *quæst. 92. art. 1.* & Arist. 4. Ethic. *cap. 1.* vbi ait: *Legum latores ipsos cives assuefacientes ipsos bonos facere.* Et quia inferiorem, qui à superiore sinit se rectè moveri, rectificari necesse est. Lex tamen ad id non indiget per se dare vires ad implenda præcepta; sed præcipere bonum, & prohibere malum, quasi signando, & definiendo vias recti, & iniqui. Quare lex vetus de qua *Psalm. 18. Lex Domini immaculata convertens animas* non deficiebat à lege bona, licèt non daret vires; & lex nova licèt eas det, non est quidem ex lege, sed ex gratia. Per quæ tamen non tollitur, quòd lex occasione malitiæ nostræ dicatur iram operari, & peccatum. Dum verò ex Aristotel. 3. *Polit. cap. 3. Dicitur Lex civilis non facere virum bonum, sed bonum civem.* Sermo est comparativus intra bonum honestum privatum, & bonum honestum publicum, quorum alterum potest esse sine altero: vnde honestatem poterit quis habere civilem, sivè politicam, quin habeat moralem, sivè monasticam: semper ergo lex bona iubet; & quidem ita, vt licèt quandoque servetur per actum malum (quod disputabile est apud D. Thomam *quæst. 100. art. 9.*) tamen ille actus solum quà bonus est, erit ad impletivus: non enim per vnam legem particularem omnis honestas iniungitur: quare licèt in illo actu malo subditus non apparet omnino bonus; tamen adimplendo illam legem gauderet sua honestate partiali, quæ ideo non est bona ex integra causa, quia ibi reliquas leges non implet.

6 His positis circa punctum præcipuum nostræ controversiæ duplex potest discriminari sententia, saltem quatenus fundamenta vtrinque appa-

re-

rere videantur fundatissima ad disputandum, & conciliandam sibi interim authoritatem, videlicet, negativa sententia, quatenus robur sumit ex iure civili in lege *Legis virtus ff. de Legibus*, & *Iure Canoni. cap. omn. dist.* 3. Tùm ex iis quæ affert D. Thomas 1.2. *quæst.* 92. *art.* 2. Tùm ex Authoribus defendentibus, leges pœnales non inducere obligationem in conscientia, vt sunt Navarrus *in Summa cap.* 33. *num.* 55. Decius *in cap. Nam concupiscentiam. De constitutionib. lect.* 2. *num.* 7. vbi refert Matusilanum *not.* 78. Hostiensem, & Ioannem Andream *in cap. Relatum ne Clericus, vel Monachus.* Immola *in cap.* 2. *de Maioritate*, & *Obedient.* Et *in cap. Cum contingat* de iure iurando quibus adiungi poterunt plures Neoterici præsertim ex Summistis. Secunda sententia affirmat omnem omninò legem inducere obligationem aliquam in conscientia. Quæ sententia communis est Theologorum cum D. Thoma *quæst.* 92. *art.* 2. *ad* 1. & *quæst.* 93. *art.* 2, Soto *quæst.* 1. *art.* 1. Castro *lib.* 1. *cap.* 1. & est communis Iuristarum in dicta lege *Legis virtus*, & in dicto *cap. Omnis.* Itemque loquendo de lege pœnali eam tenent Driedo *lib.* 2. *de Libert. Christian. cap.* 1. & *lib.* 3. *cap.* 3. Medina *de Restitut. quæst.* 12. *alias* 13. & *quæst.* 36. & *de Pœnit. in tract. de Ieiun.* cum Soto, Castro, Henrico, Felino, Silvestro, Toleto, Armilla, Covarrubias, apud & cum Suario *lib.* 5. *de Legib. cap.* 3. *num.* 6.

7 Dico igitur, nullam dari veram legem, quæ non verè obliget aliquem in conscientia. Probatur conclusio primo: Ex aliquibus pronuntiatis SS.PP. Primo. Ex D. Hieronymo *lib.* 2. contra Iovinianum circa medium, vbi sic ait. *Vbi consilium datur offerentis, arbitrium est; vbi præceptum, necessitas est servitutis.* Sed omnis lex verè est præceptum, iussio, & imperium: ergo necessitatem servitutis inducit. Atqui necessitas serviendi cui serviendum est, à conscientia ex obligatione dictatur: ergo, &c. Secundo. Ex D. Ambrosio *lib. de Viduis circa finem*, ibi: *Præceptum in subditos fertur; consilium amicis datur, vbi præceptum est ibi lex est, vbi consilium ibi gratia est... præceptum ibi est vbi est pœna peccati.* Ergo omnis lex est præceptum obligans sub pœna peccati. Tertio. Ex D. Augustino *de Virginitate cap.* 14. ibi: *Domino præcipienti non obedire damnabile est... præcepto quisquis non obtemperat reus est, & debitor pœnæ.* Atqui reatus ad pœnam numquam est sine culpa: ergo, &c. Quarto. Ex D. Gregorio *lib.* 12. *Epistolar.* 17. *Nobilitas quodammodo sibi legem imponit, vt debere se quod sponte tribuit, existimet.* Ergo, quia existimat D. Gregorius per impositionem legis debitum contrahi ad faciendum. Atqui debitum si non solvitur in culpa est: ergo, &c. *Confirmatur*: Ex Gratiano *dist.* 4. *ad finem*, ibi: *Decretum necessitatem facit, exortatio liberam voluntatem excitat, sed necessitas faciendi obligatio est animi*: ergo, &c.

8 Probatur secundo, philosophicè primo: Ex Aristotele 1. *Ethic. cap.* 9. vbi ait: *Ideò in lege esse vim coactivam, quia licet lex forsitan non importet pœnam; tamen secum necessitatem trahit faciendi, ne sit transgressor.* Sed vis aut necessitas, ex qua oritur vera transgressio, est obligatio in conscientia: ergo, &c. Tum à priori probatur sic. Omnis voluntas efficax superioris habentis iurisdictionem, & potestatem publicam circa rem aliquam præstandam ligat voluntatem subditi, & animam eius ad id faciendum. Sed hoc est obligare in conscientia: ergo, &c. Probo maiorem. Omnis volitio efficax voluntatis, superioris in iurisdictione publica, vim habet obligandi voluntatem inferiorem, vt conformetur cum superiori in eo quod rectum est, & rectè præcipitur: ergo, &c. Antecedens constat ex iure divino, apud D. Paulum. Quia nimirum Deus qui intulit, servat, & iubet ordinem in hoc mundo ideò iubet, vt *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*: ergo,

&c. *Confirmatur.* Omnis volitio, qua voluntas perſonæ inferioris, & legitimè ſubditæ perſonæ ſuperiori huic reſiſtit, & refragatur in re ad ſuperiorem pertinente, vitioſa, & criminoſa eſt. Sed crimen, & culpa non inducitur niſi tranſgrediendo obligationem in conſcientia: ergo, &c. Confirmatur ſecundo. Quia eatenùs ex ea lege talis obligatio non oriretur, quatenus ex poteſtate temporali, & ſæculari iure non poſſet oriri obligatio in conſcientia. Sed tale vinculum ſpirituale conſcientiæ oritur etiam ex civili contractu merè temporali: ergo, &c. Confirmatur tertio. Quia omnis lex humana iuſta habet ſuam vim, tùm à lege æterna, à qua derivatur iuxta proportionem materiæ, tùm à lumine naturali dictante, æquè obediendum eſſe iuſtis præceptis Principum, quam Parentum, & Magiſtrorum. Sed horum iuſſa ligant in conſcientia: ergo, & illorum.

9 Obijcies 1. Inter leges plures dantur pœnales, quæ præter imperium rei, quam iubent, pœnam important. Sed huiuſmodi leges non obligant in conſcientia: ergo, &c. Minor probatur primo. Quia lex pœnalis odioſa non tam gravatè interpretanda eſt, vt duplex onus imponat culpæ, & pœnæ. Secundo. Quia leges humanæ huiuſmodi tale quid non declarant; immo aliquæ certò in conſcientia non obligant. Ad hoc argumentum reſpondeo primo diſtinguendo minorem, non obligant in conſcientia ſubditos *ad ponendam rem imperatam*, permitto minorem: non obligant in conſcientia, tùm *Iudicem ad infligendam pœnam*, tùm ſubditum ad illam, vel ſolvendam ante ſententiam iudicis, vel ad illam ſuſtinendam poſt ſententiam ipſius, nego minorem, & conſequentiam. Itaque ſolum in hac quæſtione conſtabilitur, quòd nulla ſit lex verè talis, ex qua non manet, & proficiſcatur aliqua vera obligatio in conſcientia, ſivè huius vel illius generis perſonarum; ſivè huius vel illius rei præſtandæ: quæ re licet in illa controverſia de lege pœnali: num obliget in conſcientia ad ponendam rem ſignatè imperatam? Verè ſit pars negativa, quam ſuadent probationes adiectæ; nihilominus hæc noſtra concluſio non claudicat: quippè quæ ſemper ſalvat, tùm in iudice conſcientiæ obligationem ex virtute iuſtitiæ ad pœnam infligendam; tùm in ſubdito obligationem ex obedientia, & ſubiectione Principi præſtita ad talem pœnam ſolvendam, vel ſuſtinendam. *Reſpondeo ſecundo*, negando minorem ad cuius primam probationem dico, quod vitioſa eſt interpretatio quæ ibi intenditur, ſiquidem ea poteſt cadere, & verſari circa intentionem Legislatoris, vel verba legis vbi poteſt eſſe ambiguitas; ſecus verò quoad id quod ſecum fert per ſe ipſa natura legis, vt concernens poteſtatem Legislatoris. Et hoc eſt, quod perſuadere conantur noſtræ probationes, ſcilicèt, quòd poteſtas legislativa iuſtè exercita, vel legitimè intimata ſubdito, huius animam ex naturali, & æterno lumine ligat ad obediendum. Quod autem ſupra hoc internum adijciatur pœna ſignatè (exercitè enim videtur, quod omnis lex ſecum importat pœnam æternam, vel temporalem) non provenit ex diſcrimine legis vt talis tantùm, quantùm ex parte materiæ, quæ ſive quia frequentior eſt, vel quia horribilior eſt, arceri poſtulat minis notis, & præſentiſsimis longè plus deterrentibus. Vndè ſalva integra tendentia legislativa; clauſula pœnalis appoſititia eſt, & à lege vt quidditativè tali, realiter, virtualitervè diſtincta. Ad ſecundam probationem reſpondeo, inde potius firmari noſtram ſententiam: quia cùm lex iuſta ſuapte natura ferat hanc obligationem in conſcientia; ſuperflua videretur expreſsio, quæ ſignate id declararet. Conducibilior verò, propter id quod addit, erit expreſsio contraria in legibus purè pœnalibus, quas cum Suario, &

alijs

alijs *lib. 5. de Legib.* libenter admitto: ita vt Legislator, quamdiù in conscientia non vult obligare, sed ad puram pœnam, id debeat exprimere, & declarare, sivè id fiat ab eodem Principe legem condente, sivè à successoribus, quorum est authentica declaratio: sivè fiat scripto, sivè ore tenùs, ita tamen vt constet. Ex quo melius potest intelligi praxis Theologorum Summistarum, qui de plurimis legibus pœnalibus dicunt non obligare in conscientia. Quod ita existimo intelligendum, scilicèt quatenus, vel oraculo Principis, vel communi intelligentia, & consuetudine populi, ei constante positivè physicè, aut moraliter, sublata sit vis obligandi in conscientia dumtaxàtque sola pœna relicta. Hoc tamen secluso talis lex in conscientia semper est obligans.

10 Obijcies 2. Inter leges plures sunt purè permissivæ de re quam statuunt. Sed vbi pura permissio est, nulla intervenit obligatio in conscientia: ergo, &c. Maior patet ex corpore iuris Civilis, & Canonici, & speciatim ex Glossa in dicta lege *Legis virtus, & legis* 1. *Codice de ignorantia iuris, & facti*, vbi militi permittitur post sententiam latam vti exceptionibus ratione suæ ignorantiæ. Et etiam ex cap. *Qui* partem vbi leviusculè mutilatus permittitur Clericus fieri: ergo, &c. *Confirmatur.* Privilegium est lex favorabilis ex Isidoro *in cap. Privileg. dist.* 1. Sed privilegiatus non tenetur in conscientia ad præstandam rem privilegij, vt constat *cap. Cum ad Monasterium de Regularib.* ergo, &c. Ad hoc argumentum distinguo maiorem permissione negativa, nego maiorem permissione positiva, concedo maiorem, & distinguo minorem: pura permissio positiva non obligat in conscientia, ad præstandam rem permissam, eam personam cui fit permissio, concedo minorem, non obligat ad quidpiam ab ea, vel ab alia præstandum, nego minorem, & nego consequentiam. Incidimus ergo in rem explicatu paululum operosam, eò quòd multiplex sit genus permissionis vbi latere possit æquivocatio. Igitur, & est permissio circa malum, & est permissio circa indifferens, & est permissio denique circa bonum: expediamque brevi me à duabus primis, vt veniam ad tertiam, quæ rem nostram magis attingit. *Prima*, vt ait Suarez potius est permissio facti, quam iuris, & hæc diversa est in Deo, ac in homine Deus enim sua permissione nullum peccatum relinquit impunè, sed eatenus dicitur permittere, quatenus ea non impedit, cùm possit licet non teneatur; sed ea passus ire, suo tandem iudicio reservat: ex quo tenore permissionis non valet *hoc permittitur: ergo licet, vel impune fit.* Homo autem quandoque in suis legibus permittit minus malum, vt meretrices, occisionem adulteræ ad vitandum maius; & hæc permissio non est quoad illicitudinem; sed solum quoad impunitatem. Immo quando permissio alicuius rei quoad speciem peccaminosæ non sistit in puro decreto permissivo divino; sed vlterius permissum est in lege divina, veluti de libello repudij, & de vsu vindictæ, non desunt Interpretes, qui permissa hæc volunt solum, quoad impunitatem; non verò quoad licentiam. De permissione autem Dei stante in puro decreto suo, hùc sermo non venit, quippè nihil habet cum lege; de secunda verò permissione sermo erit postea. Iam igitur redeo ad priorem divisionem de permissione, & ad illam, quæ dicitur de re indifferenti, & vocatur permissio negativa: quia nimirum id vulgo permissum dicitur, quod neque præcipitur, neque prohibetur, sed prorsus indifferenter, absque bonitate, & malitia morali poterit vsurpari. Et de his sicuti lex nihil habet cum illis, ita vicissim illa nihil habent cum lege; proindeque hùc non attinet coram permissio. Tota ergo lis iam venit ad permissionem illam rei, vel quæ

prop-

propter circunſtantias, & motiva cohoneſtari queat, & permitti, vt licita, vt intelligunt nobiſcum plures de libello repudij, & ſimiliter de alijs, vt eſt ordinatio in Clericum eius, qui digito mutilatus eſt, &c. Vel rei quæ mala adhuc perſeveret, vt in meretricibus, & occaſione adulteræ, quas permittit ius Civile, & tamen permittatur quoad impunitatem: & in vtroque caſu, vt ait Suarez, verificatur, quod ex lege permiſsiva oritur obligatio in conſcientia. Nam in primis, licet quis poſsit dimittere vxorem, vel non dimittere; & mutilus ordinari, aut ſecus; tamen Iudices, & Prælati debent in conſcientia, tùm dimiſſionem vxoris cum libello, tùm Clericatum mutilati acceptare. Deindè in rebus malis permiſsis, vt occiſio adulteræ, deceptio infra dimidiam pretij in contractibus, oritur obligatio in conſcientia in Iudice, tùm ne puniat propter ſimilia, tùm ne admittat contra eos actionem in Iudicio. Quare ſemper conficitur, vt vel permiſsio non ſit lex, vel ſi eſt lex pariat aliquam obligationem in conſcientia. Ad confirmationem reſponderi poteſt primò privilegium ſolum eſſe legem imitativè, & ſecundum quid, vt Gloſſa ait ibi, vel nullatenùs eſſe legem, vt ſentit Caſtro, de lege pœnali, *lib.* 1. *cap.* 1. Reſpondeo ſecundo, conceſſa maiori cum Suario (ſi nimirum ſit Privilegium perpetuum, & communitati impoſitum, aliàs non) negando minor. & ad probationem, diſtinguo anteced. Nemo tenetur, vti privilegio, quando hoc fuit conceſſum intuitu boni communis, nego antecedens; quando fuit conceſſum immediatè propter commodum privatum, licèt ordinatum ad bonum commune, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Itaque ſi privilegium eſt primo modo, vt eſt privilegium in Clericis, eſt lex proprijſsimè, ad quam tenetur etiam ipſe Clericus. *Cap. Si diligenti. De foro competenti*, & *leg. Ius publicum*, & *ff. de pactis*. Si verò ſit ſecundo modo, *vt in cap. Cum acceſſiſſent. De probationibus*, & *in regula, quod ob gratiam. De Regul. iur. in 6.* Tunc eo poteſt non vti privilegiatus; ſed tamen vera inde reſultat obligatio in conſcientia Iudicibus, & Prælatis, vt talibus perſonis ſua hæc immunitas conſervetur: vnde ſemper efficitur, vt vera lex ſine verò conſcientiæ ligamine non ſubſiſtat.

11 Obijcies 3. Regulæ, & conſtitutiones Religioſorum ſunt veræ leges. Sed corũ plures non obligant in conſcientia: ergo dantur aliquæ leges, quæ non obligant in conſcientia. *Confirmat.* Nam conſilia vocantur lex privata. *Cap. Niſi cum pridem. De renuntiatione*, & *cap. Commiſſam. De ſponſal.* Sed conſilia non obligant in conſcientia: ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpondeo conceſſa maiori, quam nonnulli apud Suarium, *lib.* 5. *cap.* 4. devorare recuſant, & quam ibi ſatis ille propugnat, nego minorem, quia licèt verum ſit, quòd multæ Religiones, veluti noſtra Sancta Societas, nolunt ſuas Regulas, medijs quibus via perfectionis proponitur, inducere ſingulatim circa obiecta minutiſsima, actioneſque, quas præcipiunt, obligationem in conſcientia ad culpam etiam venialem, ne ſic eſſent in laqueum; verum imponunt omnes collectivè ſumptæ quamdam obligationem in conſcientia, & quidem gravem ad anhelandum, & progrediendum vſque ad perfectionem prout communiter cenſent Theologi. Propterea aliunde etiam obligationem inducunt alteram in conſcientia, eò quod prædicta ſtatuta, authoritate ſolemni confirmata, refundunt obligationem in conſcientia reſpectu omnium, ne videlicet ea impugnent, quaſi minus ad veram perfectionem conducentia, prout paſsim adverſus Hereticos vindicamus. *Ad confirmationem*, diſtinguo maiorem conſilia quando adiunguntur ad legem ab ipſo legislatore, quaſi illam corroborantia, concedo maiorem; quando ſunt conſilia

filia, quæ privatim ab alio proficiscuntur, nego maiorem, & distinguo minorem; sed consilia quæ sunt primi generis non pariunt obligationem in conscientia eo modo, quo subeunt rationem legis, nego minorem consilia secundi generis, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque sub hac distinctione concordia veniunt placita longè diversa: nam Glossa putat esse leges; & D. Thomas cum Soto apud, & cum Suario *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 9. id negant: quia consilium vt consilium est, à privato, in quo deest authoritas, poterit proficisci. Cæterùm ponendo casum, quod consilia oriantur ab ipso Legislatore, & quidem in ipso corpore legis, quasi ad fulcrum sparsa, & adiecta; difficilius est ea omninò nudare ratione legis, saltem quasi partialis, & quasi de tota lege collectivè loquendo: in quo sensu verè, & communiter dicitur, consilia Evangelica ad legem Christi Domini pertinere. De his ergo consilijs, & similiter de alijs, quæ in lege humana inveniuntur dum se explicat per *tutius*. Et similia non est arduum conformiter ad superiores doctrinas explicare; quomodò aliunde etiam pariant obligationem aliquam in conscientia. Quamobrem ex consilijs Evangelicis in lege incorporatis, & ad eius fulcrum adiectis tenentur in conscientia omnes fateri, ea esse recta, & pro implenda lege medium, & custodiam peroportunam; contra quam obligationem in conscientia sæpè sæpius Hæretici solent impingere. Et similiter de consilijs positis in lege humana discurri potest, dicendo ex ipsis, ita per Legislatorem appositis, resultare in iudicibus, & Magistratibus obligationem in conscientia ad firmandam exinde melius custodiam legum, & non impediendi, aut refutandi eos, quos per tales tutiores vias in republica gradi velle contigerit; cùm tamen, nisi talia consilia, quasi iure legislativo investita essent, planè liceret eis tales vias convellere; quandiu in iure positivo sisterent; & naturali non adversarentur.

12 Rogabis 1. *Quotuplex sit lex?* Ad quod quæsitum respondeo intendens, si forte possim præcidere nonnulla, quæ circa effectus legis controverti solent satis densè; & quæ, si cum pespicuitate divisiones legis stabiliuntur; fortè conquiescent. Itaquè in lege debet considerari essentia, proprietates, exercitium, & effectus vltra causas, de quibus egimus scilicèt *Legislatorem*, qui est causa efficiens *materiam* legis, quæ est causa materialis; *promulgationem legis*, quæ est causa formalis legis, vt obligantis in actu secundo, & *verba legis*, quæ sunt causa formalis ipsius in actu primo; & denique causam finalem, quæ est *recta institutio subditorum*. Igitur posito quod quidditas legis est *statutum pro bono communi communitati impositum à legitimam potestatem, & iurisdictionem habente*, divisio legis quidditativè sumpta solum fit in legem æternam, naturalem, divinam, & humanam. Quod autem sit positiva, vel impositiva videtur proprietas solius legis divinæ, & humanæ, quæ imponuntur non verò æternæ, & naturalis, quæ altius imprimuntur: proprietas autem communis omni legi est *illuminare, dirigere, cavere, conservare, &c.* Exercitium verò legis, vt sic est *obligare in actu secundo*: lex verò ratione huius exercitij, in quo stat virtus operativa ad distinctionem essentiæ quidditativæ, dividitur iuxta communem sententiam in legem *imperantem, & prohibentem, permittentem, & punientem*. Rursus lex imperans, & prohibens nihil aliud est, quam lex affirmativa, & negativa; quæ in eo discriminantur, tum quod prima obligat *semper* sed non *pro semper*; secunda verò *semper, & pro semper* obligat; tùm quod prima violatur per

peccatum omiſsionis; ſecunda verò per peccatum commiſsionis. Lex permittens iuxta dicta alia eſt permittens, quod ad impunitatem, & hæc materiam inhoneſtam relinquit, quia in tantum rectè inſtituit, quatenus præcavet deteriora. Alia eſt permittens quoad licentiam, & tunc materia legis ſaltem in circunſtantijs honeſta eſt; quamvis in alijs circunſtantijs, vel prohibita, vel prohibenda. Lex verò puniens dicitur lex, quæ ſecum pœnam importat, proindeque lex pœnalis, & in hac obligatione legis pœnalis eſt vbi locum habet diſtinctio illa ſatis nota in vim coactivam, & directivam: nam ipſa obligatio eſt quæ dicitur directio, prout communius res explicatur; tametſi Ariſtoteles aliter ſenſerit, ſcilicet, inſtitutionem eſſe vim directivam, & obligationem eſſe coactivam; coactio autem onus pœnæ, quo ſubditus magis cogitur ad parendum. Igitur videtur magis perſpicuum dicere, quod *obligare in actu ſecundo* non tàm eſt effectus legis, quam ipſum exercitium virtutis, quæ eſt in ipſa lege, & totius operativæ vtilitatis ipſius; rurſuſque hoc exercitium dividere in illa quatuor ſcilicet *obligare imperando*, *obligare prohibendo*, *obligare permittendo*, & *obligare puniendo*, *ſeu pœnam imponendo*; quàm hæc omnia referre tanquam effectus legis: tùm quia effectus rigoroſè talis ſolum eſt ille, qui ex lege iam obligante in actu ſecundo producitur: tùm quia longè clarius percipitur, penè innumeros eſſe legis effectus etiam generales, qui non tàm dicendi ſunt reduci ad illa quatuor tanquam ad effectus primarios, vt Suarez intendit, quàm ex illis quatuor tanquam ex quatuor exercitijs proficiſci, v. gr. in lege d'vina inſtitutio, & gubernatio totalis, & partialis Synagogæ, & membrorum eius, quoad agenda, & vitanda: in lege Eccleſiaſtica cum nova Evangelica inſtitutionem totius eius ſtructuræ, & Sacramentorum; ne non gubernationem Monarchicam, & Hierarchicam per debitas perſonas, res, & actiones, quarum vnaquæque reſpectivè ſit effectus partialis illius legis, qui ad talem rē, vel actionem ſtabiliendam deſtinatur. Et in lege Civili taxatio pretij, forma contractuum, & ſimiliter tota collectio rerum, actionum, & perſonarum, quæ legislatione ſtatuuntur, & diriguntur: in quo ſenſu actus præceptus dicitur effectus legis, quia cum lex cauſet in genere cauſæ moralis, id dicitur legis effectus, quod lex per ſe intendit; ſecus verò peccatum, quod contra intentum legis patratur. In lege verò quæ quoad impunitatem permittit malum, tale malum non eſt effectus legis: quia lex per ſe tendit ad impediendum peiora, & hæc impeditio eſt effectus talis legis, quæ quantum eſt ex ſe vellet illa peiora, nullo alio malo interveniente, impediri; quando autem non niſi per aliud malum minus impeditur, tùm lex id non dirigit, ſed tolerat, eo quod non tenetur illud impedire. Et ni fallor, hac ſtructurà diviſionum benè retenta, plura alioqui obſcura clareſcent. Si verò ſciſciteris: quomodò obligatio in actu ſecundo ſit exercitium, ſi videtur eſſentiæ legis, quæ definitur *ordinatio rationis promulgata*, & in promulgatione ſtat obligatio in actu ſecundo? Reſpondeo promulgationem dici de eſſentia legis obligantis in actu ſecundo: quia ipſa eſt ratio formalis conſtituens legem obligantem in actu ſecundo; ſed tamen *promulgari* propriori Logico ſe habet ad *obligare in actu ſecundo*, ita vt ex illa eſſentia oriatur tale exercitium. Ratio verò quare promulgatio ponatur in definitione, licet ſine illa, vt ſupra tetigi, ſalvetur quidditas legis; ideo eſt quia communiter ſolet definiri lex vt res practica potiùs, quam vt ſpeculativa; & in praxi non niſi vt promulgata intelligitur. Quod ſi *obligare*, *impedire*, *prohibere*, *permi-*

*te-*

*tere, punire* dici ſolent effectus legis; id quidem eſt quaſi logicè, & exercite veluti actio eſt effectus ſui ipſius; ſecùs verò phyſicè: quoad *punire* verò diſtingui poteſt: quia interminatio pœnæ eſt ipſum exercitium legis pœnalis; inflictio verò ipſius eſt propriè effectus; non ſecus ac præmium in lege præmiante. Quo circa reſumo iam illam duplicem diviſionem, quæ rem declaret. Prima eſt diviſio generis in ſpecies ſic lex, *alia æterna, alia naturalis, alia Divina poſitiva, alia humana.* Alia eſt diviſio ſubiecti in accidentia ſic lex, *alia imperans, alia prohibens, alia permittens, alia puniens,* ad quam reducitur præmians. Imperans, & prohibens ſunt affirmativa, & negativa: permittens, & præmians convenit cum privilegio quando hoc fertur communitati perpetuò. Puniens eſt lex, quæ dicitur pœnalis, quarum alia purè talis, alia mixta ex morali, ſeu mores ſtatuente, & pœnali, quia pœna indicitur ſimul. Lex dœmum pœnalis vltra obligationem in conſcientia, quæ eſt vis directiva, gaudet vi coactiva pœnæ impoſitæ: & idem dici poteſt quodammodo de lege præmiante, quæ præmium addijcit.

13 Rogabis 2. Quas mutationes poſsit lex habere generatim loquendo? Reſp. & dico primo. Legem quidem ex natura ſua ferre perpetuitatem; ſed cum lex ſit eſſentialiter relativa ad Legislatorem, ſubditos, materiam circa quam, & finem propter quem; poteſt de quolibet ex his capitibus ei mutatio advenire, prout in legibus particularibus paſsim occurrit. Vnde primo: quandoque legem ad determinatum tempus ferri continget; & non ideò deſinet eſſe perpetua: quia videlicet materia, vel finis talis legis amplius non eſſent duratura: & id quod ambit omnem durationem rei, circa quam verſatur, meritò dicitur eſſe perpetuum circa ipſam. Secundo. Circa mutationem legis æternæ, cum hæc ſubiectivè in ſe ſit immutabilis, ſolum poterit mutabilitas ex parte obiectorum aliquando expendi, aut diſcurri ad eum modum, quo Theologi per mille vias ſatagunt decretum Dei liberum conſtituere, vt divinæ immutabilitati nihil officiant. Tertio. Mutatio legis poteſt contingere, quia ceſſat materia vel ceſſet finis, & tunc lex deficit ceſſatione in toto, vel in parte prout materia, & finis defecerint. Ex parte verò Legislatoris poteſt advenire mutatio, vel per totam revocationem legis reſpectu omnium, vel per partialem diſpenſationem reſpectu alicuius, lege tamen manente; vel per meram ſuſpenſionem ad tempus. Quarto. Lex poteſt deficere abrogatione, quæ diſtiuguitur à revocatione, tùm in eo quod hæc poſtulat actum poſitivum Legislatoris, ſecùs illa; tùm in eo quod ſubditi legem revocare non poſſunt, benè tamen per conſuetudinem abrogare. Derogare verò alicui legi vel eſt ex parte, vel quando lex legi ſuccedit, & prima irritatur: quæquidem irritatio, ſi fiat per meram annullationem, vel caſſationem legis prioris, hæc dicitur mortua; ſi verò talis irritatio fiat per abrogationem inſuper prohibitivam talis legis; hæc dicetur mortifera, ita vt iam eius praxis importet crimen. Vnde lex à materia, & fine ceſſat; à Legislatore, vel ſubditis abrogatur; à lege novà ſuccedente derogatur. Quinto. Permiſsio circa rem legis, ſi ſit ſolum quoad impunitatem neque diſpenſat legem, neque aufert malitiam rei contra ipſam. Si verò ſit quoad licitudinem operationis diſpenſatio eſt. Ea verò, quæ à ſuperioribus ſeu Prælatis dicitur licentia, ſeu facultas operandi non eſt diſpenſatio; quia hæc tollit obligationem legis reſpectu perſonæ cui diſpenſat; licentia verò, v.g. ad aliquid faciendum quod regula interdicit, niſi de authoritate Prælati; nullam obligationem tollit, ſed potius operari cum illa licentia, eſt legem implere. Sexto. Interpretatio legis, neque eſt diſpenſatio, neque

mu-

mutatio legis. *Non primum*, quia non tollitur per eam aliqua obligatio quæ verè extiterit, ſicuti fit per diſpenſationem, ſed merè declaratur, talem obligationem non extitiſſe, neque imperium Legislatoris ad illum caſum, vel perſonam fuiſſe protenſum. *Non ſecundum*, quia ex dictis lex manet, prout fuit ab initio, & ſolum vel per ſapientiam Doctorum, ſi interpretatio eſt doctrinalis, vel per declarationem iuridicam ſi interpretatio eſt authentica innoteſcit germanus ſenſus legis. Quod ſi Epikeia, quæ eſt ſpecies interpretationis, dicitur *emmendatio legis*, non ideò eſt, quia legem partim immutet; ſed anima legis, quæ eſt ſententia Legislatoris integra perſeverat; & ſolum verba legis, quæ ſonant aliquid caſui vel perſonæ contrarium, per interpretationem corrigi dicuntur, ne tunc exterius ſonent, & ſignificent id, quod verè pro eo caſu, vel perſona eſſet præter, vel contra mentem Legiſlatoris. Et hæc de omnibus, quæ circa legem in communi libaſſe, & attigiſſe oportebat, vt ad leges in ſpecie melius attingendas, ſit via proclivior.

JHS.

# QUÆSTIO QUINTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

LEX, QUÆ EST IN ÆTERNUM. *Baruch. 4. verſ. 1.*

### ARTICULUS.

### *UTRUM LEX ÆTERNA SIT VERE, ET PROPRIE LEX?*

1 SUppono 1. Triplex genus actuum poſſe conſiderari, circa quos, veluti materiam, verſari poſsit lex æterna, ſcilicèt, vel actus ipſius Dei, vel ad intra, vel ad extra operantis. Deinde actus creaturæ rationalis Angelicę, ſivè humanæ, & actus etiam creaturarum irrationalium: pro his enim omnibus ſua ratio militat dubitandi. Nam circa Deum, cùm lex idem eſſe videatur ac prima rectitudo; hæc profectò deeſſe nequaquam poteſt in omnibus Dei operationibus, & productionibus, ſivè illæ ad intra fint, ſivè ad extra. Circa tertium, & circa tertios actus creaturæ irrationalis etiam videtur, quòd hoc inſigne opificium totius mundi, quemadmodum non ſine rectiſsimis menſuris diſpoſitum, & coagmentatum eſt quoad omnes ordines, & motus creaturarum; ita dici nequit, nulla legislatione eſſe factum: proindeque non niſi ſub æterna lege diſpoſitum: atque ita id dicunt D. Thomas 1. 2. *quæſt. 93. art. 4. & 5.* Et D. Auguſtinus *lib. 1. de Libero Arbitr. cap. 5. & in lib. 83. quæſtion. quæſt. 27.* Circa ſecundum, vel ſecundos actus, ſcilicèt, creaturæ rationalis, etiam videtur lex æterna verſari, ſiquidem in primis iuxta Auguſtinum peccatum eſſe dicitur *dictum, factum, vel concupitum contra*

*legem*

*legem æternam*: cumque proinde omnes actus humani videantur iudicio rationis dirigendi; & hæc lex, mentibus impressa, non nisi participatio quædam sit legis æternæ; id circo hæc, cuius existentia negari nequit, in disputationem cadit. *An videlicet ea, quæ legis sunt essentialia in se verè contineat?*

2 Suppono 2. Rationem dubitandi in eo stare posse, quod ex vna parte sit verè difficile negare essentialia legis illi, vnde cæteræ leges rationem talis participant: siquidem fortius dici videtur proloquium sic immutatum. *Vnde vnum quodque est tale, & illud magis*: causa enim efficiens etiam suum esse communicat. Ex altera verò parte cum lex videatur essentialiter poscere, & subditos, & promulgationem; & hæc ab æterno non fuerint, non poterat de ipsis esse lex ab æterno; omnis autem lex, quæ extiterit ab æterno proculdubio æterna est.

3 Suppono 3. Legem æternam debere distingui à divinis ideis, quas in Deo Theologi confitentur. Ratio est: quia idea potius est res speculativa, & rerum possibilium, & creabilium; vel si mavis, est dumtaxat ratio practica in ordine ad dandum primum esse rebus, quarum est idæa; secus vero in ordine ad conservandum tale esse rerum, & eas destinandas ad suos fines: quare idæa magis videtur dicere correlationem ad omnipotentiam creatricem; lex verò æterna magis ad providentiam gubernatricem, & conservatricem: atque, licet etiam videatur, Deum ad creationem non processurum esse sine legislatione; attamen hæc non est sola idæa, quæ dumtaxat versatur circa possibilia, aut creabilia; non autem circa creanda: vnde non importunè observat Suarius distinctionem etiam intervenire inter idæam, & exemplar, ita vt illa sit quædam notio speculatrix de rebus sic, vel aliter factibilibus, vel combinabilibus; exemplar verò sit notitia, vel ratio practica dictans de opere sic determinatè faciendo, vel coordinando; ad qnem modum lex æterna, pro vt contrapositа ad idæas divinas potest considerari non quidem ex ea parte, quam *formaliter* importat lex æterna, quę nimirum dicit æternam volitionem omnis recti; sed ea parte, quam lex æterna dicit essentialiter *præsuppositive*, scilicet rationem divinam non solum rectè agibilium, sed rectè agendorum.

4 His positis prima sententia asserit legem æternam, licet verè detur non tamen habere prædicata legis. Ita sentit Iacobus Platelius *part. 2. cap. 4. §. 3. num. 384.* Quod videtur sentire etiam Medina apud Suarium *de leg.* Secunda sententia asserit in Deo dari duas leges æternas ratione distinctas vnam propriè dictam, proprie obligantem, qua regit creaturas ratione præditas, aliam impropriè dictam, & impropriè obligantem, qua regit reliquas creaturas. Ita Salas *de Legib. tract. 14. disp. 4. sect. 1.* Qui pro se affert Valentiam *disp. 7. quæst. 3. punct. 1.* Vazquez *1. 2. quæst. 91. art. 1.* Tertia sententia ait dari unam legem æternam verè talem. Ita D. Thom. *1. 2. quæst. 91. art. 1. & 93.* per totam cum Caietano, Soto, & alijs. Vicentius Bellovacensis *in Speculo Morali part. 2. dist. 1.* Antoninus *1. part. tital. 11. cap. 1. §. 4.* Turrecremata, Alensis; necnon D. Augustinus, & Cicero apud, & cum Suario *lib. 2. de Legib. cap. 1.*

5 Sit mea conclusio. *Datur lex æterna quæ sit verè, & propriè talis consistens formaliter in actu divinæ voluntatis, æternæ sapientia essentialiter præsuppositivè se habente.* Probo conclusionem per partes, & in primis primam de eo quod detur lex æterna verè, & propriè talis. Probatur hæc pars 1. ab authoritate ex D. Augustino *lib. 22. contra Faustum, cap. 27.* vbi ait: *Legem æternam esse rationem, vel voluntatem Dei, quæ rerum ordinem servari iubet, perturbari vetat.* Ex D. Antonino *1. part. tit. 11. cap. 1. §. 4.* ibi: *Lex æterna*

*eſt ſapientiſsima ratio voluntatis Dei prout ordinat omnia in debitos fines ſuos.* Ex D. Thoma *quæſt.* 93. *art.* 1. vbi ait: *Legem æternam eſſe rationem divinæ ſapientiæ quatenus eſt directiva omnium actuum, & motionum cum quadam neceſsitate, & obligatione.* Item *quæſt.* 91. *art.* 1. *ad* 1. ibi: *Ipſe conceptus æternus divinæ legis habet rationem legis æternæ ſecundum quod à Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipſo prægnitarum.* Tandem ex Cicerone, qui *lib.* 1. & 2. *de Legib.* Talem legem æternam explicat, & à priſcis philoſophis traditam recognoſcit, aitque: *Hanc video ſapientiſsimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod vniverſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem illam legem, & vltimam mentem eſſe dicebant omnia ratione cogentis, aut vetantis Dei.* Atque ex Platone in Timæo, & *Dialog.* 10. *de Legib.*

6 Probatur 2. à ratione eadem pars ſic. Eſſentia legis formaliſsimè conſiderata, & præſcindendo ab eius exercitio, & praxi, nihil eſt aliud, prout ex ſuperioribus conſtat in præcedenti, *quæſt.* quàm *ſtatutum ſuapte natura perpetuum ad commune bonum communitatis à legitimo Principe proviſum.* Sed hæc omnia inveniuntur formaliter in lege Dei æterna: ergo eſt verè, & proprie talis. Maior videtur clara iuxta id, quod diximus *in quæſt. præcedenti*, vbi explicuimus promulgationem ſolum eſſe de eſſentia legis, prout obligantis in actu ſecundo, & quoad eius exercitium, & praxim; non verò abſolutè, ſiquidem invenitur lex complete talis quoad eſſentiam ipſius, licèt in actu ſecundo non obliget, vt eſt voluntas Principis iam Senatui, vel Prætori intimata ad promulgationem. Minor probatur expendendo definitionem. Nam in primis lex æterna eſt *ſtatutum*, prout coincidit cum decreto Dei, vt infra videbitur. Deinde eſt à ſupremo Legislatore cum reſpectu ad bonum vniverſi, & bonum vniverſum. Poſtremoque eſt ita perpetuum, vt ſit æternum, & ad communitatem creaturarum, vt patet, reſpiciens: nam ipſum decretum de productione creaturarum ſub tali ordine numero, pondere, & menſura concomitanter eſt lex æterna ipſarum: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Quia in Deo debet poni aliqua lex verè talis ex attributo divinæ Prouidentiæ, & gubernatione vniverſi iuxta Boetium 3. de Conſolatione. *O qui perpetua mundum ratione gubernas.* Sed talis lex, vtpotè immutabilis eſt æterna: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Lex divina ad extra hominibus in vtroque teſtamento intimata non poteſt non oriri à verâ ratione legis exiſtente ad intra ipſius Dei. Sed hæc eſt æterna: ergo, &c. *Confirmatur* 3. Omnis lex humana vim habens ligandi liberum arbitrium humanum id non poteſt habere niſi per participationem à ſuprema quadam lege per eſſentiam: ſed hæc nequit eſſe niſi lex æterna: ergo, &c.

7 Probo iam ſecundam partem concluſionis, quod ſcilicèt conſiſtat in actu voluntatis divinæ. Primo. Ab authoritate Damaſceni *lib.* 2. *de Fide, cap.* 12. ibi: *Hoc autem vocabulo oportebat nihil aliud à me indicari, quàm opificis voluntas. Hac enim, nec lex, nec Sanctio vlla congruentior fingi excogitarive poteſt.* Tùm ex Auguſtino *lib.* 2. *de Civit. cap.* 19. ibi: *In cæleſti, & Angelica curia voluntas Dei lex eſt.* Et ex verbis ſupra contra Fauſtum: *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens ſeu perturbari vetans.* Tùm ex D. Thoma, vbi ſupra: *Æternus divinæ mentis conceptus habet rationem legis æternæ ſecundum, quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipſo prægnitarum. Quæ ordinatio voluntatis eſt.* Probatur 2. à ratione eadem pars. Tùm quia lex æterna verſatur circa rectum ordinem omnium operum ad extra. Sed omnia opera ad extra Deo ſunt libera: ergo & lex æterna libera eſt, & ad voluntatem ſpectat.

tat. Secundo. Quia legislatio æterna formaliter in eo ſtat, quòd omnia creata regantur ex voluntate Dei ordinatiſsima : ergo lex ipſa nequit non eſſe huius divinæ voluntatis actus. *Confirmatur.* Quia lex æterna ad omnia opera ad extra ſe extendens eſt legislativa, ad diſtinctionem legum temporalium, quarumcumque creaturarum etiam irrationalium in ordine ad ſuos motus. Sed hæc legislatio potius voluntatis divinæ eſt quam intellectus: ergo, &c. Minor patet : quia eiuſmodi legislatio potius, quàm per locutionem fit per operationem impreſsivam in creaturis ſuarum inclinationum, & motuum. Sed operatio huiuſmedi potius attinet ad voluntatem, à qua immediatius quam ab intellectu provenit operatio: ergo, &c. *Confirmatur* 2. In illa lege *Proverb. 8. Et legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos* innuitur quædam impreſsio, & inclinatio aquarum, vt in ſuo loco quieſcant, ne vltra metatum eant, & exiliant. Quæ etiam intelligenda veniunt etiam de rationalibus quando neceſſariò, & per modum naturæ operantur ex illo Auguſtini *lib. 83. quæſtion. quæſt. 27. In ſola bona voluntate ſecundum legem agimus; in cæteris autem ſecundum legem agimur; cum lex ipſa incommutabilis maneat.* Tertia autem pars concluſionis, ſcilicèt, quod æterna ſapientia, & ratio eſſentialiter præſuppoſitivè ſe habeat ad actum legis æternæ ſatis eſt manifeſta. Tùm quia rectiſsima iuſsio Dei nequit eſſentialiter non procedere ex prænotione omnis rectitudinis, quæ eſt æterna ratio : tùm quia id eſt, quod ſignificat D. Thomas, dum ait: *Quod conceptus æternus habet rationem legis prout ordinatur ad gubernationem rerum præcognitarum*, quaſi dicat Magiſter Angelicus : *Tota prænotio omnis rectitudinis rerum, quæ eſt in mente divina, in legem æternam tranſibit, cum Deus ipſam rebus omnibus imprimendam iuſſerit* : Vbi patet, quod tota quidditas legislativa ſtat in iuſsione, vel actu divinæ voluntatis transferente rectitudinem ſpeculativam ad praxim.

8 Obijcies 1. Per nos lex formaliter eſt actus imperij. Sed hic æternus eſſe non poteſt : ergo nec lex. Minor probatur. Quia ab æterno non ſunt ſubditi, quibus imperaret, ſed ſolum ipſe Deus, qui paſsivę legislationis eſt incapax: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Nec divinum dominium, iuriſdictio, vel gubernatio ſunt ab æterno, quia concernunt exiſtentiam creaturarum. Atqui lex ſe habet ſimiliter : ergo, &c. *Confirmatur* 2. Promulgatio eſt de eſſentia legis verè, & formaliter talis : ſed ab æterno non eſt promulgatio legis: ergo neque lex æterna. Ad hoc argumentum, reſpondeo diſtinguo maiorem, actus imperij *ſumpto imperio pra divina volitione*, & *decreto diſponente*, concedo maiorem, *ſumpto imperio pro ipſo decreto vt intimato*, & *promulgato*, nego maiorem, & reſpectivè diſtincta minori, nego conſequentiam. Itaque actus imperij ſuapte natura ferre videtur nedum volitionem ſuperioris, ſed inſuper ipſam intimationem ſubditis: quia, ſicuti præcisè loquendo, quando Rex cum ſuo Secretario voluntatem ſuam explicat, & ſubſcribit, verè dicitur legem condere ; ita quando talem legem intimat, & promulgat dicitur præcisè, & rigoroſè, quòd imperat : quare imperium vt tale nedum dicit eſſentiam legis completam in eſſe talis, ſed vlterius eam, vt in actu ſecundo obligantem : quare imperium vt tale poſtulat actuales ſubditos, & conſtituitur per actualem relationem ad illos, eodem prorſus modo ac dominium, iuriſdictio, & gubernatio eos actu poſtulant. Lex verò æterna quidditativè ſumpta non eſt huiuſmodi ; ſed tantummodo poſtulat ſubditos aliquo tempore futuros, vt ab æterno ſit vera, propria, & æterna eorum lex eò modo, quo, ſi Princeps volens condere civitatem, antea formaret leges ipſius; verè eſſent leges talis civitatis, licet vſque ad eius ædificationem in

actu

actu secundo non obligarent. Ex quibus patet responsio ad primam confirmationem. Secunda confirmatio rem attingit nobis minus operosam, sed pluribus AA. ita arduam, vt ægrè se expediant, eò quòd putent promulgationem attinere ad ipsam quidditatem legis, vt præcisè talem, & non ad eius exercitium, vt nos defendimus: quare alij minus propriè sustinent legem æternam, confundendo eam cum idæis Deum præcisè dirigentibus ad operandum ad extra; non verò eam sustinent, vt legem actuum humanorum, originemque legum cæterarum. Alij cum D. Thoma recurrunt ad promulgationem in verbo Dei factam, vel in libro vitæ æterno: quæ omnia explicatu sunt difficilia: & veniendum tandem est ad fatendum, rationem legis de se solum postulare vim ligandi, licet actu non liget, prout respondet Alensis ex Isidoro *lib. 2. Ætimolog.* necnon manus dat Suarius secum trahens D. Thomam *lib. 2. de Legib. cap. 1. num. 11.* ibi: *Ex hac verò doctrina D. Thomæ apertè concluditur iuxta mentem eius de ratione huius legis æternæ non esse promulgationem actu factam subditis, sed sufficere, vt ex parte Legislatoris, iam sit facta pro suo tempore. Et re vera idem fuit sensus Alensis, & mihi videtur verum.* Hucusque Suarius, qui tamen adhuc conatur pro legibus ab æternà distinctis introducere promulgationem tanquam de essentia legis etiam Scholasticè sumptæ, eo quòd videat in eius diffinitionibus promulgationem apponi. Cæterum cum supra dixerim AA. tàm Theologos, quam Canonistas tractare de lege valdè communiter sub consideratione politica, potius quam Scholastica; idcirco promulgationem, ad gubernationem proculdubio essentialem, inferere non dubitarunt; sed verò stat integra essentia legis, vt sæpè dixi, quin ipsa promulgetur, & obliget in actu secundo: vnde patet responsio ad secundam confirmationem.

9 Obijcies 2. Si daretur aliqua lex æterna verè, & propriè talis; hæc foret absolutè, & simpliciter necessaria. Sed nulla lex per se est, & absolute necessaria: ergo non datur lex æterna verè talis. Maior patet: quia omne quod æternum est, est simpliciter necessarium, & immutabile. Minor etiam patet, quia omnis lex per se loquēdo est actus cotingens contingenter à Legislatore procedens, qui potuit pro sua libertate legem ferre, vel secus. Ad hoc argument. respond. disting. maior. esset simpliciter necessaria *quoad an est*, & in existendo concedo maiorem, *quoad ad quid est* nego maiorem, & distinguo minorem, nulla lex per se est necessaria, *quoad quid est* conced. minorem, *quoad an est*, & in existendo nego minorem, & consequentiam. Itaque quod probat argumentum est legem debere esse quoad quidditatem suam, & naturam decretum liberum, contingens, manans à Legislatore potente legem ferre, vel secus, & hoc verè existit in lege æterna, quæ per nos est decretum liberum Dei, & contingens vtpotè directum ad opera ad extra ipsius Dei, quæ libere ipse produxit; per id tamen non tollitur, quod talis lex sit necessaria, & æterna ideſt ab æterno existens, quia ab æterno etiam existit eius Legislator eam producens: sicuti neque quod sit immutabilis, ita vt ab æterno lata, mutari nequaquam possit: non secus ac quodlibet decretum Dei liberum, & contingens est etiam æternum, & immutabile eo modò, quo id explicāt Theologi ad tractatum de voluntate.

10 Obijcies 3. Si daretur talis lex æterna verè, & propriè talis esset regulativa actuum divinorum liberorum, sivè moralium, sivè artificiosorum in ordine ad opera ad extra. Sed etiam quoad hos actus lex æterna non potest actus divinos regulare: ergo non datur. Maior videtur certa, tum quoad actus liberos honestos: quia Deus in actibus liberis suis rectissimè

opera

operatur, v.g. implendo promissa, vel loquendo, & revelando vera: quia in ijs se gerit secundum rectissimam rationem dictantem ea esse honesta, & recta. Atqui talis rectissima ratio in Deo propria est, & non aliena: ergo, &c. Tùm in actibus artificiosis, & operatorijs ad extra. Quia Deus in illis etiam se gessit secundum rationem sapientissimam, sibi dictantem, hunc mundum potius hac structura, his ordinibus motuum, & effectuum, atque causarum, talibus classibus personarum potius quam alijs constare debuisse: ergo, &c. Minor probatur: Tùm quia Deus superiorem non habet, à quo lex ipsi imponatur, neque respectu ipsius aliquid est malum, quia prohibitum. Tùm quia actus ipsius Dei, sivè in linea morali, sivè in artificiosa sunt ipsissima rectitudo, ita vt posita quacumque prohibitione rei, si per possibile Deus illam suo actu decerneret, esset bona: ergo, &c. Confirmatur ex authoritate, tùm D. Thomæ 1. *p. q.* 21. *art.* 1. *ad* 2. ibi: *Impossibile est Deum velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet: quæquidem est sicut lex iustitiæ, secundum quam eius voluntas recta, & iusta est*: ergo si datur vera lex æterna debebimus dicere, quod Deus non nisi ex vera lege sibi præscribente operatur.

11 Ad hoc argumentum, respondeo negando maiorem loquendo de lege æterna verè, & strictè tali, de qua nihil evincunt probationes infra subiunctæ, tàm circa actus divinos honestos, sivè morales, quàm circa actus quasi artificiosos ad extra, & de linea physica: siquidem præcisè probant ante vtrosque actus antecessuram esse æternam rationem divinæ sapientiæ ostendentem rectitudinem vtrorumque actuum, eò quòd etiam in divinis propter præcedentiam virtualem intellectivi ad volitivum nihil sit volitum, quin prægnitum: quo præciso, vt ait Suarez *lib.* 2. *de Legib. cap.* 2. *num.* 7. Omnis divina volitio, vtpotè ab essentiali bonitate dimanans per se recta prodiret, ita vt si per possibile, vel impossibile voluntas divina prodiret in actum sine prævia notione divinæ sapientiæ non prodiret nisi rectissimè. Quod verò vt ait D. Thomas velle non possit nisi secundum quod ratio suæ sapientiæ habet; non tàm provenit ex indigentia notitiæ, quàm ex natura divini esse, quod tam simpliciſsimam concordiam circa omne rectum habet inter intellectum divinum, & voluntatem, illo semper virtualiter præcedente. Vnde quamvis in nobis possint aliquo vero modo lex dici dictamina prælucentia nobis ad operandum; idcirco est; quia ipsa dictamina sunt quasi lex portatitia, & interna notificatio illius legis divinæ aut humanæ, iuxta quam sumus operaturi; in Deo verò ea dictamina cuiuscumque recti tali munere non funguntur; nec per se sunt vllatenus practica, sed purissima speculatio omnis recti, eo quòd sola divina voluntas à se ipsa moveatur ad rectam operationem: quippè quæ nullius alterius, sicuti nos, est sequutura vestigia. Ex quibus patet quomodo nullus locus detur, vt ratio divinæ sapientiæ, & eius dictamina sint quasi lex naturalis ipsius Dei ad operationes. Igitur multo minus posset Deus ipse sibi esse lex positiva modo quo nostra voluntas quandoque sibi legem facit supra se reflectendo, & vno actu alterum imperando: eatenus enim nos ipsi vno actu nobis legem imponimus ad alium actum, quatenus voluntas nostra non est domina rectitudinis; vnde quando velimus aliquem nostrum actum non deviare à lege; voluntatem nostram alio actu priori, qui propositum, dicitur, & quandoque votum, voluntatem nostram magis cingimus, & religamus vt à recto non deviet; immo etiam prior ille actus lex non est nisi intimativè, quatenus pressius trahit ad nos voluntatem legislatoris. In Deo autem hæc non habent locum: quia sua voluntas ita est domina totius rectitudinis in operando, vt

licèt aliquid decerneret, si postea ageret contra suum decretum (per impossibile loquendo) etiam rectè ageret si quidem hæc impossibilitas in Deo operandi contra decretum suum non tàm est de linea moris, quatenus non obediret legi suæ per prius decretum impositæ, quàm huius tenoris, quatenus nequit habere ab æterno duo decreta efficacia, & contradictoria, & quia immutabilis est essentialiter. Vnde nascitur quod contra cursum rerum seu legem, & potentiam ordinariam in iis, in quibus non adest promissio, potest aliter agere secundum potentiam absolutam: neque promissio eum ligat quasi lex positiva; sed ex rectitudine naturali, quæ resultat in tali obiecto ex vi promissionis. Quare concluditur, quod lex æterna respectu Dei potest dici talis exercitè, quatenus ipso exercitio iubendi, & volendi Deus vult, & iubet omnem rectitudinem; non autem signatè quatenus detur in ipso aliqua legislatio circa suos actus. In illis verò qui artificiosi dicuntur, dici potest dari rationem legis solum respectu rerum gubernatarum, vt benè Suarius vbi suprà cum D. Thoma *art.* 4. *ad* 1. Ad confirmationem, & superiora etiam fulcienda ipse Doct. Angelicus sibi respondet dum subdit. Vnde quod secundum suam voluntatem facit iustè facit, sicut, & nos quod secundum legem facimus, iustè facimus; sed nos quidem secundum legem alicuius superioris; Deus autem sibi ipsi est lex.

12 Obijcies 4. Lex æterna versatur etiam tanquam circa materiam circa creaturas irrationales: sed circa has solum, potest esse lex impropriè talis, & methaphoricè: ergo, &c. Probo maiorem postea probaturus minorem: tùm quia D. Augustinus *lib.* 83. *quæstion. quæst.* 27. ait: *Lex inconmutabilis omnia mutabilia pulcherrima moderatur gubernatione.* Et etiam *lib.* 1. *de Libero Arbitrio cap.* 5. & 6. Tùm ex D. Thom. *quæst.* 93. *art.* 4. & 5. idem dicente. Tùm quia si lex æterna est æterna volitio, & iussio de omni opere ad extra sub tali ordine producendo; etiam de hoc placito libero omnes creaturarum motus proficiscuntur. Probatur minor. Tùm *ex cap. Mulierib.* 15. *quæst.* 1. sumpto ex Augustino *quæst.* 74. in Leviticum, & *ex Paulo* 1. *ad Corinth.* 9. vbi ait: *Numquid de Bobus cura est Deo.* Tùm quia omnis lex debet esse circa actus liberos, quorum non est capax creatura irrationalis. Confirmatur. Quidquid à tali lege æterna regulandum est, à divina providentia peragitur: ergo ab ea talis lex non distinguitur. Antecedens patet ex Augustino *lib.* 5. *de Civitat. Dei cap.* 11. vbi ait: *Nihil esse in vniverso, quod sit alienum à legibus divinæ providentiæ*: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo distinguendo maiorem lex æterna secundum physica, vel physicè sumpta se extendit ad omnes creaturas, concedo maiorem, secundum moralia, seu moraliter sumpta, nego maiorem, & distinguo minorem: lex secundum physica, & physicè sumpta, nego minorem, secundum moralia, seu moraliter sumpta, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque dupliciter potest considerari lex, vel secundum moralia, quæ respicit, nimirum, prout ad gubernationem communem, aut privatam dirigitur, & hæc est illa vsurpatio, per quam lex quasi antonomasticè sumi solet; eo quod omnia quæ circa hominum genus differenda sint; per legem moraliter sumptam expediri debeant. Deinde considerari potest lex in toto Scholastico rigore secundum ea, quæ sibi sunt essentialia, & sub hac consideratione etiam se extendit ad regulandas omnes impressiones naturalium causarum, non quidem dirigendo inter bonum, & malum, inter liberum, & liberum; sed inter excessum, & defectum: taxando videlicèt omnibus causis etiam necessarijs suos motus in eo gradu, sub quo ad fines debitos res vnaquæque perveniat, & ideo dicitur,

tàm

tùm quòd Deus legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, tùm quod omnia fecit in numero, pondere, & menſura: quæ verba dicunt legislationem phyſicam. Quorum omnium ratio à priori eſt: quia tota definitio legis ſine alicuius verbis impropriatione convenit legi æternæ, etiam quo ad phyſica: definitio enim eſt *ſtatutum de ſe perpetuum ad bonum alicuius communitatis deſtinatum*: lex autem æterna eſt decretum ſivè ſtatutum Dei perpetuum deſtinatum ad bonum commune phyſicum etiam (quod propriſsimè bonum eſt) alicuius communitatis, etiam phyſicæ, quia verè communitas eſt in creaturis etiam irrationalibus; & quandoque penè ad ſtuporem, vt in republica apum, & formicarum: ad quas interdum vt ad magiſtras hominum remittit Spiritus Sanctus. Non ergo claudicat ex parte materiæ lex æterna, quominùs propriè talis eſſe cenſeatur.

13 Ad confirmationem, reſpondeo: diſtinguendo antecedens, per actus divinos à lege æterna diſtinctos, concedo antecedens per ſolam legem æternam, quæ providentiæ nominetur, nego antecedens, & conſequentiam. Itaque quamvis Div. Thomas *quæſt. 93. art. 1. & 4.* cum D. Auguſtino, & *quæſt. 92. art. 2. ad 1.* videatur quodammodo identificare legem æternam cum providentia; nihilominus *quæſt. 3. de Verit. art. 1. ad 6.* clare eas diſtinguit dicens: *Providentia non nominat legem æternam, ſed aliquid ad eam conſequens.* Quod amplius explicans noſter Doctor Eximus, inquit: *Legem æternam per prius ſe habere quaſi prima principia, & providentiam inde derivari, quaſi concluſiones ex primis principijs deſcendunt*: Item, *legem æternam ſe habere quaſi prima principia, & providentiam quaſi prudentiam quæ de ſingularibus eſt, & ex primis principijs dimanat.* Quia videlicet Deus inſtructus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & media creaturarum concipit illam legem æternam, volitionem, aut decretum quo omnes creaturarum ordines ſub hac vel illa eſſentia, & determinata virtute ſunt producendæ, determinando cauſis neceſſarijs ſuas phyſicas impreſsiones, & motus in numero pondere, & menſura; & ſimiliter cauſis liberis quoad illas plures actiones quas naturaliter, ſine libertate operantur; quoad liberas verò, relinquendo eis ſuum liberum arbitrium, finitum tamen in operationibus ſuis, & iubendo ipſis conformitatem in operationibus ſuis cum divina voluntate. Exinde poſteà incipiunt in Deo actus divinæ providentiæ, quibus in particulari, & iuxta combinationes rerum, fieri poſsibiles, & motus agentium liberorum conditionatè prævisos pergit ad actus divinæ providentiæ, & decreta, ſivè circa ordinem naturalem, ſivè circa ordinem ſupernaturalem: quaſi nimirum, vt noſtro modo me explicem, prius res omnes intelligantur quaſi ſimpliciter, & in ſe, & in activitate ſua taxatæ, & poſtmodum ſubſequatur coordinatio, & bene diſpoſita gubernatio earum attemperata ſuis motibus, vt ad finem ſuum perducantur: ad eum modum, quo Deus in principio produxit mundum informem, & quaſi nova ſua elucubratione digeſsit, & ordinavit. Vnde apparet, quod providentia ſatis ratione diſtingui poteſt in Deo ab æterna lege: tùm quia lex æterna eſt quaſi ius perpetuum, & genericum de omnibus creaturis; providentia verò eſt cura ſingularis de ſingulis iuxta tale ius genericum coordinandis, & gubernandis, tùm quia providentia, vt talis formaliter conſtituitur per actus divinos intellectus, & voluntatis: viciſsim enim decreta, & ſcientiæ ſibi ſubalternata providentiam efficiunt. Cuius quidem providentiæ effectus dici poteſt permiſsio peccati; ſecus verò legis æternæ: nam lex æterna omninò illud reſpuit, & nunquam permittit: per quæ ſatis patet ad verba Auguſtini, & etiam patet cur creatu-

ræ

ræ irrationales tàm prodigiosa non raro operantur, quasi ratione prædita essent, longè minus errando, quàm rationalis homo cæcutire consueuit.

14 Obijcies 5. Si daretur lex æterna verè talis; nullus actus humanus esset qui per illam non regularetur. Sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor. Nam si lex æterna esset vera, & præcipiens, actus humani mere consiliati, & indifferentes tales esse non possent, vtpotè regulati præcepto. Sed plures actus humani sunt indifferentes, vel materia folius consilij: ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo distinguendo maiorem regularentur regulatione *legislativa*, concedo maiorem regulatione *præceptiva*, nego maiorem, & distincta respectivè minori, nego consequentiam, & suppositum probationis subsequutæ, scilicèt, quòd lex præceptivè regularet omnes actus morales moraliter humanos. Itaque, quemadmodum diximus ex doctrina legis in communi in quæst. de obligatione legis in conscientia, lex etiam quod exercitium potest esse imperans, prohibens, permittens, & etiam consulens, vt ibi explicuimus eo quod ex horum quolibet exercitio semper resultet aliqua obligatio in conscientia, v. g. ne impugnetur ab alijs, neque Iudices carpere possint id, quod in lege se habet per modum consilij. Quare lex æterna tanquam verè talis hæc omnia habet, quia præcipit præcipienda circa actus humanos; prohibenda prohibet; indifferentia permittit etiam quoad licitudinem; & consulenda consulit. In quibus res satis explicata apparet; quin opus sit adscribere legi æternæ vim præceptivam conditionatam, scilicèt, vel pro casu, quo sint necessarij; vel vt si fiant; tali modo fiant, prout ait Suarius: ita enim non salvantur facilè actus indifferentes in individuo ad quos ipse semper propendi. Neque enim æquum erat, vt lex æterna vrgeret subditos valde imbecilles iugo ita severo, vt omnes actus humanos, etiam circa sensibilia humanitùs factos vellet cogere, vt ad vltimum finem elevarentur; & non sinerentur aliqui de frequentibus cum suo fine proximo indifferenti inculpabiliter exerceri. Quod si D. Augustinus, inquit: *Nihil esse, neque in Cœlo, neque in terra, neque in inferno, neque peccando, neque benè operando, quod effugiat imperium legis æternæ.* Id intelligitur, non tàm de imperio præceptivo circa omnia, quàm ex eo quod lex æterna vires suas tàm latè protendit, vt etiam deserentes se, & legi Dei punienti semper subsint, & mille alijs ordinatissimis dispositionibus suis mire subserviant: ex D. Thoma *quæst. 93. art. 6.* Augustino *de Catbechizandis Rudibus cap. 28. & lib. 1. Confession. cap. 12. & in Enchirid.* vbi ait: *Quantum ad ipsos attinet peccatores, quod Deus noluit fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei nullo modo id facere valuerunt: hoc quippè ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius.*

15 Colliges 1. Quomodo comparentur divinæ ideæ cum lege æterna, quod iam supra insinuavimus, & D. Thomas confirmat *quæst. 93. art. 1.* Quia idææ propriè sunt circa productionem; lex vero magis circa gubernationem. Qui etiam dicit, idæas esse plures, & legem vnam. Quod ideò verum est, quia idææ cum sint de omnibus possibilibus involvunt plures collectiones rerum; lex verò vnam collectionem tantum rerum extituram ab initio mundi vsque ad finem; alioqui plures possent dici leges cum Augustino, & Suario sicut plures idææ. Colliges 2. Quid dicendum sit an Christus subiectus sit legi? Ad quod respondeo cum Salas *disp. 4. sect. 6.* ex D. Thoma *quæst. 63. art. 4. ad 2.* Quod in quantum filius Dei nulli legi subiectus fuit propter eandem voluntatem cum Patre. In quantum homo verò, tùm legi æternæ, tùm temporali subiectus fuit prout fusius attingit Salas loco citato. Colliges 3. Legem

æter-

æternam esse originem omnium legum, quæ ab illa participant rationem legis Proverb. 8. *Per me Reges regnante, & legum conditores insta decernunt.* Ex August. *lib. 1. de Lib. arbitr. cap. 6. Nihil est in temporali lege iustum, quod ex lege æterna non derivetur.* Est tamen advertendum, quòd lex æterna, loquendo de lege prout obligante in actu secundo, in quo clauditur promulgatio, nunquam per se obligaret immediate, nisi facta aliqua applicatione, & intimatione ad subditos, vel per legem naturalem de qua in sequentibus tractabimus, vel per legem divinam, vel per legem humanam. Et licet Suarius videatur ponere discrimen, quasi lex humana, vt humana obliget; secùs vero divina, nisi in quantum applicatio est legis æternæ; ego vero crederem facilè posse explicari, proportionatè loquendo, quòd lex æterna sit quæ obligat per tres applicationes harum trium legum sic. Primo immediatissima, & infallibilissima aplicatio huius legis fit per dictamina naturalia, & ipsum lumen rationis quod à Deo ipso proficiscitur, & plus, vel minus hominibus inclarescit, prout Deus magis aperit cuique splendorem rationis, & tenebras humanas longius propulsat. Ita vt, hoc lumen rationis, intimando indicet, & indicando, intimet, prout fusius postea. Secundò applicatur per legem divinam talis lex æterna, sed tamen temporaliter per Legislatores, vel declaratores talis legis æternæ aflatos Spiritu Sancto; sed declaratione temporali hoc est in tempore facta, & verbis ministerio humano propositis. Et propterea cum hic saltem per modum instrumenti humana se misceant solet esse minus clara per hanc applicationem (nisi Deo revelante, & illuminante) quam per lumen rationis quod clarius, & vniversalius illuminat. Tertiò applicatur per legem humanam, vbi, licet interveniat potestas humana; hæc si à divino iure venit, non nisi declarativa est æternæ legis; & si à populo venit, prout venire potest authoritas legum, & Regum; hoc nihil aliud est, quàm conventus, & conventio populorum in eo quòd vel Monarcha cum suis Consiliarijs, vel Respublica Aristocratica cum suis suffragijs, vtpotè sapientiores, declarent ipsis pro vnoqueque facto vim legis æternæ. Vnde conficitur, quod etiam lex humana nisi per vim æternæ legis non obliget.

16 Id tamen hic monere non desino, ne quemquam turbet illud dictum D. Thomæ 1. 2. *quæst. 91. art. 2. ad 3. in fine*, vbi loquendo de lege æterna, ait: *Vnde non potest dici lex nisi per similitudinem*: quasi propterea sentiat Angelicus Magister in irrationabilibus solum improprie reperiri legem æternam. Nam S. Doctor *quæst. 94. art. 2. in Corpore*, ait: *Et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit*, & alibi etiam satis ostendit *in quæstionib. de Leg.* quomodo ratio legis æternæ, & naturalis verè participetur à cunctis classibus creaturarum, gradatim tamen, quatenus in superiori gradu à creatura rationali participetur. Cumque lex sit quid rationis saltim præsuppositivè, & notificativè apud ipsum S. Doctorem; necnon in 1. 2. suscipiat legem maximè disputando in sensu morali, prout concernit conscientiam, præfatam divisionem legum in genere moris, vt divinam, & humanam; propterea in sensu comparativo vocat proprie legem eam, quæ imponitur creaturæ rationali; eam tamen quæ invenitur in irrationalibus solum vocat legem per similitudinem ad legem moraliter sumptam, eò quòd lex æterna à talibus creaturis licet verè participetur non tamen participatur rationaliter. Quæ omnia abunde confirmat ipsamet responsio D. Thomæ *ad 3.* nobis obiecta, vbi sic ait: *Ad 3. dicendum quod etiam animalia irrationalia participant rationem æternam suo modo: sicut, & rationalis creatura: sed quia rationalis*

*creatura participat eam intellectualiter, & rationaliter ; ideò participatio legis æternæ in creatura rationali proprie lex vocatur : nam lex est aliquid rationis ; vt supra dictum est , in creatura autem irrationali non participatur rationaliter : vnde non potest dici lex nisi per similitudinem.* Quæ confirmari etiam possunt ex ijs, quæ ipse S. Doctor affert *quæst. 92. art. 6.* legem fomitis explicando , & contradistinguendo legem naturalem canis à lege naturali ovis ea indagine semper profunda , quam S. hic Magister habere consuescit.

JHS.

# QUÆSTIO SEXTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

### UNA LEX OMNIUM. *Num. 15. vers. 29.*

### ARTICULUS.

### *UTRUM LEX NATURALIS VERE SIT PRÆCEPTIVA?*

1 SUppono 1. Legem naturalem esse eam quæ omnium est , & quæ sita est in natura rationali quamquàm diversimodè eam considerant ambo nostri Doctores Suarius , & Vazquius. Hic enim 1. 2. *disp.* 150. *cap.* 3. ait: Ipsam naturam rationalem secundum se sumptam, esse talem legem naturæ , atque fundamentum honestatis actuum humanorum , quatenus videlicet si ipsi naturæ congruant , & conformentur honesti sint ; si verò ipsi disconveniant , mali sint , & turpes. Ille verò *lib. 2. de Legib. cap. 5. num. 9.* sentit distingui oportere in ipsa natura rationali duo videlicet , vnum naturam ipsam secundum se , prout fundat talem sibi convenientiam seu disconvenientiam actuum humanorum, quod quid quasi innatum est ; alterum verò ipsam vim quasi elicitam talis naturæ in linea intellectiva , & discretivam inter operationes convenientes, aut disconvenientes ipsi naturæ ; & hanc secundam potius quam primam appellat Suarius legem naturæ. Neque ego puto eos in hac re valdè fore distantes, nisi fortè in ipso modo loquendi plusculum differant. Vazquius enim vix aliud dicere videtur , quàm quòd natura rationalis , vt rationalis est , sit fundamentum non merè subiectivum, sed quasi formale ; neque solum mensuram *cui* ; sed etiam *quæ* , vim legis habentem : quæ cum ab eo in natura rationali , vt tali ponatur ; perinde est ac si dixisset , vim rationalem , & rationis lumen esse totius rectitudinis, & malitiæ veram taxam , & regulam. Pro quo asserto stat Suarius cum communi Theologorum. Cum quo etiam nos præfatam suppositionem fulcimus, & amplectimur opinantes in ipso dictamine rationis , & lumine consistere legem naturę, tùm ex Scriptura Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui*

*tui Domine.* Et Paulo ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Tùm ex PP. Basilio, & Damasceno aientibus: *Conscientiam esse legem mentis nostræ.* Ex Augustino *lib.* 2. de Sermone Domini in Monte: *Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Ex Maximo *tom.* 5. Bibliothecæ: *Lex naturæ est ratio naturalis.* Tùm à ratione: quia legis est dirigere actualiter, & obligare: quod magis convenit lumini rationis, quam naturæ ipsi rationali quæ secundum se, neque præcipit, neque ostendit malitiam aut bonitatem. Et licet Vazquez pro ea stet, & videatur conari, pro priori ad iudicium rationis legem naturę explicari debere, vt servetur intrinseca bonitas, & malitia actuum; nihilominus hæc etiam servata conformius, & planius videtur lex naturæ in ipso rationis lumine collocari; licet etiam ipse Vazquez non neget aliam legem naturæ secundariam in ipso rationis lumine consistentem.

2 Suppono 2. Legem naturæ posse dici consistere, tàm in habitu luminis rationis, quàm in actibus ipsius, de quo solet etiam esse aliqua dissertatio inter Doctores: siquidem alij, vt Bonaventura, & Alensis existimant, consistere in ipso habitu luminis rationis habitualiter permanentis. Thomistæ autem, vt Caietanus, Sotus, & alij quos sequitur noster Salas putant, non nisi actus actualiter dictantes posse esse legem naturæ, eo quod legislatio sit imperium, & notificatio quædam actualis: atque quia si natura humana denudaretur ab omni habitu, non ipsi auferretur lumen rationis, prout est lex naturæ. Cæterum hoc dissidium ex mea sententia facili, & bona pace Suarius concordat, dum obseruat pro habitu luminis rationis non oportere intelligi quiddam naturæ rationali quasi appositum, & adiectum cuiusmodi solent esse alij habitus, sivè infusi, sivè acquisiti; sed ipsam vim intellectivam ipsius animæ rationalis iuxta nos cum ipsa identificatam, quæ nimirum, quia permanenter cum ipsa anima est, & quasi *habitualiter* in actu primo est in ea dictans; vel, vt ita me explicem, vis quædam est discretiva boni, & mali, dicitur ab AA. quod lex naturæ in ipso habitu luminis rationis consistit: vnde iam cadit illa consideratio anteà obiecta de spoliatione naturæ rationalis ab omni habitu. Sentit ergo eximius Doctor, lumen rationis dici, & esse legem naturæ, sivè quando in actu secundo iudicat, & imperat, sivè quando permanenter, & quasi per modum actus primi existit quasi seruatum, & quietum tale lumen rationis, potens proximè excitare in actu secundo hoc, vel illud dictamen de re facienda, vel amplectenda: ad modum quo lex dicitur aliqua positiva non solum quando actualiter promulgatur verbo, & indicitur; sed etiam quando in Tabulis asseruatur, & quiescit potens iterum atque iterum recitari. Neque ab his procul abest D. Augelicus 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 1. & D. Seraphicus Bonaventura *in* 2. *sentent. dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad vltimum.*

3 Suppono 3. Ex superiori explicatione legis naturæ prout ab AA. Thomistis explicatur, scilicèt, quatenus stat in ipsis dictaminibus actualibus rationis, & intellectus dictantibus *hoc esse secundum*; illud verò *fugiendum*, ortum habuisse illud imperium intellectuale ipsis familiarissimum, quod explicant dicendo *fac hoc*; & quo posito non poterit ab eo se disconformare voluntas quemadmodum liberè potest quamdiù per rationes allicientes, & retrahentes solum consurgit iudicium indifferens. Ratio est quia cum ex alia parte videantur communem sententiam Theologorum ponere legem naturæ in dictaminibus rationis dictantibus recta prosequi, & iniqua fugere, & aversari; & ex alia ægrè percipiant veram, & propriam ra-

rationem legis sine aliquo imperio, & iussione; ideircò in vnum trahunt imperium, & actum intellectus. Ego verò (quidquid sit de viribus efficacibus talis imperij intellectualis ad trahendum post se actum voluntatis) dicerem, quòd cum tale dictamen actuale intellectus ex D. Thoma sit quædam participatio legis æternæ, saltem secundum quod se habet essentialiter præsuppositivè ad illam; vel cum sit ex sua natura intimatio æternæ iussionis, & imperij divini; evadit quidem dictamen imperans, seu imperium intellectuale: veniente quidem vi indicativa, & notificativa ex natura rationali; vi verò imperante, ab æterno Legislatore: ad modum quo Notarius dum legem intimat, *iubemus*, inquit, *& imperamus* ipso dumtaxàt notificante: Principe verò aut Iudice intimante, & iubente.

4 Suppono 4. Hinc etiam posse inclarescere; quomodo inter se se habeant, & comparentur lex, & conscientia: varij enim PP. promiscuè pro eodem vsurpant vtramque, dum dicunt, hæc vel illa facienda, aut vitanda spontè nobis dictare nostram conscientiam. Quorum sensus plerumque esse poterit, quod nimirum aliqua sunt obiecta, & actiones, circa quæ fugienda, aut vitanda, secluſa quavis lege positiva, sola ipsa lex naturalis sufficiens sit ad formandam in nobis conscientiam practicam de eo quod *hic*, *& nunc* teneamur aliquid facere. Verum re subtiliter expensa, satis videntur inter se, vt ait Suarez, lex & conscientia discriminari. Primo. Quia lex est quoddam quasi ius generale de agendis; conscientia verò dicitur dictamen practicum de re particulari, aplicativumque legis generalis ad ipsam. Secundo. Quia conscientia, seu tale practicum, & particulare dictamen non solum cum lege naturali invenitur, sed etiam in divina, & humana; vnde latius patet quam lex naturalis. Tertio. Quia conscientia, & quidem etiam obligans, quandoque formatur ex lege pure existimata, vbi non est lex naturalis, vt est conscientia erronea. Quarto. Quia conscientia, vt talis etiam ad iam facta se extendit accusando, testificando, &c. lex verò solum circa agenda versatur. Hæc verò discrimina si lex sumatur pro actualibus dictaminibus, vt supra tetigi, non erunt tam perspicua, vt apparent, quin conscientia, & dictamen naturæ actuale confundi non possint.

5 Suppono 5. Ea quæ dicuntur de lege naturæ nedum intelligi debebere de ipsa quasi puris naturalibus relicta, & ab ordine supernaturali contra distincta; sed æquè intelligi debere de natura ipsa etiam gratia ornata, & desuper investita omnibus illis habitibus, quos secum gratia trahit vel acquirit. Ratio est quia cum ex doctrina Angelici Doctoris, vbi suprà, Pondus legis naturalis taxetur per inclinationes alicuius naturæ quasi innatum ad id quod bonum est ipsi naturæ; & natura etiam ornata gratia, & habitibus ita propendeat ad id quod est sibi bonum, & quidem excellentius; sub eodem tramite doctrinæ tractari debet. Vnde D. Tomas *quæst. 94. art. 3.* corpore sic ait: *Si igitur loquamur de actibus virtutum in quantum sunt virtuosi, pertinent ad legem naturæ: dictum est enim quod ad legem naturæ pertinet omne illud ad quod homo inclinatur secundum suam naturam. Inclinatur autem vnumquodque naturaliter ad operationem sibi conuenientem secundum suam formam.*

6 His positis triplex in hac re datur sententia prima asserit, legem naturæ non esse legem præcipientem propriè, sed solum indicantem quid agendum aut vitandum sit, & quid natura sua sit intrinsecè malum, aut intrinsecè bonum. Hanc tenet Gregorius *in 2. dist. 34. quæst. 1. art. 2. §. secundum corolarium.* Hugo de S. Victore *lib. 1. de Sacrament. part. 6. cap. 9. & 7.* Gabriel *in secundum dist. 35. quæst.*

*quæst.* 1. *art.* 1. Almainus *lib.* 3. *Moral. cap.* 16. Corduba *lib.* 3. *de Conscientia quæst.* 10. *ad* 2. licet à noſtro Salas citetur pro parte contraria *in diſput.* 5. *ſect.* 4. vnde firmatur id quod ſupicor, ſcilicet, eos qui dicunt legem in ratione conſiſtere, ſemper inibi cludere actum voluntatis, vel antecedenter, vt Suarius explicat *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. vel concomitanter, dum dicitur, quod *lex eſt ordinatio rectæ rationis* quatenùs, vel recta ratio dirigit concomitanter intimando ordinationem Dei, vel quatenus præſuppoſita directione rationis, ordinatio pro poſteriori ſit ſubſequuta. Secunda ſententia aſſerit legem naturæ, ita eſſe præceptivam, vt re ipſa provt in Deo eſt, non diſtinguatur à lege æterna prohibente, vel præcipiente in tali materia; in nobis verò ſtare in iudicio rationis quatenus nobis ſignificante voluntatem Dei circa ea, quæ à nobis agenda, vel vitanda ſunt. Hanc tenet Ocham *in* 2. *quæſt.* 19. *ad* 3. & 4. Gerſon *part.* 3. *tract. de Vita Spiritual. lect.* 1. *corol.* 10. & 11. *alphab.* 61. *lit. E & F.* Petrus de Aliaco *in* 1. *quæſt.* 14. *art.* 3. Andreas de Novo Caſtello *in* 1. *diſt.* 48. *quæſt.* 1. *art.* 1. Anſelm. *in Proſolog. cap.* 11. & qui putatur Cyprianus *de Singularite Cleric.* citatúrque Hugo de Sanct. Victore *part.* 4. *cap.* 1. Salmeron *tom.* 5. *tract.* 2. §. *Quæ omnia.* Valentia *tom.* 2. *diſput.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 1. Caſtro *lib.* 1. *de Leg. cap.* 4. Tertia ſententia, media graditur via, aſſerens, legem naturæ eſſe verè præceptivam, & prohibitivam cum eo tamen componi, quod multa ſint intrinſecè mala, quæ ideo ſint prohibita, quia mala, non verò è contra. Hanc expresè tenet, & ſequitur Eximius Doctor, P. Franciſ. Suar. *lib.* 2. *de Legib. cap.* 6. *num.* 5. afferens pro ſe D. Thomam 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 6. *ad* 4. & *quæſt.* 100. *art.* 8. *ad* 2. D. Bonaventuram *in* 2. *diſt.* 35. *dub.* 4. Gerſonem *de Vita Spiritual. lect.* 2. *per totum præſertim corolar.* 5. & Victoriam *in relect. de Pervenientibus ad vſum rationis.* Item Collaterius *part.* 2. *cap.* 5. §. 1. *num.* 396. & 400.

7 Sit mea concluſio vnica, ſub qua ſatis vindicata cenſeo, fortè plura hic miſceri ſolita non nihil fore illuſtranda, Authoreſque graviſsimos in hac re ſatis implexos in concordiam eſſe venturos ea eſt, *legem naturalem eſſe verè præceptivam: & quidquid formaliter malum eſt intrinſecè ab ipſa eſſe prohibitum.* Probatur 1. concluſio ex PP. 1. ex Damaſceno *lib.* 4. *de Fide cap.* 23. *vbi agens de Lege æterna Dei, & naturali* inquit: *Adveniens igitur Dei lex menti noſtræ, attraxit ad ſe ipſam, & ſingulam noſtram conſcientiam: dicitur autem, & conſcientia noſtra lex mentis noſtræ: lex igitur mentis condelectatur legi Dei, id eſt mandato, quod quidem vult*: ergo lex naturalis vult, iubet, & præcipit. 2. Ex D. Ambroſio *lib. de Paradyſo cap.* 8. ibi: *Quid aliud eſt peccatum niſi divinæ legis tranſgreſsio, & Sacræ legis inobedientia mandatorum?* Ergo prius eſt dari legem divinam iubentem, vel prohibentem, quam aliquid eſſe peccatum. 3. Ex Auguſtino *lib.* 2. *de Peccator. meritis cap.* 16. ibi: *Neque peccatum erit, ſi non divinitus iubeatur, vt non ſit.* Et *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 27. ibi: *Lex verò æterna eſt ratio Dei, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, aut perturbari vetans.* 4. Ex Anſelmo vbi ſupra in Proſolog. cap. 11. *Illud eſt iuſtum, quod vis; & non iuſtum, quod non vis.* Et lib. de Voluntate Dei: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non ſervat.* 5. Ex Gerſone vbi ſupra aiente: *Lex naturalis præceptiva eſt ſignum inditum cuilibet homini non imperito in vſu debito rationis, & notificativum voluntatis divinæ volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum, vel non agendum per conſecutionem ſui finis naturalis.* Ergo de primo ad vltimum ſatis conſtat ex PP. quod lex naturalis non ſolum ſit indicativa boni, & mali, ſed etiam verè præceptiva aut prohibitiva ipſius.

8 Prob. 2. conc. ſpecialiter ex D. Tho. ſic aiente loco ſupra citato. *Cum dicitur, quòd non omne peccatum ideò eſt malum, quia prohibitum; intelligitur de prohibitione facta per ius poſitivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, ſecundario verò in naturali iudicatorio rationis humanæ; ſic omne peccatum eſt malum, quia prohibitum.* Et 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *ad* 2. ait: *Voluntatem Dei eſſe regulam, qua regulantur omnes rationales voluntates.* Item aſſerit q. 100. art. 8. ad 2. *Dicendum, quod ſicut Apoſtolus dicit 2. ad Thimot. 2. Deus fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Negaret autem ſe ipſum; ſi ordinem ſuæ iuſtitiæ auferret: cum ipſe ſit ipſa ſua iuſtitia, & ideò in hoc diſpenſare non poteſt, vt homini liceat, non ordinatè ſe habere ad Deum, vel non ſubordinari iuſtitiæ eius, etiam in ijs, ſecundum quæ omnes ad invicem ordinantur.* Ex quibus ſic probatio conficitur. Iuxta D. Thomam omnis rationalis volitio à lege æterna participatur, & quidquid malum eſt, ideo tale eſt, quia à lege naturali prohibetur, licèt ita ſit, vt ex ordine divinæ iuſtitiæ non poſsit à Deo non prohiberi. Sed hoc eſt legem naturalem verè eſſe præceptivam, & prohibitivam: ergo, &c. Explicatur 1. Ideò lex non eſſet præceptiva, ſed merè indicativa boni, & mali, quia multa ſunt intrinſecè mala per prius, quam ab ipſa lege naturali prohibeantur. Sed iuxta D. Thomam rectè componitur, tùm quòd nihil ſit malum, niſi prout à lege naturali prohibitum, tùm quòd plura ſint talia in ſe ipſis, quæ ſi Deus ipſa non prohiberet, ſemetipſum negare videtur, vt ex verbis traditis conſtat: ergo, &c. Explicatur 2. Illa verba D. Thom. in primo loco, *quia quidquid eſt in ordinatum, iuri naturali repugnat* ſatis declarant, dum ſuperioribus connectuntur; quod aliquid poteſt intrinſecè, & in ſe eſſe malum *fundamentalitèr* priuſquam prohibeatur à lege naturæ; & nihilominus nihil eſſe malum *formaliter*, niſi à lege naturali prohibitum. Sed per id ſalvatur lex naturalis præceptiva, & prohibitiva ſine inconvenienti: ergo, &c. Probo maiorem. Talia verba ſi benè ligantur cum ſuperioribus; hunc ſenſum faciunt: *Quia quidquid inordinatum eſt repugnat illi iuſto ordini, quem inducit, & ſtatuit lex naturalis.* Sed hoc ita poſito, reſultat, quod aliquid inordinatum contra ordinem ſtatutum à lege naturæ intelligatur, verè eſſe tale ex mera oppoſitione inordinationis ad ordinem in ſigno priori ad legem, vt prohibentem: quod eſt eſſe malum *fundamentaliter*; & pro ſigno poſteriori fieri malum *formaliter*: ergo, &c. Hæc minor eſt clara, quia lex poſitivè imperans, & affirmativa de re aliqua per prius intelligitur rem ſtatuens, quàm eius contradictoriũ vetans. Maioris doctrina in hunc modum elucidatur ſub hoc ſignorum ordine diſtributa. *In primo ſigno* ſe habet lex æterna Dei, quæ eſt volitio libera ipſius ſic tendens: Volo creare mundum habiturum talem rerum ordinem phyſicum, & talem ordinem moralem creaturæ rationalis, quo in primis colat, & amet Deum ſuum: dein ſub ordine charitatis prius ſe ipſum: dein proximum ſicut ſe ipſum. *In ſecundo ſigno* huiuſmodi lex æterna, & vniverſalis à Deo pro modo capacitatis cuiuſvis animæ rationalis ipſi imprimitur, & intimatur hæc volitio, quia quilibet homo in ſe agnoſcit intrinſecus Authorem ſuum volentem ab eo præfatum ordinem ſervari. *In tertio ſigno* intelligitur odium Dei, occiſio ſui ipſius, adulterium, aut furtum obiectivè ex intrinſecis ſuis graviter inordinata, vtpotè graviter evertentia ordinem moralem à lege æterna, & naturali ſtatutum. *In quarto ſigno*, tàm lex æterna, quàm naturalis intelligitur prohibens talia, & non potens non prohibere talia ex ordine ſuæ iuſtitiæ: nempè quia talia ſunt ex ſe ipſis, quæ tali ordini adverſentur. *In quinto ſigno* illa eadem, quæ pro priori ad ſignum pro-

hi-

hibitivum ſolum poterant dici *mala fundamentaliter intrinſecè*, quia intrinſecè mala; fiunt mala formaliter: quia ſubinduunt malitiam formalem conſiſtentem in eo, quod iam, nedum adverſentur in eſſe obiectivo rei ad rem ordini illi, quem Deus ſtatuit; ſed iam directè adverſentur voluntati divinæ formaliter illa prohibenti. Ex quibus ſtatim deſcendit clariſsima ſubillatio, quod aliqua poſsint eſſe talia in ſe ipſis, vt ea non poſsit Deus non prohibere; & nihilominus nihil formaliter malum ſit, niſi, quia à lege naturali prohibitum, licèt attento iure poſitivo multa ſint prohibita, quia mala. Explicatur 3. & roboratur ex D. Aug. *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 27.* vbi ſupra locuto ſic perappoſite: *Lex verò æterna eſt ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans;* in quibus obſerva primò, quod effectus legis eſt inducere ordinem naturalem. Secundò, quod per prius ſe habet in lege iubere talem ordinem, quam prohibere, ne turbetur. Tertiò, quod per prius debebit intelligi aliquid intrinſecè in ſe eſſe inordinatum contra talem ordinem, quàm quòd intelligatur lex illud prohibens: quia donec ita intelligatur obiectivè inordinatum, non poteſt intelligi prohibibile à tali lege, vt patet: ergo de primo ad vltimum ex mente D. Auguſtini, & D. Thomæ ſtat legem eſſe verè præceptivam, & prohibitivam, ſine vlla offenſione veræ doctrinæ, prout conſtabit ex ſolutione argumentorum, quæ ijs præmiſsis manſueta venient; interea dum vix ab Authoribus gravibus adhuc cicurata conſpicio.

9 Probatur 3. à ratione primo. Quia omnia illa, quæ à lege naturali prohibentur, ab ipſo Deo ſpeciali voluntate prohibentur, & ſimiliter ſe habent, quæ præcipiuntur: ergo lex talem vim præceptivam includit. Probatur antecedens. Quia Deus, vt author naturalis eſt, eſt ſupremus, & providus gubernator totius naturæ etiam rationalis. Sed ad providum gubernatorem attinet præcipere bona, & vetare mala proprio actu legislativo, quando eſt princeps, & legislator: ergo in lege naturæ præcipit, & prohibet. *Confirmatur* 1. Quia lex naturalis eſt vera lex, ſed nihil habet rationem legis niſi, vt eſt imperium ſuperioris: ergo dictamen noſtræ rationis naturalis eatenùs verè legislativum eſt, quatenùs in ſua notificatione trahit impreſſum imperium Dei præcipientis id fieri, quod dictat tale dictamen. Vbi ad rem magis declarandam obſerva, quod dictamen de re facienda, in quantum tale, præcisè eſt indicatio præſentis illius materiæ, circa quam hic, & nunc vrget æterna iuſsio, & imperium animæ impreſſum: quando verò dictamina ſunt abſtracta à materia vt *declinandum eſt à malo; & faciendum bonum: quod tibi non vis, alteri ne feceris, &c.* Tùm lex naturalis eſt quaſi quieta, & permanens etiam in iuſsione Dei, quæ vrgere nequit, niſi quando inſtat materia, & occaſio. *Confirmatur* 3. Ex lege naturali præcisè, vt tali oritur vera, & ſtricta obligatio. Sed hæc niſi à vera vi ligante, & quaſi cogente non naſcitur: ergo lex naturalis verum imperium importat. *Confirmatur* 4. Quia quicumque peccat contra legem naturę, dicitur in Sacra Scriptura peccare contra divinam voluntatem, & eius tranſgreſſorem fieri pœna afficiendum, vt Lucæ 12. Servus ille de quo dicitur, quod *vapulavit multis*: ergo in lege naturali importatur, & includitur voluntas prohibitiva, & præceptiva Legislatoris ſupremi.

10 Obijcies 1. Si lex naturalis eſſet præceptiva; rueret illud axioma Theologorum. Alia ſunt mala, quia prohibita; alia ſunt prohibita, quia mala. Sed tale axioma eſt inconcuſſæ auctoritatis in Scholis: ergo lex naturalis præceptiva non eſt. Minor conſtat ex Auguſt. *lib. 1. de Libero Arbitr. cap. 3.* Durando, Scoto, Gabriele, Caiet. Soto, imò & Ariſtotele 2. *Ethic. cap. 6.*

*cap.6.* apud & cum Suario *lib.2. de Legibus, cap.6. num.11.* Maior probatur. Quia si lex naturalis foret præceptiva, & consequenter prohibitiva; omnia mala prius essent prohibita, quàm mala; & ideò omnia mala essent, quia prohibita: ergo, &c. Antecedens constat. Quia lex naturalis pro priori se habet ad omnia mala, etiam intrinsecè talia: ergo si hæc esset illorum prohibitiva; prius essent prohibita, quam mala, & ideò mala quia prohibita; non econtrà. *Confirmatur.* Aut explicatur prima minor 1. Quia quæ sunt intrinsecè, & essentialiter mala talia sunt independenter à quacumque prohibitione etiam naturæ, eo quod essentiæ rerum sunt immutabiles, vt tradit Suarez *d.31. Metaph. & lib. 9. de Trinitat. cap. 6.* ergo. Probatur 2. Quia si odium Dei esset malum solùm, quia prohibitum, posset non prohiberi. Sed hoc nemo dicet, & est expressè contra D. Thomam suprà: ergo, &c. Ad hoc argumentum, quod præcipuum est in hac re, respond. distinguendo mai. *vaeret axioma legitimè vsurpatum*, neg. mai. *sinistrè, & illegitimè vsurpatum*, transeat mai. & distinguendo min. Est inconcussum *legitimè acceptum*, conced. *illegitimè*, neg. min. & neg. consequent. Itaque tota lis, quæ ex supra iactis nobis venit multum pacifica, eò deducitur, vt explicetur germanus sensus talis proloquij legimè sumpti. Illud ergo, vt testis est D. Thomas suprà datus, solùm invaluit loquendo de iure positivo, ita vt multa sint mala, quia ius positivum ea interdicit; alia verò eò interdicat, quia sunt mala; secùs verò est loquendo de iure naturali, respectu cuius ait S. D. *Omnia sunt mala, quia prohibita.* Verùm si de hoc velis etiam quodammodo retinere vsurpationem poteris sanè, dicendo, multa esse prohibita ab ipso iure naturæ, quia mala sunt, idest *fundamentaliter*; & quia intrinsecè obiectivè sunt inordinata, & ordini, quem Deus statuit repugnantia; propterea-que, vt sic cognita statim à Deo, & ipso naturæ iure prohibita. Vbi adnotarè debebis, quod, vt res sit intrinsecè sic inordinata, debet considerari in se, & per se, ac directè, & non tam ex suppositione contingenti vt tali; sed rerum essentijs attentis: atque secundum gradus altiores, vel inferiores ordinis à Deo statuti, res quæ è contrario per se, & essentialiter adversetur tali ordini, eò erit in sua malitia intrinseca gravior, quò res quam evertit sit intra ordinem à Deo volitum altius collocata, vt furtum minus intrinsecè malum, quam homicidium, & hoc minus, quam odium Dei, attento videlicet toto, & integro ordine charitatis, seu dilectionis naturalis, & diuinæ voluntatis. Pro quibus renova, quæ in probatione ex S. Thoma deduximus. Ad primam confirmationem hinc iam proclivis sit nostra responsio, vel ad vtramque illam minoris explicationem, intacta enim relinquitur authoritas talis proloquij benè explicati. Itaque libenter fatemur cum Suario, & bonis Philosophis, res quoad essentias suas esse immurabiles, imò & quia tales sunt, vt adulterium cognitum secundum sua intrinseca, & similiter odium Dei, non possint, non prohiberi à Legislatore præcipiente in primis amorem Creatoris sui; deinde proximi sui amorem; ideò dicimus cum D. Thoma, ea verè per talem legem naturæ fuisse prohibita, & supra malitiam intrinsecam quidditativam, & fundamentalem, quam pro priori ad legem naturæ habebant, advenire malitiam formalem legis naturæ prohibentis, eò quòd iam tale odium, & adulterium non opponantur solum quasi indirectè per contrarietatem obiectiuam rei ad rem, vel obiecti ad obiectum, ad ordinem à lege inductum; sed etiam per formalem inobedientiam ad legem prohibentem.

11 Obijcies 2. Cum replica talis actus adulterij, vel odij pro priori ad legem naturalem, vt ponitur, esset malus

lus malitia formali. Sed hoc ipso multa essent mala formaliter antequam prohibita per legem naturæ: ergo subsistere non potest nostra explicatio proloquij. Probatur maior: Actus ille, qui intelligitur intrinsecè inordinatus, & liber statim intelligitur formaliter malus. Sed talis actus pro priori ad talem legem verè intelligeretur inordinatus, & liber: ergo formaliter malus. Ad hoc arg. neg. maiorem, ad cuius probationem, disting. mai. *inordinatione, & libertate physicè, & realiter sumpta* (vel etiam si malis) *in signo scientiæ visionis* conced. mai. *inordinatione, & libertate obiectivè, & quidditativè sumptis, & in signo scientiæ simplicis intelligentiæ* neg. maior. & respectivè distincta min. neg. conseq. Igitur tota illa inordinatio, qua gaudet adulterium statim, ac à sapientissimo Legislatore iustitiæ inter homines, prænoscitur suæ iustitiæ adversari, est purè obiectiva, & quidditativa, licet adsit etiam obiectiva, & quidditativa libertas, quia omnis inordinatio moralis refundens malitiam formalem, constituitur essentialiter per ordinem ad aliquam legem. Vnde stat optimè tales actus odij adulterij, &c. pro priori ad talem legem appellari mala, inordinata, turpia, fœda, &c. sed præcisè obiective, quidditativè, fundamentalitèr, & quasi physicè, obiective, non realiter, donec superadiecto respectu prohibitivo legis illa inordinatio libera transit ad lineam moralem, & fit formaliter mala. Ex quibus iam apparet, quàm longè subobscurius, & implexè pergant, tum illi, qui pro priori ad legem naturæ recognoscunt malitiam formalem quasi philosophicam, & postea Theologicam de lege naturæ manantem: quod mille replicis patet, & quæstiumculis subnascentibus, vt expendit Suarez *num.* 15. & aliò remittit. Tùm illi, qui cum Platellio eam malitiam fundamentalem pro priori ad prohibitionem definiunt, ac constituunt per ordinem ad legem naturæ, vt mensuram, & regulam; secus vt legem: hæc enim præcisio subobscura quoque est, & implexa, & minus defecabilis à refundenda malitia formali in actum etiam pro priori ad legem prohibentem. Quamobrem summopere retinendum est id, quod diximus de inordinatione intrinseca obiectiva pugnante quasi de re ad rem, & de obiecto ab obiectum cum eo ordine, quem inducit lex naturæ: & sic omnia fœlecius, planiusque procurrunt.

12 Obiic. 3. Actus voluntatis divinæ Legislativus taliter præcipiens, & prohibens debet esse liber. Sed ita esse non posset: ergo non benè accommodatur quod lex sit præceptiva. Maior est clara, quia omnis actus divinæ voluntatis in ordine ad opera ad extra, cuiusmodi est actus Legislativus totius naturæ debet esse liber. Minor probatur. Quia Deus iuxta D. Thomam 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. *ad* 2. Tàm est impotens non prohibere ea intrinsecè inordinata, quæ prohibet, quàm est impotens negare se ipsum. Sed hoc est non liberè, sed necessario præcipere atque prohibere per talem legem naturæ: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo distinguendo maiorem debet esse liber *antecedenter ad omnem suppositionem contingentem*, concedo antecedens *consequenter ad illam*, nego antecedens, & distincta respectivè minori, nego consequentiam. Itaque Deus instructus scientia naturali, & media omnium rerum huius mundi, omnimoda libertate concipit decretum de existentia huius mundi; & quia de ipso nihil potest manare sine debito ordine; illud decernit producere cum tali ordine physico, & morali, sub quo res vnaquæque debitè ad suos fines ordinetur: cumque rursus creaturæ ipsæ per suos motus, & actiones præstituræ sint, & facturæ Domini voluntatem; respectu agentium naturalium eas leges imposuit quibus necessario, & oportunè

ſuos motus exequerentur; reſpectu verò agentium liberorum ſtatuit ipſis communicare quamdam participationem, & intimationem ſuæ legis æternæ, eis præcipiendo, & prohibendo ea, quæ fieri oporteret propter fines præintentos. His poſitis verum eſt, quòd poſita ſuppoſitione contingenti de eo quòd vellet Deus creare hunc mundum propter tales fines, & ſub tali ordine phyſico, & morali, neceſſariò debebat ſecundum intuitum quem habebat eſſentiæ rerum, ea præcipere, quæ præcepit in lege naturæ, & prohibere quæ prohibuit: hæc autem neceſsitas conſequens ad talem ſuppoſitionem contingentem, & liberam non tollit illam plenã planamque libertatẽ, quam Theologi fatentur in Deo reſpectu operum ad extra. Qua quidẽ via res exponitur expeditius, quã per illos Recentiores, qui abſolutè pronuntiant Deum neceſſariò, & non liberè præcipere quæ præcepit, & prohibere quæ prohibuit in ſege naturæ, quos benè carpit, & confutat Salas.

13 Obijcies 4. Lex naturæ non poteſt eſſe abſolutè libera in obligando homines ſuo præcepto, & prohibitione: ergo præceptiva non eſt. Probatur antecedens. Talis obligatio ex lege oriri non poſſet niſi media promulgatione. Sed hæc libera eſſe non poteſt: ergò, &c. Minor patet: Quia in lege naturæ, vel nulla promulgatio habet locum, vel neceſſario fieri debebit, quandoquidem Deus nequit non præcipere hominibus, quæ præcipit, & ptohibere quæ prohibet. Confirmatur, & vrgetur. Si promulgatio, vt apparet, non poſſet non fieri omnibus hominibus, nemo ignoraret quę ſunt de iure naturæ: ſed multa ſolent ignorari: an ſint de lege naturæ necne, & ita inter AA. diſputari: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens ad cuius probationem dico veluti in ſuperiori argumento, quod eodem tenore quo eſſet libera Deo antecedenter lex, & neceſſaria conſequenter ad ſuppoſitionem dictam; ita etiam ſe haberet promulgatio quæcumque illa ſit, & quomodocumque ſe habeat, & importetur in ipſo lumine naturæ. Itaque ipſum lumen naturæ ait Suarez *num.* 14. eſt de ſe ſufficiens promulgatio legis naturalis, non ſolum quia manifeſtat intrinſecam diſconvenientiam, vel convenientiam actuum, quam lumen Dei increatum oſtendit; ſed etiam quia intimat homini contrarias actiones diſplicere Authori naturæ, tanquam ſupremo Domino, & curatori, ac gubernatori eiuſdem naturæ: hoc ergo ſatis eſt ad intimationem talis legis, vt ſenſit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. *ad* 1. Et hac ratione lex naturalis vocatur lex mentis, vt notat Epiphanius *Hæreſ.* 64. & inſinuat Tertullianus *lib. contra Judæos, cap.* 2. Ex quibus verbis oportunè diſcriminantur tria in ipſa lege naturæ ſcilicet *vis iubens, & vetans* à Deo participata; *intimatio* huius facta per impreſsionem in natura rationali, quæ facit iam legem manifeſtatam exterius; & denique *dictamen rationis*, ſeu promulgatio dictans faciẽda, & vitanda. Duo priora ſunt de eſſentia legis prout eam explicuimus cõſiſtentẽ in voluntate principis exterius patefacta; tertium verò eſt quaſi exercitiũ huius legis, & de eſſentia eius, vt obligãtis in actu ſecundo: tale enim dictamen eſt interna promulgatio talis legis non liberè, ſed neceſſario reſultans ex impreſsione eiuſdem facta in creatura rationali; neceſsitate tamen ſemper conſequenti ad ſuppoſitionem contingentem in argumento antecedenti explicatam. Ad confirmationem reſpondeo; quod, licet permitti poſsit ſequela cum Caſtro, Alenſi, Durando, & Gratiano, qui præceptorum naturalium ignorantiam invincibilem repellunt; tamen ſatius eſt diſtinguere cum Suario, qui talem ignorantiam quoad prima principia, & præcepta per ſe nota *declina à malo, & fac bonum: quod tibi non vis; alteri ne feceris*: nemini concedit; ſecundam verò ignorantiam

ſci-

ſcilicèt circa alia præcepta, vel ſecundo per ſe nota, vel facilè inde illata, vt puta præcepta Decalogi, ad modicum tempus inuincibilem non pernegat; ad longum verò vincibilem iudicat cum Paulo *ad Roman. 2. & cap. Flagitia 32. quæſt. 7.* Tertiam verò ignorantiam facilè concedit invincibilem præſertim rudioribus circa illa præcepta, quæ remotiori diſcurſu de primis legis pricipijs naturę ſubinferuntur ex *cap. Obijciuntur 1. q. 4.* cum Soto, & Corduba apud ipſum *lib. 2. de Legib. cap. 9. num. 7.* Quibus poſitis, quæ admodum congruunt, & plures quæſtiones expediunt, proclivis eſt iam reſponſio, tùm quia neque neceſſario id ſequeretur ſaltem antecedenter propter ſuperiora; neque ſequeretur abſurdum aliquod ſub illatum.

14 Rogabis 1. Circa quam materiam verſatur lex naturalis? Dico primo. Non ſolum ſunt materia huius legis prima principia per ſe nota, v. g. *Declina à malo, & fac bonum*, vt voluere nonnulli maximè Iuriſperiti. Sed ex D. Thoma cum Theologis, & etiam Iuriſtis aliquibus etiam ſunt materia aliæ concluſiones remotiores, vt *Adulterium, & furtum eſſe vitandum*: item remotiores, vt *Fornicationem, & vſuram eſſe fugiendas.* Primo. Ex Cicerone *lib. 2. de Inventione*, vbi definit ius naturæ eſſe *quod nobis non opinio, ſed quædam innata vis affert, vt Religionem, pietatem*, &c. Cum Iſidoro 5. *Ethimolog. cap. 3.* & Auguſtin. *lib. 1. de Libero Arbitr. cap. 3.* Secundo. Quia de iure naturæ ſunt præcepta Decalogi, quæ non ſunt prima principia per ſe nota. Tertio. Quia ex conſenſu fidei, & Philoſophorum fornicatio, vſura, & vindicta ſunt contra; & eleemoſyna ex ſuperfluo, impletio voti, honoratio Parentum ſunt iuxta legem naturæ; & tamen non ſine diſcurſu manant ex primis principijs. Quarto. A priori quia multa, quæ ſic manant de primis principijs, per ſe, & directè, & ſecluſa quavis ſuppoſitione contingenti, congruunt, aut diſcongruunt ordini à Deo ſtatuto. Neque obſtat diſcurſus, quia hic non niſi à natura eſt ad exercendam vim intellectivam. Neque mutabilitas vlla iuris, quia nulla erit niſi materiæ. Neque confuſio cum iure Gentium: nam hoc naturale eſt. Dico ſecundo. Omnes actus virtutum pertinent ad ius naturæ, ſivè vt virtuoſi ſunt in genere ex D. Thoma *quæſt. 100. art. 2.* ſivè ex Suario non quoad exercitium, ſed quoad ſpecificationem, ita vt verum ſit, quod ait Gratianus: *Ius naturale eſſe quod in lege, & Evangelio continetur*, ſuo vero modo, quem explico primo. Quia verè ad ius naturæ ſpectat omne illud præceptum, in cuius favorem militat lex naturæ, ita vt circa illud verè fundet obligationem aliquam in conſcientia: ſed ita ſe habet ius naturæ circa omne præceptum, atque conſilium legis, & Evangelij: ergo, &c. Minor patet ex quæſtione de obligatione in conſcientia legis: quia ſemper ius naturæ vi ſua directè, aut reflexè firmat præcepta quælibet cuiuſvis legitimi Legislatoris, & vi ſua cogit Iudices, & ſapientes, vt conſilia ab eis probata probentur. Secundo. Quia etiam directè loquendo de re præcepta ius naturæ poteſt conſiderari prout in ſe, & prout explicatum aliqua legislatione, ſivè humana, ſivè divina: & quidem prout in ſe habet totam vim naturæ, quam dictat innatè ipſamet rationalis natura; vt explicatum verò, apparet modificatum ius naturæ per explicationem medio humano, ſivè infallibiliter, ſivè fallibiliter factam: quod clarè dixit Cicero ſupra, dum dixit ſuperiora verba, loquutus quidem de iure naturæ ſolum ſecundum ſe, & non prout explicato. Ratio mihi à priori, & efficaciſsima eſt duplex: altera quod rigoroſè loquendo non eſt niſi vnica lex æterna cuius imperio, & iuſsione, ſic vel aliter explicata reguntur omnia, ſivè impreſsionaliter per impreſsionem factam in natura rationali, & hæc vocatur

lex

lex naturalis, sivè hominibus infallibiliter ex assistentia Spiritus Sancti; & hæc vocatur lex divina vetus, & nova; sivè humanitùs fallibiliter ex lumine humanæ sapientiæ; & hæc vocatur lex humana. Vnde totum discrimen legis naturalis divinæ, & humanæ stat penes diversitatem manifestationis illius legis æternæ cuncta regentis, & moderantis: dixi *manifestationis* non *promulgationis*: quia ex sæpè dictis non debent confundi: siquidem lex quousque manifestata est promulgaturo, non promulgatur. Altera ratio est, quia proculdubio omnia quæ in lege naturæ, divina, & humana iustè imposita iubentur, vel ex natura sua, vel ex coniuncto circunstantiarum, feruntur, vt servetur ordo statutus à lege æterna omnium creaturarum *cum Deo, secum, & inter ipsas*: quia ab ipsa etiam natura præscribitur. *Confirmatur.* Lex naturæ dicitur immutabilis à TT. quia quamvis multa præcepta eius videantur mutationem subire; ius verò naturæ semper est idem, quod fuit ab initio, quia rem non iubebat nisi tali modo, & pro talibus circunstantijs: ergo quævis iussio recti, & iusti, vel *secundum se*, vel *secundum circunstantias*, etiam humanitus facta, declaratio quædam est iuris naturæ tunc talia poscentis.

15 Neque obstat, quod ex ijs concludi videtur omnia peccata contra legem, & Evangelium futura esse contra ius naturæ. Nam, & est plurium AA. infra *quæst.* 8. *num.* 19. & favet distinctio huiusmodi. Contra ius naturæ *nudè in se*, *& internè consideratum*, nego assumptum: nam contra id solum erit id, quod sic consideratum prohibeat seorsim à quavis alia lege. Contra ius naturæ, *vt exterius per aliam legem declaratum*, concedo assumptum. Vel aliter omnia erunt contra ipsum *remotè*, *& radicaliter sumptum*, concedo, *proximè sumptum*, nego. Neque obstat secundo. Quod ex ijs ponantur esse de iure naturæ actus virtutum, quæ nec leviter obligent, v. g. liberalitatis, &c. Nam ius naturæ sicuti ius Evangelicum, imò & ius civile, vt tetigimus capax est obligare sub gravi; obligare sub levi; & consiliari perfectè. Commodissimè ergo potest dici cum Gratiano *in Decreto*, & cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 3. Ne ergo perterrefaciat hæc locutio, *quod aliquid sit de lege naturæ*: quandoquidem cuncta, quę in mundo sunt recta de iure, & lege naturę sunt (inclusa lege supernaturali, vt notavimus) si rectè explicentur. Neque obstat tertio. Quod inde videatur everti vera potestas legislativa in creatis. Nam loquendo in sensu legitimo id est valde procul: siquidem cum omnis vera potestas legislativa in creatis eatenus dicatur, & sit participatio supremæ potestatis divinæ legislativæ, quatenus sit vera potestas declarandi, & intimandi id quod lex æterna, tàm secundum se, quàm in circunstantijs iubet, & vetat; non tollitur, sed firmatur, & elucidatur potestas legislativa in creatis; quinimo ille qui hanc ita explicuerit, vt aliquid legislativum, ita sit merè humanum, vt nullam aliam originem altiorem in illa vi, humanitùs ligante, recognoscat, periculosè loquetur, & ad pressuras trahetur ipse non paucas. Nam sicuti Dominium supremum Dei est essentialiter inabdicabile, ita legis æternæ ratio: quare veluti licèt dominium creatum in ordine ad nos sit verè tale, & proprietatis; tamen comparativè ad Deum sit quasi solum vtile: quia vnicum est dominum proprietatis rerum cunctarum sicuti vnus est dominus; ita participatio potestatis legislativæ quoad nos dicitur, & est vera potestas legislativa, idest declarativa, & intimativa legis æternæ; respectu tamen Dei non est vera potestas nisi declarativa suæ legis. Replic. 1. Ergo si omnis obligatio est ex lege æterna, cuncta erunt de iure divino? Resp. neg. assumptum. Quia ius divinum, vt tale dicit essen-

tia-

tialiter declarationem, & intimationem factam ab Spiritu Sancto per Scriptores Canonicos. Replicabis secundo. Ergo, si omnis obligatio pertinet ad ius naturæ; cuncta peccata erunt contra naturam? Resp. neg. assumptum; furtum enim est contra ius naturæ, & non contra naturam; ly enim *contra naturam*, non est contra naturam rerum, sed contra naturam humanam, & eius conservationem, & propagationem, ac societatem, vt bestialitas, vel inhumanus aliquis de homine abusus, aut interfectio. Ita sentit D. Thomas, qui *quæst. 95. art. 2. Corpore*; ait: *Rationis autem prima regula est lex naturæ: vnde omnis lex humanitus posita tantum habet de legis ratione in quantum de lege naturæ derivatur: & si à lege naturæ discordet iam non erit lex; sed legis corruptio.* Quando vero *quæst. 94. art. 4. ad 1.* explicat illud Gratiani de eo quod lex, & Evangelium sit lex naturæ, id non negat D. Thomas, sed explicat, advertens ibi, multa esse supra naturam: quod non est contra nos, qui semper loquimur de lege naturæ prout hominem ornatum gratia comprehendit. Vnde Gratianus non ait lex, & Evangelium sunt ius naturæ, quia id malè sonaret: *Cum multa tradantur ibi supra naturam*; sed quod *ius naturale est, quod in lege, & Evangelio continetur*, ideſt, *quod ea quæ sunt de lege naturæ plenarie ibi traduntur*, vt explicat D. Thomas. Pro quibus fulciendis nota, quòd *omne peccatum esse contra legem naturę*, est D. Aug. *lib. 12. de Civit. Dei, cap. 1.* Damasc. 2. *de Fide, cap. 30.* Valentiæ *d. 7. quæst. 4. punct. 4.* Salas *de Legib. d. 5. sect. 12.* & D. Thomæ *quæst. 94. art. 3. & quæst. 71. art. 6. ad 4. & 5.* Et quando ad regulandum nos, videtur excludere rationem naturalem, solum est, vt solam sine gratia pro rebus ordinis supernaturalis.

16 Ex doctrinis supra iactis colligi possunt nonnulla atque elucidari, quæ operosa sunt in AA. vt obseruare licet in Suario, D. Thoma, & alijs Doctoribus. Colligitur 1. & explicatur, quomodo lex sit vna. Itaque cum essentia legis consistat in voluntate Legislatoris, vt manifestata, solum potest incipere diuisio legis à manifestatione: siquidem ipsa lex æterna seu volitio, & æterna iussio, totius mundi legislativa est realiter simplex, & indiuisibilis; quidquid sit de distinctione virtuali, aut rationis, quam per ordinem ad personas, materias, & tempora quisque poterit meditari. Ex parte verò manifestationis est quomodo debet sumi diuisio legis in naturalem, divinam, & humanam: quia in lege naturali manifestatio legis æternæ fit impressionaliter, & internè in creatura rationali: in lege divina manifestatio fit externè per Scriptores Canonicos, & Papam, & Concilium infallibiliter: & in lege humana manifestatio fit per Legislatores sapientes opinabiliter. Cumque rursus vnaquæque ex his subdiuisiones sortiatur, vt planum est, in divina, & humana; non ita planum est in lege naturali, non alia de causa, nisi, quia, quomodo impressio naturalis in vnaquaque creaturali fiat, est ignotum, & varium. Vnde à D. Thoma, & Suario non recedendo dico, legem naturalem logicè sumptam esse vnam vnitate collectionis plurium habituum distinctorum, siquidem diversa sunt prima, & secunda principia, atque conclusiones ex quibus componitur: physicè verò, & quasi integraliter sumpta est multiplex ad multiplicabilitatem creaturæ rationalis. Prima vnitas constat ex vnitate Legislatoris, & obiecti totius legis, scilicèt, debita conformitas totius naturæ ad Authorem. Secunda vero multiplicitas etiam patet ex multiplicitate impressionum: siquidem singulæ creatura rationales habent inter se legem naturæ realiter inadæquatè distinctam, quatenus omnes, nulla excepta, habent illa prima principia *declina à malo, & fac bonum; quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Deinde

pleræque vel ferè omnes habent ſecunda principia, ſcilicèt, *furtum eſt fugiendum*: *implenda eſt promiſſio.* In dictaminibus verò ſeu concluſionibus ex ijs principijs manantibus, quibus regenda eſt in tota ſua vita vnaquæque rationalis natura, diſtinctio ſaltem inadęquata intercedit. Ratio eſt, quia, cum Deus ex infinita ſapientia ſua prænoverit vniuſcuiuſque creaturæ ſeriem, & vitam, nulla dictamina impreſſit alicui, quæ nunquam eſſent deſervitura, & dirigentia: cumque inſuper ſeries vitæ rationalis ſit tam ſingularis, ſicut vnaquæque perſona; idcirco lex naturalis vniuſcuiuſque ſumpta pro illa collectione dictaminum naturalium, quæ Deus illi placuit imprimere, futura videtur eſſe inadæquate diverſa: præſertim circa illa, quæ magis obſcurè, & controversè ſint de iure naturæ; quatenus vel inſtitutio, vel ratiocinij inventio perveniat ad alios; ad alios verò ſecus. Et hinc naſcitur, quod aliquæ Nationes, vt refert Suarius probaverint ſua lege adulteria, & furta. Quia videlicet propter defectum inſtitutionis, vel legitimi ratiocinij ex turba paſsionum obſcuratum ſit in ipſis lumen rationis, quatenus illa prima principia, & ſecunda, quæ clarè noverant, tanta ſupercreſcente caligine, intermicare iam deſinant. Azor vero id negat.

17 Colliges 2. Exinde iam planum eſſe, quomodo lex naturæ tanquam proxima regula honeſtatis, & malitiæ moralis obliget in conſcientia. Quin ad id obſtet *primò*, quod videatur lumen rationis non poſſe intimare ſupplicium æternum, quod non poteſt cognoſcere, niſi ex revelatione. Nam quemadmodum in lege pœnali, dum maiori parti communitatis pœna intimatur, & innoteſcit; reliqui etiam, quamvis eam ignorent, tamen ſi in culpam incidunt, coguntur ad illam; ita lex naturæ hanc ordinavit, vt fere per totam naturam humanam intimatio æterni ſupplicij clarè propoſiti reſonaret, vt modo accidit, nè excuſabilis ſit, qui modo contra lumen naturæ perpetrans culpam, prætendere velit, ſe pœnam æternam ſibi ignoratam non fore incurſurum. Quoad tempora verò ſolius legis naturæ etiam lumen rationis dictabat, quòd qui Deum celſiſsimum, & ineffabilem offendebant atque Omnipotentem; pœnam etiam inexplicabilem erat incurſurus, ita vt in confuſo cuivis pœnæ etiam æternæ ſubijceretur. Deinde quin obſtet *ſecundò*, quod obligatio ex gratitudine, quæ iuxta nos pertinet ad ius naturæ, non ſit obligatio in conſcientia. Nam, vt lex naturæ obliget in conſcientia præſertim graviter ad incurrendum peccatum mortale, & infernum, in quo eſſe poterat difficultas, ſufficit habere multa præcepta, ſic obligantia, licet habeat quoque multa ſub levi, & multa ſub conſilio, cuiuſmodi eſt gratitudo; licet hęc ſi ſit mere politica non erit de iure naturæ; ſi verò talis ſit vt ius naturæ manifeſtè eam dictet, venialis obligatio ſtatim aderit ex tali lege naturæ. Colliges 3. Nullam obligationem in conſcientia dari poſſe in quavis lege, quæ non proveniat à iure naturæ, vt ſatis indicant ſuperiora verba Div. Thomæ ſimul cum doctrinis à nobis præſtabilitis. Quia leges humanæ, etſi obligent in conſcientia, inde trahunt ſuam vim obligandi, quatenus Principes, qui adhibitis conſiliarijs ſuis acceperunt poteſtatem declarandi populo ſuo iuſſa ſupremi Legislatoris, intimabant populo ſuo, id, quod in ſuis ſanctionibus decernebant, in illis circunſtantijs ſaltem, eſſe conformiter ad principia luminis naturalis. Atque hoc etiam modo nulla eſt difficultas in aſſerendo obligationem in conſcientia legis divinæ etiam oriri ab ipſa lege naturali, & æterna: non enim obſtat ſupernaturalitas legis divinæ: quia hæc ideo dicitur ſupernaturalis quia eius manifeſtatio facta eſt per revelationem, altiorem ſtatum naturæ

turæ humanę proponentem, & quia ſine auxilio gratiæ impleri non poteſt ; per id tamen non tollitur quod obligatio orta ex tali manifeſtatione fundetur ſupra aliam manifeſtationem legis æternæ primitus, & vniverſaliter factam in creatura rationali : nam per legem divinam vt talem nihil additur niſi manifeſtatio altioris principij ſeu naturæ altioris, quæ eſt gratia, & altioris finis, & coniunctionis cum Deo, quæ eſt beatitudo ſupernaturalis : à lege verò ęterna etiam prout primitus homini indita venit obligatio ; vt homo ſecundum has vel illas vires quas habet, attingat magis ac magis Deum. Vnde apparet, minus convenienter appellari obligationem legis effectum legis : quia inde aliqui ceſpitant, putantes, cognitionem naturalem producturam eſſe ſupernaturalem, quod eſſet inconveniens prę ſertim efficienter (nam *directivè* ſemel poſito principio elicitivo ſupernaturali, non video illud). Vbi obſervare oportet, quod rei naturalis pot eſt dari, & notitia naturalis, & ſupernaturalis : & hoc modo eſt quomodo in lege tàm veteri, quàm nova noſcimus per revelationem ipſum ius naturæ, quod in hominibus iam fuerat deformatum, & pro eius renovatione tabulæ datæ ſunt. Ex quo patet quod in ijs, quæ iubet lex divina de Iure naturæ, & pro quibus ſatis eſt ipſa natura v. g. *non occides* cum ſolo iure naturæ poteſt impleri ; licèt medium cognoſcitivũ fuerit revelatio, & aſſenſus ab auxilio ſupernaturali elicitus. Quando verò ea quæ iubet lex divina ſunt altiora vt Sacramenta, fides ſpes Charitas cum æternis promiſsionibus, &c. Tunc, & finis legis eſt ſupernaturalis, & principia etiam elicitiva impletionis, ac denique medium ſcilicet revelatio : cæterum, poſitis talibus viribus, & notitia talis finis, ipſa æterna lex homini impreſſa iubet vt ſe Deo coniungat cum omnibus viribus ſuis, *naturaliter*, ſi caret gratia, & elevatione ; *ſupernaturaliter* verò ſi ea eſt ornatus. Cuius ratio eſt: quia in ijs omnibus natura nil præſtat niſi recipere in ſe impreſsionalter à Deo ſuæ æternæ legis imperia, vt creatura omnis pro conditionis ſuæ ſtatu *purę*, aut *elevatę* ſe Deo conformet. Et quidem ad implendam legem totam naturæ gratia requiri dicitur : quare obligatio naturalis non tollet ſupernaturalitatem actus, quando non deeſt ſupernaturalitas in principio. Proindeque ex his naſcitur illa diviſio, qua dicitur *ius naturale divinum*, id eſt divinitus declaratum, & *ius ſupernaturale divinum*, id eſt ius fundatum ſuper naturam, non puram, ſed vt elevatam.

18 Colliges 4. Legem naturæ eſſe vniverſalem tempore, & loco : ſiquidem, quoad natura rationalis permaneat, ea quoque in ſuis dictaminibus eſt permanſura ſemper dictans homini quod rectum eſt *in ordine ad Deum, in ordine ad ſe, & in ordine ad proximum ſuum* : nam eius maximæ atque principia præſertim capitaliora à genere humano, quamdiu vigeat lumen ratonis, deleri non poſſunt. Item de loco etiam verum eſt: quia nuſpiam gentium deeſt notio eorum principiorum, quæ ſunt *prima, & per ſe nota*, quæ extingui nullis paſsionibus poſſunt, licèt principia ſecunda, aut concluſiones ſeu dictamina inde deducta deeſſe poſsint. Neque apud alios vigere ex naturæ lumine alia dictamina, quæ apud alios non vigeant, tollit legem eamdem vbique manere : *eamdem* ſcilicèt *Logicè* vnam in ſpecie ſubalterna, vel vnitate collectionis ; & eamdem etiam *Phyſicè* inadæquatè prout ſuprà explicatum eſt. Colliges 5. Quòd quando aliquid dicitur manare ex lege naturæ prout contra diſtincta à divina, & humana, intelligi debet de ipſa *immediatè*, & *proximè* ex ſola interna manifeſtatione legis æternæ. Nam quando obligatio ex voluntate, vt ad extra manifeſtata, & promulgata procedat; licèt omnis vis obligandi ex lege naturæ, & æterna pro-

proveniat; tamen pro diversitate manifestationis, & promulgationis iam erit obligatio divina, iam humana, iam pure naturalis. Atque ad hæc, & superiora non importuna sunt verba Suarij aientis *num.* 5. & 12. *Respondeo breviter ex D. Thoma supra, hanc legem in omnibus hominibus quoad substantiam esse vnam, quoad notitiam vero non esse integram vt sic dicam in omnibus... Nam licèt lex civilis non inferatur quasi speculativè per absolutam illationem ex principijs legis naturalis; sed feratur per modum determinationis per voluntatem Principis; nihilominus supposita hac determinatione ex principijs naturalibus infertur saltem practicè servandam esse talem legem humanam: atque hoc modo obligatio illius legis civilis esse effectus legis naturalis tamquam causæ per se non proximæ, sed quasi universalis, & modificatæ per particularem quæ est lex humana.* Et num. 10. & 13. explicat etiam quomodo dictamen naturale ad obligationem supernaturalem se habere possit.

19 Colliges 6. Quid dicendum sit: an Deo deficiente, aut eius prohibitione, furtum, in se esset malum? Nam licet Salas cum alijs absolutè affirmet; opus est distinctione. Si enim deficeret Deus, nulla daretur quidditas furti: hæc enim cum eius possibilitate convertitur, vnde si Deus conexus cum possibilitate possibilium non existeret; neque quidditas tùm furti, tùm rerum omnium. Si vero per impossibile Deus existeret, decernens hunc ordinem vniversi, & non prohibens furtum (quod implicat) tunc furtum esset malum intrinsecè fundamentaliter; non formaliter iuxta superiora. Colliges 7. Potestates veras, & reales, tùm Civiles, tùm Canonicas condendi leges etiam vltra ea, quæ expressè habentur in scripturis, contra Hæreticos à nobis nedum defendi, sed roborari, & explicari. Quia cum dominium creaturæ supra creaturas sit quasi commodatum, reservato interea Domino supremo supremo dominio; sic cuncta legislatio creaturarum futura est supremi Legislatoris; & ea quæ in creaturis sit quasi commodata, & declarativa voluntatis superioris; per id tamen non tollitur, quòd potestas Sacra, & profana intimet, & declaret legem Dei alijs, vel alijs legibus vltra ea, quæ in Sacris Scripturis reperta fuerunt.

20 Rogabis 2. An lex naturalis obliget non solum ad actum virtutis, sed ad modum ipsius iuxta illud *Deuteron.* 16. *Iuste, quod iustum est persequeris?* Dico 1. loquendo de præceptis affirmativis, quando per suos actus implentur positivè, v.g. *Honorando parentes*, quando res vrget; assero, nedum ex lege naturæ postulari modum actus, sed & modum virtutis. Ad modum actus duo requiruntur, scilicèt, quod fiat *scienter*, & cum advertentia præcepti; & quod fiat *voluntariè*, & *liberè*. Ratio est, quia sicuti præceptum non est nisi de actibus humanis, vt talibus, non nisi per ipsos potest impleri. Atqui actus humanus, & quidem regulabilis præcepto prudenti importat, nedum cognitionem ipsius, sed & voluntarietatem ac libertatem: ergo quidquid sit de excusatione legitima alicuius adimpletionis; saltem impletio per actum positivum fieri nequit, nisi per actum cum cognitione, & voluntarietate circa præceptum. Neque obstat primo. Quod hinc videatur colligi esse necessariam obedientiam formalem, id est eligentem rem præceptam, quia præceptam. Nam id est falsum: aliud enim est facere actum cognitum, *vt præceptum*; aliud verò *quia præceptum*, & ex amore præcepti: fiat enim quod quis impleat præceptum, displicendo in præcepto. quod si August. *lib. 2. Contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 9.* ait: *Bonum, factum timore pœnæ, non benè fieri.* Et D. Thomas art. 9. *Quod operari sine tristitia cadit sub lege.* Intelligendi sunt de timore servili, & affectu tam contrario ad rem præceptam, nisi daretur coac-

coactiò ; vt in ipso actu externo adimpletivo misceretur interna transgressio. Neque secundo. Quod videatur interdum observari præceptum ab aliquo sine vsu rationis, vel ab invito, v. g. de restitutione facta ignoranter, vel invitè, sivè auditione Sacri coacta respectu legis Ecclesiasticæ. Nam in his casibus aliud est satisfeciſſe præcepto : & hoc sine actu vero humano non reperitur ; aliud est ceſſaſſe præceptum ex defectu materiæ, vt in restitutione iam facta, quæ non potest præcipi iterum fieri. *An verò vltra actum humanum requiratur notitia præcepti ad veram impletionem ?* Videtur dubitari amplius posse : siquidem auditio sacri scienter, & voluntarie facta, ignorato tamen præcepto, dici poterit satisfactio. *Quoad modum autem virtutis*, scilicèt, quod actus nedum sit honestus propter honestatem factus, sed etiam in circunstantijs in quibus nulla ex parte vitietur ; asserò cum Suario, & D. Thoma contra nonnullos legem naturalem præcipere modum virtutis. Ratio est maximè consona cum superioribus: quia cum ius naturæ sit, quod fundat omnem omninò obligationem, sivè quoad substantiam, sivè quoad modum, sivè quoad tempus locum, &c. non potest ius naturæ intendens bonum simpliciter, quod non est nisi ex integra causa, non obligare, ne vndecumque talis actus vitietur : licèt ius humanum, & positivum eò quòd sit declarativum iuris naturæ possit vno præcepto substantiam actus altero vero circunstantias ligare ; & sic adimpleri substantia possit, sine circunstantijs. Obligatio verò iuris naturalis, quasi vnico pondere fertur in bonum vndecumque tale : hoc enim ius vtpotè internum interna ligat ; secus verò positivum, quod non præcipit vno iuris pondere totam interiorem rectitudinem voluntatis.

21 Dico 2. Legem naturalem non præcipere, vt actus in se honestus, sivè ex dilectione naturali ad Deum Authorem naturæ, sivè ex charitate infusa erga Deum Authorem supernaturalem fiat. Et suppono, posse dari dilectionem Dei super omnia naturalem, hoc est distinctam ab infusa ; licet nequeat perfectè dari sine viribus gratiæ: & vlterius, quod de hac detur præceptum affirmativum. V. Suarez *de Leg. l. 2. c. 11.* Ratio assertionis quoad primũ est: quia, si sermo est de dilectione actuali, hæc solum vrgebit, non in præceptis singulis, sed quando tota lex sit adimplenda. Si verò sermo sit vt ex dilectione quivis actus, sivè formaliter, sivè virtualiter imperetur ; non est vnde probari possit ; cum pateat, posse quempiam de negotio diligendi Deum prorsus immemorem, bonum aliquod naturale per agere : cum ex communi Theologorum contra Gregorium possit quis aliquid gratum honestè diligere propter se ipsum sine relatione ad Deum ; licèt nequeat Deus, vt alibi attingimus ; amare honestatem creaturæ propter se ipsam, quin simul eam amet propter se ipsum propter comprehensionem creaturæ dicentis in essentia sua ordinem transcendentalem ad Deum. *Ratio secundi asserti* adhuc est fortior quia si requireretur pro omni opere bono charitas infusa habitualis incideretur in hæresim Michaelis Baij dicentis, actum, qui non sit ex charitate esse vitiosum. Deinde si postuletur pro omni opere bono Charitas actualis idem sit argumentum non enim stat actus perfectæ charitatis sine habitu ante se vel post se subsequuto. Denique si postuletur solum dilectio, opus referens ad Deum Authorem supernaturalem. In primis ægrè percipitur quod non sit charitas perfecta, & iustificans. Deinde neque constat de tali præcepto, neque ex natura rei poscitur pro quocumque opere bono talis superior relatio ex principijs, & lumine fidei. Neque obstat 1. Illud 1. ad Corinth. 16. *Omnia vestra in charitate fiant.* Nam sensus Pauli est, quòd omnia quæ fiant ita fiant vt charitas

non evertatur, id est, nihil faciatis quod charitatem evertat. Neque 2. Augustinus dum 1. Rectractation. *cap.* 15. *& lib. de Grat. & libero Arbit. cap.* 18. ait: *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas. Quod fit sine dilectione, non benè fit.* Nam in primis verbis sermo est de pondere voluntatis ad vitiosa, dum deest ipsi charitas; non vero de actibus singulis ipsius. Et in secundis verbis ait Suarez sensum esse, male fieri, quod non fit consentanee ad charitatem; ita vt ex ea dirigi possit. Deinde intelligi potest *non optimè fieri* quasi per locutionem tropicam quasi qui dicit alteri *nihil momenti præstas nisi in hac re strenue te gesseris* Licèt in eadem aliquid momenti reportet, quin se gerat strenuè. Rogabis 3. Quomodo lex naturalis reddit actus non solum illicitos, sed etiam nullos? Respondeo, id evenire ex duplici titulo. Altero quando prohibitio fit ex defectu potestatis: veluti cum quis donat secundo rem, iam ex integro donatam alteri: deest enim potestas ad donationem secundam. Altero vero titulo, quando prohibitio fit propter turpitudinem in materia, quæ secundum causas suas perpetuo est duratura, veluti prohibetur matrimonium inter consanguineos in primo gradu. Quando verò, & supponatur potestas, & turpitudo materiæ sit auferibilis; prohibitio reddet illicitum; sed non invalidum: sicuti est matrimonium factum contra votum simplex castitatis. Vide Suarez *lib. 2. de Legib. cap.* 12.

JHS.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

TOLLE FILIVM TVVM VNIGENITVM QVEM DILIGIS Isaac, & offeres illum in holocaustum super vnum montium quem monstravero tibi. *Genes.* 22. 2.

## ARTICULUS.

### *VTRUM DEUS DISPENSARE POSSIT IN LEGE NATURÆ?*

1 SUppono 1. Varia genera præceptorum naturalium posse, ac debere à nobis considerari, sivè illa tria sint, vt Suarius cum communi hic observat; sivè sint illa quatuor, prout nos meditamur descendentes ad vlteriores, & simpliciores maximas prout in hac Deacde explicamus censentes, quòd illa prima principia, seu præcepta *declina à malo. Quod tibi non vis alteri, ne feceris*, & similia habent fundamina atque dictamina alia priora, & simpliciora, quæ scilicèt pro iure naturæ absolutè, & primario stabiliendo, ibi à nobis relata sunt, nempe pro natura iam condita, & in statu antequam malum, & peccatum contigisset. Igitur ponamus prima præcepta naturalia fore vtique illa modo relata ex Suario, &

& alia ſimilia. In ſecundo genere veniunt collocãda illa, quæ proximo gradu ad hæc conſequuntur, veluti. *Mendacium eſt vitandum, homicidium eſt in iuſtum.* In tertio verò genere ſunt alia præcepta naturalia, ſcilicèt, ea, quæ aliquantulò remotius ex primis præceptis deducuntur: veluti *ſervare depoſitum, & ſecretum; implere votum, &c.* De quorum præceptorum claſsibus, in ſecunda cenſentur præcepta Decalogi, ſecluſa in ijs qualibet obligatione poſitiva divina à veteri lege ſuperadiecta, quæ præter reliqua notior eſt in tertio præcepto, vbi licèt ſanctificare diem in cultum Creatoris ſit de lege naturæ; ſecùs verò quod talis dies futura eſſet Sabbathi. Iam ergo, illa prima præcepta *declina à malo: quod tibi non vis, alteri, ne feceris* eſſe prorſus indiſpenſabilia etiam à Deo facilè admmittitur à Theologis regnante iam principaliori certamine circa præcepta Decalogi, & nonnulla alia quæ ſatis clarè inde ſubinferri conſiderantur.

2 Suppono 2. Varios caſus in ſacris litteris reperiri, qui poſſunt dubitandi rationem reddere implexam. Nã ex vna parte, cum lex naturæ nihil aliud ſit, quàm æterna lex impreſſa creaturæ rationali, & quidquid æterna legislatione legislatum eſt, nullam mutationem ſubire poſſe videatur; conficitur, nihil quod ex lege naturæ præceptum ſit, poſſe diſpenſari etiam à Deo ſupremo legislatore. Ex alia verò parte nobis Sacra pagina refert varios caſus, in quibus non aliter emergi poſſe videatur, niſi dicendo, Deum quaſi vſum ſua potentia ſuprema, & abſolutiſsima in ſuo Decalogo diſpenſaſſe. Nam primò: cùm quintum præceptum ſit *non occides*, videmus, ipſum Deum præcepiſſe Abraham vnigeniti Filij ſui Iſaac holocauſtum. Itemque Sanſonem, & Raſziam ſpiritu Dei commotos ſemetipſos interemiſſe: & eodem ſpiritu Iephte filiam ſuam ſacrificaſſe. Secundò ſeptimum præceptum Decalogi eſt. *Non furtum facies.* Et nihilominus, *Exod.* 1. Deo mandante Hæbræi ſpoliaverunt Ægyptios: atque in hoc præcepto vſuræ ad extraneos etiam permittuntur, ſicuti, & in quinto cædes Ægyptij facta per Moyſem, & vindicta generatim in lege permiſſa. Tertiò libellus repudij olim permiſſus etiam malè cohærere videtur cum ſexto, & nono præcepto. Quare de his omnibus reſultat hic noſter Articulus diſputandus, & inquirens. *An Deus ſivè de potentia ordinaria, ſivè de potentia abſoluta potuerit in lege naturæ diſpenſare?*

3 Suppono 3. Deum gaudere ſuper creaturas plurimis titulis, propter quos hi caſus extraordinarij nuper recenſiti poſſunt quodammodo temperare illam difficultatem, quam præſeferunt, v. g. titulo ſupremi Domini, creatoris, iudicis, legislatoris, &c. Sed punctum difficultatis præſentis præcisè poſtulat fieri examen attento munere legislatoris duntaxat, excluſiſque alijs titulis, præſertim dominij, quo veluti ſupremus dominus poteſt facilè iura mutare, ſivè ius ſit in corpus, ſivè ſit in res: quo modo poſſunt aliqua per hanc viam expediri faciliùs; ſed tamen non tàm ad rem, quàm diſcutimus. Perpendimus enim modo pro natura legis, & lege naturæ ritè indaganda, omnes & magis præciſos apices poteſtatis legislativæ in quantum talis, ſcilicèt reſpiciendo magis dominium iuriſdictionis, quam dominium proprietatis: licèt enim ſatis videatur, quod à fortiori iuriſdictio, & poteſtas legislativa ſuam variationem mutuari debebit ex varietate iuriuum; nihilominus hæc variatio erit quaſi de materiali, nempe mutatis perſonis; non verò de formali in ipſo iure lato per legem, & cica cuius impoſitionem aut relaxationem verſatur tota quanta eſt iuriſdictio. Vbi obiter notare placet legem naturæ pro materiali ſumptam à fortiori eſſe variabilem, & mutabilem pro conditione materiæ quæ

per-

perpetua vicissitudine rerum circumagitur; mutabilitas vero formalis in eo sita est quod ius vere aliquando ex talilege promanans verè desinat obligare: quæ mutabilitas ideo repellitur quia licèt pro determinato tempore fuerit tamen quod aliquando fuit semper fuit, & pro tempore pro quo aliquando non fuit, nunquam fuit.

4 Suppono 4. Plures Authores in hoc articulo miscere casum illum Oseæ, qui iussus est vxorem sibi sumere fornicariam, & filios sibi facere fornicationum: quasi in ipso fornicatio dispensata fuisset. Sed vero talis casus minimè huc debet intrudi, siquidem stando verè, & genuinè interpretationi Scripturarum, ibi Oseas non quidem fornicari iussus est, sed verè ducere in matrimonium vxorem aliàs fornicariam, in quo nulla dispensatio intercedit, & ita sentiunt Hieronymus, Theodoretus, & alij. Verùm licèt videatur germanior ea interpretatio, quam nos alibi secuti sumus in hoc opere nostro; & quam Salas hic affert, & probat, nimirum, ibi iussum fuisse Prophetam ducere sibi vxorem Gentilicam, & filios sibi de stirpe Gentilica procreare: tùm, quia passim in Scriptura fornicatio pro Idolatria sumitur: tùm, quia benè id cohæret contextui: tùm, quia in phrasi Scripturæ mulier libidini prostituta potius meretrix, quam fornicaria solet appellari. Nihilominus hic sententiam revoco. Nam *Oseæ* 3. res est evidens de fornicatione in genere luxuriæ, dum *vers.* 1. ait: *Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram, &c.*

5 His positis multiplex in hac re reperitur sententia, quarum *prima* est, in omnibus præceptis Decalogi, sivè alijs particularibus naturæ posse Deum dispensare, & abrogare, ita vt etiam illa, quæ iure naturæ sunt illicita, posset Deus si vellet, nedum facere licita, sed præcepta eo quod nihil omninò malum sit, nisi pro posteriori ad Dei prohibitionem. Pro hac sententia communiter citatur Ocham *in* 2. *quæst.* 19. *ad* 3. 4. & 5. dubium. Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracensis *in* 1. *quæst.* 14. *art.* 3. qui tamen prout expendit Salas potius videtur esse anceps, Andræas *de Castronovo in* 1. *dist.* 48. *quæst.* 1. *art.* 1. Cordubensis 3. *lib. quæst.* 10. addens Deum posse dispensare etiam in præcepto non agendi contra propriam conscientiam: pro quo, & citatur Almainus 3. *Moralium cap.* 15. & 16. Et in eandem sententiam dicitur inclinare Gerson *Alphab.* 61. *litt. E.* sivè 3. *part. lect.* 1. *de Vita Spiritual. corol.* 10. Necnon citatur Olchot *in* 1. *quæst.* 1. *art.* 6. à nostro Vazquio 1. 2. *disp.* 179. *cap.* 1. qui & ait in eam quoque inclinare D. Thomam. Ego autem puto plures de supra dictis graves Authores rem non ira resolutoriè dixisse; sed modo quo iuxta doctrinas à nobis quæst. de vi præceptiva legis naturæ præiactas possint benigne temperari: ne eos vlla ex parte mordeat censura illa, cuius meminit Salas, quam Vallisoleti Tribunal Sanctæ Inquisitionis edixit in quosdam Theologos, qui hanc sententiam renovare tentaverant. *Secunda* sententia distinctionem facit in præceptis Decalogi circa præcepta primæ tabulæ, & secundæ tabulæ, inquiens de primis, duo priora esse indispensabilia; tertium vero de sanctificatione Sabbathi esse dispensabile, saltim quoad ius positivum superadditum; præcepta verò secundæ tabulæ, & reliqua ex iure naturæ inde manantia, esse dispensabilia. Hanc tenet Scotus *in* 3. *dist.* 37. *quæst. vnica*, Gabriel *quæst.* 1. *art.* 2. *con.* 1. & *sequent.* Marsilius, & Almainus, apud Salas, item Bonaventura *in* 1. *dist.* 47. *quæst. vlt.* & Ægidius *quæst.* 3. Et affertur D. Bernardus *de Præcep. & Dispens.* non longè ab initio. *Tertia* sententia alia via distinctionem inducit inter præcepta, videlicet, affirmativa, & negativa, ita vt negativa magis indispensabilia censean-

ſeantur ab alio ex Sectatoribus huius ſententiæ, vt eſt Maior *in* 3. *diſt.* 37. *quæſt.* 10. Durandus verò *in* 1. *diſt.* 47. *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 16. aſſerit omne præceptum affirmativum primæ tabulæ eſſe indiſpenſabile; ſecundæ verò diſpenſabile eſſe quibus adhærere videtur Valent. *diſp.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 6. licet non videatur ibi loqui niſi de diſpenſatione laxa. *Quarta* ſententia eſt ſpecialis, & traditur ab Altiſiodorenſi 3. *ſummæ tract.* 7. *cap.* 1. *quæſt.* 5. meditanti tres gradus neceſsitatis pro ſalvanda ſimilitudine Dei in homine, ita vt per prima præcepta, v. gr. de furto, & homicidio violata, talis ſimilitudo Dei deſtruatur: per violata ſecunda, v. gr. de pluralitate vxorum non habenda, non ſtatim evertatur charitas: & per præcepta de iuramento, & voto violata, aliquid evertatur etiam humanum. Vnde ait prima præcepta etiam à Deo eſſe indiſpenſabilia. Secunda verò diſpenſabilia per Deum; tertia autem etiam per homines. *Quinta* ſententia aſſerit, nedum omnia præcepta Decalogi, ſed omnia, quæ ſunt de iure naturæ, eſſe indiſpenſabilia etiam per Deum, ſi de propria, & ſtricta diſpenſatione ſit ſermo. Hanc tenet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. cum interpretibus ſuis Caietano, Conrado, Medina, & Vazquez *diſp.* 179. *cap.* 2. Azor *lib.* 6. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Soto 2. *de Iuſt. & iur. quæſt.* 4. *art.* 4. Ricardus *in* 3. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 5. Palatius *diſp.* 1. §. *Iam verò.* Abulenſis *Exod.* 20. *quæſt.* 35. Albert. *in Sum. Theolog. part.* 2. *tract.* 20. *quæſt.* 80. *art.* 2. in ſolutione argumento. Hervæus *in* 1. *diſt.* 47. *quæſt.* 3. *art.* 3. Adrianus *Quodlibeto* 2. *art.* 3. Viguerius *cap.* 15. §. 1. *verſ.* 7. Salas *quæſt.* 94. *tract.* 14. *diſp.* 9. Suarez *de Legib. lib.* 2. *cap.* 15. & Corduba, licet probabilem ſupra putet oppoſitam; tamen huic tanquam probabiliori adhæreſcit.

6 Sit noſtra concluſio cum communi, & quinta ſententia, quæ planè verior eſt, & ex doctrinis in aliis quæſtionibus præiactis inoffenſa venit. Aio igitur, *tàm præcepta Decalogi, quàm ulteriora inde orta, quæ obligent ex præciſo iure naturæ eſſe indiſpenſabilia ſtricta, & rigoroſa diſpenſatione. Ea verò quæ ſunt de iure naturæ ſecundario diſpenſari à Deo potuiſſe diſpenſatione laxè tali.* Probatur concluſio primo generaliter quoad eius omnes partes ab authoritate ſpecialiter D. Auguſtini, qui varijs in locis hanc veritatem firmat primo *in lib. de Vera Religione, cap.* 31. aſſerens: *Neque Patrem Æternum iudicare de lege æterna poſſe, id eſt, immutare.* Secundò idem S. Doctor *in lib.* 1. *de Liber Arbitr. cap.* 6. ait, legi æternæ ſemper eſſe obtemperandum, & illam eſſe incommutabilem ſcilicet in actu obligandi vt naturalis: ſiquidem ſubiungit. *An poteſt aliquando iniuſtum eſſe, vt mali miſeri, boni autem beati ſint: aut vt honeſtus, & gravis populus ipſe ſibi magiſtratus creet; diſſolutus verò ac nequam iſta licentia careat? Video hanc æternam, & incommutabilem eſſe legem... vt igitur breviter æternæ legis notionem, quæ impreſſa nobis eſt quantum valeo verbis explicem, ea eſt, qua iuſtum eſt vt omnia ſint ordinatiſſima. Neque enim vlla vis vllus caſus vlla rerum labes vmquam effecerit, vt iuſtum non ſit omnia eſſe ordinatiſſima.* Tertio. *In lib.* 83. *queſtion. quæſt.* 53. vbi ait: *Ex hac ineffabili, atque ſublimi rerum adminiſtratione, quæ fit per divinam providentiam quaſi tranſcripta eſt lex in animam rationalem.* De quibus omnibus locis planè conſtat legem æternam provt impreſſam rationali naturæ, quo quidem modo lex naturalis eſt, eſſe omninò immutabilem, & indiſpenſabilem adhuc per ipſum Patrem Æternum, vt ſe explicat Auguſtinus: ergo, &c.

7 Probatur ſecundo concluſio quoad primam partem. Stricta, & rigoroſa diſpenſatio legis in eo ſtat, quòd obligatio verè comprehendens perſonam, & caſum, ex mera authoritate Legislatoris validè tollatur, tametſi diſpenſatio data fuerit ſine cauſa.

Sed hoc modo Deus dispensare non potest in ijs omnibus, quæ sunt verè de iure naturæ, sivè primario, sivè secundario: ergo, &c. Probatur minor. Deus vt sapientissimus Legislator non potest, non ante prævidere illas circunstantias, casus, personæ, loci, & temporis, in quibus dispensatio legis oporteret. Sed hoc ipso nequiret ab æterno ferre suum ius, & obligationem pro talibus circunstantijs: ergo dispensare non posset in eo sensu in quo ius ante præexistens, & obligans pro aliquo, vel aliquibus relaxaret. Minor patet, quia volitio Dei iussiva, & obligativa etiam pro talibus circunstantijs non foret iusta, & recta: quandoquidem pro illis tale ius à Deo imponi non oporteret. *Confirmatur.* Omnis vera, & legitima dispensatio iuris ante præexistentis, atque obligantis oritur ex limitata scientia Legislatoris: ergo in Legislatore, in quo est infinita sapientia locum non habet huiusmodi dispensatio. Probatur antecedens. Ideò in humanis Legislatores verè, & propriè in suis legibus dispensare solent: quia cum futurorum essent ignari, nec præviderent omnes circunstantias loci temporis, & personarum combinationesque postea futuras; tulerunt vniversim, & generatim leges suas; relinquendo successoribus suis facultatem dispensandi, dum oporteret; quas quidem minimè tulissent ab initio earum, super illos casus, quibus non convenirent; si hos illi prægnovissent: ergo, &c. Antecedens patet: quia alioqui recti, & iusti Legislatores non essent, si quidpiam præstandum iuberent, à quo, vel quando, vel non oporteret.

8 Probatur 2. Eadem pars ab eversione fundamenti contrarij. Eatenus Deus posset dispensare in præceptis Decalogi, & alijs, quæ sunt de iure naturæ; quatenus quidquid malum est etiam intrinsecè *vt furtum*, atque *mendacium* non aliunde originarie suam malitiam ducerent, nisi ex oppositione ad aliquam prohibitionem divinam. Sed hoc est falsum: ergo Deus strictè, & verè dispensare non potest. Maior patet ex expositione sententiæ contrariæ, quam iam tetigimus: arbitrabatur enim hæc sentétia, iam male audiens, Deum ita liberè ab æterno prohibuisse talia, vt mendacium, ac furtum; vt ea potuisset, si voluisset nedum relinquere licita; sed præcepta etiam reddere. Minor probatur ex doctrina latè à nobis data in quæstione de vi præceptiva legis naturæ. Nam stat optimè; quod omnis malitia formalis intrinseca mendacij, & furti non sit nisi ex oppositione ad iussionem divinam, & æternam legem; & quod nihilominus talia peccata pro priori ad talem iussionem habeant suam malitiam intrinsecam fundamentalem consistentem in intrinseca suæ essentiæ oppositione, & eversione illius ordinis rerum, quem Deo placuit decernere; & quo decreto supposito, necessariò consequenter talia Deus esset prohibiturus: ergo semper furtum, mendacium, atque similia talia sunt in quibus Deus vnquam dispensare non possit. Probatur 3. Si Deus ita posset verè dispensare; vera esse duplex propositio contradictoria: sed hoc est impossibile: ergo, & primum. Probatur maior. Dispensatio rigorosè talis postulat legis obligationem vrgere in eo qui dispensatur, attenta mente Legislatoris. Sed hoc ipso resultaret talis duplex propositio vera: ergo, &c. Probatur minor. In primis vera esset hæc propositio: *Mens Dei est, ne hic homo hic, & nunc perpetret homicidium.* V.g. Moyses cum Ægyptio. Quia supponitur obligans adhuc in eo casu illa lex. *Non occides*; sed insuper ex dispensatione vera est hæc alia: *Mens Dei non est, ne hic homo hic, & nunc perpetret homicidium.* Sed hæc est duplex propositio contradictoria: ergo, &c. *Confirmatur, & explicatur.* Si Deus ab æterno, & lex naturæ ab exordio, nunquam tulit ius, & iussionem, ne hic ho-

homo hic, & nunc perpetret homicidium; planius conficitur, quòd nunc, & ab æterno fuerit de mente Dei, quòd hic homo hic, & nunc perpetret homicidium. Atqui de iure non lato propriè dispensatio esse non potest: ergo in lege naturæ propriè dispensatio non habet locum.

9 Probo iam secundam partem conclusionis. Laxa dispensatio Dei, atque vulgaris circa præcepta Decalogi, & alia de iure naturæ in eo stare potest, quòd in his legibus cardinalissimis, & vniversalibus, nulla exceptione latis à Deo cuncta noscente; tamen Deus aliquando, licet rarissimè, contra eas fieri iusserit, aut probaverit. Sed ita factum esse constat pluribus in locis Sacræ paginæ: ergo Deus saltem laxa dispensatione potest dispensare in ijs, quæ sunt de iure naturæ. Maior videtur certa; vulgò enim ea dispensatio intelligitur, quæ de lege cunctos cogente, & claudente aliquem authoritate Legislatoris eximit, & excludit. Minor patet primo. Quia licet lex naturæ sit *non occides*; tamen iussu Dei Abraham cultro volebat filium interimere in holocaustum *Genes.* 22. *& Exod.* 2. 12. Moyses interfecit Ægyptium, vt ait D. Stephanus spiritu Dei inspiratus. Secundo. Quia contra ius naturæ est aliena surripere; & tamen *Exod.* 11. 2. cum Ægyptijs iussu Domini, sic fecerunt Hebræi. Tertio. Quia contra ius naturæ est, sivè vindicta, sivè vsura ad alienos in lege veteri permissa. A priori probatur secundo eadem pars. Dispensatio laxa in eo stat, quòd quis verè eximatur ab impletione alicuius legis Dei, & naturæ vniversim latæ, licet non sit ex authentica relaxatione Legislatoris, vt talis. Sed sæpè Deus in ijs, quæ sunt de lege sua, & de lege naturæ, ita eximit aliquos verè, & legitimè; licet non authoritate Legislatoris, vt talis: ergo, &c. Probo min. Ex casibus iam relatis, & alijs similibus, qui solent in Scriptura reperiri. Nam Deus titulo supremi Dominij potuit facere, quod Hebræi acquirerent verum dominium super vasis, quæ abstulerant ab Ægyptijs: & similiter, vel vt supremus iudex, velut supremus Dominus vitæ, & necis potuit Moysi, & Abraham facultatem dare de interficiendo, &c. Atqui in his casibus ij non absolverentur à lege non occidendi ex authentica relaxatione obligationis facta per Legislatorem, vt talem; sed dumtaxàt ex titulis domini, & Iudicis supremi, immutando, videlicet subiecta iuris non verò iura: ergo de primo ad vltimum Deus potest dispensatione laxè tali dispensare in ijs, quæ sunt de iure naturæ. Vbi adverte probationes supra positas etiam probare, quòd nec de potentia absoluta possit Deus verè, & propriè dispensare in lege naturæ.

10 Obijcies 1. Iuxta nostram doctrinam ea, quæ sunt de iure primario naturæ, attento statu innocentiæ, sunt prorsus indispensabilia à Deo; illa vero, quæ sunt de iure secundario naturæ sunt dispensabilia laxè, & impropriè, aut dispensatione virtuali, & equivalenti. Sed etiam aliquod ex præceptis de iure naturæ primario ita dispensabile est: ergo structura huius doctrinæ non constat. Probatur minor. Vnum ex præceptis à nobis designatis in quæstione præcedenti de simplicissimo, & primario iure naturæ est de propagatione facienda naturæ humanæ medio legitimo contractu viri, & fœminæ. Sed hoc præceptum nedum divinitus, sed etiam humanitus est impropriè, & virtualiter dispensabile: ergo, &c. Probatur min. Hæc dispensatio virtualis in eo stat, quòd materia super quam cadit ius, & obligatio sit mutabilis, & subiecta dominio divino, aut humano. Sed ita se habet ratio contractus legitimè initi inter virum, & fœminam: ergo, &c. Min. patet quia legitimitas humani contractus cuiuslibet planè pendet à Deo, & hominibus. *Confirmatur* 1. Si tale

præ-

præceptum esset de iure naturæ primario; virginitas esset contra ius primarium naturæ, sed hoc est falsum: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Si daretur tale præceptum in iure primario naturæ; posset à Deo dispensari, media simplici fornicatione, saltem dispensatione impropria. Ergo etiam ius primarium posset sic dispensari. Antecedens patet, quia malitia simplicis fornicationis contra ius naturæ in eo stat quod accedat quis ad non suam. Sed hoc dominium alieni corporis potest à Deo in alterum transferri, vel eo ignorante, vel etiam ex Dei instinctu ita sentiente: ergo, &c. *Confirmatur* 3. Polygamia est contra ius primarium naturæ. Sed in hoc Deus dispensavit in veteri testamento: ergo, &c. Probo mai. Polygamia est contra legitimum contractum de propagatione inter virum, & fœminam, vt *sint duo in carne vna*: nam sic non erunt duo, sed plures. Atqui huiusmodi contractus est de iure primario naturæ: ergo Deus licèt impropria dispensatione tamen in eo poterit dispensare. In hoc argumento consulto religavi omnia illa quæ circa propagationem humanæ naturæ attingi, & disputari possunt attento tali iure; & vnde nasci solent dubia difficilia, & propositiones implexæ: vt omnibus his speciebus, quasi vno obtutu lustratis, atque compositis doctrina, quæ danda est, magis retineatur, & inclarescat.

11 Igitur ad argumentum respondeo negand. min. & min. probationis, & vlteriorem probationem huius simul cum probatione subiuncta. Quæ tamen claritatis gratia distingui potest sic *pendet à Deo, & hominibus iuxta conditionem status naturæ humanæ*, conced. anteced. *aliter*, neg. anteced. Itaque simpliciter, & absolutè loquendo cum status naturæ humanæ, qui ab exordio replevit mundum, fuerit status naturæ lapsæ; statim meritò dicitur, omnem contractum humanum subiectum esse mille immutationibus, quas naturæ humanæ mutabilitas posset inducere; sed hoc iam pertinet ad ius naturę *secundarium*, quod nos ita vocamus, quia non est illud ius simplicissimum naturæ in statu primæ suæ innocentiæ durantis, sed ius secundarium, & ex suppositione lapsus naturæ, vt fusius præstabilitum est in præcedenti quæstione. Quare pro solutione diligenter attendi debet: quomodo in tali statu innocentiæ se habiturus esset ille contractus legitimus viri, & fœminæ, vt essent duo in carne vna: nam si velles tunc alterare contractum ex parte Dei aut hominis, ita vt neque esset soluti cum soluta, neque in perpetuam, & individuam vitæ rationem; id à Deo fieri in tali statu est impossibile, eo quòd Deus numquam per se posset in eo statu everterę, & frustrare ordinem pro eo decretum; neque vir aut fœmina quamdiu obedirent Deo, & rationi, aliter in eo statu de propagatione contraherent aut paciscerentur. Si autem solutus cum soluta ad perpetuam vitæ consuetudinem in vna voluntate, & in vna carne traducti, filios procrearent; ecce tunc matrimonium perfectum in lege naturæ pro illo statu. Nunquam ergo conficitur, quod ius primarium illius status aliquam dispensationem, tametsi laxam, & impropriam posset admittere.

12 Ad primam confirmationem respondeo concessa maiori, negando minorem. Quia licèt absolutè loquendo semper debet absolutè proferri, & teneri, quòd virginitas non sit contra ius naturæ (præsertim virginitas personalis: quia virginitas communis totius naturæ humanæ eius propagationi adversaretur si semper integra permaneret) tamen est satis clarum, quòd, licèt in statu innocentiæ virginitas semper quoad conditionem esset numeranda inter primas, & excellentes dotes naturæ, quousque persona accederet ad debitam maturitatem prolificandi; tamen quoad perpetuitatem

tatem virginitatis etiam perſonalis, quandiu prævaleret neceſsitas propagationis, foret in illo ſtatu contra ius primarium naturæ; immo, & in ſtatu naturæ lapſæ, vrgente neceſsitate propagationis: veluti poſt diluvium virginitas, non ſecundum ſua prædicata, & donum naturæ; ſed ſecundum eius immoderatam tenacitatem, & quatenus tollens homines neceſſarios in mundo, eſſet contra ius naturæ. Multiplicato verò iam genere humano virginitas perſonalis in ſtatu naturę lapſæ valde conformis eſt iuri naturæ: ſi quidem poſtquam hæc lapſa eſt, & paſſa rebellionem carnis; atque ius humanum in communi totius naturę, quaſi diſciſum eſt in ſingula iura; vt vnuſquiſque animo, & corpore priuſquam reliquis ſibi conſuleret; nequit non eſſe naturæ ipſi individuæ admodùm conſentaneum, vt quando propagatio non vrget (& quidem vrgentia totius naturæ) poſsit quis vas ſuum in honore retinere, & rebellionem carnis magis ſubijcere, tortorique ſuo non relaxare iura; ſed potius iuxta primævas maximas iuris naturæ ſecundarij in quæſt. præcedenti à nobis præſtabiliti, quærere ac conciliare ſibi Deum hoc puro libamine; necnon ſubigere concupiſcibilem, vt ſe in quantum poſsit revocet ad priſtinam innocentiam. *Replicabis.* Ergo virginitas B. Mariæ Virginis fuit contra ius primarium naturæ, ſiquidem conſervavit ſtatum innocentiæ. Reſpondeo neg. conſeq. & diſting. probat. Statum innocentiæ perſonalis, conc. ſtatum naturæ, neg. & ideo eſt tam celebris quia in medio ſtatu naturæ lapſæ apparuit virgo plena nedum integritate; ſed etiam innocentia originali. Ad ſecundam confirmationem, nego antecedens ab cuius probationem diſting. mai. Contra *ius naturæ ſecundarium.* conc. mai. Contra *ius naturæ primarium*, nego ſuppoſitum, & conced. min. nego conſeq. Nam ſimplex fornicatio, vt ſupra tetigi locum non habet in ſtatu innocentiæ, eo quòd vel eſſet legitimè matrimonium ſi eſſet contractus inter ſolutos perpetuus, & ad propagationem, non ad libidinem; ſi verò eſſet ad libidinem, & non in perpetuum, neque contractu noto, & legitimo, ſed clanculario cuiuſmodi ſolet eſſe fornicatio; locum non haberet in illo ſtatu, in quo nulla deordinatio contingeret. Eſt tamen contra ius ſecundarium naturæ; quia per id prohibetur naturæ iam rebelli omnis vitioſa commixtio.

13 Ad tertiam confirmationem reſpondeo diſtinguendo maiorem. Polygamia in ſtatu innocentiæ, conced. maior. In ſtatu naturæ lapſæ, neg. maior. & diſting. minor. Diſpenſavit in ſtatu naturæ lapſæ, conced. min. in primo ſtatu, nego min. & neg. conſeq. & ad probationem maioris diſtingui etiam oportebit legitimus contractus prout in ſtatu innocentiæ, & in ſtatu naturæ lapſæ. Itaque, ſi Polygamia inducta fuiſſet in ſtatu innocentiæ; verè eſſet contra ius naturæ primarium propter probationem: quia non forent duo in carne vna: quin hoc ſit dicere quòd Polygamia permiſſa in lege ſit iuxta primarium ius naturę, eo quòd non ſit contra illud: nam hoc debet ſemper præ oculis haberi; quod nimirum, illa, quæ ſunt contra ius ſecundarium naturæ immediatè, & formaliter, etiam ſunt licèt indirectè, & mediatè contra ius primarium naturæ; ſed cum hoc diſcrimine quòd quæ ſunt immediatè, & formaliter contra ius primarium naturæ à nobis explicatum, neque vnquam diſpenſata, neque diſpenſabilia eſſe etiam laxe; quæ verò ſolum ſunt contra ipſam mediatè, laxe diſpenſabilia ſunt modo dicto. Vnde Polygamia, quæ invenitur à Domino diſpenſata ſolum eſt in ſtatu naturæ lapſæ, & contra ius naturæ ſecundarium: ſi quidem poſtquam concupiſcentia carnis ita ſe rebellavit cum concupiſcentia oculorum contra rationem; placuit Deo, qui contractum viri, & fœminæ in vna carne fundavit;

illum paululum relaxare, attenta nova corruptela naturæ, tùm quoad communicationem consortis, tùm quoad perpetuitatem: *quoad illam* quidem ita vt vir posset habere plures vxores ex illis, quæ magis placerent; *quoad hanc* verò itaut si vxor præ feditate, vel alia de causa tacta per nos in quæstione de libello repudij, displiceret, posset licitè cum libello abscisionis dimitti, medio quo matrimonij vinculum rumperetur, prout in eadem quæstione tractamus. Itemque in matrimonio infidelium altero coniuge ad fidem conversо, & impotente habitare sine contumelia creatoris, vbi etiam rumpitur.

14 Sed replicabis hic oportunè Polygamia inversa, sivè vnica vxor cum pluribus viris planè est contra ius primarium naturæ: sed in hac Deus posset dispensare saltem de potentia absoluta: quia nihil obstat: ergo aliquid resultat de iure primario, quod sit aliquomodo dispensabile. Respondeo distinguo mai. *secundum negativum quod dicit*, conced. mai. *secundum positivum*, nego mai. & respectivè distincta min. neg. consequent. Nam polygamia inversa, sivè vnius vxoris ad plures viros duo dicit, scilicèt, inordinationem generationis ad propagationem, & accessum vxoris ad corpora non sua: quoad hoc secundum, quod prohibitum est iure naturæ secundario, quo prohibetur ne natura iam lapsa ad aliena sibi vsurpanda accedat, potest Deus titulo supremi dominij laxè dispensare; quia in eo nullum apparet inconveniens; cæterum quoad primum semel posito à Deo ex iure primario naturæ ordine debito propagationis humanæ, nequit etiam de potentia absoluta facere à seipso, vt hic ordo frustretur; alias posset sua decreta frustrare. Vnde Bellarminus 1. *de Matrimonio, cap.* 11. & 12. fortiter impugnat id posse fieri à Deo. Quod verò sit inordinatio generationis, est res manifesta, eò quod iuxta principia physica, & philosophica non posset verus fœtus concipi de commixtione virorum intra idem vas (omissis interea rixa coniugum ac nulla distinctione, & mala educatione liberorum, si fortè essent per accidens, vt contingit in adulteris fœminis, quæ iam ex viro, iam ex adultero interdum concipiunt; nam fœmina, quæ viris pluribus patet, vt meretrix, vix vnquam gravidatur) & hanc inordinationem propagationis nequit Deus, semel eius ordine stabilito inducere adhuc de potentia Dei absoluta. Si verò mediteris potentiam Dei absolutam omninò antecedenter, & roges: cur Deus non potuisset mundum ita disponere, vt vxor vna quatuor viris tradita faceret legitimam propagationem, & prolificationem suæ naturæ? Tunc statim respondeo, potuisse idquidem fieri in illa altera providentia; verum in ea Deus alio modo ac nunc, & vasa, & corpora, & modum generationis aptasset.

15 Obijcies 2. Ius primarium naturæ iubet amorem sui, & amorem proximi sui. Sed Deus in vtroque amore potest dispensare: ergo, & in iure naturæ primario. Probo min. Nam in Samsone, & Raszia de facto dispensavit, vt se ipsos interimerent. Et in occisione proximi etiam inspiravit, aut iussit tùm in sacrificio Abraham, tùm in sacrificio filiæ Iephtè, tùm in occisione Ægyptij per Moysen: quas neces omnes Dei spiritu factas nos vltro concedimus: ergo, &c. Confirmatur Deus in lege veteri permisit vindictam in gentes, vt patet ex Levit. & Deuteron. Sed hæc adversatur amori debito individuis eiusdem speciei ex iure naturæ id primario dictantis: ergo, &c. Ad hoc argum. resp. disting. mai. amorem *ordinatum*, conced. mai. *non ordinatum*, neg. mai. & neg. min. ad cuius probationes est satis clara responsio: nam Samson, & Raszias, qui Domino inspirante se ipsos occiderunt nihil egerunt contra amorem sui ordi-

dinatum, ſecundum quem prius debebant amare Deum, quàm ſe ipſos, & non amare vitam ſuam niſi iuxta terminos ab Authore præfixos: vnde quamvis appareat idem eſſe occidere ſe ipſum, ac odio habere ſe ipſum, vt in deſperantibus patet; tamen aliud eſt reverà hoc poſitivum *occidere ſe ipſum*, ab hoc negativo *non amare ſe ipſum*: ſtat enim, vt vidimus, quòd homo ſe ipſum occidat, & nihilominus ſe amet ordinatiſsimè: poteſt ergo Deus, vt ſupremus vitæ Dominus eam cuiquam auferre, vel per manus proprias, vt in Sanſone, & Raſzia, vel per alienas, vt in filia Iephtè, & intentato ſacrificio Iſaac: ex quo ſolum ſequitur Deum poſſe laxè diſpenſare in eò quod pertinet ad ſecundarium ius naturæ. Ad occiſionem factam à Moyſe, quam nos etiam in ſeparata quæſtione excuſamus, & quaſi inſtinctu Domini factam defendimus reſpondeo ſimul cum confirmatione: quod nimirum, tàm hæc occiſio, quàm generalis permiſsio vindictæ in veteri lege eſt à Deo ex titulo ſupremi Iudicis: ſiquidem, tàm hoſtis communis, quàm inimicus particularis Moyſis iuſtè poterant pœnas luere, eò quòd iniuſtè ſe gererent: imò in vindicta, ſi ſecluſa privata authoritate, & pravo affectu, vnicè attenditur hoc quod eſt, malefacientem tantumdem mali referre, quantum fecit; non ſtatim apparet vnde ſit contra ius naturæ; quin potius in hac proportione retributionis videtur fundari lex talionis, quæ tam iuſta eſſe videtur.

16 Obijcies 3. Furtum eſt contra ius primarium naturæ. Sed in furto poteſt Deus diſpenſare: ergo, &c. Maior conſtat. Quia illud principium: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris* pertinet ad ius naturæ primarium. Sed furtum eſt contra hoc principium immediatè, & directè: ergo, &c. Minor prima. Etiam conſtat, & patet ex ſpoliatione Ægyptiorum facta per Hebræos in Exodo, Domino diſpenſante: ergo, &c. *Confirmatur.* Vſura quæ vere talis ſit furtiva eſt. Sed Dominus in veteri lege permiſit vſuras Hebræis erga extraneos, vt conſtat ex ipſa lege, & Abulenſi, aliſque Interpretibus: ergo, &c. Ad hoc argumentum, ex dictis iam venit pervia reſp. negand. maior. Nam probatio ibi appoſita falſa eſt etiam qua parte ait illud principium eſſe de iure primario naturæ: nam aliud eſt eſſe vnum ex per ſe notis, eo quod cunctis clarum apparet; aliud vero eſſe primum: nam cum negativum ſit, ſupra aliud affirmativum cadit, & exinde dimanat, ſcilicèt, ſupra illud *dilige proximum tuum ſicut te ipſum*: & in hoc quod eſt *non diligere proximum ſicut te ipſum, ſervato ordine charitatis* Deus neque ſtrictè, neque laxè diſpenſare vnquam poteſt. Cum autem ad ius ſecundarium naturæ attineat hoc, quod eſt aliquid proximo non ſuffurari; hinc eſt, quod in eo poteſt Deus titulo ſupremi Domini diſpenſare, quatenus cuicumque malit poteſt dominium proprietatis conferre, veluti fecit in ſpoliatione Ægyptiorum. Ac ſimiliter reſpondendum eſt ad confirmationem in ordine ad vſuras, tùm propter eandem rationem: tùm etiam, quia hic etiam intervenit titulus ſupremi Iudicis in Deo, quo poteſt externis hoſtibus bona ſua per vſuras paulatim ſurripere, & alio transferre: veluti ſupra cum ſupellectili Ægyptiorum feciſſe commemoratur.

17 Obijcies 4. Ius primarium naturæ erga Deum præcipit non iurare: & primarium erga homines præcipit non mentiri. Sed in vtroque diſpenſavit Deus: ergo poteſt aliquomodo diſpenſare in primario iure naturæ. Probo maiorem. Quia ius primarium erga Deum iubet *hunc colendum eſſe*, & vſurpatio iuramenti eſt contra reverentiam Deo debitam. Item ius primarium erga homines poſtulat ſynceram inter ſe fidem, quam mendacium labefactat, atque corrumpit: ergo, &c. Minor conſtat in ordine ad iuramentum:

tum: quia Deus ipse per semetipsum iurare præcipit, & interdum iurat hominibus ac quomodo iurandum sit declarat, vt latè traditur à nobis hìc in quæstione de iuramento. In ordine ad mendacium. Nam Deus varijs in locis Sacræ paginæ videtur commendare, approbare, & præmiare mendacium: vt in Raab occultante exploratores, in Iacob mentiente se esse Esau, & in Obstetricibus fallentibus Pharaonem: quibus omnibus retributio facta est: ergo, &c. Ad hoc argum. respondeo primo, nego mai. Quia ex dictis satis constat, quomodo ius primarium solum respiciat naturam rerum in statu innocentiæ; iuramentum autem inductum est, vt latè à nobis traditur in quæstione de iuramento propter naturam lapsam: cum enim iam homo homini cæpisset diffidere; cæpit quoque advocari Deus, vt testis, vt fidem faceret: quare Deus cum esset supremus Iudex, potuit vt medium testificationis inducere iuramentum, & præcipere, vt iuraretur *per Deum*, & non per idola, excluso semper iuramento vano, & mendaci. Idem dico de mendacio propter eandem rationem intò, & probationem ibi adductam: quia de iure primario est syncera veritas: proindeque nunquam potest Deus dispensare in hoc quod est non servari veram fidem in dicendo: neque dispensari potest in mendacio vt tali, licèt possit à Deo permitti in hominibus, & multo magis, si fiat cum ignorancia invincibili. Quare vt hæc clariora fiant oportet considerare quid sit mendacium: in quo importatur aliquid negativum, scilicèt, *non se conformare cum mente in loquendo*, & aliquid positivum scilicèt *loqui apponendo talia signa*: quoad primum est oppositio directa, & immediata cum iure primario naturæ dictante, mutuam sibi fidem esse servandam: quoad secundum verò opponitur immediatè, & directè iuri secundario dictanti non mentiri, id est, *ne apponas signa locutiva contra mentem tuam*. Et quidem neque in non servando fidem, neque in defectu conformitatis ad mentem vnquam Deus dispensare potest: posset tamen vt author totius naturæ, & placiti vniversorum, has vel illas significationes in vocibus substituere ita vt coram Deo mendacia non essent ea, quæ alioqui coram hominibus sic apparerent. Vnde quamvis in casibus memoratis (si peccatum deest, & ignorantia) viderentur sibi contra mentem ire; nihilominus vacarent mendacio, eo quòd Domino laxè dispensante voces exuerent vna significatione, & aliam induerent.

18 Respondeo 2. concessa maiori vel permissa, neg. min. ad cuius probationes dico, quod licèt permitteretur prohibitionem iuramenti esse de iure primario naturæ debet intelligi de iuramento falso, & frustraneo quod nullibi Scripturarum permissum est. Circa mendacia verò relata licèt talia esse admittantur vel ignoranter, vel non ignoranter elicita, non propterea Deus dispensavit, licèt in eas personas beneficia contulerit: quia vt dixi in quæstione de Obstetricibus *t. 2. Dec. 1. q. 3.* ex D. Greg. Mag. ibi: *Præmiatur benignitas mentis, & non iniquitas mentientis*: sicuti in imperante assensum de quaternitate personarum à Parrocho propositum præmiatur imperium; licèt assensus sit erroneus. Præterquam quod de mendacio excusantur à nobis Obstetrices in dicta quæstione; & per mysticam figurationem excusat Iacob Augustinus: & in Raab meretrice non erit studiosè quærenda excusatio. Replicabis hic. Videtur difficilè quod præcepta Decalogi per quæ Deus voluit reformare in nobis ius naturæ iam deformatum non reimpresserit primarium ius naturæ potius quam secundarium, ad quod reducimus penè omnia præcepta. Respondeo vtrumque ius ibi reinsculpi fusius secundarium, quia natura lapsa iam fuerat, & pro ea reparanda id ius vrgebatur; bre-

brevius autem, & compendioſius ius primarium, dum ibi ſubiungitur, quod cuncta illa præcepta clauduntur in hoc, quod eſt *diligere Deum, & proximum ſicut te ipſum*: nam hic exprimitur debitus amor Dei, ſui, & proximi.

19 Inferes 1. Ius primarium naturæ eſſe ſimpliciſsimum quidpiam, & regulam puram ſynceram, & vbique affirmativam de omni eo, quod, homine non rebellante, præſtandum eſſet ab ipſo erga Deum erga ſe, & erga proximum ſuum: vnde in illo iure nihil clauditur negativum, aut prohibitivum (excepto primo præcepto non comedendi, quod potius fuit probatio quam lex, quæ tendit ad rectificandum. Imò id *quæſt. 10. ſeq. in 1. Notab.* fusè id explicatum reperies) neque aliquid malum etiam terminativè; neque aliquid permiſsivum, aut per indulgentiam conceſsivum; ſed omnia hæc, vt talia pertinent ad ius ſecundarium naturæ, quod reſpicit revocationem naturæ lapſæ ad ſtatum ſuum: quare lex iam non fit ſimpliciſsima exinde, ſed multiformis *prohibens, puniens, permittens, indulgens, imperans*. Nam, vt ſimili me explicem Paterfamilias parvos liberos habens, & teneros ſimplici inſtitutione prius dirigit, & informat: dum innocentes ſunt, ſolum facienda præſcribens, & nihil vitandum proponens; ſtatim verò ac ipſi inſoleſcunt indociles, & domum turbant *negat, prohibet, punit, indulget, permittit, ſeu diſſimulat, imperat, &c.* Inferes 2. Per hanc viam explicationis venire in concordiam Theologorum, & Iuriſtarum ſententias. Nam Ocham cum ſuis ſalvat malum formale intrinſecum non eſſe niſi à Deo prohibente. Scotus ſalvat aliquod diſcrimen, verè recognoſci debere in præceptis Decalogi, quatenus alia videantur ſimpliciora, & potiora, vt *colere Deum: honorare parentes*. Durandus ſalvat, quomodo detur aliquod diſcrimen inter præcepta affirmativa, & negativa. Iuriſtæ ſalvant diſtinctionem iuris naturæ primarij, & ſecundarij. Ac demum D. Thomas, Suarez, & cæteri ſalvant intrinſecè mala talia eſſe pro priori ad prohibitionem Dei; & hunc ſtrictè diſpenſare non poſſe in lege naturæ, ſivè quoad ius primarium, ſivè ſecundarium.

20 Inferes 3. Quod quamquam multa, quæ ſunt de iure naturæ ſecundario ſint à Deo impropriè, & laxè diſpenſabilia; attamen multa ſunt de iure naturæ etiam ſecundario, quæ nullatenus diſpenſabilia ſunt; & hæc ſunt illa, quæ vel in ſe formaliter coaleſcunt ex aliquo negativo directè, & formaliter oppoſito contra ius naturæ primarium, vel primo immediatè, & quorum nonnulla recenſet Salas *de Legibus, diſp. 5. ſect. 9.* v. g. Primo. Idolatria, & colere alium Deum: quia formaliter colere alium Deum falſum, vt ſupremum, importat negare Deo vero verum cultum. Secundo. Blaſphemia in Deum indiſpenſabilis eſt: quia formaliter importat negare cultum Deo, negando ei aliquod attributum. Tertio. Odium Dei: quia primo immediatè infert ablatum amorem debitum. Quarto. Iudicium temerarium: quia temeritas importat formaliter deordinationem iudicij. Quinto. Mendacium: quia vt tale importat formaliter deordinationem ſenſus loquutivi ad rationem. Sexto. Neque poteſt Deus diſpenſare in eo quod operetur quis contra conſcientiam dictantem, quia ibi importatur eadem in ordinatio appetitus ad rationem. Septimo. Neque quod non obediatur legi iuſtæ, vt tali perſeveranti: quia eſſet negare ordinem debitum erga Deum, erga ſe, vel erga proximum, & ſic ſimiliter.

21 Inferes 4. Quid dicendum ſit de ſtricta interpretatione legis naturalis, quæ ſit purè talis, de qua modo eſt noſtra tractatio. Communiter AA. apud Suarez *cap. 16.* interpretationem concedunt; ſed videntur eam cum diſpenſatione laxa confundere, quatenus

interdum liceat id, quod appareat, legi naturæ adversari; cæterum stricta interpretatio hæc non est. Item Caiet. Navarr. Covarrub. censent interpretationem eius nedum à Deo, sed à Papa fieri posse. Suarius verò, vt puto, in hac re procedit profundior, & verior. Ait enim nullam strictam interpretationem talis legis posse dari, vel à Deo, vel ab homine, eò quòd ipsa, vt talis, semper ferat intrinsecum honestatis ipsi numquam defectibile. Ego vero, ni fallor, rationem profero hic non inutilem. Lex ergo solum suscipit interpretationem, quando voluntas Principis manifestatur exterius: de internis enim non fit. Si ergo hæc externa manifestatio est incapax ambiguitatis circa sensum voluntatis Legislatoris; non habet locum interpretatio. Ita ergo est in manifestatione legis naturæ, quæ fit per impressionem à Deo. Quod si in aliquibus personis plusquam in alijs hæc lex inclarescat, & hæc voluntas Legislatoris; erit quidem quasi extensivè ex parte obiectorum, non intensivè, aut in ipsa intimatione legis, quoad sufficientem notionem eiusdem: quia ibi lex non fertur per verba capacia æquivocationis, sed per notionem mentis, magis, vel minus extensam circa obiecta, quę sunt de iure naturæ. Vnde in Deo solum datur imprimere plus vel minus in homine notionem iuris naturæ: ea vero quæ semel impressa est, neque Dei, neque hominis interpretatione indiget: cum non sit ambigua. Authores vero sentientes, legem naturalem posse suscipere interpretationem, id dicunt de lege naturali, non purè tali; sed per ius positivum divinum, aut humanum iam declarata: vbi ambiguitas verborum potest reperiri. Quare quod multis casibus solet dici, *interpretatio legis naturalis*, non est nisi cognitio iuris naturæ pro talibus circunstantijs. Nam ius naturæ respicit rectum speculativum, & practicum, id est rectum secundum se, & in circunstantijs: vnde cùm secundum se sit rationi consonum *reddi depositum*, & in circunstantijs in quibus foret nocumento Reipublicæ non sit rectum sed malum; ideo eadem lex naturæ quæ vniversim iubet reddi depositum; in hoc casu particulari id prohibet.

22 Igitur pro perfecta cognitione huius doctrinæ observari debet, quod neque vlla notio, neque vlla iussio Dei tendit de se ad vniversale, vt tale: Deus enim attingit omnia prout in se sunt singularissimè: vnde sicuti diximus in Palæstra Scholastica agendo de irrevelabilibus, Deum, quando dicit: *Decerno omnem actum intellectus*, &c. non decernere aliquid vniversale, & confusum, sed singularissimos quosque actus, v. g. A. B. C. F. R. S. &c. (nos enim propter limitationem nostram, vt possimus loqui de rebus, rationes quasdam communes abstrahimus) ita potiori iure lex naturalis, quæ practica est, non respicit rationem vniversalem, vt talem; licèt sic à nobis explicetur; sed casus omnes, & singulos respicit, prout affectos circumstantijs suis; & de eis prout sic, statuit iubens, aut prohibens: est enim lex æterna multiformis, vtpote à Spiritu Sancto profecta. Hinc ergo singularitas casus *hic*, & *nunc* præsentat nobis ius, & æquum conformiter ad rationem, & ad legem æternam: & eo cognito pronuntiamus, interpretantes verba legis, illum casum contineri, aut non contineri in lege; & Legislatorem vtpote iustum sic sensisse vel non sensisse, aut debuisse sentire: cum hoc discrimine, quod quando sensus per interpretationem in eo casu donatus satis clauditur in ambiguitate verborum, dicitur *interpretatio*; quando vero est planè contrarius verbis dicitur Epikiia, qua dicitur emendari legem, eo quòd datur intelligi; quòd Legislator illius legis, si talem casum præsentem habuisset, vel excepisset, vel iustus non fuisset. Denique aliud est circa quod versatur interpretatio;

aliud

aliud quod elicit: versatur circa verba, sed elicit sensum: vnde vbi verba non sunt sicuti in lege purè naturali; nec rigorosa interpretatio, nec Epikiia cadere possunt: sivè à Deo sit, sivè ab homine.

JHS.

# QUÆSTIO OCTAVA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

TRANSGRESSI SVNT LEGES, MVTAVERVNT IVS; dissipaverunt fœdus sempiternum. *Isaiæ* 24. *v.* 5.

## ARTICULUS.

### *VTRUM LEX NATURALIS MUTARI; AUT DISPENSARI humanitus possit?*

1 Uppono 1. Legem naturæ, & ius naturæ hic aliquomodo distingui oportere: lex enim, si passivè sumitur, prout in natura ipsa invenitur, meritò potest cum iure in creaturis residente confundi; si verò activè; est ipsa lex æterna in natura rationalem impressivè translata iuxta Augustinum *lib.* 83. *Quæstion. quæst.* 53. ibi: *Ex hac ineffabili atque sublimi rerum administratione, quæ fit per divinam providentiam, quasi transcripta est lex in animam rationalem. Et fundat ius naturale in creaturis.* Igitur ius naturæ aliud est primarium absolutissimum, & simplicissimum; aliud autem est secundarium, & quasi ex suppositione aliqua contingenti. Cuius divisionis ratio est, quia sapientissimus Author naturæ, & legislator ipsius non potuit aliter legem condere circa naturam rerum, quam naturam ipsum condiderat: cùmque hanc ita condidisset, vt mutabilem fecerit, non solum ea iugi mutatione, quæ fit rerum ortu, & interitu; sed etiam mutatione contingenti, & libera propter vsum liberi arbitrij; debuit proinde altus legislator legem dare naturis rerum primario, absolutè, & simpliciter pro statu liberi arbitrij non prevaricantis ex parte sua ordinem debitum; & secundario ex suppositione talis prævaricationis, dare leges quæ etiam in eo casu traherent naturam rerum ad fines à Deo incomprehensibiliter præstitutos: eo quod Deus statuisset mundum per sæcula conservare, & propagare. Alioqui nisi Deus de hoc secundario iure naturæ providisset; statim à prævaricatione mundi machina inrerijsset; eo certe modo, quo via Angelorum ad primam sui prævaricationem interijt, & eorum moralis legislatio absoluta est. Hoc autem ius secundarium naturæ est quod confundi merito potest cum iure Gentium circa quod rite definiendum inter Iurisperitos, & Theologos adhuc densa trahitur concertatio.

Sup-

2 Suppono 1. Ex dictis etiam iam oportere distinguere, fundare, & stabilire illas maximas, & prima principia per se nota, quæ ad alterutrum ius naturæ modo explicatum attineant; notando interea, quòd vtrumlibet ex ijs habiturum est sua prima principia: asquidem, cum ius naturæ secundariũ sit de tota natura rerum per rebellionem humani arbitrij tam solenniter, & ingenter immutata, vt penè ex integro novum naturæ systema consurgere videretur, à primæuo maximè declinando; oportebat alios sibi primos cardines, & canones, cùdi quibus regeretur, & de quibus alia prima dictamina formarentur. Ea propter nihil modo esse potest tam pervium, & oportunum, quàm pro virili nostra secernere eas maximas, quæ in vtroque iure naturæ videntur fore prima principia. Igitur ex fine vniuscuiusque legis ea, iuvante Deo, venari poterimus. Finis itaque ab eo intentus per ius naturæ primarium, & simplicissimum est seorsim à quavis suppositione contingenti ordinare hominem in ordine ad Deum ad se, & inordine ad alios, ea quidem vnione simplicissima, tùm naturæ, tùm gratiæ, & iustitiæ originalis, vt si ijs legibus homo pareret, & obtemperaret, facillimè ad vnionem cum Deo eveheretur, & ad felicitatem æternam posset inoffenso tramite transportari. Exinde ergo nascitur, quòd in hoc iure primario hæc sunt censenda principia prima, & notissima. Primo. Deus omnium Author recognoscendus est, & super omnia diligendus. Secundo. Deus ex totis viribus colendus est, & ipsi in omnibus obtemperandum. Tertio. Vita propria conservanda, & nutrienda sanè est (de anima in linea supernaturali similiter philosophare.) Quarto. Natura humana, legitimè contrahente voluntate viri, & fœminæ, propaganda est iuxta terminos suos. Quintò. Fratribus eiusdem naturæ pro mensura indigentiæ, salvo iure proprio maiori, beneficiandum, & auxiliandum est: & fratri digniori, aut vtiliori, sivè vrgentiori in casu, magis quam minus digno, &c. Sexto. Fratrem tuum post te dilige, vt te ipsum. Inter quæ prima principia iuris naturæ primarij consultò non recenseo illud *nemini noceas*: quia hoc non videtur enasci, quousque natura proclivis iam sit ad nocendum: id quod vsque ad prevaricationem non contigit. Iam ergo finis in legislatione Dei respectu naturæ lapsæ quoad secundarium ius naturæ certè alius non est, quàm reunire naturam, iam rebellem, iterum, tùm Deo, tùm sibi ipsi, tùm proximo suo, nedum quoad naturalia; sed etiam quoad supernaturalia (sæpè enim dixi cum Suario, quando agitur de iure naturæ includi etiam solere naturam, vt elevatam.) Proindeque inibi apparet quam congruè Deus, vt sibi melius hominem reuniret, statuisset se homini vnire. Ex eo igitur fine nascuntur pro secundario iure naturæ aliæ Maximæ, seu principia per se nota, scilicèt. Primo. Quærendus est Deus, atque timendus, ipsique pro peccato satisfactio exibenda. Secundo. Reparandus est debitus ipsius amor, & obedientia. Tertio. Subijcienda est rationi, & Deo concupiscibilis ad tollendum amorem sui inordinatum, & reparandum sibi & naturæ ordinatum amorem. 4. Subijcienda est rationi, & Deo irascibilis ad consulendum sibi, & suis ordinatè. 5. Subicienda est rationi, & Deo concupiscibilis in ordine ad reparandum ordinatum amorem erga proximum suum. 6. Subijcienda est rationi irascibilis in ordine ad consulendum proximo suo ordinatè circa se, & circa sua. Ac denique illud principium vniversale decantatissimum *declina à malo, & fac bonum* de vtroque iure dicto manavit, quatenus *fac bonum* pertinet ad ius primarium, & *declina à malo* pertinet ad ius secundarium. Quæ quidem principia, ni multum fallor perpensa sunt ita funditus, & exactè,

vt

vt nihil ex ijs quæ communiter contra ius naturæ esse censentur, ad aliquod ex prędictis non statim allidat: rursusque quæ censentur in hac re esse prima principia, ex ijs appareant esse subillata, v. g. quoad ius primarium *creatura rationalis debet se ad Deum convertere. Victus debitus ante omnia naturalia quærendus est, &c.* Et in secundario iure. *Quod tibi non vis; alteri ne feceris.* Et *promissio alteri facta implenda est.* Aliaque similia. Necnon duo hinc apparent facile esse contra ius naturæ quæ ab aliquibus maleferiatis hominibus ægre credi possunt contra ius naturæ. Scilicèt simplex fornicatio, & voluntaria pollutio. Nam prima est contra ius primarium, & secundarium: Contra primarium quidem: quia non intervenit in ea legitimus contractus voluntatis viri, & fœminæ mutuo sibi tradentis corpora sua ad proprium vsum, & propagationem naturæ: illa enim potius est abusiva commixtio, neque tàm propagationi destinata, quàm explendæ libidini. Deinde contra secundarium ius: quia vtitur non sua, quæ ipsi legitimè tradita non est, & quæ, si alij copuletur, ipsi non erit iniusta. Secunda: quia similiter vtrique illi iuri adversatur: primario quidem, quia opponitur propagationi illius prolis, quæ alioqui esset nascitura, & secundario, quia opponitur principio illi de subijcienda concupiscibili in ordine ad debitum amorem sui: ea enim passio ex rebellione orta est: vnde etiam in viro profitente castitatem contra ius naturæ erit.

3 Suppono 3. Voluntatem humanam, & liberum ipsius arbitrium prout priori se habere ad ius naturæ secundarium, & ex suppositione prevaricationis humani generis; per prius enim est liberum arbitrium rebellari, & fuisse inobediens, quam sensisse supra se ex fundo ipsius naturæ simul cum vitiosa lege membrorum aliam desuper legem mentis suæ, conantem eum sibi restituere, & Deo. Ex quo non mediocris vtilitas subinfertur, vt pro pluribus casibus possit noster articulus expediri: cum enim tale ius secundarium cadat non solum supra voluntatem, vt potentiam liberam potentem proximè operari, vel non operari; sed supra voluntatem iam rebellem, & excusso iugo sibi despotice dominantem, & actibus vt cumque suis surgentem; debebat tale ius non præcisè dirigere, & illuminare potentiam adhuc morigeram, & intemeratam; sed etiam illam vt rebellem, & actus eius despoticos: quare, aliquibus ex ijs sublatis, mirum non est, ius, supra ipsos stabilitum, etiam corruere. Vnde cum in qualibet republica voluntas subditorum præcontenta sit, & quasi translata in Principis, vel Senatorum voluntatem; statim consequitur posse aliquem Principem, vel Rempublicam aliquid statuere circa illos voluntatis actus, supra quos esset ius naturæ secundarium, ita vt illis sublatis hoc rueret. Vbi observandum est, pro his casibus non posse dici ex mera mutatione materiæ ius cessaturum: quando enim cessat ius non tàm ad arbitrium Legislatoris, quàm ad arbitrium alterius voluntatis, à qua pendet non solum materia legis, sed legislatio; videtur intervenire aliquod genus dispensationis, & aliquomodo procedere à superiori: siquidem quivis homo supra suos actus liberos despoticus est: & præterea respublica superior etiam est tàm materiæ, quàm subditorum.

4 His positis duplex in hac re invenitur sententia. Prima asserit ius naturale posse etiam per potestatem humanam in aliquibus mutari, atque dispensari. Quam sententiam tuentur aliqui Iuristæ, Innocentius in principio, Panormitanus *num. 3. in cap. final de Consuetud. & cap. in Ecclesiar. de Constitutionib. num.* 11. Felinus *num. 26.* & alij ibi: Glossa *cap. proposuit de Concessione Præbendæ, cap. Sunt quidam 25. quæst. 1. cap. à Nobis de Decimis: verbo Exemptos.* Item Glossa Acursij *si quod*

*omnes* 64. *ff. de Condictione indebiti*; & §. *final. Inſtitut. de Vſu*, & *Hab.* & *l. manumiſſiones, ff. de Iuſtitia*, & *Iure*, & *l. Ius Civile*, *Codice eodem titul.* Eamdem ſententiam tenet Angelus, verbo *Papa* num. 1. Navarrus *conſil.* 2. *Qui filij ſint legitimi*, *num.* 8. P. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſput.* 6. vbi affert plures de Iuriſperitis, & Canum *in relection. de Pœnit. p.* 5. Item Enriquez *lib.* 8. *de Euchariſt. cap.* 13. Secunda ſententia aſſerit ius naturale nullatenus poſſe mutari, minui, vel diſpenſari per humanam legem, conſuetudinem, aut poteſtatem. Eſt communis ſententia Theologorum cum D. Thoma *queſt.* 100. *art.* 2. *in* 1. 2. & *alijs locis præſertim*, *quodlibeto* 4. *art.* 13. Eam defendunt, aut ſupponunt Alenſis 3. *p. quæſt.* 27. *memb.* 4. *per totum*, Almainus *de Poteſtate Eccleſ. cap.* 13. *concluſion.* 1. & *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. Sylveſter. verbo *Papa*, *quæſt.* 16. Azor *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *quæſt.* 2. *vſque ad* 5. Valentia hic *diſput.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 5. Sotus 1. *de Iuſtitia*, & *Iure*, *queſt.* 4. *art.* 5. & *alibi.* Molina *tract.* 1. *de Iuſtitia*, & *Iure diſp.* 4. Abulenſis *Exod.* 20. *queſt.* 35. Victoria *relection.* 2. *de Poteſtate Papæ.* Driedo *lib.* 2. *de Libertate Chriſtiana.* Turrecremata *in Summa lib.* 3. *cap.* 54. & 57. Barboſa *in Rubricis*, *ff. ſoluto matrimon.* 2. *p. num.* 104. Covarrubias *in Regul. Peccatum p.* 2. §. 11. *num.* 3. Albertus Bolognie *tract. de Legib.* & *Iurib. cap.* 26. *num.* 3. Suarez *lib.* 2. *de Legib. cap.* 14. *num.* 5. Caietanus, Conradus, Medina, Vazquez, Salas *in* 1. 2. D. Thomæ *quæſt.* 94. *ad art.* 4. 5. & 6. Denique Navarrus alioqui citatus ſupra pro contraria ſententia videtur hanc tradere *conſil.* 4. *de Diſpenſ. Impuberum num.* 16. & ſumitur ex eodem *in cap. Ita quorumdam de Iudeis nota* 11. *num.* 7.

5 Sit noſtra concluſio: *Ius naturæ primarium abſolutè*, & *ſimpliciter eſt indiſpenſabile per quamcumque poteſtatem humanam. Secundarium verò ſtricto genere diſpenſationis indiſpenſabile eſt*; *diſpenſatione verò laxè accepta ſæpè dipenſabile*, & *mutabile eſt per poteſtatem humanam.* Probatur 1. concluſio quoad duas priores partes ab authoritate Sacra, & prophana. Primo. Ex decreto Gratiani *diſt.* 5. in principio, vbi ait: *Naturale ius inter omnia primatum obtinet tempore*, & *dignitate*: *cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ*; *nec variatur tempore*; *ſed immutabile permanet.* Et in §. *Is itaque*, poſt *cap.* 3. *diſt.* 6. ibi: *Mandata moralia ad ius naturale ſpectant*, *atque ideo nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrant.* Secundo. Ex Auguſtino 3. *de Doct. Chriſt. cap.* 14. & *lib.* 83. *quæſtion. quæſt.* 31. Tertio. Ex Gregorio Nono *cap. Final. de Conſuetud.* vbi ait: *Nemo ſanæ mentis intelligit*, *naturali iuri*, *cuius tranſgreſsio periculum ſalutis inducit*, *quacumque conſuetudine*, *quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela*, *poſſe aliquatenus derogari.* Quarto. Ex Lactantio Firmiano *lib.* 6. *Divinar. Inſtitution. cap.* 8. vbi ingerit, & laudat illa verba Ciceronis 3. *de Republica*, vbi ait: *Eſt vera lex recta ratio naturæ congruens*, *diffuſa in omnes*, *conſtans ſempiterna*, *quę vocet ad officium*, *iubendo*, *vetando à fraude deterreat... huic legi nec abrogari fas eſt*, *neque derogari ex hac aliquid*, *licèt nec tota abrogari poteſt. Nec verò*, *aut per Senatum*, *aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt querendus explanator*, *aut Interpres alius*, *neque erit alia lex Romæ*, *alia Athenis*, *nunc alia*, *alia poſthac*; *ſed omnes gentes*, & *omni tempore vna lex*, & *ſempiterna*, & *immobilis continebit*: *vnuſque erit quaſi Magiſter*, & *Imperator omnium Deus. Ille huius legis inventor*, *diſceptator*, *lator*: *cui*, *qui non parebit ipſe ſe fugiet*, *ac naturam hominis aſpernatus*, *hoc ipſo luet maximas pœnas etiam ſi cætera ſuplicia effugiat.* Quinto. Ex Tertulliano *lib. de Corona Militis*, & *in Apologetico*, *cap.* 3. Demum ex Ariſtotele 5. *Ethicor. cap.* 4. Ergo abſolutè loquendo ius naturæ immutabile, & indiſpenſabile pronuntiandum eſt.

Pro-

6 Probatur 2. Eadem vtraque pars à ratione multipliciter. Primo. Quia lex naturalis, vel eſt proprietas in quarto modo naturę rationalis, vel iuxta aliquos eadem rationalis natura. Sed nulla eſt humana poteſtas, quæ poſsit creaturam rationalem deſtruere, vel naturali proprietate ſpoliari; ergo, &c. Secundo. Quia quod abſolutè immobile, & immutabile dicitur, nequit ab homine mutari, aut diſpenſari: aitque propterea Bernardus de præcepto, & diſpenſatione ab initio non longè, *hominem nullo modo poſſe præcepta Decalogi etiam ſecundæ tabulæ diſpenſare.* Atqui lex naturæ abſolutè, & ſimpliciter loquendo immobilis, & indiſpenſabilis, atque immutabilis eſt: ergo, &c. Tertio. Ius naturæ, ſivè primarium, ſivè ſecundarium latum eſt à Legislatore ſupremo. Sed inferior, cuiuſmodi eſt homo, neqnit immutare legem ſuperioris: ergo, &c. Quarto: A priori. Quia ius naturale nil prohibet, quod non ſit intrinſecè malum; & quia tale eſt. Atqui homo nequit facere, quod aliquid intrinſecè malum non ſit intrinſecè tale: ergo, &c. Quinto. Quia vel ſermo eſt de præceptis negativis, & hæc obligant *ſemper*, & *pro ſemper*: proindeque tolli vnquam non poterunt. Vel de affirmativis, quæ obligant *ſemper*, ſed non *pro ſemper*. Atqui pro eo caſu pro quo obligant, ſemel lata à nemine tolli poſſet, quin obligent; & pro caſibus pro quibus non obligant, neque tolli, neque minui, neque diſpenſari dicuntur: ergo, &c. Sexto. Probatur ab Abſurdo. Quia ſi poſſent Principes, & Republicæ immutare, aut diſpenſare in iure naturali; à iure naturæ ſæpè ſe exuerent, & liberarent; quod dici vix poteſt.

6 Probatur iam tertia pars concluſionis ſub hac forma. Stricta diſpenſatio eſt illa, qua Author legis indulget alicui perſonæ, vt manente eius obligatione, & vi legis, tamen eam non liget in aliquo caſu. Laxa vero diſpenſatio eſt illa, media qua aliquis (verè ſuperior circa rem præſtandam) pro ſuo arbitrio perſonam hactenus obligatam, liberat ab obligatione adimplendi. Sed poteſtas merè humana non poteſt aliquando primum efficere circa ius naturale; ſæpè vero ſecundum: ergo, &c. Maior videtur clara ex explicatione diſpenſationis prout eam tradit Suarius de lege in communi: quando enim iuſtis de cauſis ſubditus aliquis in caſu aliquo à lege implenda eximitur per arbitrium voluntatis ſuperioris, diſpenſatio eſt; *vel ſtricta* quidem ſi talis voluntas ſit, vel in ſe, vel delegata, Legiſlatoris ipſius. *Vel laxa* dumtaxàt, & equivalens ſi talis voluntas non ſit, neque delegata ipſius Legislatoris. Minor patet: quia quoad primum conſtat Deum ſolum eſſe Authorem legis, & nullam poteſtatem creatam poſſe aliquem eximere à vinculo legis, quod Deus iniecerit: nullamque eſſe voluntatem eius delegatam, quæ eſt ſola, quæ poſſet competere poteſtati humanæ. Id probo.

7 Probatio ergo inſtruitur ſic. Poteſtas humana etiam ſuprema vt talis, neque claudit formaliter in ſe voluntatem Dei Legislatoris, neque claudit ipſam delegativè: ergo ſtricta diſpenſatione nequit diſpenſare in iure naturæ. Patet conſequentia cum antecedenti, quoad primam partem. Probo ſecundam. Habere voluntatem Legislatoris delegatam, in eo ſtaret quòd voluntas Legislatoris ita eſſet commendata, & commiſſa voluntati humanæ, etiam ſupremæ, vt Deus id velle intelligeretur, quod talis humana voluntas vellet in re aliqua pro hoc vel illo caſu ſeu circunſtantijs. Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Maior conſtat ex munere delegandi: eo enim Principes ſolent vices ſuas delegare Miniſtris in ordine ad contractus, & pacta conventa, quatenus impotentes, præſentare Miniſtris ſuis ſemper, & vbique voluntatem ſuam; fidenteſque ipſos ſe ſibi in omni ſua voluntate con-

for-

formaturos, committunt voluntati ipsorum actiones eiusmodi. Probo iam minorem primo. Eatenus daretur talis delegatio voluntatis divinæ in voluntatem humanam; quatenus voluntas Dei non posset innotescere semper, & vbique potestati humanæ supremæ: v.g. Pontificiæ, sed hoc est falsum: ergo, &c. Probo minorem. Semper, & vbique omni potestati humanæ specialiter a Deo, & per Deum innotescit ius naturæ, & in eo lex æterna Dei, quæ servanda est à subditis talis potestatis circa ea omnia, erga quæ versatur eius potestas, & iurisdictio: ergo, &c. Antecedens constat; tum à ratione potentissimi providissimi, & sapientissimi guvernatoris; tùm ex Sacris litteris, vbi passim constat ex novo, & veteri Testamento, vnamquamque legitimam potestatem ampliorem gratiam naturalem, vel supernaturalem accipere pro suo munere perfectè præstando; tum ex PP. & CC. Doctoribus, & interpretibus communiter aientibus vnumquemque ea dona accipere quæ congruunt pro suo legitimo munere præstando, sivè tale munus sit potestativum, sivè sit purè ministeriale: ergo, &c. Probatur secundo illa minor. Si illa delegatio ita intelligeretur; daretur casus in quo voluntas divina, quasi regeretur, & sequeretur voluntatem humanam, iam realiter, actualiter operantem, & absolutè existentem; & more humano, quasi Deus ratũ haberet, quod creatura existens voluisset. Sed hic modus gubernandi Deo indecens est: ergo, &c. Probatur tertio. Potestas humana legislativa vere talis, sivè ea Ecclesiastica sit, sivè Sæcularis cum amplitudine ad condendas plures alias leges, quàm quæ extant in Scripturis non ita debet intelligi, vt voluntas humana quæcumque illa sit, aliquid de novo velit circa ius naturæ, & legislationem ipsius, quod Deus ipse ab æterno prius non voluisset; sed stat in eo quod vnaquæque humana potestas iuxta ordinem suum magis desuper illustretur de iure naturæ à Deo impositio, & congruentius moveatur, vt velit intimationem, aut declarationem legis æternæ, ac naturalis supra subditos suos: ergo, &c. Antecedens explicatur. Deus tanquam supremus, æternusque Legislator inferiores potestates humanas legitimas ita disposuit, atque illuminare decrevit, vt sua æterna legislatio nunquam in mundo esset interitura: proindeque partitus humanam potestatem in Ecclesiasticam, & Sæcularem. *Circa primam* suo fonti Deo magis propinquam, statuit tale lumen rationis, & gratiæ communicare, vt vera summa doctrinæ, & legislationis deficere nunquam posset in primo capite, scilicèt, Supremo Pontifice: vnde illi venit infalibillitas in ordine ad mores; cum eidem veniat infallibilitas in ordine ad fidem ex eo quod vt persona sais oraculis magis propinqua, & de cætu totius religionis electa, sibi organum sit pro revelatione omnium mysteriorum.

8 Quare divini muneris est, vt (quidquid sit de privata quadam obscuritate mentis, & lapsu personæ in ordine ad se) tamen in ordine ad alios gratijs clarissimis illustretur ad cognoscendum quidquid rectum est absolutè, & in circunstantijs, & ad id suis subditis intimandum. *Circa potestatem verò sæcularem* similiter statuit, eam circa ius naturæ noscendum, & intimandum, locupletissimè illustrare, & movere, tàm intrinsecùs, quàm extrinsecùs per institutiones optimas, & Viros sapientes, & Primæ Sedis speculam: non tamen ita indefectibiliter, vt non possit potestas sæcularis culpa sua privata etiam incidere in errorem, & iniquitatem in statu legis subditis propositam, & clariùs, vel obscuriùs cognitam, prout leges aliquæ possunt iniustæ cognosci: providentur tamen à Deo Legislatore, vt, nisi peccata quoque subditorum concurrant, non ferantur leges de re iniqua, & iniusta; tametsi ferantur aliquandò iniustè.

iustè. Quamobrem Imperatores Reges, Respublicæ, & generatim omnes illi qui leges civiles condere possunt, in primis provisi sunt de vero iure naturæ ipsis nunquam obscurando maximè, si recurrere velint ad pharum indeficientē Ecclesiasticæ potestatis, & Pontificiæ, cui etiam in lege veteri Deus, qui olim cum hominibus versabatur, alligare voluit *Rationale* Summi Sacerdotis quod hic gestabat in pectore, & erat *rationale doctrinæ*: Si autem legitima potestate sua, & legislatione, adhibitis sapientibus, & morigeris, vti velint, nulla erit circa jus naturæ absolutè, & in circumstantijs pronuntiandum obscuratio, & error: proindeque tunc procedent, quasi veri cognitores recti, quod Deus semper voluit pro tali casu, & tempore, & quod propterea naturæ rationali altè impressit, & eam in Superioribus talis Naturæ clarius, & vniversalius illustravit. Ergo de primo ad vltimum loquendo de stricta dispensatione, seu mutatione iuris naturæ, vt permanente iure obligante, relaxetur hæc obligatio in particulari casu, & persona; nulla potestas humana, sivè Ecclesiastica, sivè Secularis poterit immutare aut dispensare in iure naturæ.

9 Probatur 2. Pars illius minoris loquendo de dispensatione laxa, quæ ex Suario cum Alberto Bologneto potius est dispensatio facti, quam iuris. Præmittoque, inter præcepta iuris naturalis secundarij alia esse circa actiones, & obligationes, quæ per humanas voluntates introducuntur, & de actionibus, & iuribus exinde manantibus; alia verò sunt circa materiam à voluntate alterius independente, vt non occidere, non infamare, de quibus ait Suarez *num.* 7. *Ex parte verò materiæ hæc posteriora præcepta habent quamdam maiorem immutabilitatem quia non habent quasi pro materia ipsum humanum arbitrium quod mutabile valde est, & sæpè indiget correctione, & mutatione.* His positis probatio instruitur sic dispensatio laxa, sivè solùm quoad factum, sivè etiam quod ius stat in eo quòd per arbitrium voluntatis superioris ad rem præstandam, & ad subditum; inrioris tamen ad voluntatem legislatoris; quis ab hac obligatione relevetur. Sed multi sunt casus, in quibus per voluntatem, quæ superior est ad voluntatem subditi, & in re præstanda, subditus relevetur ab obligatione iuris naturæ: ergo, &c. Maior videtur clara: quia cum dispensatio semper sonet actum voluntatis superioris ad voluntatem subditi, hanc ab obligatione relevantem; si hæc datur, videtur intervenire aliqua species dispensationis, licèt laxius intellectæ, & propter quam multæ queant non prorsus impropriè, & abusivè dispensationes nuncupari, prout contradistinctæ ab abrogatione, relaxatione, aut mutatione materiæ, interpretatione, &c. Minor probatur. 1. Quia votum, & iuramentum debent impleri ex iure naturæ. Atqui voluntas Papæ superior ad voluntatem Petri, potest hanc ab obligatione implendi voti dispensare: ergo, &c. 2. Contractus matrimonij etiam in natura lapsa per ius naturæ postulat solum consensum vtriusque contrahentis. Sed voluntas Papæ superior ad contrahentes potest addere ad consensum præsentiam Parochi, & testium: ergo potest saltem laxè immutare ius naturæ. 3. Ius naturale præscribit, ne retineatur alienum. Sed voluntas principis, & iuris civilis superior ad subditos facit retineri quod erat alterius, invehendo vsucapionem, & præscriptionem, & transferendo dominium rei non suæ: ergo. 4. Residentia episcopi est de iure divino naturali ex pacto, quod intervenit in Pastore de grege suo pascendo, & pro quo vnxit eum Dominus. Sed voluntas Papæ Superior circa rem præstandam, & circa Episcopum, passim hunc ab obligatione residendi liberat: ergo, &c. Item in absolutione alicuius à debito deci-

marum; & traditione Clerici Iudici Sæculari contra immunitatem. 5. à priori. Quia omnes actiones, quæ in foro Ecclesiastico, & iure Canonico inter humanas voluntates peraguntur, plures solent fundare obligationem, iustitiæ, vel fidelitatis, veracitatis, & aliarum virtutum, pro quibus servandis clamat ius naturæ. Et similiter in iure civili, & gentium mille iura naturæ nascuntur, proficiscentia ex illis primis sex principijs iuris naturæ secundarij à nobis relatis. Sed voluntas humana Papæ, Imperatoris, Regis, Reipublicæ potest plures actus humanos subditorum, quorum voluntates in se moraliter continent, sic vel aliter temperare, & immutare, aut respectu alicuius relaxare: ergo, &c. Vbi nota quod hæc voluntas inferior ad voluntatem legislatoris numquam potest directe sic tendere: *Relaxo Petro, v. g. in hoc casu hanc legis meæ obligationem*: hæc enim ab inferiori præstari non possunt. Sed ita *volo in hac re, personas mihi subiectos non aliter intelligere hęc verba, nec aliter velle se obligare, &c.* Cumque ius naturæ secundarium de quo loquimur solum vrgeat ex suppositione talis intelligentiæ, verborum, intentionis, atque contractus; relevabitur persona, aut familia à tali obligatione: ita vero vt ius naturæ pro illo casu intelligentiæ neque obliget, neque obligaturum vnquam fuisset, aut foret; in casu vero strictæ dispensationis erat opus vt lex alioqui in hoc casu Petrum obligatura, à Legislatore ei relaxetur.

10 Obijcies 1. Adversus eam partem conclusionis, in qua asseritur, ius naturæ primarium esse prorsus indispensabile etiam laxè. Ius naturæ primarium etiam se extendebat ad aliquid cadens supra actum humanum. Sed hoc ipso esset laxe dispensabile: ergo, &c. Probo mai. Ius naturæ primarium erat, quòd votum Deo factum impleretur, sed hæc impletio, & obligatio cadit supra actum humanum: ergo. Probo mai. Vnum ex principijs primis est *Deum esse colendum*. Sed verus cultus Dei poscit, vt votum Deo factum impleatur: ergo, &c. Ad hoc argumentum resp. neg. mai. & maiorem probationis. Ad huius probationem dist. mai. colendum *cultu simpliter absolutè, & antecedenter tali*. Conced. mai. *secundario tali, & consequenter ad aliquam suppositionem contingentem, & pendentem ab alio arbitrio*. neg. mai. & respectivè distincta min. neg. consequentiam. Nam ius naturæ primarium postulat illos simplicissimos cultus, cognitionis, gratitudinis, amoris, obedientiæ, sacrificij, &c. non vero illum cultum, qui pendet ab aliqua suppositione contingenti alterius arbitrij, quæ si non daretur, nec dari debeat talis cultus: & sic est illa voti adimpletio, quæ supponit fieri tale votum, quo non facto, non daretur talis obligatio.

11 Obijcies 2. contra eandem partem. Secundum ius primarium naturæ omnia bona erant communia. Sed per humanas leges inducta est rerum divisio, ergo per eas potest mutari ius primarium. Minor patet *ex cap. Ius naturale, dist.* 1. *& cap. Quo iure, dist.* 8. Maior constat ex simplicissima, & individua coniunctione, & communione totius naturæ. *Confirmatur*. Libertas, & ingenuitas cuiusvis hominis erat de iure naturæ primario. Atqui lex humana servitutem invexit: ergo quia poterat mutare ius primarium. Minor constat *ex leg. Manumissiones, ff. de Iustitia, & iure, leg. Libertas, ff. de Statu liberorum, §. Ius autem. Institutæ, de iure naturali Gentium, & Civili*. Ad hoc argumentum, resp. permissa maiori (quam distinguit Suarez, & Salas, concedens de iure quasi permissivo, secus de præceptivo, vnde nonnulla implexa consurgunt) & distinguo minorem. Rerum divisio quoad ordinationem ipsius, conc. minorem, quoad ipsam originem divisionis, nego minorem, & nego consequentiam. Itaque satis bene percipitur rerum communitas

nitas præcepta fuisse iure naturæ in statu innocentiæ; sed modo possibili, & naturali, nimirum, vt id non obstaret rerum divisioni, quando nimis propagaretur genus humanum, ita vt etiam in eo statu sine fractione iuris divideretur genus humanum in plures communitates, in quibus bene cunctis provideretur: ita enim commodo, & conservationi cunctorum prospiceretur; perdita vero innocentia, ex quo amor proprius vniuscuiusque surrexit, & ius naturale cœpit in singulos dividi; hoc ipso idem ius iam ex suppositione dictabat, quòd vnusquisque sibi consuleret, ne ab alio homine privaretur ijs, quæ pro se opus habebat: eumque amore privato iam singuli ducerentur; indebitas pro libito sibi ponebant mensuras, ita vt iam pro rebus, & actionibus lites inciperent; inciperetque formari ius gentium, nimirum, quatenus gentes plures, vel pauciores privato suo amore ductæ, & in vnum convenientes se ab alijs tueri decernerent; & tàm homines, quàm communitates ex ipsis formatæ, aliæ contra alias, tùm legibus, tùm armis, & viribus se armarent. Hac ergo divisione rerum pro arbitratu, & libito sic inducta, cœpit ius naturæ secundarium dictare, quem ordinem iam in eo statu naturæ res, & possessiones habere deberent; & hunc ordinem non ab alijs, quàm à dominantibus inter ipsas, & sapientioribus inducendum. Ex qua origine, & facultate, ac potestate de hominibus cunctis in sua capita redundante, instituta est rerum divisio cum debito ordine per leges humanas: quæ tam longè absunt, vt rerum communitati adversentur; quin potius non nisi communitati ferri queant: indicantes in eo se communitatem rerum, quantum status humani generis tulerit, servaturas; neque ipsas divisionem; sed rei divisæ coordinationem esse inducturas.

12 Ad confirmationem permitto etiam mai. vbi Suarez distinguit, vt supra, & disting. min. Induxerunt servitutem declarando, & intimando eam, & ordinem ipsius secundum ius naturæ secundarium, conc. min. Originativè humanitùs eam inveniendo, & plantando, nego min. & conseq. Nam pro priori ad quasvis leges humanas statim à prævaricatione generis humani, cœpit servitus suboriri: nam quemadmodum *in cap. Dilectissimis* 12. *quæst.* 1. dicitur, quod rerum divisio fuit per iniquitatem introducta, & hoc intelligitur à Doctoribus cunctis dumtaxat occasionaliter occasione peccati, ita per id quoque fuit hominum servitus introducta. Supposito enim quod libertas à servitute in iure primario non poterat præcipi, eò quòd in ordine ad positiva erat quid pertinens potius ad conditionem naturæ, quàm ad legislationem ipsius; solum poterat præcipi in iure secundario naturæ; quando, nimirum, homo in hominem insurgeret: ne id captivitatis, vel servitutis gratis, & sine motivo ageret alter in alterum; permittendo pariter permissione concessiva, vt id posset agere quoties ab altero ei causa daretur, insidiando suæ vitæ, & iuribus suis. Cum enim statim, ac amor proprius invaluit, & bella cœperunt, ac iurgia; posset homo inimicum suum iniustum agressorem vita privare; potius poterat agendo cum eo benignius, eum sibi mancipare modo quo Iosue benignè agens cum Gabaonitis propter iusiurandum, eos servituti addixit: proindeque de iure naturæ secundario videtur esse statim à prævaricatione generis humani facultas servitutis, sivè ab alio propter iustam causam impositæ, sivè à se ipso, si propter aliam miseriam deteriorem fugiendam, posset se ipsum vendere in servitutem. Circa hanc ergo sic ruditer, & confusè introductam postmodum leges humanæ plurimum laborarunt, & plurima disposuerunt, vt solum teneretur, & servaretur in ea re id, quod rationis æquitas postularet. Quare de

pri-

primo ad vltimum conficitur, quod lex humana ius primarium naturæ non dispensaverit.

13 Obijcies 3. Ius primarium naturæ, & eius propagationis fert secum indissolubilitatem matrimonij. Sed in hac Ecclesia dispensat, vt patet in matrimonio rato: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Ius primarium naturæ præcipit, ne matrimonium fiat inter fratres, & sorores. Atqui hoc teste Angelo, quandoque dispensatum est ab Ecclesia: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Donare, & testamentum condere, tàm primariò sunt de iure naturæ, quàm ipsa humana libertas. Sed circa donationes, & testamenta plures modificationes, & immutationes habent leges humanæ: ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo distinguendo mai. *Matrimonij in statu innocentiæ contracti*, conced. mai. *Matrimonij post peccatum contracti*, subdistinguendo. *Matrimonij consummati, & perfecti*, conced. mai. *Non consummati*, neg. mai. & respectivè distincta min. neg. consequent. Itaque ius primarium naturæ per se solùm matrimonium legitimo consensu contractum in statu innocentiæ: quia per se hic status potuisset perseverare, & indissolubilitas eius pro hoc statu erat de iure naturæ: nam erat perpetua ex se corporum traditio ad propagationem, & quæ, durante illo statu, non habebat periculum dissociationis, etiam quoad vsum, qui tunc foret in illo statu: quia in eo, præterquamquod essent duo in carne vna, essent quoque propter consensum pacificum animorum duo in anima vna. Cæterum hæc non vigent in statu naturæ lapsæ: quia, cum in eo ambo coniuges, qui futuri sunt vna caro, sæpissimè ex privato amore vniuscuiusque animo, & voluntate disconvenirent; poscebat ipsum ius naturæ talem contractum non fieri indissolubilem, quousque per vsum vtriusque corporis, ea firmitas sequeretur, & ille corporum status, & vnitas carnis quæ dissociationem non pateretur. Ea propter leges Pontificiæ sanxerunt, vt hic contractus in statu naturæ lapsæ suum bimestre probationis haberet, in quo ambo coniuges se mutuo observarent: num animo, & corpore perpetuam, atque indissolubilem vitam sibi polliceri possent. Neque hoc adhuc sufficit quin passim videamus saltèm divortia. Quod si post consummationem matrimonij ambo mutuo consensu religiosi fiant; per id vinculum non abrumpitur; sed puriori consilio coniuges separatim sanctificantur. Vnde concluditur, leges humanas tollere non posse eam indissolubilitatem, quæ oritur ex iure primario naturæ. Ius verò secundarium eam solum inducit, quam Ecclesia non tollit, neque dispensat.

14 Ad primam confirmationem, resp. negand. mai. de iure primario, & exordio naturæ. Nam hoc solum respiciebat propagationem simplicissimè, & innocenter talem: cumque in ipsa prima generatione naturæ oporteret fratres cum sororibus permisceri, nullum aliud ius distinctum adhuc durante illo statu promanasset. Cuius ratio est, quia cum generatio, tunc futura, non haberetur quasi res turpis, fœda, atque verecunda; imò fortè futura esset alio modo puriori, nihil officeret, vt foret inter fratres, & sorores, eo quod ibi sine vllo vitio natura propagaretur. Ius verò naturæ secundarium prohibet matrimonium inter fratres, & sorores vterinos, & inter parentes, & filios: quod nobis constat à posteriori ex declaratione iuris divini, tàm ex incæstu filiarum cum Loth, quàm ex verbis illis Abraham dicentis de Sara vxore sua *alias verè soror mea est, filia Patris mei, sed non filia Matris meæ.* Vbi videtur satis clarum quòd ius secundarium naturæ, seu ius naturæ pro statu naturæ lapsæ, non prohibebat matrimonium inter fratrem, & sororem non vterinam: veluti etiam in lege id insinuatur dicente Thamar fratri suo non vterino *postula à Rege, & non negabit*

me

*ne tibi.* Quare, licet admittatur, quod sit de iure naturæ pro statu naturæ lapsæ, matrimonium non fieri inter fratres; tamen, si verum est id quod testatur Angelus, vt ait obiectio, & de quo, v. ipsum, verbo *Papa* scilicèt, aliquando Papam dispensaviſſe cum fratribus; ideo tunc esse potuit; quia Ecclesia in tali iure secundario dispensaret dispensatione laxè sumpta, stante in eo, quòd potestas humana Ecclesiæ rem ita taxaret, vt pro talibus rarissimis circumstantijs possent tales personæ admitti ad tam intimè, & corporaliter inter se contrahendum: *Ad secundam confirmationem* hinc facilè, respondeo negando mai. nam ius donandi, & testandi locum non habent in statu innocentiæ, vbi cuncta erant communia: cum verò in statu naturæ lapsæ sit ius secundarium naturæ; & tales actus humani sint taxabiles per humanas leges; facillimè locum habet dispensatio laxa explicata. Si verò insistas. Quomodo non est dispensatio stricta illa, quam in his rebus Ecclesia, & DD. absolutè vocant dispensationem? Respondeo: quia, cum sit relaxatio alicuius potestatis superioris respectu subditi in ordine ad rem præstandam; licet sit inferior ad potestatem legislativam; satis habet vt sit vera dispensatio practica, prout est in vsu Ecclesiæ, & ore DD. licet non sit Scholastica, & rigorosa; quia est actus potestatis inferioris ad legislativam, & impotentis frangere in ea ius obligandi, quod rigorosa dispensatio semper expoſcit.

15 Obijcies 5. Si ius naturæ eò dispensari non posset, quia Legislatores humani solum declararent legem naturæ; ipsi verò eam non imponerent; sequeretur eodem modo dicendum esse Sacerdotem absolventem à peccatis vera potestate non absolvere, sed reum declarare absolutum. Atqui hoc hæreticum est: ergo potestate propria iusiva funguntur. *Confirmatur* 1. Si quidquid leges humanæ statuunt sit ius naturæ declaratum ab eis; non posset potestas humana etiam in lege humana dispensare sicuti non potest in iure naturæ. Sed hoc est falsum: ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo negando mai. Ratio disparitatis est clara: nam lex naturæ in homine impressa nihil amplius facit, quàm ostendere ipsi legem æternam, & iussionem ipsius Dei; eamque ipsi intimando, vt sic quoad se gubernetur; & quando ex munere debeat, intimet ac declaret subditis suis, ita vel ita res esse agendas, vel prohibendas: vnde nullam accipit iussivam potestatem de novo vltra id, quod lex æterna iubet, & naturalis. Sacerdos verò per collationem ordinis accipit novam gratiam intrinsecam potestativam absolutionis, qua ipse vt talis, ea gratia ornatus, est principium in se distinctum à voluntate Dei, & vere effectivum absolutionis. Ad confirmationem, disting. mai. vt obligante in actu secundo, neg. mai. Radicaliter in se ipsa, conced. mai. & respectivè distincta min. neg. conseq. Quia cum dixerimus *in qq. anteced.* legem, vt obligantem in actu secundo constitui per voluntatem Principis, & manifestationem huius voluntatis; qui tollit hanc, vere tollit obligationem legis in actu secundo: & arguitivè etiam fundat, tale ius naturæ non extitisse, licet si reverà esset; tollere ille non posset. Potestas ergo humana est penes quam residet promulgatio legis: quare, si pro aliquo casu eadem potestas pronuntiat aliquem excusatum à lege; tollit pro eo intimationem legis, proindeque eius obligationem. Vnde respectu legis humanæ stricta, & vera dispensatio est illa; quæ tollit formaliter obligationem, & declarat arguitivè tale ius pro ea persona non extitisse; quæ tamen ex communi existimatione tenebatur obstricta, quod sufficit vt vera sit dispensatio, quandoquidem eo vsque lex verè obligabat.

16 Obijcies 6. Iuxta hanc explicationem nunquam relinquitur, quòd

poteſtas humana ex ſe aliquid iubeat vltra ius naturale; ſed purè declaret. Atqui hoc nequit eſſe: ergo, &c. Prob. min. Ipſa lex naturæ iubet, vt voluntas inferior ſe conformet cum voluntate ſuperiore, ita vt inferior non velit niſi quod velit ſuperior. Sed hoc clare importat quod Superior, & Legislator iuſsiva, & imperativa propriæ voluntatis vi fungitur: ergo, &c. *Confirmatur.* Superior, & Princeps paſsim dicit *Impero*, & *iubeo*, & ſemper dicitur eius eſſe imperare: ergo, &c. Ad hoc argument. reſp. diſting. mai. vltra ius naturale *ex parte obiecti*, conc. mai. *quoad actus*, ita vt nequeat habere actum voluntatis circa tale obiectum, neg. mai. & conceſſa in reſpectivo ſenſu min. neg. conſeq. Itaque hic obſervatione opus eſt: non enim dicimus, quod Legislator humanus ſtatim ac noſcit ius naturæ, & primæ legislationis circa tale obiectum, non poſsit habere actum voluntatis quo tale obiectum ſic fieri velit: hoc enim eſt pervium, & frequens: ac propterea iubet lex naturalis, quod inferior velit idem, quod ſuperior; quia ſupponit, ſuperiorem non iuſſurum, & actu ſuæ voluntatis proſequuturum niſi id, quod rationis lumini abſolutè, vel in circunſtantijs appareat eſſe conforme. Sed ſolum dicimus, quòd in puncto iuris nullus gradus iuris circa tale obiectum, & circunſtantias augetur ex legislatione humana ſupra id, quod affert ius naturale; ſed quòd Legislator humanus vim huius poteſt declarare; & ius nequit augere. Ad confirmationem ſatis patet ex dictis: quia ideò ita dicitur: quatenus Princeps, cognita iuris naturæ pro tunc æquitate, adhibet actum voluntatis ſuæ, quo ſe gerit vt bonum caput, dum ſua voluntate amplectitur, quod alijs ſequendum proponit, & econtrà illi male ſe gerunt, qui recta ſibi cognita, ſua voluntate non complectuntur; quamquam ea alijs ſequenda proponant.

17 Colliges 1. Legem naturæ propriam non ſuſcipere interpretationem, ea enim interpretationem ſuſcipiunt, quæ diverſos ſenſus poſſunt nanciſci: quæ verò à natura dictantur interiùs vnicuique, non cadunt præcisè *vt ſic* in mentem alterius, & inſuper: nemo ſeipſum interne interpretatur; ſed ſi clare, clare; ſi obſcure obſcure percipit de obiecto. Quando vero ius naturæ explicatur exterius, ſubirè interpretationem poteſt. Colliges 2. Ius naturæ ſecundarium eſſe vbi ſolum habent locum leges prohibitivæ, punitivæ, & permiſsivæ: nam ea omnes fundantur in ſtatu naturæ lapſæ; cum in innocentia, quam primarium ius naturæ reſpiciebat, cunctæ ſuper eſſent. Colliges 3. Quo ſenſu admitti optimè poſsit id, quod Ariſt. 5. *Ethic.* 7. & D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 94. *art.* 5. aiunt de eo, quod lex naturæ pro aliquibus caſibus mutari, & diſpenſari poſsit, vt in caſu depoſiti, & ſecreti, quando nocet, Reipublicæ, & alijs, &c.

18 Colliges 4. Quaſcumque leges poſitivas tùm futuras eſſe iniuſtas, quando Legislator aliter pronuntiet ſubditis ſuis, quam cognoverit de lege naturali, & æterna: proindeque tales leges, neque fore valituras, neque obligaturas: fient tamen iniuſtè, licèt alioqui de re iuſta, quando legislator quidquam commiſſerit vel omiſſerit ad prænoſcendum iuſtum, & æquum priuſquam illud pronuntiet; & tunc lex erit valida, & obligans, licèt fuerit illicitè facta. Colliges 5. Quomodo Princeps in lege verſante circa materiam ab ipſo præſtabilem ſubiectus ſit legi quoad vim directivam. Nam ſi ipſe promulgaverit legem de tali materia cognita, vt iuſta; & tamen expreſſo actu voluntatis ſuæ eam nolit; tranſgreſſor ſit ſuæ legis quia diſconformat ſuam voluntatem cum lege naturali, & æterna. Teneri ergo poteſt ipſe ſua lege quoad vim directivam, & obligatoriam; licèt quoad vim coactivam, & pœnalem ſuę legi non ſubijciatur. Colliges

liges 6. Quod quando dicitur à Iuriſconſultis ius civile effici, quando aliquid additur, vel detrahitur iuri naturali aut Gentium. Id debet intelligi ita vt *ius naturale, civile* efficiatur, id eſt, ius naturæ civiliter proponatur addendo, vel detrahendo ſpecialiter in ipſa propoſitione iuri naturali purè tali id, quod antea, & in communi videbatur vrgere: non verò quia de vera obligatione naturæ præexiſtente aliquid tollatur, aut ad ipſam per civile ius quidquam accreſcat. Colliges 7. Per has doctrinas non tolli ſed roborari ſolemnem illam diviſionem qua aliquid dicitur aliquid eſſe de iure naturæ; aliud verò de iure poſitivo divino, aliud demum de iure poſitivo humano. Nam hoc quod dicimus, intelligitur ſumendo ius naturale, prout ſiſtit purè in interna impreſsione creaturæ rationalis, & huius dictamine contrapoſitè ad talis iuris explicationem factam per Legislatores divinos, & ad eiuſdem etiam factam per Legiſlatores humanos. Quod ita verum eſt vt DD. ſæpè ſe explicent dicentes non ſolum hoc eſt de iure divino, ſed ita *hoc eſt de iure naturali divino*, & ſimiliter quando ſermo ſit de lege aliqua humana debebit dici, *hoc eſt de iure naturali humano*. Quamobrem quoties aliquis adverſarius loquendo, v. gr. de aliqua lege, quæ habetur vt Eccleſiaſtica, vel civilis ita ſubinferat. *Ergo hoc eſt de iure naturæ*; debebit ſic diſtingui *de iure naturę purè*, *& præcisè tali*, neg. *De iure naturali humano poſitivo*, conced. quatenus poſitio vel impoſitio talis iuris humanitus facta invenitur; ſecus vero in eo quod eſt de puro & preciſo iure naturæ. Sub qua explicatione poteſt inoffensè dici, quòd auditio Sacri eſt de iure naturæ Eccleſiaſtico poſitivo, & quod talis contractus, v. g. emptionis, & vendionis per ius civile diſpoſitus eſt etiam de iure naturæ civili, & poſitivo. Colliges 8. Quod vt ſuprà diximus, licèt leges humanæ ſint quaſi declarationes iuris naturæ; non tollitur propterea, quod in eis interveniat voluntas Legislatoris humani; ſed tamen non ſola neque antecedens ad iuſsionem Dei impreſſam naturæ rationali; ſed hanc ſubſequens, quatenùs Legislator humanus noſcens quod vult Deus, & iubet idem ipſe velit, & iubeat. Colliges 9. Leges humanas dici novum ius condere ac ſuperaddere ad ius naturæ, *novum* inquam non in ſe, ſed quoad nos: referant enim, & proponunt nobis iura, & æquum circa hoc aut illud, quæ antea latebant.

19 Colliges 10. Quid reſpondendum ſit objicienti, quod ex ijs doctrinis ſequitur omnia forè intrinſecè malo probando ſic: *Quidquid eſt contra ius naturæ eſt intrinſecè malum, ſed per me omnia peccata etiam eſus carnium in die veneris, ſunt contra ius naturæ: ergo, &c.* Nam in hoc ſyllogiſmo maior diſtinguitur ſic: *Quidquid eſt contra ius naturæ purum*, conced. *contra ius naturale divinum, vel humanum*, neg. mai. & diſtincta reſpectivè minori, negatur conſeq. Quod ſi inſiſtant non poſſe non eſſe intrinſecè malum quod quomodolibet eſt contra ius naturale, ſivè divinitus, ſivè humanitus declaratum: ius enim naturæ non niſi quæ pro priori mala ſunt prohibet. Reſpondendum eſt duplici modo conſiderari poſſe aliquid eſſe intrinſecè malum, ſcilicèt, vel ſola eius quidditate conſiderata, & antecedenter ad omnem ſuppoſitionem contingentem, attentis naturis rerum; vel re complexivè conſiderata ſemper in aliquo coniuncto circunſtantiarum, & conſequenter ad aliquam ſuppoſitionē contingentem. Primò modo Theologicè, & antonomaſticè dicuntur eſſe mala intrinſecè quæcumque à TT. ita putantur vt *mendacium*, &c. Secundo vero modo res non deſinit eſſe ſatis intrinſecè mala vt prohiberi poſsit iure naturæ, & mala ſit, quaſi pro priori fundamentaliter antequam prohibeatur: quia licèt eſus carnium, quaſi extrinſecè ſe habeat ad prohibitionem;

ra-

tamen ille complexivè consideratus cum circunstantijs temporis, & personæ, ac finis eius est quid, secundum intrinseca complexi, intrinsecè ordinatum, & eius contrarium rationi repugnans. *At inquies.* Illa prohibitio positiva semper prohibebit quidem esum carnium alioqui indifferentem. Respondeo attentis prædicatis intrinsecis, ita esse; sed tamen etiam esse intrinsecè fundamentaliter malum si sumitur complexivè, scilicèt, respectu hominis Christiani, qui ex vna parte debet imitari Christum ieiunantem; ex alia subigere rebellionem carnis; ex alia satisfacere pro lapsibus; ex alia Deum sibi reconciliare, & Cœlum promereri. Attento igitur hoc complexo circunstantiarum, gulæ inordinatio esset, semper carnibus vesci, & numquam in cibis qualitate, aut quantitate abstinere; & hac rei inordinatione per prius intellecta, lex æterna, & naturæ iubent statis temporibus abstinendum. Hæc autem inordinatio, neque est intrinseca rei nisi complexivè sumptæ, neque directè, & formaliter ordini debito contrapositа, sicuti est odium atque mendacium; sed est inordinatio ipsi oppositа dispositivè, proximè, & propterea apta fundamentaliter vt ius, & æquum rationis, & legis talia prohibeat. Imò, & non nisi propter hæc tales, & tàm iustæ leges ab Ecclesia conduntur. Omne enim peccatum esse contra legem naturæ, est D. Aug. *lib.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 1. Damasc. 2. *à Fide, cap.* 50. Valentiæ *d.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 4. Salas *de Legib. d.* 5. *sect.* 12. & D. Thom. *q.* 94. *art.* 3. & *q.* 71. *art.* 6. *ad* 4. & 5. Et quando ad regulandum nos videtur excludere rationem naturalem, solum est, vt solam sine gratia, pro rebus ordinis supernaturalis.

20 Colliges 11. Hoc quod est aliquid esse de iure naturæ esse in multiplici acceptione considerandam. Nam 1. potest esse præparativè, & dispositivè. 2. De iuræ naturæ præceptivè, & 3. De iure naturæ perfectivè. Ratio est quia cum finis huius iuris naturæ sit rectitudo hominis erga Deum, erga se, & erga proximum suum; tres gradus esse possunt ad id obtinendum, 1. est eorum, quæ disponunt, & inducunt hominem, vt talem finem simpliciter consequatur, & de his est præparatio, & consilium præparativum, imò & præceptum, si in circunstantijs trahunt aliquod intrinsecè malum cum proxima dispositione ad illud. 2. est eorum quæ simpliciter necessaria sunt, vt obtineatur talis finis; & de his est iussio. 3. est eorum, quæ in eo fine obtinendo sunt potiora, & meliora in se, & respectivè: Et de his est perfectio, & consilium perfectivum. His positis nihil omnino potest in mundo se habere inordinatè, sivè in se, sivè in circunstantijs, quod non offendat vel ad ius naturæ dispositivum, & præparativum, vel ad præceptivum, vel ad perfectivum: ac proinde stare potest, quòd aliquid non peccaminosum sit contra iux naturæ dispositivum, aut perfectivum; cæterum quia ruinosus ille status, in quo natura post peccatum remansit, ægrè posset ferre, omnem omnino rerum ordinem tàm dispositivum, quàm perfectivum præcipi; idcirco hic vterque solis consilijs relictus est, nisi quando in dispositivo datur proximè dispositio, & periculum ad malum intrinsecum; quin propterea tollatur quod, quidquid contra vtrumque ordinem sit contra ius naturæ sit modo explicato. Vnde nota 1. Quod, quando dicitur aliqua esse præcepta de rebus non intrinsecè malis; sed indifferentibus quoad bonitatem, & malitiam; intelligitur de bonitate aut malitia secundum intrinseca prædicatorum; non in complexo circunstantiarum; neque de mera inordinatione: mera enim inordinatio citra malitiam est; siquidem etiam quę bona sunt inordinata esse solent. 2. Quod propter eamdem rationem hæc inordinatio non obstabit actibus indifferentibus in individuo: siquidem

hæc

hæc indifferentia eſt de bonitate, & malitia. Et Deus ſupremus, & prudentiſsimus Legislator noluit hominem lapſum, toto rerum ordine pleniſsimè & vniverſaliſsimè Legislato, premere, & obligare.

21 Colliges 12. Quid dicendum ſit: *An Papa diſpenſare poſsit in iure divino?* Dico igitur, minimè poſſe in iure divino naturali primario; in ſecundario verò poſſe, vt ſuprà. Iam ergo ius divinum eſt ius naturæ, ſivè nudæ, ſivè elevatæ nobis per Scriptores Canonicos infallibiliter intimatum. Circa hoc ergo, ſi loquamur de ablatione obligationis in actu ſecundo, bene poterit in multis, quæ de iure divino ſecundario ſint, quaſi ſtrictè diſpenſare: explicando enim Papa ad caſum cum DD. verba Scripturæ, taxat promulgationem iuris divini, & ſublata promulgatione, deficit lex vt obligans in actu ſecundo. Cùm autem ius divinum vltra ea, quæ purè naturalia ſunt, principaliùs reſpiciat in naturam, vt elevatam coniungendam cum Deo; poſſumus conformiter ad notabilia huius quæſtionis etiam diſtinguere *primarias maximas* iuris ſupernaturalis, ſcilicet 1. Deus cognoſcendus eſt Author totius gratiæ, & iuſtitiæ originalis, quà elevatur natura, vt eum ſupra omnia diligat, & ipſi vniatur, & adhæreat. 2. Deus ex totis viribus gratiæ ſupernaturaliter colendus eſt, & ipſi in eis etiam, quæ ſunt ſupra naturam, cum eius auxilio obtemperandum. 3. Vita gratiæ in anima propria conſervanda eſt, & augenda. 4. Natura gratiâ ornata debet iuxta vires ſuas eſſe fœcunda, & productiva gratiæ in alijs vſque ad terminos ſuæ activitatis. 5. Fratribus eiuſdem naturæ, & elevationis pro menſura indigentiæ, ſalvò iure proprio, in ſpiritualibus benefaciendum, & auxiliandum eſt ſub ordine debito. 6. Fratrem tuum iuſtitia ornatum dilige, vt te ipſum. *Et maximas iuris ſecundarij* ſcilicet. 1. Quærendus eſt Deus per gratiam reparativam Redemptoris, quoad regnum gratiæ, & gloriæ deperditæ per peccatum, & pro eo timendus, ipſique ſatisfactio exhibenda. 2. Reſtituendus eſt ex eodem gratiæ theſauro Deo debitus amor, & obedientia. 3. Per eandem gratiam ſubijcienda eſt rationi, & Deo concupiſcibilis ad tollendum amorem ſui inordinatum, & reparandum ordinatum amorem in ſupernaturalibus. 4. Subijcienda eſt Deo, & rationi iraſcibilis ad conſulendum ordinatè ſibi, & naturæ in ſtatu elevationis (quo pertinet propagatio evangelica.) 5. Subijcienda eſt rationi, & Deo concupiſcibilis in ordine ad reparandum ordinatum amorem erga proximum ſuum in ſupernaturalibus. 6. Subijcienda eſt rationi per Chriſtum iraſcibilis in ordine ad conſulendum proximo ſuo ordinatè circa ſe, & circa ſua in ordine gratiæ. Quibus maximis præiactis ſatis pervium apparet, quomodo in prioribus, quæ pertinent ad ſtatum iuſtitiæ originalis nullatenus poſsit Papa diſpenſare. In poſterioribus verò generatim ſumptis ſtrictè diſpenſare non poteſt, tanquam in principijs; in caſibus verò particularibus tanquam concluſionibus, vt ſe explicat D. Thomas, inde deductis, poteſt diſpenſare ille, qui diſpenſator eſt totius gratiæ reparativæ, & cui dictum eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Et quodcumque ſolveris ſuper terram, &c.* Explicando videlicèt cum DD. ſuis, & interpretando verba Scripturæ; non tamen ita vt poſsit evertere aliquid ex ijs, quæ conſtituunt ſtatum elevationis completum ex gratia, revelationibus, & myſterijs, & ſtatum reparativum completum ex vita, geſtis, & doctrina Reparatoris, & fontibus gratiæ reparativæ ſcilicèt Sacramentis. His enim ſtatibus ſuppoſitis ſubſequitur lex divina eorum gubernatrix, & conſervatrix ſicuti ad decretum creationis ſubſequuta eſt lex æternæ providentiæ gubernatricis, & conſervatricis. Cum ergo toties iuris

divini delegatus sit Papa potest dispensare modo quo diximus *strictè* quatenus interpretando verba Scripturæ, nulla datur obligatio in actu secundo iuris divini lati per Canonicos Scriptores, nisi quatenus eam Pontifex taxat explicando promulgationem. Laxè verò quatenus excludendo pro eo casu legem, tanquam summus Doctor per interpretationem suam; arguere-tur, & inferretur, verum ius naturale, & veram legem æternam pro eo casu latam non fuisse.

JHS.

# QUÆSTIO NONA.

## TEXTUS AD ILLA VERBA.

AB HIS DIVISÆ SVNT GENTES. *Genes. cap.* 10. *vers.* 32.

## ARTICULUS.

### *VTRUM IUS GENTIUM DISTINCTUM SIT A IURE naturali, & civili?*

1 SUppono 1. *Ius Gentium* varias posse subire acceptiones, non secus ac illas hoc nomen *ius* magis genericum subire consuevit. Primo enim ius solet vsurpari pro morali aliqua facultate ad rem aliquam: quod dividi solet in *ius in re*, & *ius ad rem*, & quod iustitia respicit dum dicitur ius suum vnicuique tribuere. Et similiter potest ita sumi ius gentium quando, nimirum, gentes, & nationes in quibusdam capitalioribus legibus convenientes solent fundare ius vt hic, & nunc hæc civitas, vel hic Imperator exercitus habeat ius id est ius Gentium ad transeundum per talem viam publicam ad tales fruges sibi comparandas, &c. Secundo. Solet ius vsurpari pro regula honestè operandi constituente in rebus debitum ordinem, & æquitatem, & sub hac acceptione fundat illud ius seu facultatem moralem, quam supra diximus: & valet idem ac lex, ita vt hæc sit quasi ius activum, & illud sit quasi ius passivum inductum per legem. Quo etiam modo frequentius vsurpatur ius Gentium sumptum pro legibus, quibus vel omnes nationes, vel pleræque melius institutæ convenerunt circa res, personas, & actiones humanas Gentium ad Gentes. Vnde dici solet tempore belli de aliquo facinore inhumanitus perpetrato, per id violatum fuisse ius Gentium. Tertio. Vsurpari solet ius non tam formaliter, & singulariter quoad subiecta vel legem; sed quasi materialiter, & collectivè pro omnibus legibus in vnum contractis: vnde dici solet corpus iuris: quemadmodum civile congestum est in Digestum, & Codicem: & Canonicum in Decretum, & Decreta-

tales. Sic etiam vſurpatur ius Gentium pro quadam quaſi collectione legum, & iurium, quibus gentes cum gentibus communicare conſueſcunt. Et in his duabus poſtremis acceptionibus venit diſputanda noſtra quæſtio: nam in primo non eſt ad rem: illud enim ius, ita vſurpatum, debet præſupponere ius Gentium in duabus acceptionibus dictis iam ſtabilitum.

2 Suppono 2. Ius Gentium attenta definitione Iuriſtarum *ex lib.* 1. *Inſtitutæ*, §. 2. de iure naturali, Gentium, & civili eſſe id, quod inter gentes ratio naturalis conſtituit, vel quod vſu, & conſuetudine exigente quaſi communiter inter Nationes inductum eſt. Quænam verò ſint ea, ad quæ ſe extendat in particulari ius Gentium attigit Iſidorus, dicens ea eſſe *ſedium occupationem, ædificationem, munitionem, bella captivitates, & ſervitutes, poſtliminia fœdera pacis, indutias, legatorum non violandorum religionem, connubia, & contractus Gentium ad gentes.* Quæquidem omnia, licet verè iuri Gentium adſcripta ſint; eo quod, ſivè ſint materia, circa quam, ſivè effectus, quos ius Gentium maiori ex parte habere compertum eſt; non tamen ſunt in quibus videantur ſignificari formaliter ea particularia iura verè obligatoria ex quibus ius Gentium coaleſcat. Vnde ortum eſt, quod nonnulli AA. cenſeant ius Gentium non eſſe præceptivum; ſed tantummodo eorum, quæ ſine vlla tranſgreſsione liberè poſsint fieri, vel omitti, vt patet in exemplis appoſitis. Quamquam optimè Suarez inductionem perſequens, oſtendit ea omnia, quæ quaſi merè conceſsiva putantur, non tamen ſine vllo præcepto reperiri: ſiquidem perinde eſt, quod ſedium occupatio, munitio, ædificatio, & bellum defenſivum concedantur; quam reſultare in alijs ius, & obligationem talia non impediendi: ſimiliter circa captivitates, & ſervitutes, ait „ Suarez *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 8. Deter„ minatio ergo illius iuris eſt, quaſi „ lex quædam pœnalis vſu hominum „ introducta contra gerentes iniuſtum „ bellum: ponitur enim illis in pœ„ nam vt captivi, vel ſervi fiant ſi vin„ cantur. Ac tandem in poſtliminio „ importatur lex quædam moderativa „ pœnæ impoſitæ: quamobrem opor„ tebit magis funditus indagare; quæ„ nam ſint illæ leges, quaſi commu„ nes Gentium ad gentes, vt ita me„ lius conſtet ad quam claſſem ius „ Gentium reduci debeat.

3 Suppono 3. Quod quamquam Iuriſtæ ius Gentium diſtinguere ſolent à naturali in eo quòd hoc etiam ad bruta ſe extendat (latè enim ſumunt ius, vt obſervat Rebellus illud extendendo ad ſenſitivas, & naturales operationes brutorum) tamen ius naturale proprie ſumptum prout à Theologis communius accipitur non ſe extendit, niſi ad actiones humanas. Ratio verò quare Iuriſperiti ſic ſe geſſerint eſt, quia cum ipſi non agerent de iure naturali hominis in ſingulari, ſed in Civitate, & Natione; & ius hominis, prout in Civitate, & Natione non ſit aliud quàm ius Gentium, non inveniebant modum quomodo ius naturale ſeparatum deſcriberent, niſi ad bruta etiam ſe extenderet. Quare vt cuncta clariora procurrant; ab origine repetenda res eſt. Igitur poſtquam homo in peccatum prolapſus eſt, & ſubſequuta rebellio vnicuique proprium amorem peperit, quo iam non omnis natura per modum vnius toti conſuleret; ſed quo quiſque prò ſpiceret ſibi potius quàm alijs; illud ius commune naturale quodammodo ſectum, atque diſciſum eſt in totidem ſingularia naturalia iura, quot homines erant futuri: iam enim ius naturale ſeorſim vnicuique dictabat, vt in ſpiritualibus, corporalibus, & temporalibus conſuleret ſibi potius quàm alijs, & de his profutura reciperet; nocitura reſpueret. Cumque tùm propter tot rerum indigentias, tùm propter dominatum iam naſcentem, tùm propter cogna-

tiones, & familias turmatim se homines vnirent, & consociarent, ac sedes figerent; ipsa ratione naturali dictante ortum est, vt hæ quasi coloniæ, quandiù inimicitias non gererent, aliquid inirent humani commercij, & se mutua ope iuvarent in ijs, in quibus sibi non deessent; quamdiu verò propter inordinatas cupiditates orirentur inimicitiæ, tunc vnaquæque à parte adversa se tueretur; & si in aliquo fraudata fuisset; eam aggredi etiam liceret. Ecce hic ius Gentium omninò de naturali nascens, & adolescens, quousque Civitates illæ, aut coloniæ factæ sunt Provinciæ, Regna, & Nationes. Quare si divisio iuris facienda est strictè in membra se adæquate excludentia, quæ sint ius naturale præcisum, ius Gentium præcisum, ius Civile præcisum; ita res se habet, *vt naturale præcisum fit* (postquam ius naturale commune discisum est) illud, quod residet in vnoquoque individuo ad rectè dirigendum suos actus humanos: & si modo hoc ius vnorumquorumque dicitur in communi; est per abstractionem logicam; non verò per physicam eam communicationem in iure vnius individui ad alterum. *Ius Gentium præcisum* est ius communitatis humanæ in ordine ad alias communitates humanas sivè id sit communitacivum, & amicabile, sivè illud sit hostile, & recessivum. In eo tamen sub vnione iam facta (non native sed elicitè) iura singulorum physicè communicant; & suæ gentis vnum ius faciunt in ordine ad se gerendum cum alijs gentibus, & nationibus secundum id quod fuerit iustum, & æquum. *Ius vero civile præcisum* est ius communitatis ad se ipsam ordinatè instituendam, & conservandam.

4 Suppono 4. Quod quamquam homines post peccatum sic sunt divisi intrinsecus, & extrinsecus; nihilominus, tùm propter indigentiam aliorum ad alios, tùm propter similitudinem naturæ, quæ est principium se amandi, tùm propter communem illum appetitum, quo membra amant reuniri corpori vnde disciſa sunt; semperinter omne genus humanum aliquod vnionis, & societatis vinculum permansit: quod benè explicat Suarez his verbis *lib.* 2. *de Legibus, cap.* 19. „ *numer.* 9. Quia humanum genus, „ quātumvis in varios populos & regna divisum, semper habet aliquam „ vnitatem, non solum specificam, „ sed etiam quasi politicam, & moralem; quod indicat naturale præceptum mutui amoris, & miseri„ cordiæ, quod ad omnes extendi„ tur etiam extraneos, & cuiuscum„ que rationis. Quapropter, licèt vna „ quæque civitas perfecta, respublica, „ aut regnum sit in se communitas perfecta, & suis membris constans; nihilominus quælibet illarum est etiam „ membrum aliquomodo huius vni„ versi prout ad genus humanum „ spectat: numquam enim illæ communitates adeo sunt sibi sufficientes si„ gillatim; quin indigeant aliquo mu„ tuo iuvamine, & societate ac com„ municatione, interdum ad melius es„ se maioremque vtilitatem, interdum „ verò etiam ob moralem necessita„ tem, & indigentiam, vt ex ipso vsu „ constat. Hac ergo ratione indigent „ aliquo iure quo dirigantur, & rec„ tè ordinentur in hoc genere com„ munitatis, & Societatis. Et quamvis „ magna ex parte hoc fiat per ratio„ nem naturalem; non tamen sufficien„ ter, & immediatè quoad omnia: „ ideoque aliqua specialia iura potue„ runt vsu earumdem Gentium introduci. Nam sicut in vna civitate vel „ provincia consuetudo introducit ius, „ ita in vniverso humano genere po„ tuerunt iura gentium moribus intro„ duci. Eo vel maximè, quòd ea, quæ „ ad hoc ius pertinent, & pauca sunt, „ iuri naturali valde propinqua, & quę „ facillimum habent ab illo deductio„ nem, adeoque vtilem, & consenta„ neam ipsi naturæ, vt licèt non sit „ evi-

„ evidens deductio tanquam de se om-
„ ninò necessaria ad honestatem mo-
„ rum, sit tamen valde conveniens
„ naturæ, & de se acceptabilis ab om-
„ nibus. Hactenus Suarez, qui rem
„ optimè explicat.

5 His positis multiplex in hoc puncto datur sententia, quippe quod gravissimum, & implexum est: nec modici erit emolumenti quæcumque ipsius expositio magis clarescens. Prima ergo sententia asserit, ius Gentium comprehendi sub iure naturali, generatim considerato, & latè dicto non vero sub iure positivo. Ita Durandus *tract. de Legib.* apud Turrecremata *cap. Ius Gentium, dist. 1. art. 1.* Antonius Vacca *ad leg. 1. §. Ius Gent. ff. de Iustitia, & iure*, Corrasius 6. *Miscelanear. cap. vltim.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 1. quæst. 5.* & fusè Ferdinandus de Mendoza 3. *de Pactis, cap. 1. quæst. 1. n. 4.* dicens non solum omne ius Gentium esse naturale, sed omne naturale esse ius Gentium. Citatur etiam Sotus 1. *de Iustitia, & iure, quæst. 5. art. 4.* vt putat Vazquez, sed negat Salas. Secunda sententia collocat ius Gentium partim sub naturali partim sub positivo. Ita Bartolus *leg. Ex hoc iure, ff. de Iustit. & iure*, dividens primarium, & secundarium. Idem tenent Angelus, Paulus de Castro, & alij ad dictam legem. Et ad legem *id quod, ff. de Conditione indebiti.* Menchaca *de Successionum Creatione, §. 1. num. 2. & 1. controvers. cap. 10.* Duarenus *de Iustit. & iure, cap. 5.* Albertus Bolognetus, apud Salas *tract. 14. disp. 2. sect. 2.* Tertia sententia asserit ius Gent. non pertinere ad ius naturæ honestum, & immutabile; sed ad aliud ius naturale, quod circa vtilitatem, & pro mutua omnium societate impositum est; mutabile tamen. Hanc singulariter tenet Connanus 1. *Comment. iuris, cap. 6. à num. 4.* Quarta sententia tenet ius Gentium esse ius positivum verè, & propriè. Hanc tenet Molina *tom. 1. de Iustitia, tract. 1. disput. 3. & 5.* Sotus vbi supra Medina 1. 2. *quæst. 95. art. 4.* cum D. Thoma ibidem, *& quæst. 94. art. 5. ad 3.* Conradus, Covarrubias, Aragon, Salon, Bañez, Turrecremata, Valentia, apud & cum Salas *de Legib. tract. 14. disp. 2. sect. 2.* Suarez *lib. 2. de Legib. cap. 19. num. 3.* Quinta sententia asserit ius Gentium non esse præceptivum, nec prohibitivum, sed permissivum, & concessivum eorum nimirum quæ ad societatem humanam, & vitam civilem magis convenire videbuntur. Ita Vazquez 1. 2. *disp. 157. cap. 3.* trahens ad se Connanum.

6 Dico 1. *Omne, & totum ius Gentium formaliter est ius naturale, & distinguitur à civili.* Probatur 1. Hæc conclusio ab authoritate Div. Thomæ 1. 2. *quæst. 95. art. 4. in Corpore*, vbi „ ait sic: Est enim primo de ratione „ legis humanæ, quòd sit derivata à „ lege naturæ, vt ex dictis patet, & „ secundum hoc dividitur ius positi- „ vum in ius Gentium, & ius civile „ secundum duos modos quibus ali- „ quid derivatur à lege naturæ, vt su- „ pra dictum est nam ad ius Gentium „ pertinent eaque derivantur ex lege „ naturæ sicut conclusiones ex princi- „ pijs, vt iustæ emptiones, venditiones, „ & alia huiusmodi sine quibus ho- „ mines ad invicem convivere non „ possunt: quod est de lege naturæ: „ quia homo est animal naturaliter so- „ ciabile, vt probatur in 1. Politic. „ Quæ verò derivantur à lege naturæ „ per modum particularis determina- „ tionis pertinent ad ius civile, secun- „ dum quod quælibet Civitas aliquid „ sibi accommodat, & determinat. „ Hactenus D. Thomas. Quæ verba in primis explico sic. In casu pestis finitimæ Civitatis, in quo ex iure Gentium tenemur cum debita securitate, & cautione ministrare alimenta, ne pereant; ius naturale simpliciter, & abstractè sumptum sic dictat: *Proximus in extrema indigentia iuvandus est.* Vnde ius Gentium sic concludit: *Hæ gentes nobis finitimæ peste intereunt: ergo*

*iuvandæ ſunt.* At quænam alimenta mittenda ſunt, à quibus, quando, & qua cautione, determinat ius civile. Vnde ni fallor ſatis illa verba inclareſcunt. Deinde argumentor ſic. Iuxta D. Thomam ea, quæ pertinent ad ius Gentium derivantur ex lege naturæ, & naturalia ſunt tanquam concluſiones ex principijs. Sed aliunde in illis verbis nihil obſtat, vt ius Gentium ſit naturale: ergo, &c. Probatur minor. Eatenus obſtaret quatenus ibi D. Thomas inquit, ius poſitivum dividi in naturale, & Gentium. Sed quod ius Gentium ſit poſitivum non obeſt, vt ſit naturale: ergo, &c. Minor patet: tùm quia ex eodem D. Thoma ſæpè ius humanum etiam eſt de iure naturæ: tùm ex poſtea dicendis. Secundo probatur ex Iuriſperitis, & Philoſophis: tùm ex Caio *leg. ff. de Acquirendo rerum dominio*, ibi: *Quarumdam rerum dominium nanciſcimur iure Gentium: quod ratione naturali inter omnes homines peræquè ſervatur: quarumdam iure civili, id eſt iure proprio Civitatis noſtræ*: tùm ex Ariſtotele 1. *Rethor. ad Theodectem, cap.* 13. dicente: *Omnia quæ in iure, & de iure fiunt determinari à lege naturali quam communem vocant, & à lege civili propria.* Tùm ex Cicerone 1. Tuſculanarum. *Omni in re conſenſio Gentium ius naturę putanda eſt.* Ergo de primo ad vltimum ius Gentium formaliter conſideratum eſt ius naturale.

7 Probatur 2. concluſio à ratione quoad primam partem. Ius Gentium formaliter conſideratum eſt formaliter illa vis obligatoria, tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo ad præſtanda ea, quæ communiter putantur eſſe de iure Gentium: ſed hæc vis obligatoria eſt à lege naturæ: ergo, &c. Maior conſtat, & minor etiam: quia actiones, quæ putantur eſſe de iure Gentium, vel potius, quæ propriè ſunt de iure Gentium, ſunt, gentes commercium humanæ ſocietatis habere cum gentibus pro vinculo ſocietatis humanæ; pacificum cum pacificis; auxiliare cum auxiliantibus; hoſtile cum hoſtibus; commutativum in mercibus, & artibus, quibus carent; adiutorium in oportunitatibus. Sed vis obligativa ad hæc omnia eſt ex lege naturæ: ergo, &c. Maior conſtat ex notabilibus: quia ius Gentium, vt tale formaliter ſolum eſt gentis ad gentes, & nationis ad nationem, ita vt ius civile vt tale comprehendat quidquid ſub vno domino ſupremo eſt, & clauditur; ius vero Gentium ſemper eſt ad alios ſupremos, & exteros non ſibi ſubditos: ergo, &c. Probatur 2. Ius Gentium eſt tertia pars iuris naturalis: ergo eſt ius naturale. Probo antecedens. Sphæra iuris naturæ eſt quidquid iuris eſt in homine erga Deum, erga ſe ipſum, & erga proximum ſuum. Sed ius Gentium claudit omnes, & ſingulas maximas hominis ad proximum ſuum in commune viventem: ergo, &c. Minor patet: quia *non furari; non occidere; quod tibi non vis alteri ne feceris; vim vi repellere licet*, & in ſumma quidquid fraternè, aut hoſtiliter poteſt, & debet in ſingulari agere homo vel vitare erga proximum ſuum; agere aut vitare debet gens altera in gentem. Et neque ius hominis in Deum aut in ſe ipſum poteſt eſſe ius Gentium: quamquam enim ab aliquibus religio de iure Gentium eſſe dicitur; in eo intervenit æquivocatio. Nam religio diverſimode conſiderata ambit omnia iura: itaque ipſa vt exercenda, & non deſerenda eſt iuris naturæ ſingulorum; ipſa vt propaganda ad gentes eſt iuris Gentium, & ipſa vt conſervanda, & ordinanda eſt iuris civilis. Bona enim politica inſtitutio cuiuſvis imperij poſcit bene ordinatã atque digeſtam, & conſervatam Eccleſiaſticam diſciplinam Hierarchiam. *Confirmatur*, & explicatur. Ius naturale cuiuſvis hominis ſingularis in ſtatu naturę lapſæ erga proximum ſuum eſt, ſe tueri iuſtè, vel iuſtè aggredi inimicum ſuum; & pacifice, ac benefice

fice ſe gerere cum amico, & proximo ſuo. Similiter ius Gentium communitatis humanæ capitaliter ſumptum eſt, ſe tueri iuſtè, vel iuſtè aggredi exteras gentes, ſibi inimicas, & beneficè ac pacificè agere cum amicis. Item iuris civilis eſt ita intrinſecus regi rempublicam vt intra ipſam promoveatur omne bonum, & repellatur omne malum. Sed hæc omnia principia, & maximæ ſunt iuris naturæ quippè primò rationis lumine hæc omnia dictantur: ergo, &c.

8 Probo iam 2. partem concluſionis, & prius noto 1. confundi ſolere ius Gentium, & Civile, quòd in corpore iuris quod modo vocatur civile nempe in Codice, & Digeſto promiſcuè incluſa ſunt ius Gentium, & ius civile propriè ſumptum: hoc enim eſt ius quoad intrinſeca civitatis aut regni; illud verò eſt quoad extrinſecum nationum exterarum. Nota 2. Tale ius civile Romanum modo extans id circo maximè vigere in Europa propter dominationem priſtinam Romanorum: quamquam regna quæ ab illo ſe ſubtraxerunt habeant iam ſua iura, in quibus pariter miſcent tàm ea, quæ intrinſecus pro bono regimine præſtanda ſunt; quàm ea, quæ ſunt circa exteras nationes: eo quod nihil poſsit permanere in ſe, niſi tutum ſit vndique. His poſitis probatur breviter. Ius gentium formaliter, & præcisè tale formaliter diſtingui aliquomodo à pure civili, ſtat in eo, quòd nulla obligatio civilis ſit Gentium, & nulla, quæ ſit formaliter Gentium ſit pure civilis. Sed res ita ſe habet: ergo, &c. Minor probatur: quia omnis obligatio ex iure Gentium vt tali afficit quidem incolas civitatis, & regni; ſed non niſi cum reſpectu ad Nationes exteras circunſtantes vel remotas. Et obligatio purè civilis afficit eoſdem incolas, ſed ſolum reſpectivè ad bonum regimen conſervandum ſuæ civitatis, & regni. Atqui vtraque hæc obligatio licèt derivetur à iure naturæ; tamen nequit non eſſe formaliter diverſa ex obiecto quod reſpicit: ergo, &c.

9 Dico 2. *Ius Gentium materialiter conſideratum* (ſive ſpecificè, ſi malis) *eſt inadæquatè ius poſitivum, divinum, & humanum.* Probatur hæc concluſio. Datur ſeu dividitur ius Gentium in ius naturale purum; in ius Gentium naturale divinum, & in ius Gentium naturale humanum: ergo ius Gentium quoad materiam vel ſpecies præceptorum, in quibus verſatur, eſt inadæquatè, ſed magna ex parte, ius poſitivum humanum, & divinum. Probo mai. 1. ex dictis. Ius Gentium eſt illud ius naturæ, quod datur inter Gentes, & Communitates hominum diverſis Dominis ſupremis ſubiectas. Sed huiuſmodi datur, & ius naturale purum, & naturale divinum, & naturale humanum: ergo, &c. Probo maior. per partes, & 1. quoad 1. partem. Dari tale ius naturale purum ſtat in eo quod toti Generi humano inſita ſint aliqua principia, & iura, nullibi ſcripta; vel aliquæ concluſiones circa hoc deductæ. Sed dantur, licèt rara ſint quæ ſcripta non ſunt: ergo, &c. Minor conſtat. Quia de iure Gentium eſt 1. quod tempore extremæ ſiccitatis exterorum vrbs finitima dividat aquæductus: quòd tempore belli non fiat occiſio alicuius etiam iniuſti inimici inhumanitus: Quod circa merces; & fructus reſpectivè non habitos paciſcantur arbitrio, &c. Sed hæc, vel ſimilia nullibi ſcripta apparent: ergo, &c. Probo ſecundam partem. Ius Gentium eſt, quod natura dictat circa exteras Gentes amicas, vel inimicas. Sed hæc abunde explicata ſunt iure Divino Exodi, Numer. Levit. Deuteron. Ioſue, Iudicum, & Regnorum libris: imò & in Evangelijs parabolice appoſita eſt doctrina de regibus belligerantibus, & paciſcentibus: *Quis Rex iturus committre bellum adverſus alium Regem*, &c. ergo datur ius Gentium naturale divinum. Probo 3. partem. Ius Gentium eſt quod natura dictat circa exteras

teras Gentes amicas vel inimicas. Sed in omni Imperio Romano, Sinenſi, Turcico, Mogolienſi, & in Regnis Hiſpaniæ, Galliæ; &c. Iura dantur plurima circ hæc diſponentia conformiter ad ius naturæ: ergo datur ius gentium naturale poſitivum humanum. Confirmatur 1. Loquendo de iure naturali. Datur ius naturale purum, vt ſunt multa *in circunſtantijs* quæ ſcripta non ſunt; & tamen ius naturæ ea poſtulat. Ius naturale divinum: & ius naturale humanum eo quod vtrumque corpus multa de iure naturæ ibi inſeruit: ergo, &c. Confirmatur. 2. Datur ius naturale civile purum: ſcilicèt maximæ de regimine Civitatis ac Regni denuo naſcentis, & nuſpiam ſcriptæ. Item ius civile naturale divinum: quia omnia præcepta iudicilia ſunt mirabiliter inſtituta in bonum regimen Republicæ: ergo, &c. Item ius civile naturale humanum, vt conſtat ex Codice, & Digeſto: ergo ſimiliter de iure Gentium dici poteſt.

10 Obijcies 1. ex Suarez. Si ius Gentium eſſet ius naturale, non prohiberet, niſi quæ ſunt intrinſecè mala. Sed hoc eſt falſum: ergo & concluſio. Maior patet: quia quæcumque iure naturæ prohibentur ſunt intrinſecè mala. Minor probatur: quia iure Gentium prohibentur *impediri munitiones, & ædifitia, negari inducias, repelli ltgatos*, &c. Sed hæc non ſunt intrinſecè mala: ergo, &c. *Confirmatur.* Ius naturæ nullum malum permittere poteſt: ſed ius Gentium multa mala poteſt permittere: ergo ius Gentium non eſt naturale. Probo min. Ius Gentium propter commercium neceſſarium gentis ad gentem poſſet permittere, veluti permittit ius civile, occiſionem adulteri in fraganti; domos meretricum; deceptionem in contractibus infra dimidium. Sed hæc ſunt mala: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo diſting. mai. niſi quæ ſunt intrinſecè mala *præcisè ſecundum ſubſtantiam ſuam*: nego mai. Niſi quæ ſunt intrinſecè mala *etiam complexivè*, & *diſpoſitivè*, conc. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Itaque aliud eſt, quòd omnia, quæ ſunt intrinſecè mala ſecundum ſola ſua intrinſeca prædicata, vt odium Dei, & mendacium ſint prohibita iure naturæ; aliud autem eſt, quòd ſolum ſunt prohibita iure naturæ quæ ſunt mala ex intrinſecis prædicatis: primum eſt verum; ſecundum autem eſt falſum: quia ius naturæ etiam prohibet ea, quæ in complexo circunſtantiarum intrinſecè malitiam claudunt, eaque, quæ vel inſe vel in tali complexo ſunt proximè diſpoſitiva ad malum: lumen enim rationis non ſolùm dictat mala non facere ſed neque ad malum accedere. Eapropter licèt *negare inducias: repellere legatos*; & alia quæ ſint contra ius Gentium, non præſeferant malitiam intrinſecam in ſolis ſuis intrinſecis prædicatis; nihilominus ſub eo complexo circunſtantiarum, ſubquo prohibentur iure Gentium, intriſecam deordinationem involvunt, v. g. ſi legati veniunt pacifici, oportuni, & in commodum vtriuſque gentis. Si induciæ æquè interſunt vtriuſque reipublicæ. Si munitiones præcisè defenſivę ſint, & intentantur pro oportunitate loci, temporis, & impendij: nam in his caſibus ea negando ſine cauſa, læditur proximus, vel ipſe quoque negans, in quo eſt clara malitia; ſi verò ex complexo circunſtantiarum tale quidpiam mali non naſcitur; neque iure Gentium erit prohibitum. Quoad prohibitionem verò rei merè diſponentis ad malum iam ſupra explicui in quæſtionibus, & authoritate firmavi; quomodo propterea in complexo circunſtantiarum etiam *eſus carnium* de ſe innocens poſſit prohiberi iure naturæ. Vbi obiter nota diſcrimen, quòd licet omnia, quæ ſunt mala etiam quia prohibita, prohibeantur iure naturę; aliter tamen, & aliter: id eſt, ea, quæ nobis innocentia apparent niſi prohiberentur; ideò prohibentur iure naturæ, quia

quia vel in ſe, vel in circunſtantijs ad malum propinquant, & iuſtè propterea prohibentur, quaſi præſervativè vt caveatur malum. Omne enim quod à quovis iuſto legislatore iuſtè, & oportunè prohibetur, eſt quia ipſum lumen rationis, dictat id ſub eis circunſtantijs malum eſſe. Ea verò, quæ intrinſecam inordinationem habent in ſuis prædicatis, prohibentur etiam ex intrinſecis legis, quæ non prohibere non poteſt quæ talia ſunt. Ad confirmationem, diſting. maior. *quoad licentiam*, conced. mai. *quoad impunitatem*, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſequent. Duplex enim datur permiſsio alia iuris, & conceſſiva rei quoad fieri; alia facti, & permiſsiva, ne factum puniatur: primo genere neque ius naturæ, neque ius Gentium quidquam permittit, aut permittere poteſt, vt ſatis patet: meretricium enim ita permiſſum non deſineret eſſe peccatum. Secundo verò genere etiam ius naturæ plura poteſt mala permittere: ſiquidem lumini rationis eſt conſentaneum, vt ad vitandum maius malum permittatur imò, & conſulatur minus quemadmodum fecit Loth offerens filias ſuas, vt peccatum maius vitaret.

11 Obijcies 2. Si ius Gentium eſſet naturale, non benè facta fuiſſet diviſio ſolemnis dicens: ius aliud naturale, aliud Gentium, aliud civile: ergo, &c. Probatur antecedens. Illa non eſt bona diviſio cuius vnum membrum in altero clauditur. Sed ita eſſet; ſi ius Gentium foret naturale: ergo, &c. *Confirmatur*. D. Thomas *quæſt.* 95. *art.* 4. Partitur ius poſitivum in ius naturale, & Gentium: ergo ius Gentium poſitivum eſt. Ad hoc argumento, reſpondeo neg. antec. & ad eius probat. diſting. mai. Includitur *adæquatè*, conced. mai. ſolum *inadæquatè*, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſequent. Ratio enim bonæ diviſionis ſolum poſtulat, quòd omnia membra participent rationem diviſi, & inter ſe vllatenus differant: & ſic hæc eſt bona diviſio *ens aliud naturale: aliud humanum*; & tamen humanum eſt naturale. Et hæc: *Subſtantia alia vivens; alia ſenſitiva*; & tamen ſenſitiva eſt vivens. Ita ius *aliud naturale*; *aliud Gentium*; & tamen ius Gentium eſt naturale. Ratio eſt, quia ſæpè genus non dividitur in ſpecies ſubalternatas, ſed etiam in ſpecies ſibi ſubalternantes. Atque ſi velit fieri diviſio purior; ſic fiat: *Ius aliud naturale tantum; aliud naturale Gentium; aliud naturale civile.* Ad confirmarionem, diſting. conſequent. *In eodem ſenſu* in quo poſitivum eſt naturale, conced. conſequent. *in alio ſenſu*, neg. conſequent. Ibi enim D. Thomas latè accipit poſitivum pro quo vis iure nobis *poſito*, ſivè à natura, ſivè ab homine. Atque vt pateat, quàm fundatè ius Gentium naturale dicatur. Ait „ Salas *ſect.* 4. Ad primum reſpondeo, „ non male quoſdam Iuriſperitos diſ„ tinxiſſe duo iura naturalia: vnum „ primarium, ſeu primævum, cuius „ obligatio non fundatur in voluntate „ humana, quod melius appellaſſent „ naturale ſimpliciter: alterum ſecun„ darium, cuius obligatio fundatur „ quidem in voluntate humana, ſed „ quæ ex principijs naturæ facilè, & „ ſtatim oritur: quod ius dixerunt, „ eſſe ius Gentium. Sed illud melius „ appellaſſent ius naturæ ſecundum „ quid, quàm ius naturæ ſecunda„ rium. Quæ diſtinctio, ſivè ſit neceſſaria ad concilianda iura, ſivè non admittenda eſt vt admittitur à Valentia, Bañez, Aragone, Salone, Medina citatis *ſect.* 2. *opinione* 4. Hactenus Salas, qui *opinione* 2. refert etiam ex Mendoza ea, quæ ſuperioribus meis doctrinis admodum quadrant, ibi: *Quia ius Gentium, quod vocant ſecundarium conſiſtens in rerum diviſionibus, commercijs, captivitatibus, & reliquis obligationibus non minus à ratione naturali in natura lapſa quàm defenſio propria dictatur.* Nota ly *in natura lapſa* propter diviſionem iuris naturalis prima-

rij, & ſecundarij à nobis poſitam in initio.

12 Obijcies 3. Ius naturæ non eſt propriè humanitùs diſpenſabile: ſed ius Gentium humanitùs propriè diſpenſabile eſt: ergo ius Gentium non eſt naturale. Probatur minor. Ius Gentium, humano placito expreſsè vel tacite conveniente, inductum eſt. Sed quidquid iuris humanitùs inductum eſt propriè diſpenſari poteſt per humanam poteſtatem: ergo, &c. *Confirmatur.* Ius captivitatis eſt ius Gentium. Sed Pontifex diſpenſavit: ne inter Chriſtianos capti in bello iuſto ſervi fiant: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Quia rerum diviſio eſt iuris Gentium; & nihilominus in primitiva Eccleſia; & modo in religionibus diſpenſata fuit: ergo, &c. Ad hoc argum. reſpondeo diſting. ant. Ius naturæ *purè, & præcisè tale*, conced. ant. Ius naturæ *humanitùs intimatum*, neg. antecedens, & diſting. conſequens. Non eſt naturale *purè*, conced. conſequent. *naturale humanum*, neg. conſeq. Conſtat hæc ſolutio ex doctrinis fusè datis in quæſtione de humana diſpenſatione legis naturæ: cum enim, vt tollatur per diſpenſationem obligatio legis, requiratur ſaltem poſſe tolli promulgationem, qua ſublata obligatio deeſt; ſequitur, vt in lege naturæ, purè tali, in qua impreſsio, & intimatio fit ſolum à Deo, locum non habeat humana diſpenſatio; quando verò ius naturæ intrinſecùs cuique inhærens, quodammodo humanitùs, ſivè placito, ſivè vſu, ſivè ſcriptura denuntiatur; poteſt vera diſpenſatio humana intervenire: quatenus per eandem viam declaret, pro tali, vel tali caſu naturæ ius non vrgere: quo obligatio ceſſabit; & ſub hac forma ius Gentium vtique diſpenſabile eſt; quia per eaſdem cauſas per quas conſurgit, ſolvi etiam poteſt. Ad 1. confirmationem reſpondeo ſimul, & ad ſecundam dicens, quòd talis diſpenſatio Pontificia in vtroque caſu ſtrictè loquendo non eſt iuris Gentium, ſed Civilis propriè ſumpti: quia Civile non debet hic vulgo ſumi pro iure Cæſareo: Civile enim Latinè, Grecè politicum eſt: & datur Monarchia, & Politia Eccleſiaſtica, vti & ſæcularis: & quidquid in ea pro ſuorum membrorum vbicumque Gentium illa ſint, recta gubernatione diſponitur, potius ad ius Civile politicum Eccleſiæ referri debet; quàm ad ius Gentium: & huiuſmodi ſunt duo illi caſus de captivitate, & rerum diviſione. Vbi nota, aliud eſſe, quod *rerum diviſio*, & *captivitas* ſint materia iuris Gentium: quia gentes circa ea poſſunt convenire, aut diſconvenire; aliud verò quod vtriuſque excluſio nequeat pertinere, niſi ad ius Gentium: & hoc vltimum falſum eſt: quia non ſolum in Monarchia Eccleſiaſtica, hæc poſſunt excludi charitati Chriſtianæ conſulendo; verum etiam in Monarchia Sæculari idem poteſt accidere, ſi, nimirum, ad intra rerum non diviſionem, ſed maiorem vnionem quærant; & ad extra iura captivitatis in bello laxent. Et hinc patet quomodo verum ſit, quod non derogatur iuri Gentium per ius Eccleſiaſticum; quia reſpectivè ad ius Eccleſiaſticum, quod eſt ius communionis, non datur gens, & gens, ſed Barbarus, Scytha, Iudæus, & Græcus dum Eccleſiæ parent vna gens ſunt, ſed ſancta, & populus acquiſitionis: & ſolum poterit reputari alia gens turba omnium infidelium, atque reſpectu huius gentis diſponi, & explicari ius Gentium non tàm quoad temporalia præcisè vt talia, quàm circa ſpiritualia, & temporalia etiam prout eis ſubſunt, & ſerviunt.

13 Obijcies 4. Ius naturæ eſt commune omni genti, ſed ius Gentium non eſt commune omni genti: ergo ius Gentium non eſt naturale. Probo min. Si eſſet commune omni genti eaſdem leges, & iura haberet omnis gens, & natio erga alteram nationem, & gentem. Sed res non ita ſe habet;

quia

quia quoad actiones, personas, & res diversa solent esse tempore, & loco iura inter gentes: ergo, &c. *Confirmatur.* Ius naturæ immutabile est. Sed non ita ius Gentium: ergo. Probo minor. Quod ab homine mutabile inducitur ab ipso mutabile est. Sed ius Gentium, hominum placito, & vsu inductum est: ergo pro earum mutabilitate mutabile est. Ad hoc argumentum respondeo distinguend. maior. *in consideratione logica*, conc. mai. *in consideratione physica*, sub disting. *quoad quasdam maximas simpliciores, & capitaliores*, conc. maior. *quoad omne ius Gentium ad gentes*, neg. mai. & disting. min. Non est commune omni genti *quo ad maximas simpliciores, & capitaliores*, neg. mai. Quoad iura omnium *Gentium*, conced. min. & neg. conseq. Itaque (præter communitatem logicam quæ non debet præteriri, eo quod nos loqui non possimus sæpè plura vt plura, sed sub ratione communi) debet adverti, quod in consideratione physica commune est etiam ius Gentium verè tale omnibus gentibus; sed solum quoad quædam simpliciora, & capitaliora principia, quæ ad tria reduci posse videntur. 1. Quòd vnaquæque gens, & natio cum alia, non sibi inimica, debet se gerere pacificè, & beneficè mutuò, salvo iure proprio ita vt iuvet, & iuvetur ab altera. 2. Quod vnaquæque gens cum altera, sibi inimica, debet iustè se defendere, & potest iustè aggredi alteram super personis, actionibus, & rebus suis, modo defensionis, & offensionis proportionato ad genus hostilitatis contrariæ. 3. Quod vnaquæque gens, & natio in ijs, in quibus non præiudicat alteri in suis iuribus, & personis, potest sine termino ampliari, crescere, & suis extraordinarijs inventis, artibus, & cultura frui. Hæc sunt communia principia iuris Gentium per ordinem ad quæ debebunt postea in particulari appendi, & taxari ea, quæ inter gentem, & gentem disputentur: num sint vel non sint de iure Gentium: eo quod cum gentes, climata terrarum, situs, alimenta, arma, ministeriorum genera, commercia, vsus, & temporum, & locorum vicissitudo, & mutatio sint tam varia; non possunt iura Gentium particularia, hoc est, de hac natione in illam, non esse diversissima; imò & contraria, licèt sint verè talia iura. (Quod addo: quia non dubito quin in multis nationibus barbaris, vel infidelitate occupatis multas tulerint iniquas leges adversus nationes finitimas) Atque hac de causa non potest definiri, vniversim loquendo, in specie quid sit de iure Gentium; poterit tamen per superiora principia in re controversa non illegitimè definiri. Ad confirmationem respondeo distinguend. mai. Ius naturæ est immutabile, quatenus pro casu pro quo ius naturæ latum est tolli etiam à Deo non potest, conced. mai. immutabile est, id est expers omnis mutationis in materia circa quam versatur, neg. maior. & concess. min. neg. conseq. Verum enim est, quòd semel ac pro re aliqua, & casu sit ius naturæ, tolli non potest, neque à Deo; verùm simul cum eo compatitur, vt materia iuris naturæ propter suas vicissitudines, & mutationes quandoque non sit apta præcipi iure naturæ: in quo casu neque vnquam pro ea ius naturæ fuit: quod cum à potestate humana declaratur; late dispensari dicitur in iure naturæ. Sic similiter in iure Gentium propter mutationes, & varietates relatas potest contingere: cum eo discrimine, quod ea, quæ vsu, & placito hominum exemptio fiat de iure Gentium; poterit esse dispensatio stricta ab ipso placito humano rationali, vt legislatore dimanans.

14 Colliges 1. Quomodo se habeat ius naturæ respectu iuris Gentium, iuris divini, iuris humani Ecclesiastici, & iuris civilis; cum ex nostra sententia cum D. Thoma omnia hæc iura deriventur de lege naturæ. Itaque solum in propositione, & intimatio-

tione eiuſdem iuris ſtabit diſcrimen ſcilicèt: quia in lege naturæ purè, & precisè tali, intimatio fit à ſolo Deo in ipſamet creatura rationali, & quidem iuxta numerum, & ſpeciem naturalium dictaminum, quæ ei ſint ſervitura. In iure Gentium intimatio iuris naturæ non eſt ſingularis cuiuſquam hominis; ſed totius conſenſus humani tacitè vel expreſsè, ore, aut ſcripto vario per nationes lati. In iure divino idem ius naturæ nobis quoque inclareſcit, ſed intimatio eius fit infallibiliter per Scriptores Canonicos infallibiliter pronuntiata. In iure Eccleſiaſtico intimatio fit per Eccleſiam partim infallibiliter, quando per Pontificem ex Cathedra, & concilia quidquam reſolvitur; & partim fallibiliter quando per inferiores miniſtros aliquid de corpore iuris Canonici ad caſus contrahitur. Denique ius naturæ in iure civili proponitur, & intimatur fallibiliter per ſapientes, & Iuriſconſultos. Et ex varietate, & diverſa qualitate harum propoſitionum, & intimationum, quæ ſunt de obligatione legis pendent varia nomina, & conditiones horum iurium; licèt re vera ius naturæ ſemper fuerit idem atque à lege æterna dimanans.

15 Colliges 2. Quid dicendum ſit: *An liceant in iure Gentium arma exquiſita vel venenata, vel venenatio aquarum?* Nam arma exquiſita non ſunt contra ius Gentium, dum par eſt ius in vtriſque. Arma verò læſionis irreparabilis, & imprævenibilis ac venenatio aquarum, communiter loquendo, ſunt contra ius Gentium: ſi verò hoſtis imminens ſit gens barbara, & infidelis, quæ nedum bona, & vitas, ſed, & omnem pudicitiam, ac religionem credatur inevitabiliter everſura; licita erunt iure Gentium hæc, & alia huiuſcemodi. Ratio eſt quia ius pudicitiæ, & religionis valet pluſquam integra natio hoſtium irrumpentium. Et ſic de alijs caſibus: circa quos aliqua etiam tetigi 1. *tom. in quæſt. de Inſidijs.* Colliges 3. Fortè minus rectè aſsignaſſe diſcrimen inter ius Gentius, & Civile Patrem Suarez dum dixit primum non ſcripto conſtare; ſecus ſecundum. Omnia enim corpora iuris in imperijs plura ſcripta habent ex eis, quæ ſervanda eis ſunt ad exteras gentes. Et ius Cæſareum ſatis multa affert de iure Gentium, & rebus ad id attinentibus. Colliges 4. Patrem Vazquez minus etiam rectè, ni fallor, explicuiſſe ius Gentium, dum dixit illud non eſſe præceptivum, nec prohibitivum, ſed in ijs verſari, quæ ſocietati humanæ ad melius ſe haberent. Quia revera ius Gentium nil aliud eſt quam lex obligatoriè ſervanda inter gentes, & Nationes. Neque ea quæ recenſentur de iure gentium à D. Iſidoro deſinunt ſuam obligationem importare, vt explicatum eſt. Imò etiam iam explicatum eſt, quomodo ius naturæ, quod verſatur circa intrinſecè mala, & intrinſecè bona, poſsit eſſe præceptivum eorum, quæ indifferentia ſe habent antequam iubeantur, aut prohibeantur. Nam de præcepto negativo, & prohibitivo, v. g. *eſu carnium*, iam ſuprà explicatum eſt: quomodo in complexo circunſtantiarum in quo prohiberi ſolet, invenitur pro priori ad prohibitionem illa ſufficiens inordinatio, quæ attento toto complexo verè mala reſultat proximè diſpoſitivè, & ſatis vt per ius naturæ poſsit convenienter prohiberi: cuius enim eſt malum formaliter prohibere, eſt etiam prohibere quod pro aliquibus circunſtantijs trahit proximè ad illud, diſponit ad illud. Circa præcepta verò affirmativa vel ſolet pro priori ad præceptū inveniri in re intrinſeca rectitudo, quæ à iure naturæ imperabilis eſt, velut auditio ſacri, vel in tali coniuncto circunſtantiarum, in quo præcipitur gaudet ordinatione formali, aut diſpoſitiva ad bonum neceſſarium tali, quæ ſufficiat vt ius naturæ circa illud præceptivè ſe exerceat. Colliges 5. Quod licèt nll. In cauſa, §. *Idem Pompo-*

*ponius ff. de Minor* adiuncta. Gloſſa, dicatur: *Naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire in pretio emptionis, & venditionis*, vbi Gloſſa ait: *Naturaliter*, id eſt *ex iure Gentium*. Id debet intelligi vel cum Covarrub. intra iuſtum pretium: latitudinem enim habet. Vel cum Matienzo de licentia ſolum quoad impunitatem. Et hic modus congruentior eſt iuri civili, quod non niſi quoad impunitatem permittere poteſt tùm occiſionem adulteræ in fragranti; tùm domos publicas meretricum; tùm ſe decipere in contractibus infra dimidium iuſti pretij. Atque in hoc genere ius gentium permiſsivum eſſe poteſt ſicut, & quod plus eſt, in rebus alioquim communi vſu inductis, quandoque ſi oportet, diſpenſativum ſeu conceſsivum nedum in facto, ſed etiam in iure rem faciendi. Cum ergo in omni lege verſante præſertim circa infirmos, ac debiles ſubditos ſeveritas, & defectus æquitatis reputetur, ſi omnes res, & actiones nulla dempta ſub legislationem cadant; quinimo æquiſsimum ſit libertati phyſicæ, & vſui phyſico plura indifferentia relinqui; idcirco etiam ius naturę nedum poteſt eſſe permiſsivum *quoad impunitatem*, vt iam tetigi, eius quod malum eſt in conſpectu gravioris imminentis; ſed etiam plurimorum quæ indifferentia ſunt tàm in ſpecie, quàm in individuo æquiſsimè conceſsivam: quamvis enim pars ſenſitiva futura ſit ſerva rationalis; iniqua dominatio foret, quæ nullum vſum liberum ſervæ proprium relinqueret; ſed ſibi eam penitùs manciparet.

JHS.

# QUÆSTIO DECIMA.

## TEXTUS
## AD ILLA VERBA.

ET DEDIT EIS PRÆCETPA NON BONA.
*Ezechiel.* 20.

### ARTICULUS.

*UTRUM LEX VETUS FUERIT ADÆQUATE DIVINA, & honeſta?*

1 SUppono 1. Legem veterem à Moyſe promulgatam fuiſſe primam, quæ poteſt nuncupari divina poſitiva: ſiquidem ante illam nulla lex, quæ eſſet collectio coordinata præceptorum, & quaſi corpus iuris præceſſerat: lex enim poſitiva, ſeu vis imperativa divina non intimabatur hominibus niſi propter neceſsitatem, vel vtilitatem ipſorum: quare ſecundum tempus, & circunſtantias, quæ Dei voluntatem, & iuſsionem poſitivè aperiri poſtulabant Deus ipſe iam ſparſim vnum, vel alterum præceptum divinum intimabat; iam corpus integræ legis divinę, quo nomine appellatur lex vetus *Ioannis* 1.

& lex nova *ad Roman.* 3. & 8. & *ad Galat.* 5. Itaque ante tempus veteris legis hæc præcepta divina positiva præcesserunt. 1. Præceptum illud *Genes.* 2. Adamo impositum *de arbore scientiæ boni, & mali ne comedas.* Quod licèt in tendentia appareat esse negativum, & prohibitivum mali; re ipsa non est; in illo sensu, in quo diximus suprà præcedenti quæstione, quod in iure primario naturæ, & statu innocentiæ lex seu ius naturæ nihil claudebat negativum, & prohibitivum mali: quia lex naturæ in illo statu tendere non poterat ad negandum, & avertendum aliquod malum imminens ex pronitate naturæ humanę; pro cuius remedio militat omnis lex positiva simul cum lege naturæ, in statu naturæ lapsæ. Neque ius primarium naturæ, præcisè vt tale consideratum, poterat includere dictamen aut impressionem factam in natura rationali, ne de arbore illa comederet tam pulchra visu, & ad vescendum suavi: si enim ita fuisset; natura humana in se ipsa haberet tale præceptum, & divina impositione non indiguisset. Igitur tale primum præceptum, licèt non fuerit pro solo Adamo, & Eva, sed pro tota posteritate latum vt putat Suarez, contra nunnullos; tamen lex divina dici non potest, sicuti, nec quodvis præceptum ex postea memorandis in sensu legis supra expositio: quia non erat præceptorum collectio ordinata, & legislativè dispositа. Sed fuit vt inquit Suarez *lib.* 9. *de Legib. cap.* 1. *num.* 5. tantum singulare quoddam præceptum quasi in signum peculiaris subiectionis, & obedientiæ, & ad humilitatis, & aliarum virtutum exercitium. Vnde licèt natura humana per ius naturæ impressum satis esset Deo subiecta per substantiam, & debitum; tamen ipsum ius naturę primarium dictabat, vt subijceretur quoad aliquod exercitium, & ad id erat opus aliquo præcepto de linea positiva, & quasi contingenti itemque quod tale præceptum licèt de se foret affirmativum, tùm ex parte finis scilicèt exercitij virtutum, tùm ex parte modi firmativi, & affirmativi hominis erga Deum; tamen quoad expressionem foret negativum, licèt positivè ligans appetitum, eo quòd Deus non poterat aliter tentare subiectionem suæ creaturæ, nisi per negationem, non alicuius malitiæ, sed alicuius exercitij, ita vt tota illa, quæ negatio apparet possit sic explicari positivè: *Concedo tibi exercitium gustus in ordine ad omnia ligna præter hoc*: hæc enim exceptio ex parte singularis subiecti non tollit absolutè positivum quod est ex parte concessionis. Quare sicut de iure primario naturæ erat hoc: *Oportet in aliquo exercitio libertatis negativo, vel positivo* ostendi hominis subiectionem, & obedientiam ad Deum; ita de iure positivo fuit tunc dicere: *Volo quod exercitium talis obedientiæ sit omissivum in re fere omnes sensus provocante, scilicèt, non gustare pomum alias dulce, odoriferum pulchrum, & suave.* Ecce quomodò iussio vt talis potius affirmativa est de exercitio in genere vel in specie; licèt exercitium negativum foret. Et ecce quomodo semel dictante natura aliquam obedientiam, conducit ipsa alli cientia pomi ad naturam vt eius comestio per ius Dei tunc positivum prohiberetur.

2 Suppono 2. Post statum innocentiæ in quo vnicum præceptum relatum invenitur, alia postea recenseri præcepta, quæ videntur aliquomodo constare. Et in primis recenseri potest secundo loco post præceptum de ligno, præceptum positivum alicuius signi, vel Sacramenti, quo media fide in Christum confusè propositum illis verbis *ipsa conteret caput tuum* remitteretur peccatum originale, & idem dici etiam potest de iustificatione adultorum media fide, spe, & charitate: quia licet hæc interna sint; tamen non poterat tunc generi humano, cum Deo familiariter agenti, non in-

innoteſcere, quaſi communiter ex ore Dei, eam ſibi reſtare viam reparandæ ſalutis omnibus communem. Et hinc poterit quaſi delineari aliqua lex poſitiva pro priori ad legem Moyſis. Cæterum, vt ait Suarez, non debemus hæc præcepta tunc intelligere orta ex aliqua lege poſitiva divina; ſed ex lege naturæ etiam elevatæ per fidem: ſiquidem tàm ſignum exterius, quod foret remedium originalis pro illo ſtatu, quàm iuſtificatio adultorum ſolemniter cognita inter homines non proveniebant ex iuſsione poſitiva Dei, ſed ex illis, quę vnicuique fides, & ratio dictabat, vnde fiebat commune, & ſolemne remedium ſingulorum. Tertio loco fundatè circumfertur præceptum aliquod poſitivum præceſsiſſe ante legem, quæ *Geneſ.* 7. diſcerneret iam animalia munda ab immundis. In quo licet Abulenſis putet proceſſum eſſe à Moyſe, ſcribente poſt legem, loquendo per anticipationem; nihilominus benè Suarez inſurgit: quandoquidem ipſa diſcretio facta eſt, vt ibi apparet pro ingreſſu in Arcam qui tanto tempore legem anteceſsit. Vnde cum ipſe Deus tunc diſtinxiſſet munda, & immunda; ſatius eſt credere cum Chryſoſt. Dydimo, Pererio, & Cornelio talem diſcretionem provide, & prævie à Deo inſitam fuiſſe homini circa animalia, & aves iuxta Septuaginta, medio quodam horrore, ſimili ei, quem circa animalia venenata habere ſolemus, licet illa nobis nunquam ſint comedenda: & conformiter ad hunc horrorem ipſius naturæ, appoſita poſtea fuiſſe præcepta *Levit.* 11. vt nimirum de ijs, quæ hominibus magis placerent ſacrificia fierent. Quarto loco datum fuit præceptum *Geneſ.* 9. abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato. Quod nimis tropologice ſumpſere aliqui PP. vt Cyprianus, Tertullianus, Chryſoſtomus, & cum eis Eugubinus; ſed tamen verus eſus ſanguinis ibi prohibitus fuit, licet eo fine eſſet, vt homines tam de facili non fierent viri ſanguinum. Quinto loco etiam datum fuit præceptum de circumciſione ante legem quod poſtea in ea incorporatum eſt: cœpit enim per illam populus Dei congregari, & initiari, vt poſtea ſtatuto tempore, & debita multiplicatione legem acciperet. Vtrumque autem tale præceptum licet poſitivum lex dici non poteſt in ſenſu à nobis explicato, vt de ſe patet.

3 His poſitis nonnulla ſunt placita, quæ poſſunt circa quæſitum huiuſmodi recenſeri. In primis moneri, pluſquam exponi, debet hæreticum placitum aſſerentium legem veterem non fuiſſe puram Sanctam, & Immaculatam. Quod videtur originem priſcam habuiſſe ex Simone Mago iuxta Sanctum Clementem Romanum *lib. 6. Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 19. cum aſſeclis Valentino, & Marcione. Sed cum hic error maximè deliraret in eò quòd poneret duo principia malum, & bonum, adſcribitur Manichæis quos Auguſtinus confutat *in libris contra Fauſtum*, Adimantum, & alijs. Secundum placitum eſt aliquorum aſſerentium Deum non fuiſſe Authorem adæquatè omnium eorum, quæ continentur in Veteri Teſtamento, ſed aliquid proprio arbitrio Moyſis ibi inſertum fuiſſe. Ita ſenſit Origines *homil.* 16. *in numer.* Item D. Ambroſius *lib.* 8. *in Luc.* in principio cum quibus citari poteſt P. Salmeron *diſput.* 61. & 62. *in Act. Apoſtol.* Tertium placitum eſt commune, & vniverſale, ſcilicèt, totam legem veterem nihilo excepto, vſque ad finem Deuteronomij fuiſſe divinam, & à Deo vt Authore intimatam à Moyſe verò tanquam à promulgatore. Hanc ſententiam tenet Epiphanius *hæreſ.* 33. Ioannes Arboreus *lib.* 10. *Theoſophiæ, cap.* 9. Maldonatus *Math.* 19. Bellarminus *lib.* 1. *de Verbo Dei ſcripto.* Suarez *lib. 9. de Leg. cap. 3. n.* 14.

4 Sit noſtra concluſio: *Tota lex vetus adæquatè ſumpta fuit lex divina pura, ſancta, & honeſta.* Probatur 1. noſtra concluſio ab authoritate. Deus abſo-

absolutè loquendo fuit Author principalis veteris legis. Sed nihil est in ea quod probetur referri debere ad alium authorem : ergo adæquatè est divina. Minor constabit ex solutione argumentorum, maior verò constat primo ex Sacra pagina. Tùm *Exod.*20. vbi in principio legis dicitur : *Loquutusque est Dominus cunctos sermones hos.* Tùm *ex Psalm.* 18. *&* 118. vbi dicitur *lex Domini.* Tùm *ad Hebr.* 9. *Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Secundo. Ex authoritate Conciliorum: tùm ex Toletano 1. *in Confessione fidei,* vbi dicitur : *Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum esse priscæ legis; alterum verò Evangeliorum Anathema sit:* tùm ex Concilio Tridentino *sess.* 4. definiente vtriusque legis eundem fuisse Authorem; sed planè fuit legis Evangelicæ : ergo, & Mosaicæ. *Confirmatur* 1. In lege veteri dabatur iustificatio, vt constat ex expiationibus, & iustitijs legalibus eam indicantibus. & ex perpetua amicitia cum Deo, & electione populi in populum peculiarem. Sed author iustificationis est solus Deus: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Lex vetus in multis præceptis, & factis suis figurabat plura mysteria posteà futura. Sed præcipere facta sic figurativa futuri, nemo potest facere nisi solus Deus, qui præscius est futurorum : ergo talis lex absolutè à Deo data est. Atqui inter iustificationes divinas, & signa voluntatis suæ nequit se admisce.e aliquod signum pure humanum vtpotè fallax : ergo ea lex adæquatè sumpta divina fuit.

5 Probatur 2. Conclusio finis veteris legis per eam à Deo principaliter intentus fuit spiritualis, & supernaturalis respectu populi Israelitici. Sed lex, quæ verè ducit ad æternam felicitatem comparandam nequit non esse à Deo sancta, & honesta : ergo, &c. Minor patet, & maior probatur primo ex Sacra pagina, tùm *Psalm.*18. ibi : *Lex Domini immaculata convertens animas testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis, iustitiæ Domini lætificantes corda* vsque ad illud *in custodiendis illis retributio multa.* Tùm *Psalm.*118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, &c.* Tùm *Act.*7. ibi : *Qui accepit verba vitæ dare nobis.* Tùm *ad Rom.*7. ibi: *Lex quidem sancta, mandatum sanctum... lex spiritualis est; ego autem carnalis sum.* Tùm *Math.* 19. *& Luc.*10. vbi rogatus Christus de medio ad possidendam vitam æternam, ad veteris legis impletionem remittebat. Secundo probatur ratione eadem mai. Ea lex fuit à Deo vt Authore gratiæ: ergo ex fine supernaturali, & sancto. Patet anteced. quia tota illa lex proponebatur, vt credenda, & pene tota erat mysteriosa de credendis professio fidei : ergo, &c. *Confirmatur.* Finis veteris legis fuit Christus vt Salvator: ergo, &c. Antecedens patet primo. Ex illo *ad Romanos* 10. *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Secundo. Ex illo *ad Galat.* 3. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamar concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex Pedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Tertio. Ex illo *ad Roman.* 9. ibi : *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & Testamentum, legislatio obsequium, & promissa. Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Tùm quia, vt constat *Actor.*7. *& Deuteron.*18. Moyses vt Legislator promittebat Christum dicens: *Prophetam suscitabit Deus vobis de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis:* ergo, &c. Quæ quidem probatio cum confirmatione fulcitur, tùm ex D. Thoma 1.2.*quæst.*98. *art.*1. *& quæst.*99. *art.*2. Tùm ex duobus libellis in hac re speciosis quorum alter inscribitur *Scopus Biblicus*, alter vero *Claves Scripturarum* Ambrosij Catharini, quorum vterque fusè demonstrat Christum, esse scopum Scripturarum.

6 Probatur 3. conclusio. Omnia præcepta, quæ includebantur in lege veteri erant honesta, & sancta, ac recta: er-

ergo, & lex, quæ ex eorum collectione resultabat. Antec. patet primò, quia Christus Dominus *Math.* 5. ait se non venire legem solvere, sed ad implere, ita vt neque iota vnum neque vnus apex præteriret à lege, donec omnia fiant. Sed si in tota lege inveniretur aliquando præceptum minus rectum, & sanctum; summa sanctitas, quæ erat Christus, non asseveraret se legem impleturum vsque ad apices: ergo, &c. Patet 2. Quia nisi tota collectio præceptorum foret ita recta, & honesta; Christus non suaderet Discipulis suis, vt omnia eius præcepta servarent, Atqui ita eos instituit: ergo, &c. Min. patet ex verbis *Math.* 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, & facite.* Vbi Hieronymus doctrinam legis intelligit. *Confirmatur.* Finis proximus totius legis adæquate sumptæ erat recta institutio populi, tàm in se, quàm in ordine ad Deum, iustamque, & honestam politiam servandam cum fratribus suis: ergo, &c. Antec. constat 1. *Exod.* 19. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus: mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta.* 2. Quia eo tendunt præcepta moralia, vt hominem recte ordinent erga se; ceremonialia, vt recte eum ordinent erga Deum; & iudicialia, vt recte ipsum ordinent in vita politica cum fratribus suis. De quo D. Thomas tota *quæst.* 99. Sed lex vetus non nisi illas tres classes præceptorum includit: ergo tota lex vetus nihil iubebat, nisi quod rectum erat, & sanctum.

7 Obijcies 1. Si lex illa fuisset plenè, & planè divina, non habuisset legislatorem humanum: sed illum habuit: ergo non fuit divina. Probatur min. Eius legislator fuit Moyses. Sed hic purus homo erat: ergo, &c. Maior constat ex Historia Exod. explicata *Malach.* 4. ibi: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel.* Et Ioan. 1. & 7. *Nonne Moyses dedit vobis legem?* ergo, &c. *Confirmatur.* Moyses iuxta D. Paul. est legislator, vt Christus fuit novæ legis. Sed hic erat verè author: ergo, & Moyses author fuit veteris legis. Mai. patet: tum quia Moyses *Deuteron.* 18. ait de Christo, futurum esse Prophetam sicut ipsum. Tum quia Christus ex munere mediatoris egit legislatorem. Sed sic etiam Moyses fuit ex illo *ad Galat.* 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo, distinguendo mai. legislatorem quoad imperium, ius, & iussionem conc. legislatorem quoad promulgationem; subdisting. Non habuisset legislatorem humanum; aflatum tamen divinitus; neg. mai. humanum purè humanitus promulgantem; conced. mai. & respectivè distincta min. neg. conseq. Itaque vt late dictum est loquendo de essentia legis in quæstionibus præcedentibus, lex, vt obligans in actu secundo constituitur essentialiter, tùm per vim superioribus, & iussionem imperativam; tùm per promulgationem intimantem: unde quicumque alterutram partem adhibet, præsertim rationaliter, id est, *intellectivè, & volitivè* verè legislator potest nuncupari, quia vere fert legem: quo posito, Moyses potest dici legislator, & lex data per Moysem, licet solus promulgator extitisset: vnde constat solutio textibus allatis. Vt verò lex tota divina esset; planè requirebatur, quòd hæc promulgatio non fieret, nisi per aflatum Spiritus Sancti, vt infallibiliter id dumtaxat, quod iubebatur, intimaretur: cùmque Moyses licèt purus homo fuisset Scriptor Canonicus; inde est, quòd sine præiudicio Dei primi, & principalis legislatoris Moyses potuerit esse legislator, & lex nihilominus adæquatè divina. Ad confirmationem respondeo negando mai. & ad huius primam probati. disting. ly sicut quoad legislationem, & obedientiam præ-

tandam conced. *Sicut* quoad poteſtatem legislativam, neg. nam licèt inter Chriſtum, & Moyſem intercedat ſimilitudo ſtans in eo, quod vterque ſurrexerit Iſraeli de fratribus ſuis, & vterque pro tempore ſuo plenam legem ſalutis ediderit, & vtrique ſit à toto Iſrael obedientia præſtanda: nihilominus vterque non parem poteſtatem habuit in lege ferenda: nam Chriſtus, vtpotè Deus, & homo non ſolum intimandi, ſed & iubendi, atque imperandi legitima vi, & poteſtate gaudebat; Moyſes vero tantum miniſterio promulgationis, vt conſtat ex Clemente, & Cyrillo Alexandrinis, Nazianceno, & Chryſoſtomo apud Suarez. Ad ſecundam probat. diſting. mai. mediator divinus, & poteſtativus, conc. mai. humanus, & purè miniſterialis, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Aliter enim mediator eſt Chriſtus inter Deum, & hominem, quam Moyſes inter Deum, & populum: nam primus vtrumque hypoſtaticè in ſe copulavit; ſecundus verò ſolum delegativè, & quidem ad promulgandum, vt ipſe *Deuteron.* 5. ſe explicuit, dicens: *Ego ſequeſter, & medius fuit inter Dominum, & vos in tempore illo, vt anuntiarem vobis verba eius.*

8 Obijcies 2. Aliquod præceptum eſt in lege veteri, quod non à Domino; ſed à ſolo Moyſe inductum eſt: ergo tota lex adæquatè ſumpta non fuit divina. Anteced. patet *Math.* 19. Vbi expreſsè ponitur quod erat de mente Dei inſeparabilitas matrimonij per illa verba: *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Et poſtea ſubditur lex Moyſis de libello repudij, dicendo: *Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis Moyſes; ab initio autem non fuit ſic.* Sed hoc eſt legem de libello repudij à ſolo Moyſe inductam fuiſſe: ergo, &c. *Confirmatur.* Lex nova non definit eſſe Dei, quamvis in ea ſit aliquod præceptum purè humanum: ergo ſimiliter lex vetus. Probatur anteced. ex Paulo 1. *ad Corinth.* 7. vbi loquens de non dimittenda vxore infideli, ait: *Nam ceteris ego dico, non Dominus*: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando anteced. ad cuius probat. conceſſa mai. neg. minor. ex doctrinis quas attuli *tom.* 1. agens de libello repudij, vbi talem facultatem à Moyſe putavi conceſsivè datam; non tamen iudico id fuiſſe purè humanitus; ſed ſpiritu Dei afflatum, & notificatum de voluntate Dei, tunc ſic permiſsiva, & conceſſiva iuxta ea, quæ diximus de diſpenſatione Dei in lege naturæ, & multò magis in lege divina. Nam Chriſtus non dixit niſi quod *ab initio non fuit ſic*; non tamen quod Moyſes ex ſola ſua voluntate id permiſerit: quare tam divina, ſicut lex tota, manſit lex illa de libello repudij; licèt ex illa contrapoſitione aliter Origeni, & D. Ambroſio apparuiſſet. *Ad confirmationem*, neg. anteced. cum ſuppoſito, ad cuius probationem reſpond. quod, quamvis D. Eximius, P. Suarez planè concedit, ibi aliquid de ſola voluntate Pauli, & non à Domino indictum eſſe; tamen ego, vt ſuprà, rem nego, & declaro, diſtinguens illa verba, & *non Dominus* iuſsivè, & imperativè, nego. *Non Dominus* intimativè, concedo. Vtriuſque enim extremi probatio eſt admodum clara: primæ quidem: quia Paulus claudit illud caput dicens. *Puto autem quod, & ego ſpiritum Dei habeam*: vbi inſinuat, ſe non niſi dei iuſſa proponere: ſecundæ autem quia loquitur immediatè, & correlativè ad præceptum ab ipſo tactum de non dimittenda vxore ex libello repudij iuxta legem latam à Chriſto, *Math.* 19. *Marc.* 10. & *Luc.* 16. Vnde dicere *non Dominus*. Eſt dicere de re priori legem habemus latam à Domino ſcilicèt *Ieſu*, & intimatam: non vero de non dimittenda vxore infideli. Quare ly *non Dominus* non eſt, *non Deus*; ſed *non Chriſtus Ieſus*: & de hoc intimativè tantum, vt expoſui.

9 Obijcies 3. Si finis legis veteris

ris eſſet ſupernaturalis, & ſanctus; ipſa foret medium directè conducens ad talem finem conſequendum; ſed non ita eſſe videtur: ergo, &c. Probo min. Non poteſt eſſe medium directè conducens ad talem finem, ſi talis lex non poteſt iuſtificare: ſed non poteſt: ergo, &c. Maior patet: quia ſine iuſtificatione finis ſanctus obtineri non valet. Et minor etiam conſtat, tùm ex Paulo *ad Roman.* 3. 4. & 5. & *ad Galatas* 3. Tùm ex noſtra aſſertione propugnata *tom.* 1. *Decad.* 4. de eo quod lex vetus non iuſtificabat. *Confirmatur* 1. Finis legis ex D. Paulo videtur inſinuari, fuiſſe, vt abundaret delictum, & propter tranſgreſsionem, vt conſtat *ad Roman.* 5. & *ad Galatas* 3. Ergo non eſt finis ſanctus. *Confirmatur* 2. Quia non eſt aptum medium ad finem vitæ æternæ *miniſtratio mortis, & lex mortis.* Sed ita eam appellat D. Paulus *ad Roman.* 8. & 2. *ad Corinth.* 3. ergo, &c. Ad hoc argumentnm, reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem ad cuius probati. diſting. mai. niſi lex ipſa iuſtificaret *quoad ſtatum* quatenus homines ſub ea iuſtificationem acciperent, conced. mai. quoad vires iuſtificativas, neg. mai. & reſpectivè diſtincta minori, neg. conſeq. Itaque aliud eſt legem veterem in ſe non habere vires gratiæ ſanctificantis, ſed has dumtaxàt venturas eſſe ex fide in Chriſtum: quod propriè eſt, totum theſaurum gratiæ iuſtificantis reparativæ mutuandum eſſe ex Chriſto Redemptore, & lege gratiæ: & ſic ſimiliter erat in lege naturæ. Aliud verò eſt, quòd ſtatus talis legis non claudere in ſe viam iuſtificationis: & hoc eſt falſum; quinimò ipſa lex ducebat in iuſtificationem: ſiquidem tota reſonabat, ac præfigurabat Chriſtum, de cuius fontibus, & cuius fide erat iuſtificatio ventura. Vnde, licèt ipſa non eſſet medium ſimpliciter neceſſarium ad iuſtificationem, cum hæc quoque daretur in lege naturæ in eis, qui ad Iudaiſmum non converterentur; tamen erat medium magis proximum accedendi ad Deum, & per cuius oſtium Gentiles plus propinquabant, dum per circumciſionem fiebant Proſelyti. Ad primam confirmationem, reſpondeo negando aſſumptum: quia illæ particulæ *vt*, & *propter*, quas affert D. Paulus non ſumuntur in rigore dialectico, quaſi notæ cauſalitatis finalis, ſed pro effectu ſequuto veluti quando dicitur de Iuda in Evangelio, quod *prævaricatus eſt, vt abiret in locum ſuum.* Itaque diligenter obſervandum eſt, quo ſenſu dixerit D. Paulus, *per legem abundare delictum, reviviſcere peccatum, & tranſgreſsiones deduci*, &c. Hæ enim locutiones in Paulo apparent difficiles intellectu, quas indocti depravant, vt monebat Petrus. Eſt ergo ſenſus, non niſi legi veteri valdè honorificus, ſcilicèt, quod lex illuminatio eſt, qua diſcernitur bonum, & malum; & exoriente lege, ſtatim dignoſcitur de præteritis, quomodo abundabant delicta, id eſt ante hanc lucem, quot, & quanta in tenebris ignorantiæ criminoſa perpetrabantur; & in hoc ſenſu, inquit, per eam revixiſſe peccata, quatenus ea illuminante apparebant: non ſecus, ac detonante concionatore male facta plurimorum ad eius monitionis lucem non ſine rubore memoriter reviviſcunt. De futuris verò tranſgreſsionibus lex illuminat, vt caveantur. Ad ſecundam confirmationem, reſpond. diſting. mai. miniſtratio mortis *abſolutè talis*, & *in omni ſenſu*, conced. mai. *reſpectivè talis in aliquo ſenſu*, nego mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Nam D. Paulus vocat legem veterem *elementa egena, infirma*, mortua ex eo quod ex ſuis intrinſecis non ferat vires vivificas gratiæ: vnde ibi propriè mors ſumitur pro negatione vitæ; non vero, quia in ea quid læthale biberetur, aut imbiberetur; quin potius quoad ſtatum profitentium talem legem miniſtraretur vita, intimando bonas doctrinas, & præfigurando ac promittendo

do Redemptorem; licet reſpectu huius copioſæ gratiæ iam ab eo manantis, quam Paulus iam intuebatur, & prædicabat, congruenter potuiſſet legem veterem appellare reſpectivè, & comparativè mortuam: imò, & abſolutè, quia à die Pentecoſtes mortua eſſe cœpit.

10 Obijcies 4. Finis talis legis, & promiſſa idem ſunt. Sed hæc plane ſunt temporalia: ergo eius finis non eſt ſpiritualis, & ſanctus. Minor conſtat, tùm ex libris ipſis legalibus, vbi adimplentibus abundantia terrenorum, acquiſitiones, & terrena pax promittitur, tranſgreſſoribus verò bellum, fames, mors, & occiſio, &c. Tùm *Iſaiæ* 1. 19. & 20. vbi dicitur: *Si audieritis me, bona terræ comedetis; ſi vero me ad iracundiam provocaveritis; gladius devorabit vos.* Tùm ex Auguſt. *in Pſal.* 75. ibi: *Deus vtriuſque Teſtamenti voluit eſſe Authorem, vt & terrena promittere in veteri, & cœleſtia in novo.* Tùm ex Theodoreto, Ambroſ. Anſelm. Toleto, Cornelio, apud & cum Becano *in Analogia, cap.* 3. Ad hoc argumentum, reſpondeo diſtinguendo mai. *Finis vltimus, & promiſſa finalia idem ſunt*, conced. mai. *Finis proximus, & promiſſa idem ſunt*, ſubdiſting. & promiſſa finalia, neg. mai. *& promiſſa intermedia* iterum, ſubdiſting. *inadæquatè*, conced. mai. *adæquatè*, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Eſt dicere, quod finis vltimus legis coincidit cum promiſsione finali, ſcilicèt noſtra beatitudine: & etiam finis proximus legis veteris adæquatè ſumptæ, qui eſt recta inſtitutio illius populi erga Deum, erga ſe, & erga populum ſuum etiam coincidit ſaltem inadæquatè cum promiſsionibus eiuſdem legis: ſiquidem, & pax, & carentia egeſtatis, & lætitia cordis honeſta, & alia ſimilia ſunt promiſſa in tali lege, & ſimul ſunt finis proximus talis legis ſaltem inadæquatè ſumptus; licèt detur aliqua promiſsio, quæ non ſit de fine intrinſeco; & aliquid de fine intrinſeco, quod non ſit promiſſu. Nunc verò promiſſa omnia huius legis, quæ non ſunt finalia, ſed intermedia, minimè coincidunt cum fine vltimato, quem diximus eſſe iuſtificationem, & ſalutem talis populi: talia enim promiſſa potius habent rationem medij ad obtinendum finem vitæ æternæ. Quorum ratio eſt quia finis iuſtificationis, & ſalutis æternæ, in quantum eſt obiectum ſpei, nequit non eſſe arduum: quare, ne animi terreantur ab illo aſſequendo, tàm in lege nova, vbi clariſsimè proponitur regnum cœlorum; quàm in lege veteri, vbi ſubobſcurè ac magis remote illud proponitur; ſeruntur aliqua promiſſa etiam in terrenis, & corporalibus ſuavia, & dulcia, vt homines ijſdem allecti ad ſuperiora contendere non recuſent; ſed cum hoc diſcrimine, quod in lege veteri vbi homo erat rudior, & durior cervix, multa huiuſmodi, & quaſi penè ſola promitterentur, licèt ita à divino legislatore ſuavi dexteritate ad divina traherentur; in lege verò nova minus frequenter de terrenis, v. gr. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Paſsim verò de ſpiritualibus, & cœleſtibus fit repromiſsio. Vnde videtur confici nihil obſtare; quod in lege veteri tam multa fuerint temporalia promiſſa (non omnia propter probationes noſtras) quominùs talis lex ex fine dici poſſet honeſta, & divina.

11 Obijcies 5. Inter præcepta veteris legis aliqua erant non bona: ergo lex non poterat eſſe adæquatè honeſta, & divina. Antec. probatur primo *ex Ezech.* 20. ibi: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivant; & pollui eos in muneribus ſuis, cum afferrent omne, quod aperit vulvam*: ergo, &c. Secundò ex Paulo *ad Hebræos* 8. ibi vbi de veteri Teſtamento, ait: *Si prius illud culpa vacaſſet, non vtique ſecundi locus inquireretur.* Ergo aliquid culpæ erat in lege. *Confirmatur*, ex Authore imperfecti *Matth.* 28. à quo lex dicitur

lex

lex vetus iniusta, onerosa, immitis, iracunda, & superba: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo, negando anteced. ad cuius primam probationem ex Ezequiele manifestum est, vt observat Suarez, ibi sermonem non esse de præceptis, quibus constabat lex vetus, siquidem de eis in eodem capite inquit *dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis quę faciens homo vivet in eis*: vnde illa præcepta relata sunt omnino extra legem veterem; & quidem quasi in pœnam imposita sunt illi populo, eo quòd veram legem deserererent; & vel ad excelsa se converterent cum muneribus suis iuxta ibi dicta: *Viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolaverunt ibi victimas suas, & dederunt ibi irritationem oblationis suæ.* Vel quia legem sanctam suis factis adulterabant iuxta ibi dicta *in via Patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorũ vos fornicamini: & in oblatione donorum vestrorum traducitis filios per ignem.* Ex quibus videtur Deum dedisse, id est, *solum permisisse* eos sibi imponere illas leges gentilicas, & idolatricas verè crudeles, & non bonas vt traducerent filios per ignem. Vel si ly *dedi* sumendum est, propriè dici debebit, talia præcepta non bona forè illa punitiva, & pœnalia quæ ibi ipsis comminatur dicens: *Vivo ego dicit Dominus Deus: quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos... & subijciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.* In quibus amarissimam eis subiectionem comminatur. Ad secundam probationem respondeo cum D. Ambrosio, & Thoma apud Suarium *lib. 9. cap. 4.* vetus Testamentum eo sensu dici culpa non vacavisse: quia sufficiens non fuit ad evacuandas culpas illius populi: & hanc dedit rationem Pauli, ibi: *Quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos*, loquitur enim Paulus non de culpa Testamenti; sed eorum qui everterunt Testamentum, & occiderunt Testatorem: subsequuto videlicet Testamento salutis sempiternæ. Quæ solutio est D. Ambrosij cum D. Thoma apud Suarium, & satis patet ex contextu Pauli. Ad confirmationem in primis Suarez ait, eum Authorem in suprà dictis expressionibus non forè excusandum, quin excessisset. Sed tamen si eum excusare malis; dicito appellavisse legem iniustam negativè: quia iustitiam de se non affert, & *immitem* etiam negativè eo quòd duritiespopuli mitem erga eos Deum se gerere non patiebatur; *superbam* verò tropicè, & ex parte materiæ, & exercitiorũ eius: quatenus ea opus essent ad subiugandos superbas Iudæorum cervices. Replicabis ad superiora *ex Paulo ad Rom. 7.* sic aiente: *Cum essemus in carne passiones peccatorum, quæ per legem erant; operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti... Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit... Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, duxit me, & per illud occidit.* Ergo lex videtur aliquid mali, & culpæ induxisse. Sed respondeo eum eodem ibidem: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Item *lex quidem sancta, & mandatum sanctum.* Ex quibus, & ex toto capitis contextu clarè constat D. Paulum semper habuisse legem vt bonam, & sanctam; & solum de ea dixisse *operari passiones, seducere, occidere*, &c. Quatenus ex luce legis apparuit mors illa inducta per primum hominem, & passiones concupiscentiæ semper de se fructificantes morti, & peccati operatrices, nisi superiori lege mentis, & rationis cohiberentur, vt faciebat Paulus.. Qui mille modis super hac re se explicat in illo capite 7. & postea in 8. fuse exponit quomodo gratia Christi sit, quæ liberet ab hac lege membrorum.

12 Objcies 6. Multa particularia præcepta in ea lege includuntur, quæ satis clarè pugnare videntur cum

honeſtate, & iure naturæ: ergo non eſt lex adæquatè honeſta. Antec. probat. multipliciter. Primo ex libello repudij dato per Moyſem, quem Chriſtus reprobavit *Math.* 5. Secundo ex vſuris populo permiſsis cum extraneis *Deuteron.* 23. Tertio ex Polygamia, ſeu pluralitate vxorum in ea permiſſa. Quarto ex recurſu Zelotipyæ Numer. 5. vbi tentabatur Deus ad miraculum, & mulier ad vitæ diſcrimen adducebatur. Quinto ex vindicta permiſſa, & odio inimicorum *Lev.* 19. iuxta illud *Math.* 5. *Dictum eſt antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed hæc omnia videntur ipſi naturæ, & rectitudini ad verſari: ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpondeo negando antecedens, & ad eius probati. conceſſa mai. de omnibus illis præceptis, ſivè caſibus ſumptis in ſenſu conceſsivo, & permiſsivo, neg. min. & conſeq. Itaque ante ſolutionem præmitto primo, quòd tota lex vetus, in qua Deus intendit reſpectu populi ſui reinſculpere, & rurſus intimare legem naturæ circa omne rectum erga Deum, & erga ſe, & erga homines, videns ex longa corruptione naturæ, & populi habitatione inter gentes non eſſe pro eo ſtatu aptos, & morigeros ad ſtrictam rectitudinem totius legis, quam etiam poſt lapſum natura dictabat, vt ad Deum accederent, ſtatuit propter altos fines ſuos, & de plenitudine poteſtatis titulo, vel Creatoris, vel Domini, vel Iudicis Supremi laxè diſpenſare (modo, quo in præcedentibus diximus ſuo loco, fieri poſſe) in multis cum hoc populo, quæ ab ipſis pro natura ſui liberi arbitrij tunc ſapienti legislatione evelli non poſſent. Vnde, & documentum legislationi cuiquam enaſcitur, quòd, videlicet, præſertim in exordio, iugum non imponatur cervici, niſi, prout apta eſt illud recipere. Præmitto ſecundo multa genera eſſe permiſsionum, quæ in quæſt. de libello repudij *tom.* 1. explicata reliqui cum Abulenſi: quarum vna eſt permiſsio mali, vt mali quoad impunitatem; altera eſt permiſsio, quæ eſt conceſsiva, & legislativa inſtar privilegij nedum quoad impunitatem, ſed etiam quoad licitudinem operandi. Et licet, vt ait Suarez, vtroque genere permiſsionis potuerint illa omnia permitti à Deo: quippè quandoque permitti malum, malum non eſt; tamen dico omnia ea fuiſſe permiſsivè conceſſa permiſsione iuris, & licentiæ in operando, ita vt mala non eſſent. Quare circa libellum repudij id propugno in quæſtione ſeparata *tom.* 1. *Decad.* 2. *quæſt.* 5. Deinde quoad vſuras cum extraneis etiam idem aſſero cum Toſtato *Math.* 19. *quæſt.* 49. Deus enim tanquam Supremus Dominus vniverſorum ſicuti circa vaſa Ægyptiorum dominium tranſtulit in Hebræos, vt ea licitè tollerent, ſicut in quæſtione ſeparata etiam tetigi: ſic ſimiliter circa vſuras, quoad extraneos potuit propter ſuos fines, & ſpecialem protectionem populi ſui facere, vt licèt appareret mutuum, tamen haberent verum dominium, & iuſtè eas exigerent, prout ait etiam Suarez *cap.* 6. cum Ambroſio *Tobiæ* 15. & multis Theologis, ac Iuriſtis. Ad pluralitatem vxorum *Deuteron.* 21. permiſſam idem eſto reſponſum. Cum enim primi Patriarchæ ab initio, multiplicatione generis humani vrgente, plures vxores accepiſſent; ægre admodùm in ſtatu naturæ lapſæ poterant ab eo vſu divelli: quare polygamia ipſis inſtar privilegij conceſſa fuit, teſte Innocentio 3. *cap. Gaudemus de privilegijs*, cum communi DD. Ad remedium zelotipyę facilè reſpondetur in ea vſurpatione nihil mali includi: quandoquidem Deus ipſe ſic ſtatuerat propter ſervandam fidem coniugij, quam tanti faciebat, vt nihil duceret eſſe vitæ amiſsionem illius mulieris, quæ & coniugi, & Deo ſuo fidem frangeret. Ad vltimum verò caſum de odio, & vindicta operoſior eſt reſponſio quatenus hoc punctum connexum eſt cum

ea

ea gravi quæstione: an Christus Dominus tanquam verus Legislator *Matth.* 5. non solum correxerit traditiones Seniorum; sed etiam ipsam legem veterem? Quam quæstionem etiam hic latè discutimus; & conformiter ad ea dicimus, olim etiam vindictam, & odium abominationis fuisse permissum, nempè concessivè respectu inimici, sivè publici, sivè Regis, vt constat ex Testamento Davidis commendantis filio suo ne pateretur eius inimicum canos pacificè deferre ad inferos: & sæpè constat ex libris legalibus, & historialibus, quàm toleraret, & concederet Deus illi populo legem vindictæ, quàm Christus in lege nova correxit: non quia *Levit.* 19. dicatur: *Odio habebis inimicum tuum*, sed quia cum ibi dicatur *diliges amicum tuum sicut te ipsum*; & postea toto tempore veteris legis passim constet de vindicta cum inimicis; benè adiecit Christus, quòd dictum fuit antiquis: *Odio habebis inimicum tuum.* Circa quæ plura alia, quæ circumferri possunt in prædicta quæstione lustrabis.

13 Rogabis 1. An lex vetus præciperet actus internos? Affirmat Suanez *lib.* 9. *de legib. cap.* 4. & negat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 5. Dico verò, sine dubio præcepisse actus illos internos qui necessarij sunt ad faciendum opera externa verè rationaliter, & volitivè, vt talia: quia lex erat legislatoris, qui iuuetur, & cor: vnde mero opere externo satisfactus esse non posset, vt cum legislatore humano contingit. Deinde lex, vt patet, interna cum externis intendebat: non enim erat lex simulata sed vera. Quoad actus verò pure internos qui nullatenus tenderent ad externa, res quidem est, lustrata lege, & Authoribus, satis anceps. Sed tamen magis inclino in id, quòd tales actus, quidquid sit de lege naturæ, per tale ius positivum non sunt præcepti 1. Quia status populi pro eo tempore non ferebat legislationem tam penetrantem: atque si adhuc de externis plura, & crassa ipsis permittebantur, veluti vsuræ, plures vxores, &c. creditu difficile est legem ad interiora cogitationum taxanda introijsse. Secundo quia *Matth.* 5. vbi Christus correxit veterem legem, videtur, in pluribus solum circa pure interna correctiones, & prohibitiones addidisse. Tertio, quia per hanc viam facilius sustinetur Christus corrector legis veteris, verusque legislator contra plures hæreticos, id negantes. Quartò quia clarè asserit D. Thomas *quæst.* 91. „ *art.* 5. *in Corpore*, ibi: Secundò ad „ legem pertinet dirigere humanos „ actus secundum ordinem iustitiæ: in „ quo etiam superabundat lex nova le„ gi veteri interiores actus animi ordi„ nando secundum illud *Matth.* 5. *Ni„ si abundaverit iustitia vestra plusquam „ Scribarum, & Pharisæorum, non intra„ bitis in Regnum Cœlorum.* Et ideo dici„ tur quod lex vetus cohibet manum; „ lex nova animum. Quinto. Quia his consonat D. Paulus ad *Roman.* 3. Qui appellat legem veterem *legem factorum.* Et Author imperfecti *Matth.* 28. Contra quæ nonnulli textus in dicta quæstione de traditionibus sunt evacuati.

14 Sed illa restat expedienda obiectio, quæ mihi ad hominem fieri etiam potest cum *tom.* 1. *Decad.* 4. asseram in quæstione de iustificatione legis, in ea præcipi actus fidei, spei, & charitatis, qui sunt purè interni. Ad quod respondeo primo, quòd non sunt purè interni, sed de se ordinantur ad cultum externum Dei, & perdendum omnia propter Deum, & externè etiam confidendum in ipso, & suspirandum ad ipsum; nos verò loquimur de purè internis, v.g. de consensu iræ, aut concupiscentiæ internæ penitus clausæ. Secundo respondeo, ea præcepta non esse propria veteris legis, sed legis naturæ, in qua suo modo etiam vrgebant: vnde incorporata sunt in lege non tàm formaliter, quàm præsuppositivè: & ideò non expressè appo-

appoſita in moralibus, & reliquis præceptis præter præceptum charitatis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia, quæ tamen non eſt purè interna; ſed illa quæ totam legem adimpleat iuxta illud *plenitudo legis eſt dilectio.* Huc accedit Vazquez, qui negans includi iater ceremonialia, moralia, & iudicialia, ea reponit apud Salas inter teſtimonia, iuſtificationes, & mandata: cui adhærere videtur ipſe Salas *diſp.* 22. *ſect.* 8. *num.* 43. Apud quem ſunt etiam hæc verba nobis faventia. Addit Valentia *diſp.* 7. *quæſt.* 7. *punct.* 4. ex D. Thoma „ *quæſt.* 110. *art.* 5. *ad* 1. Præcepta di„ lectionis Dei, & proximi in genere „ non eſſe præcepta Decalogi; ſed po„ tius ſe habere ad illud antecedenter, „ tanquam præambula; quoniam ſunt „ per ſe cognitu facillima ex ipſo lu„ mine rationis, vel fidei: vnde præ„ ceptum primum Decalogi non pro„ priè pertinet ad fidem; ſed ad Dei „ cultum, licet huic præcepto annexa „ ſint præcepta fidei, ſpei, & charita„ tis: & ideò ibi tractari ſolere ab ex„ ponentibus Decalogum. Rectè etiam „ Azor *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *quæſt.* 7. ait: „ Hæc præcepta licet ſint ſupernatura„ lia, quia ſunt de actibus ſupernatu„ ralibus, & ſupernaturaliter ſint à Deo „ impoſita, & revelata; tamen quod„ ammodo eſſe iuris naturalis: quia na„ turalis ratio dictat credendum eſſe „ Deo, in eo ſperandum, ipſum dili„ gendum naturaliter, vel ſupernatu„ raliter quomodo ipſum diligere va„ leamus. Hactenus Salas. Quando vero nos in quæſtione de iuſtificatione veteris legis dicimus, dari talia præcepta, ſicut, & pœnitentiæ, quæ vt obſervat Salas ibidem, cum Vazquio, elicitivè charitatis eſt; id ſolum dicimus eò præcisè ſenſu, qui ſatis eſt vt in lege veteri non eſſet excluſa iuſtificatio; ſi non ex viribus proprijs; tamen ex præceptis circa eam verſantibus, & à tali lege cooptatis. Quamobrem benè cohærent ea omnia, quæ illic diximus agentes de iuſtificatione veteris legis cum alijs, quæ modò conati ſumus ſtabilire circa modum quo eadem lex vetus reſpicit actus internos. Vbi poſtremo tandem obſervandum eſt, quòd licèt actus purè interni contra præcepta, eſſent contra ius naturæ; tamen cum ſint ex illis, quæ obſcurius, & quaſi remotius deducta ex principijs tali iuri opponuntur, vt patet in puro deſiderio vindictæ, aut concupiſcentię, quæ nemini lædunt; potuerunt optimè à populo rudi (cui notiora reintimari opus erat) invincibiliter ignorari; & ſic tunc ignorata relinqui à Deo Legislatore, eo quòd in ſtatu apto non eſſent. Vnde tandem fit, quòd quamvis ea lex vetus hominem quoque interius ordinaret, ita vt Deum per exteriora, & interiora etiam quæreret; nihilominus potuit ita eſſe, vt propter dicta, ſua legislatione non attingeret intimas, & purè clauſas cogitationes, quas neſcire eſſe peccata, & à quibus pro tunc facilè diſſuaderi non poſſent. Aque hinc clareſcit, quomodo hæc lex præciperet quæ iam erant præcepta per legem naturæ. Cui ſatisfacit D. Thomas apud Suarez, *cap.* 4. dicens: *Oportuit homini in hoc* (id eſt obſcuratione mentis) *ſubveniri per authoritatem legis divinæ? ſicut per doctrinam, & revelationem fidei ſubvenitur homini non tantum in jis, quæ rationem ſuperant; ſed etiam in his, quæ naturaliter de Deo cognoſci poſſunt.* Et hic patet, non duas enaſci obligationes, ſed vnam notiorem, & à Deo latam. Quia quantum eſt ex parte iuſsionis divinæ, & æternæ legis, hæc lex vetus nihil addit naturali; ſed tamen ex parte promulgationis factæ per ſcriptorem Canonicum infallibiliter, fit obligans notorie in actu ſecundo id, quod antea ob noſtræ mentis caliginem poterat nos latere: *An à Deo iuberetur?* Quoad ea vero, quæ ſupra naturam, & per revelationem imponit; ornata inſuper iam præſupponi debet natura, & elevata ad ea exequenda.

Ro-

15 Rogabis 2. An omnia præcepta Decalogi ſint moralia id eſt de iure naturæ: (quia moralia in ordine ad rectitudinem morum certè ſunt omnia cæremonialia, & iudicialia)? Reſpondeo ita quidem cum D. Thoma, qui omne ius naturæ partitur in prima principia; id eſt præambula legis, concluſiones primas, id eſt Decalogum, & concluſiones inde certo deductas; ſed magis remotas. Nam dum in primo precepto, ait: *Non adorabis Deos alienos, nec facies tibi ſculptile*; intelligitur de idolis, quæ erunt dij alieni; non imaginibus, vt talibus. Et in *ſanctificatione Sabbati*; licèt alligatio ad Sabbatum ſit cæremoniale, & poſitivum, tamen Deum coli etiam quoad tempus, quod fecit, eſt de iure naturæ. Et licèt alij aliter ſenſerint; In prima tabula tria ad honorem Dei præcepta, in altera ſeptem circa proximum deſcripta ſunt, vt tenet communis. Rogabis 3. An præcepta moralia in lege veteri induerint novam obligationem poſitivã? Probabiliter vtrinque reſponderi poteſt vel affirmando cum Suario, & alijs, *cap. 6. num. 3.* quo ſuppoſito dicere oportet, & diximus 1. tomo agentes de ceſſatione legis, veterem etiam quoad moralia ceſſaviſſe ex parte iuris poſitivi ſuper inducti. Vel negativè poteſt etiam reſponderi conformiter ad doctrinas præſtabilitas de lege naturali, & æterna. Vnde quoad vim obligativam nulla alia nova accrevit vltra legem naturæ; ſed ſolum quoad exercitium obligationis in actu ſecundo eſſentialiter conſtitutum ex promulgatione: & cùm hæc, tùm ex ore Dei, tum ex miniſterio Angelorum, tùm ex Moyſe familiariter agente eum Deo fuerit promulgatio (vt ſuprà inſinuavi) notior, ſolemnior, & infallibilior; inde eſt quod poteſt dici quodammodo nova obligatio, id eſt (non diſtincta) ſed renovata naturæ per novam intimationem claram, & infallibilem, ſuccedentem loco illius intimationis naturalis, quæ iam obſcurata, & deleta erat. Quo etiam modo res poterit explicari ſi velis, quoties circa eandem materiam variæ legislationes concurrant. Rogabis 4. An itidem cœremonialia, & iudicialia in conſcientia obligarent, & qua vi? Reſpondeo affimativè: quia cultus Dei per prima reſpectus ex ſe illam poſcit; & recta ordinatio politica hominis cum proximo ſuo reſpecta per ſecunda præcepta plane, & plene eſt materia virtutis capax talis obligationis, & à ſupremo, & interno etiam legislatore promanans. Vnde quandiu non conſtet aliter de voluntate legislatoris, credi debet obligatio in conſcientia: tùm ex proportione materiæ: tùm ex pœnis appoſitis, quæ indicant feriam iuſſionem de re tali: ſi quidem moralibus, & cœremonialibus pœnæ adiiuntur *Levit. 20. Deuteron. 25. & 28.* Neque enim leges pœnales humanæ deſinunt etiam in conſcientia obligare; niſi conſtet de contraria voluntate legislatoris. Ita Suarez cum Scoto, & Caſtro contra Gerſonem. Ex his non obſcurè colligitur: quomodo lex vetus nova adveniente ceſſaverit. Quoad moralia, ſcilicèt, quoad promulgationem dumtaxat ſuccedente Chriſto, & dicente *ſerva mandata*, quæ ſecundum ius naturæ obligarunt, vt ante obligabant. Quoad cœremonialia verò, & iudicialia, quæ modo omnino non obligant: quia licèt in ſuperioribus dixerimus, quamvis legem obligare in vi iuris naturæ; tamen pariter diximus poſſe aliquid reſpici à iure naturæ abſolutè in ſe, & quoad ſubſtantiam; & aliquid ſolum quoad circunſtantias quia ſolum quoad eas eſt rationi conſonum: & hoc quidem modo obligarunt ex iure naturæ per Moyſem intimato, & etiam iuſſo ſine nova vi, præcepta ceremonialia, & iudicialia lata *donec veniret ſemen* quod eſt Chriſtus Ieſus. Quam quidem legem Iudæis ſolum impoſitam peculiarem populo peculiari, & ad Meſsiam electo

poterant amplecti gentiles, sivè cum fierent Proselyti per circumcisionem onus legis subeuntes; sivè imitativè imitando aliquas leges, quas ipsi ferrent: vti modo potest Ecclesia nonnulla imitari vt quotam decimarum, &c. quæ iam non erunt de iure divino; sed de iure humano. *Mortua* autem nunc ea lex dicitur: quia obligandi vis, quæ est anima legis, cessavit cum tempore cui erat affixa; *mortifera* autem quia, si quis eam, veluti iure divino vivam sectaretur; superstitionem incurreret.

16 Rogabis 5. An in lege veteri omnia fuerint ex præcepto; an aliqua ex consilio? Dico cum Suario, respondendo etiam ad tenorem obligationis supra quæsitum, quòd in omnibus classibus præceptorum iuxta proportionem materiæ, & pœnas adiectas, taxari facile potest tenor obligationis gravis, an levis. Deinde dico dari etiam in ea varia, quæ sunt solius consilij: tùm quia veluti dicimus agentes de lege gratiæ omne corpus legis sive divinæ, Ecclesiasticæ, aut civilis fert secum spargere in legislationibus suis multa quæ sunt solius consilij, sivè antecedenter, sivè consequenter: *antecedenter* quidem, quia sunt bene dispositiva ad observationem mandatorum; consequenter vero: quia sunt perfectiva, & conservativa eiusdem observationis. Ratio à priori est quia omnis legislatio dicitur, & est vera, & perfecta illuminatio; non autem bene illuminat qui antrorsum, & retrorsum non mittit radios. Tùm quia iam in sacrificijs, *Psal.* 118. dicitur: *Voluntaria oris mei beneplacita fac domine* pro vt de sacrificijs voluntarijs tenet Suarius cum Chrisostomo. Iam circa vota, & horum cerimonialia nonnulla erant libera. Iam in iudicialibus, *Exod.* 22. dicitur: *Si pignus acceperis vestimentum à proximo tuo ante Solis occasum reddes ei*: vbi clarè dignoscitur severum fore id præcipere cum obligatione conscientiæ, & similiter de alijs pluribus. Ad quorum instar poterit explicari illud Levit. *Si asinus odientis te iacuerit sub onere, leva illum.* Siquidem adhuc in lege gratiæ, quæ tantum commendat amorem inimicorum, tale quid non præcipitur in conscientia: *Sed replicabis.* Si lex vetus habuit consilia: ergo fuit lex perfecta contra commune placitum. Consequentia patet: quia status consiliorum est status perfectionis. Hæc replica nobis aperit explicationem non importunam pro tollenda quadam æquivocatione; & imperfectione legis veteris apte explicanda. Itaque respondeo primo, disting. antecedens. Si habuit *consilia perfectiva*, permitto antecedens. Si *consilia præcisè*, nego antecedens, cum probatione: siquidem status perfectionis, qui dicitur *consiliorum* est propter consilia perfectiva virtutum, & promoventia ad earum primos apices excolendos. Triplex ergo genus consilij reperiri potest in lege. Primo. Circa aliquid disponens ad observationem. Secundo. Perficiens, & elevans talem observationem. Tertio. De observatione alterius rei distinctæ sine obligatione conscientiæ, eò quòd prudentia legislatoris dictet multa inexcusabiliter præstanda esse sub iure, & iugo; alia vero non nisi libere insinuari præstanda: quia sicut dixit Paulus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; ita è contra multa prohibentur; sed non omnia ligantur. Quare poterat lex vetus habere consilia primi, & tertij generis quin evaderet idcircò perfecta.

17 Respondeo 2. distinguendo consequens: ergo esset perfecta *legislativè*, & in se concedo conseq. *comparativè* ad legem gratiæ neg. conseq. Itaque lubens admitto commune placitum fundatissimum in Epistol. Pauli de eo quod lex vetus fuit imperfecta facta comparatione ad legem gratiæ: tùm quia erat illa carnalis; & hæc spiritualis: illa servitutis; & hæc libertatis: illa oneris; & hæc suavitatis

illa

illa vialis, & adumbrativa; hæc lux ipſa: illa ſine gratia; hæc cum viribus gratiæ. Cæterum per id non tollitur, quominùs fuerit in ſe, & legislativè perfecta eò quòd pro ſtatu illius populi, & prima formatione illius, eiuſque ſtabilimento inter gentes non potuit lex ferri aptior: ſiquidem oportebat initio legislationis ſolum adumbrari quæ erant magis arcana, & excelſa: itidem cervices duras non relinqui liberas; ſed onere, & ſervitute domari: deinde rudi populo magis congruebant ſacrificia carnalia; & onus legis levabatur pluribus permiſſionibus ſupra relatis. Demum oportebat, humanum genus, quòd theſaurum gratiæ, & venas huius aquæ perdiderat, prius fodiendo, & laborando in multa opera quaſi arida incumbere, priuſquam ad petram Chriſtum accederent; vnde gratiæ Scaturigines promanarunt. Quo circa in ea lege etiam concedere oportet viros perfectos, qui legem cum omni apice perfectionis excolerent, vt Tobias, David, Iudith, &c. Manet ergo replica ſatis ſoluta, & res explicata. Rógabis demum num iuſtificatio in ea lege fuerit facilior, & alia via quàm actu perfectæ contritionis? Certè ſi ad ſolum actum perfectæ contritionis trahenda eſt; non poterat non eſſe ſatis ardua: ſiquidem hic, etiam poſt beneficium redemptionis, non tam frequenter concipitur. Itaque quod certum eſt; & negari non poteſt eſt qualemcumque iuſtificationem ſolum in fide Chriſti, & ſpe, & efficaci peccati deteſtatione obtinendam: quomodo autem in ea ruditate populi, in ea lege carnali, in eaque ſolum adumbratione gratiæ condiri deberent hæc fides, & efficax deteſtatio peccati, vt eſſet proxima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ, ex illa lege non conſtat, & ſolum conſtare poterit ex Tridentino ſemper ad infuſionem gratiæ perfectam, aut imperfectam cu Sacramento contritionem requirente.

18 Inferes 1. In hac quæſtione, & præcedentibus à nobis eſſe collectum quidquid de cauſa efficiente, finali, materiali, & formali legis dici commodè potuit. Inferes 2. Quod circa interpretationem, & diſpenſationem, tùm à Deo, tùm ab homine faciendam ſervandæ ſunt doctrinæ à nobis datæ circa legem naturalem: quandoquidem ſuſtinemus vim legis naturalis, & æternæ eſſe eam, quæ ſemper obligat in omnibus legibus. Nunc autem expedio quomodo Deus, qui in lege naturali propriè diſpenſare non poteſt, poſsit propriè in lege divina? Quod quidem ideò eſt: quia diſpenſare propriè, eſt tollere obligationem vrgentem, vt talem conſtitutam per promulgationem, Dei miniſterio factam: quare Deus ipſe faciendo, rem, vel in ſe, vel in circunſtantijs aliter intimari propriè diſpenſat: quia propriè tollit obligationem in actu ſecundo. In lege verò naturæ propriè diſpenſare non poteſt, quia intimatio iuris naturæ primitùs facta eſt in natura rationali quoad omnia omninò ſingularia *in ſe, & in circunſtantijs*, & non *generaliter*, vt in legislatione Scriptoris Canonici; & ſic nequit Deus facere, vt quod ſemel intimavit creaturæ rationali, tanquam ius naturæ, illud tale non ſit; benè autem poteſt facere, quòd illud ius divinum quod generatim propoſitum per Scriptorem Canonicum vrgebat (vel vrgeret) in caſu particulari; in eo quidem ex nova eiuſdem Dei æternæ, & naturalis legis intimatione pro eo caſu particulari non vrgeat. Inferes 3. Quod circa legem humanam, Eccleſiaſticam, & Civilem poteſt etiam primo quoad diſpenſationem philoſophari dicendo, quòd voluntas humana, quæ in lege ſua pronuntiavit ius naturale, Civile, aut Eccleſiaſticum, illud declarando, & ſimul ſua volitione (ſine maiori vi) iubendo, poteſt diſpenſare *quoad ſuam voluntatem propriè*, quatenus poteſt modò illam voluntatem ſuam pro hoc caſu ſuſpendere, aut retractare. Quoad

ius

ius verò naturæ dispensare solum virtualiter,& laxè; quatenus de novo declaret ius naturæ pro illis circunstantijs non quidem sic, sed aliter vrgere. Atque in eodem sensu dici poterit Papa dispensare posse laxè in iure divino; sed debebunt concurrere illæ graviſsimæ circunstantiæ,quæ vehementer illum inducant ad sic declarandum, velinterpretandum. Secundo circa interpretationem, consuetudinem, cessationem legis humanæ, & alia poterunt inde colligi fundamentales doctrinæ. Inferes 4. Quo sensu dici possit, & debeat abrogata illa lex, cuius obligationem diximus esse de iure naturali, licet divino. Igitur non dicitur abrogata per reprobationem mandati pro tempore quo latum fuit; sed quia lex quæ incipit inutilis esse, aut nociva, dum ex toto tollitur, abrogari dicitur; licet eò vsque fuit vtiliſsima? Aliter abrogari poterit aliquod statutum humanum ex aliquo defectu considerationis impositum: quia nimirum cum tempore procedente eius inconvenientia deprehensa sint; statim abrogatur non solum per cessationem; sed per reprobationem eius etiam ab exordio sui. At inquit, & replicabis. D. Paulus loquens de lege veteri ait, *reprobatio præcedentis mandati*: ergo, &c. Resp. dist. *Reprobatio pro nunc* mandati præteriti, conced. *Reprobatio pro tunc* quando mandabatur, nego. Et ratio est: quia tale mandatum, cum non solum cesset; sed mortiferum fiat, nedum abrogatur; sed reprobatur non pro tempore præterito; sed pro præsenti, & futuro.

)§(



DECAS

JHS.

# DECAS II.

## QUÆSTIO PRIMA.

### TEXTUS

### AD ILLA VERBA.

INDVES SANCTIS VESTIBVS, VT MINISTRENT MIHI; & vnctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat. *Exod.* 40. *vers.* 13.

### ARTICULUS.

### *QVOT, ET QVALIA FVERINT SACRAMENTA VETERIS legis?*

1 SUppono 1. Omnia Sacramenta suam habuisse originem post peccatum: siquidem postquam homo per illud amisit iustitiam originalem, & canales gratiæ confregit; opus fuit per eorum reparationem rursus ex meritis Redemptoris gratiam reparativam refluere in vasa totidem, quot sunt Sacramenta. Cæterum omisso interea: *An in lege naturæ fuerint aliqua Sacramenta?* Quod disputant Scholastici agentes de Sacramentis in genere; certum tamen est tàm in lege veteri, quàm in nova fuisse quædam Sacramenta. Sed æquè certum est contra Calvinum, & alios Hæreticos ex definitione concilij Tridentini, & Florentini magnum interesse discrimen inter vtraque Sacramenta: nam Sacramenta novæ legis verè causant, & continent gratiam physicè aut moraliter iuxta diversas sententias Theologorum; quatenus ex meritis Christi divinitùs fæcundata sunt, vt tam nobilem effectum præstarent. Sacramenta verò veteris legis neque causabant gratiam, neque continebant; sed merè poterant esse signa ad quorum positionem applicaretur fides Christi; & ex hac propter merita eius infunderetur ab ipso Deo gratia proportionata significationi eius signi: vt latè dicimus in *tom.* 1. *quæstione de Circumcisione instituta in remedium Originalis.*

2 Suppono 2. Ex superioribus statim enasci resolutionem illius quæstionis, quam *tom.* 1. *Decad.* 4. disputatam reliquimus: *An scilicèt lex vetus iustificaret?* Quia cum videretur non posse iustificare nisi medijs Sacramentis in ea contentis, quæ videntur institui, vt instrumenta sint sanctitatis; si illa revera sanctitatem non continebant; verè non iustificabant; erant tamen signa quædam demonstrativa illius

gratię, quæ danda erat in fide Christi venturi. Nunc verò pervium est iam disputare: quot fuerint in lege veteri hæc Sacramenta? Ratio dubitandi est: quia sunt nonnulla, quæ ex vna parte videntur fuisse Sacramenta, eò quòd Sacramenta nova figurabant, sicuti transitus maris rubri, Baptismum: Manna, Eucharistiam; & nihilominus non erant Sacramenta veteris legis: quare hic resultat nobis breviusculus articulus disputandus; qui tamen ad prælegendum non erit insufficiens si cum quæstione de circuncisione, & iustificatione veteris legis connexio fiat.

3 His positis circa divisiones sententiarum non omnino aliquid certum lustratis varijs authoribus expiscari possumus de varietate opinandi in hac re ita vt determinatum numerum circunscribant horum Sacramentorum; licèt graves aliquos Theologos consaluerim seu Biblicos, seu Morales. De ea re magis contractè, & signanter loqui video Ang. Præceptorem 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 5. *ad* 3. & Becanum *Analog. cap.* 14. *quæst.* 1. Ratio verò à priori propter quam non ita determinatè resolvi potest: quænam, & quot apud Hebræos fuerint Sacramenta? Est 1. Quia ipsi Hebræi quamvis aliàs habebant in lege mysteria, & cæremonias atque figuras; nihilominus notionem Sacramenti *vt talis* non percipiebant: vnde ex ipsis compertum esse non poterat, quot eorum determinatè fuerint Sacramenta; maximè cum nullum apud ipsos causaret gratiam. 2. Quia erant inter Iudæos plura genera sacrificiorum, & cæremoniarum, quæ ad reconciliandum hominem cum Deo, & benè vivendum coram ipso, videbantur esse instituta: vnde à Christianis non tam pervium est discernere in quibus ex eis potius sita esset germana ratio Sacramenti. 3. Quia vt observavit Becanus cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 70. *art.* 1. *ad* 2. dabantur in lege veteri duæ figuræ nostrorum Sacramentorum: aliæ, quæ simul erant Sacramenta; aliæ quæ duntaxat erant figuræ, vt Manna respectu Eucharistiæ, &c. Nihilominus 1. sententia asserit etiam sacrificia fuisse Sacramenta. Ita Vazq. *d.* 61. *cap.* 3. & Hurtado *disp.* 2. *diffic.* 3. Becanus vero vbi suprà cum Suario *de Sacramentis* solum putat fuisse circumcisionem, esum agni, expiationes, & consecrationem Sacerdotij.

4 Sit nostra conclusio: *Quatuor dumtaxat fuisse sacramenta veteris legis, scilicèt, circumcisionem, esum agni Paschalis, expiationes à peccatis, & consecrationem Sacerdotum.* Probatur conclusio 1. Sacramenta veteris legis sunt numeranda, & designanda per Sacramenta novæ legis, exceptis illis, quæ in lege veteri locum non habebant. Sed facta hac observatione, relinquitur, vt illa quatuor solum sint Sacramenta: ergo, &c. Mai. videtur certa: quia, sicut Christus in lege nova fixit septena Sacramenta quæ in ea oportebant ad gratiam communicandam, ita Deus in lege veteri figurativa, ea & totidem credendus est Sacramenta fixisse, quæ locum haberent significandi gratiam, tunc conferendam in fide Christi venturi. Probatur minor. In quatuor Sacramentis assignatis datur correspondentia ad legem gratiæ cum baptismo, pœnitentia, Eucharistia, & ordine. Sed tria reliqua scilicèt confirmatio, extrema vnctio, & matrimonium in lege veteri locum strictæ significationis, & institutionis significativæ alicuius gratiæ tunc conferendæ non habebant: ergo, &c. Probatur min. Nam confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ *ad Galat.* 4. *v.* 4. Et hæc tunc significabilis non erat ex institutione, quasi de gratia tunc plenè conferenda etiam in fide Christi venturi. Nam hæc plenitudo solius legis gratiæ erat. Extrema vnctio erat quasi extrema præparatio ad introitum gloriæ, & huiusmodi gratia nequibat in lege veteri significari etiam tunc habenda in fide Christi venturi: quia

lex

lex vetus de se non ferebat postremam præparationem ad introitum. Denique matrimonium vt Sacramentum significat indissolubilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Et hæc dari non poterat in lege veteri, vbi licebat libellus repudij, rupto vinculo prout in ea quæstione nos sustinemus. Ergo de primo ad vltimum solum fuerunt illa quatuor. Probatur 2. conclusio. Deus fecit in ea lege ea Sacramenta seu signa, medijs quibus significaret hominibus, infundi in fide Christi illam solam gratiam Sacramentalem, quæ oporteret vt homo interea repararetur, & revniretur Deo. Sed ad id sufficiebat gratia quasi baptismalis significata in circumcisione; gratia remissiva peccatorum actualium significata in expiationibus; gratia sustentativa, & reunitiva significata in esca agni, & gratia potestativa, & ministerialis significata in consecratione Sacerdotum. Ergo solum fuerunt illa quatuor. Maior patet, quia vbertas gratiæ reservanda erat legi gratiæ, sufficiens autem iustificatio impartienda erat in lege antiqua. Minor etiam constat. Quia cum gratia deletiva originalis, & actualium, potestateque ad eam conferendam erat sufficiens absolutio, & per gratiam reunitivam sufficiens restitutio ad vnionem cum Deo: ergo, &c.

5 Obijcies 1. Si talis conclusio, & probatio essent veræ, sequerentur illa Sacramenta novæ legis, scilicèt, confirmationem, Extremam Vnctionem, & Matrimonium non fuisse figurata longè ante. Sed hoc est falsum præsertim loquendo à Matimonio: ergo, &c. Minor probatur: quia de tempore creationis quando dixit Deus, *erunt duo in carne vna* dixit D. Paulus *propter Sacramentum Christi, & Ecclesiæ*: ergo ante legem gratiæ figura fuit Matrimonij. Ad hoc argument. resp. primo, neg. mai. Quia aliud est, non præcessisse figuras instituras ad significandam gratiam talis generis, tunc collatam in fide Christi venturi, & hæ forent Sacramenta: quare dicimus illas hoc tenore non præcessisse; aliud est, nullam potuisse præcedere figuram merè talem; & hoc est falsum: quid enim prohibet oleum, & Vnctionem, tàm Regum, quàm Sacerdotum fuisse figuram, etiam confirmationis, aut Extremæ Vnctionis, dum huius gratia characteristica, tunc non conferretur adhuc in fide Christi venturi. Resp. secundo, dictum D. Pauli cadere, non solum supra contractum corporalem viri, & fœminæ, sed supra illum, vt iam à Christo cooptatum cum indissolubilitate dum dixit: *Ab initio non fuit sic*, & libellum repudij substulit: quare nil evincitur contra sententiam, & probationem.

6 Obijcies 2. Sacrificia non poterant non esse Sacramenta: ergo talia fuerunt vltra enumerata. Antecedens constat ex verbis D. Pauli *ad Hebræos* 9. *Et sinè effusione sanguinis non fit remissio.* Ex quo sic. Significatio gratiæ remissivæ non esset Sacramentalis. Sed per sacrificia, & effusionem sanguinis in lege fiebat remissio, & significabatur remissio futura in lege gratiæ: ergo, &c. Resp. disting. antecedens, vt adæquatè distincta ab expiationibus, neg. anteced. sacrificia expiatoria, conced. anteced. & neg. conseq. Nam sic non plurificantur talia Sacramenta à nobis relata; siquidem ad expiationes pertinent sacrificia, quæ propriè essent talia: quippè in lege veteri dabatur mactatio, & victima, quæ non esset strictè sacrificium. Quia holocaustum pro honore Dei institutum, & hostia pacifica in actionem gratiarum, vel impetrationem non erant sacrificia, & expiationes peccatorum: vnde nec Sacramenta. Quare licet verum sit, quod sine effusione sanguinis in lege non fieret remissio; tamen sacrificium vt tale præcisè, nisi in quantum expiativum, non esset Sacramentum. Ratio est: quia, si sacrificium vt tale foret Sacramentum, eatenus foret, quatenus foret



si-

figura Sacramenti novę legis, quod simul esset Sacramentum, & sacrificium id est Eucharistiæ : & huius Sacramentum figurativum solum erat sacrificium, & esus agni Paschalis; cætera verò sacrificia vt hircus pro peccato, &c. in quantum expiatoria erant Sacramenta figurativa Sacramenti pœnitentiæ in quo, iugulando carnem, & sanguinem ferociamque vitiorum, datur peccatorum remissio.

7 Obijcies 3. Manna, & esus panum propositionis fuerunt Sacramenta figurativa Eucharistiæ : ergo fuerunt plura. Antecedens patet : quia gratia cibativa, & propria ministerij Sacerdotalis, qualis est Eucharistica non potest aptius figurari, quàm per Manna, & eium panum propositionis. Sed in hac re, & linea illud est Sacramentum in lege veteri, quod aptius figurat Sacramentum correspondens in lege nova : ergo, &c. *Confirmatur.* Transitus maris rubri, & aquæ largissimæ procurrentes de petra aptius figurant Baptismum, quàm circumcisio quæ tanto tempore fuit ante legem. Sed ratio Sacramenti stat in aptiori figura : ergo, &c. Ad hoc argumentum, respondeo negando antecedens, ad eius probationem, neg. mai. Quia illa est magis graphicè apta figura, quæ magis graphicè representat rem sub eodem tenore, quo instituta fuit: & ita fuit agnus Paschalis, qui figuravit institutionem Eucharistiæ, tàm quoad verba, quàm quoad facta : siquidem illa verba : *Caro mea est cibus* magis complentur per esum agni, quam per esum panis, aut Manna leviſsimi : item institutio Eucharistiæ fuit per modum cœnæ, & statim à cœna agni. Manna verò figurabat aliquid proprium ipsius Eucharistiæ iam institutæ, scilicèt, esse panem Angelorum ad sustentationem fidelium, & verum viaticum pro itinere ad terram promissionis. Esus verò panum propositionis, qui tantum Sacerdotibus permittebatur, erat figura alicuius attinentis ad ordinem Sacerdotalem nimirum potestatis ad conficiendum, & tractandum tale Sacramentum iam institutum : vnde potius erat ad figurandum Sacramentum ordinis, ex ea parte, & potestate consideratum, quam ad figurandam institutionem Eucharistiæ. Ad confirmationem similiter, nego mai. Nam proportio figuræ cum Sacramento figurato potius attendenda est penes effectus, & finem; quàm ex materia, & actione, quæ indifferentes sunt, vt alij fini possint deservire : circumcisio verò cum fuisset instituta in remedium originalis, vt alibi defendimus, pro quo tollendo institutus fuit baptismus, & quidem cum proportione temporis, parvulorum, & effectus spoliandi veterem hominem; est figura longè aptior quam transitus maris rubri factus per siccum, & aquæ largissimæ profluentes, & epotæ vt sitim explerent. Potius forsitan baptisma figurarent ablutiones aliquæ pro tollendis immunditijs legalibus; sed cum illæ ablutiones non essent pro omnibus, sed pro particularibus personis, in quibus aliqua esset inmunditia; aptissima præ omnibus fuit circumcisio. Neque obstat aquas, & transitum maris rubri ab aliquibus Patribus deflecti ad baptisma : nam vel fit in sensu morali, & allegorico; non verò typico; vel si in typico quidem erit quoad aliquem vsum, & effectum Sacramenti; secus verò quoad institutionem ipsius. Vel erunt figura, sed non Sacramentum, vt dicebamus.

8 Obijcies 4. D. Augustinus *in Psalm.* 73. asserit, Sacramenta Mosayca fuisse plura quàm nostra : ergo non pauciora, scilicèt, quatuor. Respondeo ad argumentum dicendo Augustinum ibi non loquutum fuisse de Sacramentis propriè sumptis; sed latè ea sumendo pro omnibus Sacris, & cœremonialibus atque figurativis, quę plura erant, vti diximus de circumcisione, transitu maris rubri, aquis de petra

pro

pro baptiſmate; de Manna, panibus propoſitionis, & eſu agni pro Euchariſtia de purificationibus legalibus, & expiationibus pro pœnitentia. Vbi advertendum eſt purificationes legales non fuiſſe Sacramentum correſpondens Sacramento pœnitentiæ: nam illæ purificationes erant externæ quemadmodum irregularitates, & immunditiæ erant externæ; remiſsio verò, & expiatio peccatorum debet eſſe interna. De lege veteri ſingillatim agunt Rabbi Moyſes Ægyptius in libro Director dubitantium. P. Becanus *in Analogia*, & P. Azor *lib. 6. Inſtitut. Mor. tom. 1.* ambo vbertim atque perſpicuè. Angelicus Magiſter 1. 2. *quæſt.* 102.

)(JHS.)(

# QUÆSTIO SECUNDA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

NON VSVRPABIS NOMEN DEI TVI FRVSTRA.
*Deuteron. 5. verſ. 11.*

### ARTICULUS.

*QUA VI, ET QUO TENORE OBLIGAVERIT IN LEGE veteri iuramentum promiſſoriumè?*

1 SUppono 1. Illam communem diviſionem iuramenti à Theologis factam in aſſertorium promiſſorium, & execratorium: quæ tamen membra, putat noſter Azorius, ſtrictè loquendo non diſtingui; ſed in communem rationem teſtificationis veritatis aſſertæ de præſenti, præterito, aut futuro convenire debere: & quidem nos in ſeparata, & prolixa quæſtione iuramenti notionem, & originem ventilantes multa dabimus quibus tenorem eius obligationis explicabimus magis ad aſſertorias formulas, quàm ad promiſſorias attendentes. Nunc verò examinare lubet, & vacat, quanta fuerit olim in lege veteri vis iuramenti promiſſorij Deo facti. Ratio dubitandi eſt: quia, iuxta communem doctrinam præſentium Theologorum, iuramentum promiſſorium circa rem, in qua error deprehenditur quoad ſubſtantiam, non obligat; & tamen prout legimus in lib. Ioſuè, & copioſè diſſerimus de iuramento præſtito Gabaonitis, ibi apparet, interveniſſe error aliquis quoad ſubſtantiam, & nihilominus Ioſuè iuramento ſe obſtrictum exiſtimaſſe: ſicut etiam longo poſt tempore Herodes pollicitus, & iuratus Herodiadi dimidiam partem Regni, arbitratus eſt, ſe teneri iure iurando, etiam poſtquam caput Baptiſtæ fuit poſtulatum. Atque vniverſim loquen-

quendo vix in tota lege veteri invenitur factum Deo iuramentum promissorium alicubi, vbi id aliqua ex causa relaxari contingat.

2 Suppono 2. Textus qui de iuramento in lege veteri inveniebantur, esse huiusmodi. Primo. *Exod.* 20. *vers.* 7. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Secundo. *Exod.* 23. *vers.* 13. *Per nomen externorum Deorum non iurabis.* Tertio. *Levit.* 19. *vers.* 12. *Non periurabis in nomine meo.* Quarto. *Deuter.* 5. *vers.* 11. *Non vsurpabis nomen Dei tui frustra.* Quinto. *Deuteron.* 6. *vers.* 13. *Per nomen Domini Dei tui iurabis.* In quibus legibus apertè dicitur, per quem sit iurandum; & per quem non: item nedum non esse committendum periurium; verùm neque vsum, & irreverentiam Sancti Nominis Dei. Proindeque ex his omnibus conficitur id, quod habetur apud Hieremiam, scilicèt, quòd iuramentum non fiat nisi in veritate, iustitia, & necessitate. Iudæi verò, vt habetur *Math.* 23. nonnullas traditiones habebant de valore iuramenti *per aurum templi*, secùs per templum; & *per donum altaris*, secùs per altare, quas Christus Dominus verbis suis sanctissimis confutavit. Præterea que in vsurpandis formulis iuratorijs erant admodum faciles, existimantes, non admisso mendacio, sibi prout vellent, aut quando vellent, iurare licere. Ita noster Azorius. De præsenti vero ritu, quem servant in vsurpando iuramento, duo ait Becanus scitu digna, præter hoc quod est solere iurare per nomen Dei, non pronuntiatum, sed in sua elementa resolutum, scilicèt, per *Iod*, *He*, *Vau*, *He*. Alterum est, quòd quantumvis veris, & exquisitis formulis iurent; se ligari non putant, nisi manu imposita super legem Moysis, ita vt Norimbergenses, re detecta, eos nisi contactu legis ad iuramenta non provocent. Alterum est, quod etiam sub eo ritu putari poterunt malefidi, eò quòd freti absolutione, quam in festo expiationis reportant à Rabbinis suis de votis, ac iuramentis malitiosè factis, facilè præsumuntur iurare falsum in hac confidentia, vt Christianos decipiant.

3 Suppono 3. Quod ea nimirùm, quæ de lege veteri discutiuntur, interrogando, *fuerint ne licita, vel non?* Minimè resolvenda sunt per Theologiam moralem his temporibus currentem, & sitam in mente DD. sed iuxta Theologiam moralem currentem apud Doctores in illis temporibus, in quibus patrata est actio, de qua disputatio instituitur: in quo, ni multum fallor, non rarò minus ritè controvertuntur à Doctoribus aliqua facta veteris Testamenti. Quare cum Theologia moralis nihil aliud sit, quàm responsa prudentum, atque Doctorum super iure positivo, tàm divino, quàm humano Ecclesiastico, vt mores hominum, non nisi ad legem Domini accomodentur; necesse est, vt Theologia moralis eadem temporum, ac sæculorum variationes subeat, quas subire solent homines, mores, opiniones, & ius ipsum Ecclesiasticum, quod pro divino illustrando, & asserendo conficitur; quin imò, & ipsum ius divinum manans à Deo, saltem quoad nos, sua variatione non caret tractu sæculorum, vt videre est, tum in libello repudij, qui antea non permittebatur iuxta verba Christi D. *Ab initio non fuit sic*, & postea hominibus lapidescentibus permissus fuit à Moyse ob duritiam cordis eorum: ac demum iterum sublatus est in lege gratiæ dicente Christo D. *Marc.* 10. *Quicumque dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa mœchatur.* Tùm ex illo Evangelij: *Auditis quia dictum est antiquis: odio habebis inimicum tuum. Ego autem vobis dico diligite inimicos vestros.* Tùm ex toto iure diviniſsimo legis novæ respectu rituum etiam divinorum legis antiquæ.

4 Suppono 4. Conformiter ad præcedentia, quod in Theologia, tàm spe-

ſpeculativa, quàm practica legis gratiæ hæ viciſsitudines, variationeſque cernuntur: tùm quia tàm in ſpeculativis, quàm in practicis paſsim à Summis Pontificibus plures propoſitiones proſcribuntur, propter quas alijs deſertis, aliàs neceſſe eſt tenere ſententias, vt conſtat ex Decretis Alexandri VII. Alexand. VIII. Innocentij XI. & Clementis XI. & ſurſum aſcendendo in Decretis contra Ianſenium, Baium, Iohannem Hus, Vbicleph, & cæteros. Tùm quia paſsim DD. ipſi mutant ſententias; & aliquæ quaſi communi placito abolentur, & penè exſibilantur, execranturque, communi plauſu ſuccedentibus nobis præſertim pijs, quæ de oleo pietatis ſuæ ſemper incrementum accepere. Et quidem in Theologia morali quæ explicatio eſt iuris poſitivi, vel potius declaratio naturalis iuris, & commoda interprætatio poſitivi, hæc variatio, & viciſsitudo opinandi frequentius vſuvenit, eò quòd ita poſcere videantur, vel ratio loci, vel temporis, vel conditio perſonæ, & ſtatus gentis inſtituendæ, vel commune hominum placitum & opinio, ac terminorum acceptio, rerumque vſurpatio, vel tandem cadentes ſurgenteſque conſuetudines; cum quibus omnibus ſemper ire debet accomoda diſpoſitio legis vt ſit iuſta, & per quæ omnia venit legitimè interpretanda. Propter hanc diverſitatem videmus in Europa defectum Parochi, & teſtium eſſe impedimentum dirimens matrimonium in Hiſpania; ſecus in Gallia. Propter hæc videmus etiam intra idem regnum diverſa vigere præcepta, abſtinentias, ritus, & mores in diverſis Provincijs. Propter hæc videmus adhuc in ipſis præceptis Eccleſiæ, v.g. Decimarum, ieiunij, variationes; & multas opiniones moraleſ antea licuiſſe, nunc non licere, vel propter fulmina Pontificia vel novas rationes fortè detectas. Et ideo dixit Caramuel in Theologia rationali in *ſeuer. Method. Omnia mutantur, opiniones, mores, ſententiæ.* Propter hæc dicitur à Theologis Scholaſticis ad tractatum de fide vt videri poteſt apud Oviedo *de Fide, controv. 1. punct. 4. n.* 13. ſcientiam Theologiæ in dies creſcere, & narrat ad hæc exemplum valde appoſitum: nam eſt cuiuſdam ſtrenui ducis Hiſpani famoſiſsimi ſcilicèt Ruizij Diaz de Vivar Vulgo vocati, *el Cid Campeador*, qui licèt inſtructiſsimus eſſet arte præliandi; ea in legibus Eccleſiaſticis fuit ignorantia, vt duas filias (adhuc viventibus ipſorum maritis de Comitibus de Carrion) nuptui dederit Regibus Aragoniæ, & Navarræ. Aitque Mag. Bannez ibidem, totis retrò ſexaginta annis ignorantiam maximam præceſiſſe, quouſque celeberrimi illi Magiſtri prefulſere, ſcilicèt Victoria, vterque Sotus, Mancius, & Medina. Denique propterea hæc regula verſatur inter expoſitivos quæ ex dicto illo Sancti Bartholomæi videtur eſſe deducta: *Theologia, & plurima eſt, & minima, Evangelium que magnum, rurſuſque conciſum.* Dionyſius *de Myſtica Theologia, cap.* 1.

5 Suppono 5. Me circa hoc punctum, vti par eſt, & diligenter, & ſolidè diſputandum laborioſè luſtraſſe, atque conſuluiſſe in Sacra pagina omnia loca, in quibus agitur de iuramento in lege veteri, quæ ſunt certè quam plura in libris legalibus, hiſtorialibus, ſapientialibus, & propheticis. Quibus obſervatis, & ſimul origine iuramenti, quam *in quæſt. ſuprà citat.* fuſius tractavimus, animadvertendum eſſe videtur iuramentum, votum, & ſimilia quæ immediatè de homine erga Deum cultum ipſius atteſtabantur, habuiſſe in ordine ad ſui obſervationem quoſdam quaſi gradus conformiter ad gradus intelligentiæ, quos populus acquirebat: ita vt obligatio iuramenti, v. g. (& idem proportionaliter de reliquis) in initio legis magis cæco modo, & forti obligaret, etiam ad conſpectum cauſarum gravium, quæ obligationem tollere viderentur; eo

quòd

quòd modus colendi Deum, necdum temeratus, fortius atque potentius ligabat, & obligabat, ne proter quodvis etiam valde grave temeraretur: postea verò tempore procedente, in quo malitia hominum cum temeraret, & quasi minus patiens inciperet esse talis ligaminis, Deus infinitè misericors, & benignus spiritum intelligentiæ inspirabat hominibus, vt cognoscerent iam pro tali tempore non esse de mente Dei, vt illa obligatio esset tam fortis, & invincibilis, sed propter congruentes causas temperari posse. Ratio primi est: quia, cùm Deus sit super omnia, & ante omnia æquissimus; potuit pro tunc esse de mente Dei, vt eius invocatio, & testificatio, syncerè, & non malitiosè per homines inducta, non relaxari deberet, eo quòd reverentia Dei ibi exhibita plus cæteris cunctis præponderaret. Ratio secundi est: quia sapientissimus, & benignissimus legislator potuit pro circunstantijs temporum, & personarum suæ legis vincula intimare hominibus magis stricta, vel laxa, prout oporteret. Quorum confirmatio esse videtur remedium Zelotypiæ comprobativum adulterij, quod in principio, & vigore legis viguit; non autem postea: in eo enim adultera adducta ad Sacerdotem, si bibebat aquas Zelotypiæ statim ibi portentosè disrumpebatur. Nam cum postea crescente malitia, adulteria essent frequentia, contempto tali terrore; Deus aliter deinceps miseratus fæmineæ fragilitatis se gessit: præsertim, si quod magis miserandum est, iam viri ipsi in adulteria vxoris suæ consentirent.

6 His positis accedendo ad sententias non licuit videre de Authoribus, quos consului, sivè Morales, sivè Biblicos, qui hoc punctum sic præcisum attingant. In primis verò generatim loquendo de iuramento prima sententia poni potest ea, quæ ait in veteri lege iuramentum fuisse quidem per se malum, sed permissum, vt minus malum, ne per idola iurarent. Ita videntur sensisse apud Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 2. Basilius *serm.* 1. *in Psalm.* 14. Hieron. *Math.* 5. Theophilactus, & Euthimius ibidem cum Authore operis imperfecti *hom.* 17. Æcumenius *in Epist. Iacob. cap.* 5. Chrisostom. *Math.* 5. *& homil.* 19. *ad Populum Antiochenum, & hom.* 15. *in Genes. & 9. in Acta Apostol.* 2. sententia cum Augustino, & Iure Canonico, *cap. Omne, cap. Non est, cap. In novo, cap. Noveritis* 22. *quæst.* 1. cum Abulens. D. Thom. Azor, & communi Theologor. tenet semper fuisse licitum iuramentum, prout explicuit Hierem. 4. scilicèt in veritate iustitia, & iudicio. Tertia sententia, quam ipse propugno in quæst. speciali de vi, & origine iuramenti tenet in lege veteri, nedum licuisse iurare, sed etiam fuisse de hac re præceptum tàm negativum, quàm affirmativum proportionatum ad circunstantias. Accedendo verò ad punctum magis speciale, quod disputamus an, scilicèt, in lege veteri tanti fuerit iuramentum, & reverentia ipsius, vt semel bona fide factum violari non posset, etiam si error, aut dolus gravis, & *quoad substantiam* interveniisset, vel causa gravis aliqua obstaret; potest quodam modo distingui duplex sententia ex illis AA. & doctrinis, quæ ad rem hanc magis propinquant. Prima ergo est ea, quæ nunc temporis communis est in Theologia morali, scilicèt, quòd iuramentum elicitum cum errore, aut exceptione versante circa substantiam rei iuratæ non obligat. Ita sentit penè vniversalis Theologia moralis in Ecclesia stabilita vnde inferri videtur, quod neque in lege veteri tale iuramentum teneret, & obligaret. Pro secunda sententia quam, vt dixi AA. in specie non attingunt, citari possunt Ribera *in Epist. ad Heb. cap.* 11. Serarius *in Iudic. cap.* 11. Abulens. ibidem *quæst.* 47. & 48. item apud hunc *Math.* 5. *q.* 259. alij supresso nomine citati, quatenus loquendo de filia Iephte asserunt, quòd

eò

eò tempore non erant res ad eo explicatæ, neque erat Propheta, quem consulerent; sed laborari ignorantia invincibili, &c. Ex quibus iam deducitur hos AA. sensisse saltem per accidens, & ex statu legis tunc currente licitè, & obligatoriè fuisse ad impletum illud votum de re, quæ iam ex circunstantijs fiebat tam ardua, cuiusmodi est propriam filiam sacrificare.

7 Sit mea conclusio: *In lege veteri saltim in exordijs iuramentum bona fide factum de re, in se non intrinsecè mala, debebat impleri, licet error, aut dolus quoad rei substantiam interveniisset; vel alia quævis causa gravis vitæ, famæ, & fortunarum videretur obesse.* Probatur primo conclusio, ex multiplici loco Sacræ Scripturæ. Primo. Ex Levit. *cap. 5. vers.* 4. ibi: *Anima quæ iuraverit, & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret, vel benè, & id ipsum iuramento, & sermone firmaverit, oblitaque posteà intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam de peccato suo.* Ex quo textu sic argumentor. Ibi expressè dicitur quod si iuramentum fiat de aliqua re malè facienda, tenere debet. Sed hoc est, quod tunc iuramentum alias factum *de re non intrinsecè mala*, licet posteà inveniat dolum in substantia, vel causam gravem obstantem adimpletioni, debet impleri: ergo, &c. Probatur min. Res facta ex dolo circa substantiam, vel causa admodum gravi retrahente, ne fiat, est aliquid malè factum iuxta prudentiam humanam, nisi detur motivum altius, & prævalens. Atqui lex illa Levitici intimat, iuramentum, & fidem Dei interpositam esse quid longè valentius quovis iure etiam naturæ inferiori: quia ius naturæ divinæ prævalet iuri naturæ humanæ: ergo, &c. Min. illustratur, & fulcitur ex lege *Exod.* 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Explicatur. Licet in illo textu *malefacere* possit intelligi pro afflictione cuiuspiam, vt tenent Cornel. Lorin. & alij; ideò est, quia id nomine *mali*, apud homines venit intelligendum. Sed apud eosdem etiam nomine *mali* ibi venit intelligendum quidquid alias inter ipsos malè fieret, vbi fortius, & altius vinculum non prævaleret: ergo, &c. Vide item in fine quæstionis, quomodo explicatur hic textus. Probatur secundo, ex *lib. Iudic. cap.* 21. Nam filij Israel propter crimen, quod fecerunt filij Beniamin abutentes vxore cuiusdam Levitæ, se obstrinxerunt iuramento, non dandi filias suas filijs Beniamin. Ex quo sic argumentor. Tale iuramentum, nedum bona fide, sed bono quoque zelo fuit factum de malo patrando. Sed nihilominus, insurgente ratione gravissima ne adimpleretur, tamen constanter fuit observatum: ergo, &c. Maior probatur, quoad gravissimum inconveniens sequutum de extinctione, & ablatione Tribus Beniamin ex illis verbis vers. 2. *Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo; & in conspectu eius sedentes vsque ad vesperam levaverunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes. Quare Dominus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis?* Deinde probatur minor, quoad impletionem iuramenti, tàm ex illis verbis vers. 18. *Filias enim nostras eis dare non possumus constricti iuramento, & maledictione*; quàm ex providentia, quæ ibi refertur data vt filij Beniamin haberent vxores, scilicèt, vt per vim aliunde sibi vxores assumerent, quod est contra ius, & fas: ergo, &c. *Confirmatur.* In eodem cap. dicitur, quod filij Israel grandi iuramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos, qui ad coniurationem defuissent. Atqui cum gravis excusatio daretur in habitatoribus Iabes Galaad; tamen, interfecti sunt in ore gladij: ergo, &c. Min. constat, quoad interfectionem ex textu, & quoad excusationem ex illis verbis: *Et ecce inventi sunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuisse, eo quoque tempore cum essent in Silo nullus ex ijs ibi repertus est.* Vnde constat, quod omnes ad vnum

erant in Silo, & non in Maſpha, vbi iuramentum, & edictum conveniendi intimatum eſt. Sed defuiſſe ſine ſua culpa, & notitia erat excuſatio graviſsima, & cauſa ne interficerentur ex iuramento: ergo, &c.

8 Probatur tertio. Ex celebri textu *Ioſue* 9. quem latè tractavimus agentes de iuramento à Ioſue præſtito Gabaonitis, qui tanquam ramus valde præcipuus non poteſt ad quæſtionem præſentem non attinere. Igitur Ioſue cum Principibus iuravit Gabaonitis, eos non delere ex ſuppoſitione, quòd eſſent longinqui, cum quibus lex diſpenſaret. Atqui, invento dolo, poſteà in eis circa ſubſtantiam rei, nihilominus putavit, iuramento ſe eſſe conſtrictum: ergo, &c. Min. patet, ex reſponſo illo dato *verſ.* 19. ibi: *Qui reſponderunt eis: iuravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael; & idcircò non poſſumus eos contingere:* ergo, &c. Probatur quarto. Quia Saul fecit iuramentum toti Iſraeli, ne quis aliquid guſtaret vſque ad vltionem inimicorum ſuorum ſub pœna graviſsima maledictionis, & mortis. Sed nihilominus occurrente poſteà cauſa graviſsima, ne ſtaret iuramento, quantum in ſe fuit tali iuramento omninò ſtetit: ergo interpretatio divini nominis in lege veteri cunctis prudentiæ humanæ rationibus, & iuribus prævalebat: nimirum propter illam rationem à priori iam inſinuatam quòd prius eſt ius naturæ divinæ: (Deitas enim non poteſt non eſſe infinite verax) quàm ius naturæ humanæ. Mai. patet, *Reg.* 1. 14. 24. ibi: *Adiuravit autem Saul populum dicens maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* Min. patet, quia deprehenſus fuit tranſgreſſor filius ipſius Saulis Ionathas; & tamen, ſtatim dixit Saul: *Morte morieris Ionatha*; & ita factum fuiſſet; niſi populus ſuper ea re contra Saul rebellaret, vt conſtat inibi: ergo, &c. *Confirmatur.* 2. *Reg.* 21. Quia graviter percuſit Dominus Saul: quia non ſervaverat iuramentum præſtitum Gabaonis. Atqui hi dolosè graviter proceſſere. Ergo, quia ſivè dolus in ſubſtantia, ſivè cauſa gravis minus præponderabat, quàm interpoſitio nominis Dei, prout eam ipſe in exordio ſuæ legis factam, & intellectam voluit.

9 Probatur 2. concluſio ex Concilijs, & Iure Canonico ſupponendo quod cum concluſio ſit de lege veteri; hæc probatio potius inſtituitur arguitivè, quàm formaliter. Probo igitur. 1. Ex Concil. Toletano *Canon* 9. quatenus loquendo de incautis iuramentis ait, quod *iuramenta reſolvi non poſſunt iuxta illud non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum id eſt fruſtrà.* Deinde dum ait, *vbi periculi neceſsitas compulerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligari. Quid autem ex his levius, quidve ſit gravius pietatis acumine inveſtigemus.* Ex quibus ſic argumentor. Iuramenta incauta ſunt illa, in quibus deprehenditur poſtea aliquod impedimentum rationale, ne impleatur quod iuratum eſt. Sed in his, quando res iurata non eſt intrinſecè mala, hæc prævalere debet tali impedimento deprehenſo: ergo, &c. Min. patet: Tùm ex præcepto generali, ne iuretur fruſtrà: tùm quia, quando res non eſt intrinſecè mala, acumen ipſum pietatis ſua inveſtigatione perſuadet gravius eſſe, interpoſitionem nominis Dei fieri irritam, quàm aliquid aliàs inconveniens exerceri. Quam diſtinctionem facit Abulenſis, *Math.* 5. *quæſt.* 259. Probatur iam ex iure canonico, vbi luſtravi nedum *titul.* 24. *de Iureiurando lib.* 2. Decretſed & Sextum *tit. eodem* 9. & Clementinas *eodem tit.* 11. Igitur, *cap. Sì verò*, 8. *de Iureiurando* dicitur, quòd iuramentum ſemel elicitum obſervanduu eſt; dummodò non ſit in interitum animæ. Et *cap. Quanto* 18. *eodem titul.* dicitur, quòd iuramentum de re illicita cognita vt tali illicitum eſt, & non obligat, eò quòd non ſit vinculum iniquitatis.

Iu-

Iuramentum verò de re, quæ putatur licita, & illicita poſtea invenitur, in quantum poſsit ita obſervandum eſt, vt authoritas Dei interpoſita prævaleat omni, quod non ſit iniquitas. Ex quibus arguo ſic. Iuramenta facta initio veteris legis incautè, ſcilicèt deprehendendo poſtea in executione inconveniens, ſunt iuramenta quæ bona fide facta, & non de re intrinſecè mala, poterant obſervari ſine interitu animæ & erant de re, cui teſtimonium divinum interpoſitum prævaleret. Sed hoc ipſo debebant impleri, qualibet ratione obſtante ſuperata, niſi eſſet res intrinſecè mala: ergo, &c. Min. probatur. Eatenùs non poſſent obſervari; quatenus, ſi inveniretur eſſe aliquid contra legem, licèt non intrinſecè malum, tamen non poſſet fieri. Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Probatur minor. Ex eo quod Abulenſis *Math. 3. quæſt.* 259. aſſerit primos illos PP. legis veteris fuiſſe viros ſanctos, *& ſyncere putaviſſe maiorem vim habere iuramentum, & votum, quam legem.* Quod cùm ita cohæreat cum locis à me ſupra datis, non tam iudico, id proveniſſe ex defectu debitæ intelligentiæ vt ſuſpicatur Abulenſis; ſed ex eo quod tunc temporis nulla alia Theologia altior, & intelligentia dabatur de vi iuramenti, niſi quod impletio iuramenti omni, quod non eſſet formalis iniquitas, prevaleret.

10 Probatur concluſio à ratione primo, ſic. Iuramentum elicitum in veteri lege preſertim in exordijs eſt iuramentum, quod debet ſuſcipi, atque taxari, quaſi elicitum ab ipſo Deo. Sed elicitum ab ipſo Deo nunquam poteſt ſubſequi eventus, aut motivum, ne impleatur: ergo iuramenta tunc bona fide de re non intrinſecè mala, etiam invento dolo, aut aliqua excuſatione gravi, deberent impleri. Minor patet: tùm ex eo quod Deo iuranti omnis eventus poſt futurus eſt cognitus: vnde, ſi ita cognitus iuramento non obfuit, neque poterit officere adimpletioni: tùm ex verbis *Iſai. 45. v. 23. In memetipſo iuravi egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet: meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.* Vnde patet quod iuramentum procedens ex ore Dei non poteſt non eſſe iuſtitia. Probo iam mai. 1. Quia Deus ipſe agens familiariter cum hominibus circa omnes providentias de populo ſuo, quem præparabat, nedum ipſis iuramenta dictabat, & admittebat; ſed & viciſsim ipſis iurabat vt conſtat ſupra, *& Gen. 22. & alibi.* 2. Quia iuramenta interpoſita non erant privata, ſed publica authoritate, & hæc erat Dei regnantis ſuper ſuum populum peculiarem, ergo, &c. Anteced. patet in locis ſupra datis ſcilicèt in iuramento filiorum Iſrael contra filios Beniamin, vbi ſuper ea re Deus dabat ipſis paſſim reſponſa; & ex iuramento Saul facto pro cauſa communi contra Philiſtæos, & alijs. 3. Quia quando fuit factum aliquod iuramentum ſub fraude, & dolo vt Ioſue cum Gabaonitis, monet textus quod *os Domini non interrogaverunt*, & propterea decepti ſunt: ergo quia tunc temporis ritus iuramenti nedum debebat eſſe publicus, & pro cauſa publica, ſed quaſi ex ore Domini prolatus.

11 Probatur 2. à ratione. Iuramentum in exordijs legis ſemel elicitum debebat eſſe fortius, quàm quivis alius eventus ad impediendam adimpletionem, niſi hæc præſtari non poſſet, niſi per formale peccatum: ergo niſi hoc adeſſet, debebant iuramenta tenere tunc in lege veteri. Anteced. probatur primo ex Abulenſi, *Math. 5. quæſt.* 259. aiente: *Opinionem Iudæorum tunc fuiſſe, impleri debere ad quemcumque eventum.* Et putabant iuramentum, & votum fortius quam legem: & meritò: quia illud erat iuris naturæ, & lex iuris poſitivi. Nunc verò quando non eſt implendum; eſt, quia

non

non intelligitur Dei interpoſitio, vel acceptatio. Atqui congruentius eſt Scripturis, quod olim hæc opinio eſſet benè fundata, & non error ignorantiæ voluntariæ tunc ipſis adſcriptus: ergo, &c. 2. Quia tunc, vt dictum eſt, divinum teſtimonium, & nomen non interponebatur, niſi pro re publica, & ſolemni momenti maximi, cui cedere deberet hoc, vel illud inconvenieus etiam de uita proximi, quæ proinde non tolleretur authoritate privata: ergo, &c. 3. Quia ius divinæ naturæ fortius eſt quovis iurè naturæ humanæ. Sed in lege veteri, bona fide elicito iuramento interponebatur Dei nomen, & fides: ergo, hoc ſemel ritè interpoſito, nihil in humanis poterat ſubſequi quod non cederet. Ergo de primo ad vltimum iuramenta de more tunc ritè elicita etiam dolo, vel gravi motivo poſteà deprehenſo, ſervari deberent. Probatur 3. à ratione, quia licèt noſtra iudicia Eccleſiaſtica fiant per titulum de Præſumptionibus; tamen præceptum vetus negativum 293 prohibebat iudicium per præſumptiones, vt conſtant ex Rabbi Moſe Ægyptio: ergo ſimiliter potuit olim aliter ac nunc ſe habere obligatio iuramenti. Item licèt olim in Levitico eſſent pœnæ ſubiecta quæ ex ignorantia, & oblivione fierent contra legem; ſecùs modo: ergo, &c.

12 Obijcies 1. immediate adverſus dicta, vt amplius clareſcant. Si iuramentum tunc ita elicitum, ita quoque prævalere deberet ſimiliter, nunc temporis deberet dici quod iuramentum, etiam invento dolo, aut inconvenienti gravi, deberet impleri. Sed hoc eſt falſum ex notiſsima Theologia morali: ergo, & primum. Probo mai. De illo primo eſt verum, quia fides, & nomen Dei ſemel interpoſita plus prævalerent, quam humanus quivis dolus, & quivis eventus. Sed ſimiliter nunc in iuramentis fides, & nomen Dei interponitur: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando mai. Ad cuius probationem diſtinguo mai. *Semel interpoſita in re per Deum*, conc. mai. *per invocationem humanam præcisè*, neg. mai. & neg. min. Aliud enim eſt nomen, & fidem Dei reipſa ab eo interponi, & tunc infallibilis eſt adimpletio. Aliud eſt nos *vocare Deum in teſtem* alicuius futuri: cuius cùm prænotionem non habeamus, ſæpè accidit, vt advocemus Deum in teſtem promiſsionis noſtræ, & Deus re ipſa ſub ea invocatione fidem ſuam non atteſtetur, eo quod ex ignorantia futuri humana mens non ritè promittat *quoad punctum adimpletionis*, licèt ex parte creaturę detur verus animus adimplendi, & talis invocatio ad id teſtandum poſsit deſervire. Vnde in noſtro tẽpore in quo per iura ſatis expoſitus eſt ritus ille, ſub quo Deus poteſt invocari in teſtem; ſi propter noſtram ignorantiam doli admixti, vel inconvenientis futuri, quidpiam incautè iuramus; poſteà re cognita deprehendimus, Deum, quando invocatus fuit teſtis, minimè atteſtatum fuiſſe talem eventum, quem noverat non futurum. Cæterùm quando in lege veteri fiebant iuramenta ex oraculo, & Deo, adhuc non modificante ſuas atteſtationes, quoties invocabatur (præſertim tam publicè, & ſolemniter) habebatur pro interpoſita fides eius, & nomen, ita vt cunctis prævalere deberet. Quod ſi, & nunc in aliquo caſu ſimili interpoſita putaretur; res deberet præſtari; & quando reſolvitur non præſtanda, eſt, quia merito creditur non interpoſita. Ratio verò à priori quare in illis exordijs non fuit modificatio atteſtationis; & nunc datur multiplex, eſt, tùm quia frequens temeratio iuramenti malitia hominum contingens, fecit, ne ipſis tam inconcuſsè atteſtaretur: tùm quia nunc iam iuramentum non ad negotia religionis, aut Gentium; ſed ad tribunalia, ad contractus, ad privatas perſonas reculaſque trahi ſolet, in quibus neque æquum eſt Deum ipſum ſeſe paſsim facere atteſtatorem;

ne-

neque tot, & minimis poteit deficere varietas maxima.

13 Obijcies 2. Licet iuramentum ſit elicitum bona fide; tamen ſi res iurata deprehenditur eſſe contra legem, licet non ſit intrinſecè mala, præſtari non poteſt. Sed iuramentum in lege veteri propriam naturam, & quidditatem iuramenti ſervabat: ergo, &c. Minor probatur ex Concilijs, ſic primo ex Decreto, & Epiſtola Soteri Papæ in compendio Conciliorum Bartholomæi Carranza, ibi: *Si aliquid incautius aliquem iurare contigerit, quod obſervatum in peiorem vergat exitum; illud ſalubri conſilio mutandum noverimus, & magis inſtante neceſſitate periurandum nobis, quam pro facto iuramento in aliud crimen maius divertendum.* Secundo ex Concil. Tolet. VIII. Can. 2. *Etenim dum peierare compellimur, creatorem offendimus quidem, ſed nos tantummodo maculamus. Dum vero noxia promiſſa complemus, & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori gladio trucidamus.* Confirmatur hoc argumentum ex Iure Canonico titulo *de Iure Iurando, lib. 2.* Decret. & Sexto, & Clementinis, vbi cum vniverſa Theologia Morali, quaſi ſanctum eſt, iuramentum non ligare quoties intervenit dolus in ſubſtantia, vel dans cauſam iuramento; itemque quoties res magni momenti obſtat adimpletioni, quæ ſi cogitata fuiſſet, non fuiſſet iuratum. Atqui ius Eccleſiaſticum errare non poteſt in qualificanda notione, & vi iuramenti: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. neg. mai. Ad cuius primam probationem ſimul, & ſecundam, reſpondeo primo, notari debere modum, quo vtrobique procedit, tàm Papa, quàm Concilium: ſiquidem primus id ſtatuit per modum ſalubris conſilij, & ſecundum id committit inveſtigationi, quæ fiat acumine pietatis. Et quidem nos quemadmodum temporibus prædicti Papæ, & Concilij non pernegamus, id ex ſalubri conſilio, & acumine pietatis potius ſtabiliri debere propter rationes iam à nobis inſinuatas in primi argumenti reſponſione; ita etiam cenſemus, idem ſalubre conſilium, acumenque pietatis dictaſſe aliter in exordio veteris legis propter ſupra inſinuata: ſiquidem ex ijs, quæ in Notabilibus iecimus, ſicuti viciſſitudine temporum omnia variantur, mores, voces, ſententiæ; ita quoque lex ipſa, & Theologia ex prudentia Legislatoris, & Doctorum ad ea accommodantur. Ad vtramque probationem exinde reſpondeo ſecundo, quod nullum crimen in eo tempore miſceretur, mandando executioni id quod iuratum erat, licet poſt iuramentum bona fide factum appareret dolus in ſubſtantia, vel oppoſitio aliqua ad legem dummodo res non eſſet intrinſecè mala. Quia nimirum propter probationes noſtræ concluſionis ſatis expenſas Dei nomen, & fides tunc interponebantur in atteſtando; & ſi, ſimul in re interponebatur, cunctis cæteris prævalere debebat: poſteà verò quàm iuramentum privatim familiarius, & communius adhiberi cœpit, ſapienter admodùm Eccleſia intellexit, in multis caſibus non debere credi atteſtationem Dei (licèt verè invocatam) tamen verè fuiſſe interpoſitam. Vnde ſanctiſsimè ſanxit ſuperiora decreta, in quibus, licèt ſonare videatur, quòd eligi debeat periurium; potiùs quam rem illicitam perpetrare; id non debet intelligi de periurio verè tali, quo quis fidem Dei verè interpoſitam irritam faceret; ſed quo eam interpoſitionem verè per ſe invocatam (non tamen factam,) effectu non compleat: in quo non miſcetur periurium niſi vulgariter, & apparenter tale. De quibus omnibus ad præfacta concilia manat, & manet expedita reſponſio. Ad confirmationem etiam ex dictis facile reſpondetur dicendo, quòd poſtquam iuramentum in iure aſſumptum fuit tanquam robur contractus humani, & contractus

humanus multis de titulis, quos iura recenſent, debeat non ſubſiſtere; æquiſſimè diſponitur, quòd ſimiliter debeat ſubſiſtere; & non aliter, obligatio iuramenti: ſiquidem Deus non intelligitur invocatus, neque iuramentum adiectum, niſi ad ea, quæ in contractibus ſunt vera, rata, & legitima. Ad id verò, quod additur, ſcilicèt, quod notio, & quidditas iuramenti ſemper eſt eadem. Dico quòd ſic: ſtando præcisè quidditati ipſius conſiſtenti in eo, quod Deus *verè*, *& legitimè* invocatus teſtetur etiam verè rem pro qua invocatur. Cæterùm circa materiam rei iuratæ, circa legitimitatem invocationis, proindeque circa ſtatum obligationis ex tali quidditate manantis proculdubiò poteſt intervenire varietas quoad tempora, & circunſtantias.

14 Objicies 3. Ex eodem Concilio Toletano 8. Canon. 2. conſtat, quòd etiam in lege veteri iuramenta de re illicita non debebant ſervari: ergo non ſtat concluſio. Antecedens conſtat ex tali canone vbi definitur *iuramenta illicita non debere ſervari*, id probando ex Ambroſio, qui pro hoc adducit illud *Math.* 15. de Herode qui iuravit Herodiadi; & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum denegaret. Et illud de Iephte. De quo ait: *Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promiſſum ſolvere. Mirabilis neceſsitas, quæ ſolvitur parricidio*: ergo, &c. *Confirmatur.* Non minus videtur ſervari debere cultus Dei in adimpletione iuramenti, quam in obſervantia Sabbati. Atqui *in lib.* 1. *Machabæor. cap.* 2. ſumpta fuerunt arma in Sabbato, ſolito anteà obſervari, ne paterent cladi inimicorum: ergo ſimiliter fieri poſſet in adimpletione iuramenti. Ad hoc argumentum, in primis præteriri non debet, quod Sanctiones Conciliorum loquuntur non de primis exordijs veteris legis; ſed iam de alio temporum ſtatu, maximè in lege gratiæ, in quo non procedit noſtra concluſio. Sed deinde reſpondeo negando anteced. Ad cuius probationem reſpondeo, vt alias tetigi in quæſt. de voto Iephte, me luſtraviſſe Concilium, vbi ſolum invenitur definitum, iuramenta præſtita contra refugas, & perfidos non debere obligare, eò quòd fuerint nimis cruda, & acerba, neque cum deliberatione perfecta iudicij, vt conſtat ex verbis Concilij: *Exactum, vi potiùs neceſsitatis extortę, quàm deliberatione iudicij, vt contra eoſdem, eiſdemque ſimillimos cum omni ferè populo acerrima iuramenta daremus... huius ſanè promiſſionis incautę crudam, cruentamque ſententiam temperare illa quàm maximè compellimur cauſa, &c.* Quæ quidem iuramenta ibi habentur tanquàm comminatoria non ſecùs, ac ſe geſsit Deus cum Ninivitis, proindeque mitiganda, quorum nihil noſtræ concluſioni adverſatur; ſed potiùs cuncta complectimur. Ad hunc tamen canonem reſolvendum nonnulla, vt moris eſt, in concilijs adducuntur pronuntiata PP. vt Ambroſij, Auguſtini, & Iſidori: quæ tamen adducuntur quidem; ſed non definiuntur prout explicui in mea Palæſtra Scholaſtica, *lib.* 4. agendo de authoritate. Quo poſito accedo iam ad duos illos caſus, quos protulit Ambroſius de Veteri Teſtamento. Et quidem in primo de Herode, hic manifeſtè peccavit: tùm quia occidere innocentem, & ſanctum, intrinſecè malum fuit, neque pro eo poterat Dei fides ritè interponi: tùm quia ipſe nihil tale iuraverat; ſed in linea ſolùm donationum, & fortunarum quarum ipſe eſſet Dominus, non verò de vitis hominum maximè innocentum, ſuper quas poteſtate carebat: tùm ex illa celebri tropologia, quam non ſine littera vſurpavit Baſilius Seleucienſis, ſcilicèt, caput Ioannis valere longiſſimè ſupra medietatem Regni Herodis: vnde quamvis vſque ad medietatem ſui Regni iuraverat; iuramenti lege non tenebatur ad caput Baptiſtæ. Quoad votum Iephte eſt brevior reſpon-

ſio

ponſio, ſcilicèt, Ambroſium re vera ita ſenſiſſe, prout in eo Concilio allegatur; ſed nos cum Chryſoſtomo, Euſebio Emiſſeno, & bona DD. manu contrarium defendimus *tom. 2. Decad. 2. quæſt. 6.* Ad confirmationem reſpondeo, permiſſa maiori, & conceſſ. min. neg. conſeq. Quia in illo tempore in quo Machabæi pugnare in Sabbato decreverunt iam ipſis Deus inſpiraverat, quomodo cultus Sabbati exerceri deberet in circunſtantijs, in quibus hoſtium impietas eò creverat, vt quietos homines, & inermes interimeret: quare tunc res illa ſe habuit eò modò, quò nunc ſe habet iuramentum, quod tempore, & moribus poſtulante, aliàs debet impleri, aliàs ſecus, modo ſupra explicato. Atque ſi maior expenditur; fortius videtur iuramentum, quàm Sabbatum.

15 Obijcies 4. Iuramentum in veteri lege gravi de cauſa laudabiliter impletum non fuit: ergo noſtra concluſio non eſt vera. Probatur anteced. Primò quia 1. *Reg.* 14. Saul iuraverat, ne quis guſtaret aliquid vſque ad veſperam donec vlciſceretur de inimicis ſuis. Sed Ionathas fregit tale iuramentum, guſtando favum mellis, & quidem laudabiliter *ex verſ.* 45. ibi: *Ergo ne Ionathas morietur qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael?* ergo, &c. Probatur ſecundò ex eodem loco. Quia ipſe Saul videns deficere oraculum propter comeſtionem, iuravit ſic: *Vivit Dominus Salvator Iſrael; quia ſi per Ionatham filium meum factum eſt abſque retractatione morietur.* Atqui *ex verſ.* 25. conſtat non mortuum fuiſſe, ibi: *Liberavit ergo populus Ionatham, vt non moreretur*: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpond. neg. antec. ad cuius primam probationem reſpondetur multipliciter, vel quod Ionathas fecit ignorans iuramentum *ex verſ.* 27. vel quod iuramentum fuit comminatorium; prout explicat Concilium Toletanum 8. hæc mitigari oportere: vel quia Ionathas non fuit qui iuraverat; nos autem loquimur de iuramento, & adimpletione reſpectu eiuſdem perſonæ. Et hæc eſt ſolutio præcipua. Vel denique quòd Ionathas dum permiſit comedere populum, id fecit ex inſpiratione Dei eò quòd non benè iuratum fuerit à Saule: nam de Ionatha dixit Populus: *quia cum Deo operatus eſt hodie*, quia nimis erat defatigatus, & ſequutura mors innocentium, quæ eſt intrinſecè mala. Vel quod apparet probabile, quòd Ionathas id non fecit ſine tranſgreſsione, improbando quidem factum Patris ſui, ibi: *Dixitque Ionathas: turbavit Pater meus terram*: quod etiam conſtat ex negatione oraculi divini. Vnde, licèt bonus fuiſſet effectus prælij cum Philiſtæis, & manus Dei fuiſſet cum illo, in quo placuit populo; non tamen rectè ſe geſsit, ſi iuramentum omnes adſtringebat: vt videtur conſtare ex indignatione Dei ſubſequuta. Ad ſecundam probationem reſp. 1. Saul quantum in ſe fuit adimpleviſſe iuramentum ſine retractione: quia deprehenſo Ionatha, ſtatim prorupit: *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat: quia morte morieris, Ionatha.* Et eum interfeciſſet, niſi totus populus, cuius erat ſua poteſtas, & non alia, tunc dixiſſet: *Hoc nefas eſt. Vivit Dominus ſi ceciderit capillus de capite eius in terram.* R. 2. Iuramentum tale fuiſſe de qualitate comminatoria, quod in talibus circunſtantijs mitigari deberet: ſiquidem erat iuramentum generale, & ad terrorem. Nos autem potius de iuramento in ſpecie, & atteſtativo loquimur.

16 Obijcies 5. Noſtra ſententia videtur favere Manichæis, quia Legem veterem exinde cavillabantur: quia in ea probarentur iuramenta, & vota de illicitis: ergo, &c. Confirmatur. Communis Interpretum TT. ea via potius incedit, vt per iura præſentia, & ſanctiones de iureiurando loca veteris teſtamenti explicentur: ergo non aliter nos debemus incedere. Ad hoc arg. reſp. negand. anteced. quinimò claram

ope-

aperit viam, vt legem veterem admirentur, intelligant, & revereantur, si nimirum comprehendant, quo tenore, quo tractu, qua vi, & obligatione lex Domini per tempora homines direxit ad bonum, se eorum statui diuinissima prudentia accomodando: atque cùm per nos facta sancta non eludantur; sed iura, quorum vi facta fuerunt profundius exponantur, non potest non esse consultius id tàm illorum Manichæorum saluti, quàm legis veteris honori. Ad confirm. concedo anteced. neg. conseq. Nam propterea id facit communis: quia vel sunt AA. Morales, & hi iuribus novæ legis inhærent, nec ius vetus librant. Vel sunt Interpretes disputantes loca obiter in cursu Commentarij, & ad cohærentiam locorum: vnde non possint pervenire ad fundum illum, & anatomen rei, ad quam trahitur locus aliquis, si severa Schola disputetur, & per otium extra cursum Commentarij excutiatur. Vnde, & Abulensis, qui in hoc genere disputat, satis nobis prælucet. Quare non est cur procedi non possit per viam, quæ argumenta cuncta movet, & solvit.

17 Objicies 6. Probatio huius conclusionis inducit absurdum: ergo falsa est. Probo antecedens. Probatio inducit posse iurari, vel iuratum debere adimpleri aliquid, quod non solum fit contra aliquam legem, sed fit etiam intrinsecè malum, & contra ius naturæ. Sed hoc est absurdum: ergo, &c. Probatur mai. Ratio probativa in eo stat, quod fortius sit ius naturæ diuinæ, & increatæ, quam creatæ atque adeo cedere debet ius vitæ propriæ servandæ iuri, quod habet Deus ad sui cultum, & fidem servandam: Et prius ac potius debet esse, Deum interpositum esse veracem, quàm aliquid contra naturam quamvis creatam perpetrari. Sed id claudit, quod iuratum homicidium, aut mendacium præstari debet, ne Deus interpositus iureiurando non sit verax: ergo, &c. Ad hoc argum. respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo mai. Sed fit etiam intrinsecè malum tàm abstractè, & ex genere suo, quàm in circunstantijs, nego maiorem. Id quod alias esset intrinsecè malum, nisi adessent illæ circunstantiæ, conc. mai. & respectivè distincta minore, nego conseq. Itaque, licèt furtum, & homicidium per se loquendo sint quid intrinsecè malum tamen eadem ipsa quæ alioqui talia essent, tamen patrata in circunstantijs talem malitiam intrinsecam non claudunt, vt v. g. ablatio rei alienæ invito Domino ad ei vitam servandam: occisio innocentis ad servandam Rempublicam. Non alia de causa, nisi, quia totum corpus iuris naturæ claudit in se iura superiora, & inferiora: & inferiora ad conspectum iuris fortioris, & superioris non vigent: ex quo illa tunc desinunt esse de iure naturæ, quæ alioqui forent, nisi aliud ius fortius vrgeret. Consequenter ergo ad hæc nil prius ac fortius dictat ius naturæ quam Deo à quavis creatura servari subiectionem fidem, & cultum: necnon fidem attestativam Dei interpositam de re aliqua vllatenus frustrari non posse. At quando fas esset aliquid iuramento firmare, & quando ea fides Dei deberet credi interposita ad standum rei iuratæ? hoc opus hic labor est. Aio igitur nec in exordio legis veteris nec vnquam potuisse firmari iuramento facere aliquid, quod tàm per se loquendo, quàm in circunstantijs maneret intrinsecè malum, imò neque quidpiam quod esset malum morale cognitum vt tale, ne iuramentum vnquam fuisset vinculum iniquitatis. At quando res licèt cum ignorantia iurata (& quæ alioqui non iurata fuisset) talis est in circunstantijs executionis vt malitiam intrinsecam non claudat, adimpleri debuit in primis legis exordijs iuramentum, etiamsi vel dolus in substantia, vel aliqua lex positiva obstaret, vt in casu iuramenti Iosue. Et

hoc

hoc propter rationes ſuprà à nobis expenſas : quia, videlicèt, præſcius Dominus ſynceræ, & inviolabilis fidei, quam homines in eis exordijs eſſent ſuo Nomini interpoſito habituri ; revera, & ſuam quoque fidem de re promiſſa interponebat, & etiam ipſa iuramenta, & vota dictabat, prout revera poterat, quando res præſtanda in ſuis circunſtantijs non erat intrinſecè mala ; licèt præter illas alioqui futura eſſet intrinſecè mala. Et ſic ſe habuit impletio iuramenti in Ioſue vbi ſolus dolus, & quædam lex poſitiva obſtabat : & tamen ſolemniter per totum Iſraelem facta eſt, addendo, *iuravimus ei in nomine Domini, & non poterimus eos contingere.* Itemque ſic ſe habuit ſacrificium filiæ Iephtæ : quia nimirùm, licèt occiſio innocentis privata authoritate ſit intrinſecè mala ; attamen facta irruente Spiritu Domini ad vovendum, & in ſolemni liberatione totius Iſraelis, præſtari potuit ac debuit. Vnde dixit Iephte, *v.* 35. *Aperui enim os meum ad Dominum meum, & aliud facere non potero* : & filia Iephte dixit, *v.* 36. *Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum; fac mihi ſicut pollicitus es, conceſſa tibi vltione atque victoria de hoſtibus tuis.* De quo vide etiam quæſtionem mox ſequuturam. Quæ quidem ſimul cum exactiſsima religione, & impletione cuiuſcumque iuramenti, & voti in illis exordijs ; & cum exiſtimatione Iudæorum, quam ſuprà tradidit Abulenſis de eo quod iuramentum eſſet ſuprà legem ; fortiter, & clarè ſuadent veritatem noſtræ concluſionis pro illis exordijs præſertim. Et dico *præſertim* : quia etiam procedente lege, talis religio iuramenti, & voti ſatis cernitur in Sacra pagina. Poſtea verò Deus præſcius, tùm facilitatis humanæ adhibendi paſsim iuramenta ad res leviores ; tùm fragilitatis in non ſtando iuratis atque promiſſis ; decrevit, tùm non fieri ſuam interpoſitionem atteſtationis, quoties per homines fieret promiſſoria invocatio, niſi quando ritè, & legitimè id fieret : tùm quod accedente tempore adimpletionis multa eſſe poſſent capita excuſationis ab adimplendo, & proinde indicativa de eo quòd quando Deus invocatus fuit in teſtem promiſsionis factæ, talem atteſtationem verè ipſe in ſe non ſuſcepit. Cum quibus omnibus, ni fallor manet res tota ſufficienter expoſita, & argumentum dilutum, oſtenſuſque ſenſus, quo doctrina penitus inoffenſa procurrat.

18 Obijcies 7. Hæc concluſio nititur ſiniſtræ intelligentiæ textus, *Levitici* 5. *v.* 4. ergo falſa eſt. Probo antecedens. Exponitur talis textus, & adducitur in probationem, quaſi ſenſus ſit, vt anima, quæ iuraverit facere aliquod malum morale vel aliquod bonum, debuiſſet ſtare iuramento. Sed hoc eſt falſum : ergo, &c. Probo mai. Nam ibi adducitur, vt probetur, quòd ſaltem in exordio legis, & primæva religione iuramenti debebat ſtari rei iuratæ, licèt hæc inveniretur eſſe contra aliquam legem poſitivam, vel gravis, & ſubſtantialis dolus interveniſſet, aut inconveniens grave obſtaret. Sed præſtare rem iuratam, in qua hæc reperirentur, non poſſet non eſſe malum morale : ergo, &c. Confirmatur. Iuramentum nequit eſſe vinculum iniquitatis vllo iunquam tempore : atque Chriſtiana Catecheſis in primis elementis nos docet, quod qui male iuravit debet pœnitere iuramenti, & rem iuratam non præſtare : ergo, &c. Ad hoc argum. reſpondeo, negando antecedens, & maiorem probationis, ad cuius probationem diſtinguo min. Sed præſtare rem iuratam quando hæ conditiones concurrunt, nequit non eſſe malum morale *poſtquàm Deus oſtendit, ſe non interponi vt teſtem; ſi cum errore, & contra legem invocetur*, conc. min. *Quamdiu in caſu talis erroris, aut violationis legis non cognitæ, Deo volente, adhuc vigebat ius fortius à Deo necdum relaxatum de non frangenda ei fide per homines, nec temerando Sacroſanctum nomen eius,*

nego min. & conſequentiam. Nam ſupra in præcedenti argumento ſatis expoſuimus, quomodò ea omnia, quæ non remanerent intrinſecè mala, poſthaberi ſemper deberent teſtimonio Dei interpoſito in illis præſertim temporibus, in quibus id vinculum ſacratiſsimum, & non laxandum Deus haberi voluiſſet: quare ſicut etiam dicebamus, quòd ius inferius non prævalet in conſpectu forioris, ita tunc ſe haberent vel aliquis error etiam ſubſtantialis admixtus, vel grave inconveniens, vel etiam lex poſitiva de re non intrinſecè mala, hæc enim omnia cedere debuiſſent Sacratiſsimo Dei teſtimonio ſemel interpoſito, & nequamquam temerando. Poſtea vero quam, vti ſuprà dixi, & Deus ſuæ fidei interpoſitionem limitatam voluit; & vinculum de re præſtanda laxavit, quoties erroneè, vel irrite iuraretur; verum eſt, quòd præſtare aliquà, vel contra legem iurata, vel cum ſubſtãtiali dolo, vel cum graviſsimo inconvenienti foret malum morale: & hoc nos non dicimus præſtari debere. Hinc ad confirmationem patet reſponſio: quia ſolum id, quod eſt malum morale, eſt, & dicitur *iniquitas*; quare nunquam, iuxta nos iuramentum potuiſſet eſſe vinculum iniquitatis. Atque ea pœnitentia, quæ in Chriſtiana Catecheſi docetur de iuramento, obligatioque non adimplendi, ſolum eſt in hoc ſenſu nuper expoſito: poſtquam videlicet per Sacroſancta Concilia, & iura nobis nunc conſtat quomodo, quando, & in quibus vim habeat vinculum iuramenti.

19 Rogabis: quomodo in offensè, & clarè explicandus eſt ille textus *Leviticì 5. verſ. 4. Anima, quæ iuraverit, & protulerit labijs ſuis, vt vel male aliquid faceret, vel bene, & id ipſum iuramento, & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum; agat pœnitentiam de peccato ſuo.* Ad quod quæſitum (in quo laborant interpretes, quorum luſtravi primores, vt Toſtatum, Lorinum, Bonfrerium, Cornelium) vt reſpondeam noto primo. Deum in exordio ſuæ legis, tam exactè intendiſſe eius obſervantiam, vt etiam per errorem, oblivionem, & ignorantiam incurreretur pœna, & expiatio eſſet ſubſequutura: quo nimirum homo in ſervandis præceptis altiſsimì non obdormiſceret; ſed perfectiſsimè vigilaret. *Lev. 4. & 5.* Noto ſecundo. Hunc textũ Hæbraicè habere ſic: *Ad malefaciendum, aut benefaciendum*: quod propriè magis ſonat inferre malũ alicui, vel conferre bonum: malefacere verò dicitur, qui affectu vindictæ alium occidit, aut mutilat, &c. Noto tertio. Id, quod commune eſt interpretibus, ſcilicèt, Deum benigniſsimè conſulentem rudi, & duro populo ſuo, aliqua eis in veteri lege permiſiſſe non bona, & quæ, niſi indulta fuiſſent à Supremo Legislatore, & Domino, mala fuiſſent, vt libellus repudij, vſuræ alienorum, & vſus vindictæ. De quibus ſuprà diximus. His poſitis dico ſenſum fuiſſe: quòd, ſi quis iuraſſet inferre malum alicui, vt ſi fortè poterat occidendo, aut mutilando in vindictam, aut ignoranter facere aliquid contra legem; non tamen intrinſecè malum, vt ſuprà; vel conferre alicui aliquod donum; & oblitus non impleviſſet, pœnitentiam ageret de peccato. Hæc intelligentia videtur mihi germana ad litteram, & conformis ipſi veteri legi, vt patet. Quinimò in ea etiam apparet ratio, cur prius ponat textus *ad malefaciendum*; quàm *ad benefaciendum*. Ratio eſt: quia in Sacra pagina ſunt frequentiora iuramenta de re mala aut vindicativa, iam ſub formula *vivit Dominus*, iam ſub illa: *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, &c.* iam ſine illis; quàm iuramenta benefactiva: quare *malefacere* primam ſibi mentionem adrogavit. Qui attentè obſervet vſum vindictæ in Veteri Teſtamento: imò, & Davidem *lib. 3. Reg. cap. 2.* morientem, & commendantem Salomoni, ne canos Ioab de-

deducat pacificè ad inferos, & vt Semei olim ſibi maledicentem ad inferos deducat cum ſanguine; videbit, quàm germanitùs ſic fiat interpretatio; licet ad malum morale non extendatur. E contrà vero AA. non ignobiles, qui ly *vt male faceret* intelligunt, vel de iuramento ſemipleno, vel de aliqua ſui caſtigatione, vel de caſtigatione filij delinquentis ritè iurata, rem non benè componunt, ſed inſurgentes replicas irrequietas plurimum relinquunt. Sub hac tamen noſtra interpretatione genuina benè claudítur, vt quidquid alioqui foret malum, niſi prævaleret ius iuramenti, (necdum temerati, nec temerandi) dicatur *malefacere*, licèt nulla malitia moralis tunc interveniret. Hinc noſtra quæſtio de iuramento Ioſuæ tradita *tom. 2. Decad. 2. quæſt. 6.* multum fulcietur, & inclareſcet. Rogabis denique. An etiam in prædictis veteris legis exordijs licuiſſet iurare facere quid contra legem, vel cum inconvenienti gravi ſubſequuturo, vel cum dolo ſubſtantiali cognito vt tali? Reſpondeo negative: nam id foret iurare aliquod malum morale, & tale iuramentum foret iniquitatis opus: & ad malitiam perpetrandam adducere Deum in teſtem. Et hoc quidem licet res non eſſet intrinſecè mala. Poſtquam vero bona fide Sacroſanctum Dei nomen, & teſtimonium interpoſitum fuit cum errore, & ignorantia; tunc in prædictis exordijs, ne tantum nomen, adhuc intemeratum, temeraretur; res iurata præſtanda foret, ſi quoquo modo ſub Dei diſpenſationem cadere poſſet, eò quod tunc temporis rationabiliter crederetur, Deum potius velle quodvis ius creatum tranſiliri, & violari, quam eius Sacratiſsimum Nomen, & teſtimonium temerari, & contemni.

2o Quę quidem ſuperior noſtra interpretatio illius legis Levitici, quæ adhuc collato textu Hebræo, & Græco LXX. multum obſcura manet, teſte Auguſt. *quæſt. 7. in Leviticum*, à nobis coopta-ta, & adducta eſt in fulcrum noſtræ concluſionis ſub eo ſenſu, quo eam donant graviſsimi Interpretes, ſcilicèt, de eo, quod delictum ſtetiſſet in non adimpletione rei iuratæ. Sic Origenes *homil 3. in Levitic.* circa medium, ibi: *Quomodo autem, ſi iurem aut pronuntiem malefacere, & non fecero; peccaverim; verbo aſsignare difficile eſt. Abſurdum enim videtur (verbi gratia) vt ſi per iracundiam dixero me occiſurum hominem, & non fecero; ne periurare, aut fallere videar, cogar ad explendum opus, quod temerè, & illicitè promiſi. Quæramus ergo quæ ſit res, in qua, ſi promittimus nos male facere, & non fecerimus; peccamus; ſi vero fecerimus, excuſemur à peccato; vt rationabiliter præcepti ſtare veritas poſsit.* Teodoretus *quæſt. 1. in Levit. ad finem*, ibi: *Aut cum, iureiurando adhibito, ſe quidpiam facturum, aut oblaturum Deo promiſiſſet, re non præſtitiſſet, quod verbo pollicitus erat, illum, inquam, in primis peccatum redimere iubet.* Auguſt. ſuprà, poſtquam ait: *Totus ſenſus iſte obſcurus eſt*, ait, crimen eſſe *de iuratione falſa per ignorantiam.* Falſitas vero in re promiſſa, eſt non adimpletio. Cornelius *Levit. 5.* ibi: *Delictum ſuum id eſt iuramenti obliti, & neglecti.* Bonfrerius *Levit. 5.* ibi: *Poſtremus hic caſus eſt de votis, aut iuramentis, per quæ vovet, aut iurat quis, ſe aliquid benè, vel malè facturum; ſi poſtea per oblivionem fecerit contra votum ſuum; & poſtea id animadverterit, expiabit peccatum ſuum agna, vel capra.* De quo ſenſu tàm probabili, licet in loco tàm obſcuro alius ſubſit, noſtram tùm eiuſdem textus, tùm theſis noſtræ elucidationem apparavimus, doctioribus ſemper nos humiliter ſubmittentes.

)§(

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO TERTIA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ET OMNIS CONSECRATIO, QVE OFFERTVR AB homine non redimetur, sed morte morietur. *Levit.* 27. *vers.* 29.

## ARTICULUS.

### *VTRVM IN LEGE VETERI LICVERIT ALIQVANDO aliquid humanum sacrificari?*

1 SUppono 1. Ex his, quæ diximus agentes de lege veteri in communi, prædictam legem non solum habuisse plura, & positiva præcepta, quibus Dei populum informaret. Sed insuper, cùm advenisset, vt legem naturalem quæ in hominibus obscurata, ac deformata fuerat, rursus insculperet; idque non nisi præstandum foret ab infinita sapientia, & benignitate legislatoris; voluit hic in sua lege ferenda maximè attendere ad statum durum, & rudem illius populi, qui inter errores Gentilicos adoleverat; vnde in lege sua multa non tàm positivè, quàm concessivè, seu dispensativè disposuit, eò tenore, quo id propugnavimus, & explicuimus in speciali quæstione de dispensatione Dei, in lege naturæ. Vnde in hoc genere permissionis (quæ concessio est plusquam permissio, vt dixi, agens de libello repudij, & alias cum Suario *de Legib.*) plura sunt in lege veteri quæ prima fronte difficultatem ingerunt: quomodo Deo authore, & legislatore ea sustineri possent, vt ab eo profecta? v. g. libellus repudij, qui ab initio non fuit sic. Exactio vsurarum erga alienigenas. Concessio vindictæ. Pluralitas vxorum: in quibus planè videtur ius naturæ his contradicere. Ad quorum instar potest noster articulus „disputari, videlicèt: An supposito „quod iuri naturæ adversetur innocentem occidere, & etiam sub præ„textu cultus Dei, sacrificare; ta„men consequenter ad suppositionem „contigentem status populi Iudaici, „& potente Deo dispensare laxe, & „equivalenter in iure naturæ, dici „posit quod attenta lege veteri con„cessum fuit aliquando populo ita ru„di, vt aliquid humanum sacrificaret „præsertim in circunstantijs specialis„simis coram Deo, & spiritu eius „quodammodo aflante?

2 Suppono 2. Inter Gentiles diabolicum fuisse iuventum, & barbarum sacrificium fuisse, humanas victimas Dijs suis offerre, & sacrificare prout passim ipsi, non nisi instigante diabolo factitabant, filijs suis nequaquam

quam parcentes, prout vberrima ſua eruditione, & authorum cenſu exponit Serarius in Iudic. *cap.* 11. *quæſt.* 17. In quo quidem loco ea verba prætermitti non debent in quibus ait loquens de occiſione filiæ Iephte quòd licèt tale ſacrificium ex genere ſuo peccatum eſſet; extenuabatur primo: „ Quia cum Dei veri cultus tam ſæpè, „ & tandiu collapſus eſſet, ea iam „ apud Iſraelitas obtinuerat opinio è „ Gentilium erroribus petita, Deo „ iſtiuſmodi ſacrificium gratum eſſe, „ vt indicat Abulenſis *quæſt.* 48. Et 2. „ exemplum Abrahami aſpiciebat; ſic„ que illum rectè imitari putabat: & „ fortaſſe, vt indicat D. Auguſtinus „ ſperabat, ſi ſacrificium Deo gratum „ non eſſet, impeditum iri. Quibus verbis iungere etiam oportet ea non abſimilia quibus noſter Ribera *in cap.* 11. *ad Hebræos*, ait: *Iephte laboraſſe invincibili ignorantia: quia eo tempore non erant res adeo explicatæ; neque erat Propheta, quem conſuleret.* Imò Abulenſis *quæſt.* 47. & 48. credit: *Totum populum illa ignorantia laboraſſe, ita vt neque Summus Sacerdos ſciret quæſtionem illam diſſolvere: an votum illud obligaret.* Accinit his preterea P. Bonferius, *Levit.* 18. *verſ.* 21. vbi immania illa ſacrificia, quæ fieri ſolebant idolo Moloch, cui filij ſacrificabantur, perſe„ quens eruditè inquit: Prohibetur „ hic immanis, & barbara idolatria, „ quæ ab Ammonitis ad Cananæos „ propagata fuit, & ab his proclive „ erat etiam ad Iſraelitas manare; imò, „ & re ipſa non ſemel ab Iſraelitis eſt „ vſurpata. Præter quæ ipſa ratio dic„ tat, quòd cum Ammonitæ contra „ quos pugnabat Iephte eſſent ita pro„ pinqui; fortè mos ille vovendi, & „ ſacrificandi interdum aliquid huma„ num illo rudi populo prævaluiſſet. Ex quibus omnibus non ſolum notatu res digna eſt, ſed magni etiam momenti, quòd AA. ita prænobiles in expoſitione Sanctarum Scripturarum, cuiuſmodi ſunt Abulenſis, Serarius, Bonferius, atque Ribera populum Hebræum tùnc meditantur, tùm de errore Gentilico aliquid huiuſcemodi hauſiſſe; tùm exemplo Abraham, qui iuſſus fuit ſacrificare filium Iſaac, invincibiliter exiſtimaſſe id licere. Qua re poſita, eò quòd, vt ait Suarius *de Legibus*, & nos tetigimus, poſſunt ignorari invincibiliter ea, quæ non ſunt primitus de iure naturæ; ſed quæ per diſcurſum ita eſſe probantur, vt ſacrificium hominis in cultum Dei, qui id petijt ab Abraham; locus relinquitur, vt res huiuſmodi in legiſlatione conceſsiva, tametſi rarò, populo indulgeretur.

3 Suppono 3. Circa vota Deo facta plures eſſe leges particulares, quæ in lege veteri diſponebant, quid in hac re foret præſtandum, iam circa valorem voti, & irritationem ipſius prout expenditur *in lib. Numeror. cap.* 6. *verſ.* 4. & *cap.* 30. Iam circa redemptionem voti, & eius taxationem, prout conſtat *ex Levit.* 27. ſive circa materiam ipſius voti vt conſtat tùm *Levit.* 27. *v.* 24. tùm *Numer.* 18. *v.* 17. Inter quos textus duo *ex Levit.* 27. ſunt magis ad rem de qua agimus, ſcilicèt 1. *v.* 2. ibi: *Homo qui votum fecerit, & ſponderit Deo animam ſuam; ſub æſtimatione dabit pretium.* Et ſecundo: *Omne quod Domino conſecratur, ſivè homo fuerit, ſivè animal, ſivè ager, non vendentur, neque redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum ſanctum ſanctorum erit Domino; & omnis conſecratio quæ offertur ab homine non redimetur ſed morte morietur.*

4 Suppono 4. Quod Sacra pagina *Levit.* 27. duplicem modum nobis offert, quo aliquid poſsit Deo offerri, quod pro caſu noſtro contractim de homine nunc explicamus, & intelligimus. Nam 1. in ipſo initio capitis ſermo eſt de voto præcisè, quo quis voveret Deo ſuo animam ſuam: in quo genere voti, ait Dominus, vt redemprio fieri poſsit: *Ex indulgentia quidem, & permiſsione*, prout notavit Bonfe-

rius. Deinde verò in fine capitis vel circa finem alius modus offerendi Deo aliquid etiam humanum deſcribitur; quia tùm Latinè, tùm Hebraicè diſtinctè ſignificatur à voto ſuprà memorato: nam Latinè dicitur *conſecratio*; Hebraicè vero *Cherem*. Quæ radix ſignificat *immolare, occidere, offerre in anathema*. Et ideo apparet hæc ſecunda ita eſſe fortior oblationis ſpecies, vt redimi non permittatur; ſicuti permittitur in ea, quæ mero voto intelligitur atque peragitur. Hæc ergo, quæ ego ipſe caput Levitici colluſtrans, ſatis obſervavi, vidi poſtea itidem obſervata apud Cornelium, atque Bonfrerium in eum locum. Qui poſtremus, ſic ait: *Nomine ergo conſecrationis in naſtro textu non intelligitur id, quod nudè per votum Deo conſecratur (nam multa Deo per votum conſecrabantur quæ non erant Cherem, & anathemata) ſed quæ ita conſecrabantur vt ipſa in ſpecie in perpetuum manerent Deo conſecrata, nulla ſpe aut poteſtate facta ea redimendi.* Et Cornelius ait: *Item votum Cherem dicebatur votum maximum, quo res vota ita Deo conſecrabatur, vt deſtrui vel occidi deberet, morique aut naturaliter, aut civiliter.* Quod quidem genus mortis civilis huc invectum facteor, ſanè non placet, nuſpiam enim lego in Scripturis quod *mori* præſertim ſub illo idiotiſmo hebraico *morte morietur* ſumatur pro morte civili.

5 His poſitis prima, & communis Doctorum ſententia aſſerit in lege veteri nunquam licuiſſe per ſe loquendo, & attenta lege aliquid humanum ſacrificare per modum ſacrificij verè talis. Ita Abulenſis, Bonfrerius in hunc locum cum communi Expoſitorum, & Scholaſticorū. Secunda ſententia aſſerit, quòd benè poterat aliquid humanum Deo offerri per conſecrationem, & votum maximum Cherem cum interneƈtione rei oblatæ, ſi nimirum hæc foret de inimicis Hebræorum, & tale votum emitteretur à toto Iſraele; ſecùs ſi à privata perſona. Ita Lorinus *in Commentarijs in Levit. cap.* 27. & Caietanus apud eundem. Tertia ſententia aſſerit licuiſſe etiam aliquando Deo offerre in ſacrificium etiam aliquem fidelem de populo ſuo. Hanc tenent varij Rabbinorum quos citat ſupreſſo nomine Lorinus. Quarta ſententia aſſerit id in caſu rariſſimo, & ſpeciali Dei inſpiratione licuiſſe. Ita Serarius *in Iudices, cap.* 11. *quæſt.* 17. Pro quibus ſententijs melius obſervandis debet animadverti, quod ij AA. non videntur punctum attingere ſub ea conſideratione, ſub qua multum res ipſa molleſceret, & veritati non contrairet, ſcilicèt, conſiderando legem eiuſmodi, non tam vt præceptivam, quàm vt permiſſivè conceſſivam pro caſu raro, & conſequenter ad ſuppoſitiones contingentes erroris, & ignorantiæ, ac populi duritiei in moribus præhabitis. Sub quorum complexo videtur poſſe componi, tùm quòd in lege, & Hiſtoria Sacra aliquando quidpiam humanum licitè ſacrificandum appareret: tùm quòd nullus inde horror, vel humanitas conſequeretur.

6 Dico igitur: *Non improbabiliter poteſt ſuſtineri, quod in lege veteri licuit licentia permiſſiva, & conſequenter ad ſupoſitionem contingentem ſtatus populi Iudaici, aliquando in caſu rarò quidpiam humanum etiam de ipſo populo ſacrificare.* Probatur primo concluſio, ex authoritate Sacræ Scripturæ, tùm in ſpecie, tùm in genere; & quidem primò in ſpecie ex textu *Levit.* 27. ſupra dato vbi expreſsè dicitur, quod *quidquid fuerit Domino conſecratum, ſivè homo fuerit, ſivè animal redimi non poſsit, ſed morte moriatur.* Ex quo textu argumentor ſic. Ipſe textus dicit expreſsè, quòd etiam homo poteſt Deo conſecrari, & quod omne ſic conſecratum morte moriatur. Sed hoc poſito licitè poteſt ex lege aliquid humanum ſacrificari, ſaltèm permiſsivè, & in caſu rariſſimo: ergo, &c. Probo minorem primo. Quia quando textus eſt clarus, & expreſſus in ſuo proprio ſenſu retinen-

nendus eſt, niſi obſit graviſsimum inconveniens. Sed ſi talis conſecratio intelligatur rariſsimè, & purè permiſſivè, ſeu conceſsivè, tale inconveniens non datur: ergo, &c. Probatur min. Quia difficilius apparet ex natura ipſa, & ex textu Sacro, quod vnus homo habeat plures vxores, vel ſemel acceptam repudiet, odioque habeat inimicum ſuum, & iniquas ferat vſuras, quàm quod in eo tempore quis ex divina diſpenſatione in caſu rariſsimo vitam filij à Domino acceptam Domino reſtitueret, & immolaret. Sed illa iuxta Expoſitores, & iuxta nos etiam in lege veteri fuerunt permiſsivè conceſſa: ergo, &c. Maior patet: quia illa omnia nedum ſunt contra ius naturæ, & intrinſecè mala, ac lege prohibita: ſed neque ſpeciem cultus divini habent, & aliunde non ſolum rarò, ſed frequentius, licentiuſque exercenda eſſent. At oblatio filij, quæ tunc potuit eſſe permiſſa; & debebat eſſe in caſu raro, in quo maius bonum tali vitæ privatæ præponderaret; & ſubinde habebat ſpeciem cultus divini; & quod non eſſet contra ius naturæ, vel non tam ex terminis, apparebat ex eo quòd Deus id inſſerit Abrahamo: ergo, &c. Probo min. primam ſecundò. Eatenus id non poſſet intelligi quatenus debebat intelligi de morte civili reſpectu hominis. Sed hoc eſt falſum: ergo. &c. Maior conſtat, tùm ex AA. ſic illa verba exponentibus, tùm quia ibi ſermo eſt de agro, vel domo, qui propriè mori non poſſunt: vnde ibi non erat ſermo de morte ſtricta. Probatur minor. Tùm quia illa phraſis aliàs in Scriptura pro morte impropria non invenitur: tùm quia alias alibi ſolet deſcribi hæc mors civilis, prout eam explicant Authores de perpetua deſtinatione ad templum exemplo religioſorum; & ibi nulla fit mentio mortis, neque voti *Cherem*, aut Anathematis: tùm quia ly *morte moriatur* videtur vnicè poſitum pro homine, ſiquidem domus, & ager mori non poterant; animalia immunda non poterant offerri; & munda ſemel oblata non tanto voto indigebant, vt iugularentur. Ergo quia in tali lege volebat Deus oſtendere tale *Cherem* debere eſſe ita ſacratiſsimum, vt etiam homo ſic oblatus redimi non poſſet; ſed moreretur.

7 Probatur 2. ex Scriptura in ſpecie. Semel, & iterum conſtat in Sacra pagina votum *Cherem*, & *Anathema* factum fuiſſe Deo approbante de delendo vitam humanam in multis hominibus per modum obſequij Deo præſtiti. Sed ſemel, ac vnus homo poſsit conſecrare Deo internectionem alterius, cuius vitæ non eſt Dominus, ceſſat difficultas: ergo, &c. Min. patet: quia tota difficultas non ſtat niſi in eo, quòd homo non ſit Dominus vitæ alterius; & Deus effuſione humanæ ſanguinis videatur delectari non poſſe. Probo maiorem primo. Ex *Numer.* 21. ibi: *At Iſrael voto ſe Domino obligans ait. Si tradideris populum iſtum in manu mea; delebo vrbes eius exaudivitque Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubverſis vrbibus eius, & vocavit nomen illius Horma id eſt Anathema.*. Secundo. Ex textu *Iudicum* 11. Propter votum Iephte, quod in quæſtione ſeparata in noſtro *tom.* 2. probamus licitum fuiſſe etiam, quoad impletionem, non niſi ſpiritu Dei peractam, vt ibi latius: quia licèt indefinite; tamen ibi aliquid humanum Deo per votum conſecratum eſt; ergo, &c.

8 Probatur iam ex Scriptura magis in genere, ſed multiplici argumentatione conglobata, ſcilicèt primo. Quia quando aliquid conſecrabatur tali voto *Cherem*, ita debebat perire vt ſi alias ſervaretur, crimen fieret coram Deo, vt patet 1. *Reg.* 15. in Saule reſervante Regem Agag, quem poſteà trucidavit Samuel; & in Acham ſuffurante de rebus Iericho, de quo dixit Dominus Ioſue: *Non ero vltra vobiſcum donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus*

*reus est.* Secundo. Quia quodammodo horribilius apparet in Dei obsequium se ipsum occidere vti fecerunt Samson, & Razias Deo inspirante. Tertio. Quia in Abraham Deus dederat specimen de eo quod voluntas Patris sacrificandi Deo filium suum ipsi non displiceret; siquidem Deus iusserat. Quarto. Quia Deus ipse, tùm occidendo omnia primogenita Ægyptiorum, tùm poscendo posteà sibi offerri omne primogenitum hominum, & iumentorum, reddendo hanc rationem *mea enim sunt omnia* satis indicat, quod oblatio humana etiam potuit fieri saltèm rarò, Deo placente, vel ad minus non displicente.

9 Probatur à ratione primo. Eatenus non posset offerri Deo in veteri lege aliquid humanum ad internectionem, quatenus homo non esset Dominus vitæ, vt eam sic posset consecrare; vel quatenus impium esset credere Deum humano sacrificio delectari. Sed neutrum obest quominus in raro casu, quo bonum maius prævaleat, & permissivè loquendo, id fieri potuisset: ergo, &c. Probatur min. quoad dominium vitæ. Quia si casus esset ille rarissimus, quem ponimus in quo vel totus populus, vt *Numer.* 21. vel qui populum regebat, vt Iephte offerebat vitam alienam, quasi in sacrificium; esset profecto ille casus, in quo prævaleret bonum commune, quod sperabatur, vitæ illi, quæ offerebatur, quasi in sacrificium. Sed in hoc casu iam vita non auferebatur authoritate privata, sed authoritate publica, & ex dominio Dei: ergo, &c. Probatur min. Etiam nunc temporis periclitante tota Civitate licitum est tradere innocentem, vt tenet Moralis Theologia satis communis; quia nimirum directè non occidit. Sed similiter foret in casu veteris legis: ergo, &c. Probo min. In casu, quem dicimus, populus vel persona offerens ex se, & ex potestate sua non occideret, sed voveret, & traderet Deo per votum, & anathema vitam, alioqui tollendam ex ipsa lege: ergo præcisè foret tradere innocentem alias ex lege Dei occidendum, quod licere potuisset. Probo secundam partem, de eo quod non crederetur Deum sacrificio humano delectari, tùm ex ijs quæ diximus agentes de voto Iephte: tùm quia si lex esset solum permissivè concessiva, non probat complacentiam, sed tolerantiam, vti dixit Augustinus *de Sacrificijs veteris Legis, lib.* 18. *contra Faustum, cap.* 6. ibi: *De sacrificijs animalium quis nostrum nesciat magis ea perverso populo congruenter impósita quam Deo desideranti oblata?* Confirmatur ex Bonfrerio alias hic non omninò nobiscum eunte. Ait ergo *Levit.* 27. non esse nisi permissionem, quòd homo ille qui Deo vovisset animam suam posset tale votum redimere. Ex quo arguo sic. In primis voveri Deo vita propria poterat: deinde, quod redimi pretio posset permissio erat: ergo quia per se loquendo in aliquo casu displicere Deo non poterat, quod in re sacrificaretur.

10 Probatur secundo conclusio quasi reflexè. Id nequit non esse aliquo verò modo probabile, quod pluribus locis Scripturæ, tàm in specie, quàm in genere comprobatur, dum pauci sunt, & facilis interpretationis textus contrarij: quod præterea varia argumentatione nihil sophistica roboratur; & cuius argumenta contraria clara doctrina solvuntur. Sed ita se habet nostra conclusio: ergo, &c. Minor quoad primam, & tertiam partem constabit ex solutione argumentorum; quoad secundam constat, tùm ex superiori ratione: tùm ex ea quæ in hunc modum formatur. Valdè fundatum est ex notabilibus supra iactis, quòd ex Gentilismo adhæserit Hebræis cum sufficienti ignorantia invincibili mos interdum sacrificandi aliquid humanum. Sed hoc posito etiam fundatum est, quod in lege veteri pro casu raro eis fuerit concessivè permissum: ergo, &c. Mai. constat, tùm ex notabilibus, tùm

quia

quia iuxta principia de legibus poterat dari invincibilis ignorantia de illicitudine talis ſacrificij ſemel, ac offerretur in cultum Dei, qui interdum iuſſerat tale fieri; & qui *omnia eſſe ſua etiam vitas hominum* ſæpè intimabat. Min. etiam conſtat, quia *Levit.* 27. ex vna parte videmus legem clarè pronuntiantem, quod *etiam ſi conſecratus fuerit homo; morte moriatur*; ex alia vero parte videmus de rebus ſimiliter diſſonis naturæ, vt Polygamia, vſura, &c. leges permiſsivè conceſsivas à Deo latas: ergo valdè fundatum eſt, &c. *Confirmatur* 1. Congruentiſsimum eſt credere, Deum in exordio veteris legis voluiſſe interdum quid humanum ſibi ſacrificari, videlicèt, in caſu raro, & maximi momenti: ergo, &c. Probatur anteced. Deus in tali exordio volebat, & crebrò inculcabat in lege populo illi rudiſsimo, quem formandum ſuſceperat, omnia eſſe ſua etiam vitas hominum, ſed hoc in tam rudi populo, vt alte imprimeretur, non ſatis erant verba, ſed planè requirebatur, vt ad oculum cernerent etiam vitam hominis, quandoque in Dei obſequium auferri, & offerri: veluti in Abrahaam, & filia Iephte, veluti in Samſon, & Razia, & veluti in Ægyptijs, & Cananæis: ergo, &c. Min. conſtat, quia etiam nunc temporis ita homines ſumus rudes ad intelligendam ſapientiam, & potentiam Dei, vt niſi ad oculum ſtrages, aut portenta fiant, vix velimus de ea eſſe perſuaſi.

11 Obijcies 1. Deus ipſe in ſua lege taxavit, quid fieri deberet, cum homo voveret vitam ſuam, decernendo, vt pretio redimeretur, nulla ibi facta exceptione. Sed hoc clarè indicat, vitam humanam ſub ſpecie ſacrificij tolli tunc non debere, etiam ſi voveatur: ergo nunquam licuit in veteri lege quidpiam humanum ſacrificare. Mai. conſtat, ex *cap.* 27. *Levit. verſ.* 2. ibi: *Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium.* Min. videtur clara: quia ſi aliquando poſſet offerri, & ſacrificari vita humana; ibi excipi deberet. Confirmatur. *Exod.* 20. extat præceptum Decalogi quintum prohibens occidere alium. Sed nunquam poteſt Deo offerri quaſi gratum ſacrificium id, quod eſt violativum præcepti naturalis, & poſitivi divini: ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpond. diſtinguendo mai. loquendo de vita oblata Deo per votum ſpeciale, neg. mai. per votum commune ſubdiſtinguo nulla facta exceptione, ibi iuxta talia verba, conced. mai. nulla facta exceptione intra idem caput Levit. neg. mai. & reſpectivè diſtincta, min. neg. conſeq. Itaque huc venit illa diſtinctio voti veteris legis, quam cum Bonfrerio, & Cornelio notabili 4. præſtruximus circa votum in veteri lege: erat enim aliud quaſi commune, & in quo res oblata has, vel illas æquivalentias ex lege ipſa patiebatur, vt inibi cerni poteſt in eodem capite, vbi taxationi Sacerdotum multa relinquebantur. Erat verò aliud votum ſpecialius, quod Hebraicè dicitur *Cherem*, & Græcè *Anathema*, ita ſtrictum, vt res per ipſum oblata redimi non poſſet, veluti ea, quæ offerebatur per votum commune; ſed mori debebat, modo ſibi proportionato. Et in conſtituenda hac ſpecialitate voti ſtat formaliter exceptio illius voti communis, quam argumentum deſiderabat: vnde fit ſatis clara reſponſio notabilibus ſupra iactis admodùm fulta. Ad confirmationem, reſpondeo conceſſa mai. & min. neg. conſeq. vel claritatis gratia, diſting. mai. non occidere alium *privata authoritate*, conc. mai. *publica*, & *divina*, neg. mai. & ſuppoſitum min. Nam illud ſacrificium, quod rariſsimè à perſona publica in re ſummi momenti Deo per *Cherem*, ſivè anathema offerretur, nullatenus eſſet violativum quinti præcepti. Nam, vt ſupra monuimus in probatione prima, & eſt ratio multum obſervanda, licet votum Cherem, & quaſi oblatio, & traditio rei fiat à

perſona humana ; tamen eius internectio non oritur ex voluntate ipſa humana ; ſed ex voluntate divina, & eius lege poſitivè, aut permiſsivè diſponente rem ſic oblatam mori debere: poſſet enim, vt ſupremus Dominus, & legislator aliter diſpoſuiſſe, nimirum, vt rem etiam ſic oblatam commutare liceret : in quo caſu daretur ex parte hominis *Cherem, anathema, & conſecratio*, & nihilominus mors illa indicta non interveniret: quare conſtat, hanc, potius Dei iuſſu, quàm voluntate hominis voventis peragendam eſſe.

12 Obijcies 2. Deus in ipſa lege Deuteronomij expreſsè appellat abominationem *ſacrificium filij, aut filiorum*, ſed quod per legem expreſſa abominatio eſt coram Deo, in nullo caſu etiam permiſsivè licere poteſt: ergo in veteri lege nunquam, & nequaquam licere potuit aliquid humanum ſacrificare. Mai. conſtat *Deuteronomij* 12. *verſ* 29. ibi : Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris poſsidendas, & poſſederis eas, atque habitaveris in terra earum; cave ne imitteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubverſæ, & requiras cœremonias earum, dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas averſatur Dominus, fecerunt Dijs ſuis offerentes filios, & filias, & comburentes igne. Ergo abominatio erat Deo valde prohibita, quod aliquis filius ſibi ad inſtar Gentilium ſacrificaretur. Confirmatur. In toto Veteri Teſtamento deſcribuntur odibiles Deo viri ſanguinum. Sed longe peior eſt effuſio ſanguinis innocentis, & proprij : ergo, &c. Ad hoc argumentum, reſpondeo diſtinguendo mai. ſacrificium filij, aut filiorum factum *idolo, & ritu gentilico*, conc. mai. factum *vero Deo rariſsimè, & iuxta ipſius beneplacitum*, neg. mai. & conceſſa mai. neg. conſeq. Itaque debet præſuponi barbarus mos Gentilium, qui Saturno ſuos filios, & filias ignis miniſterio paſsim, & ſine vrgentia pluſquam obſequij, quod fieri Deo ſuo meditabantur, maxima crudelitate mactabant. Ex quo ritu, ait Bonfrerius *Levit.* 18. manaſſe ad Hebræos per hæc verba. Quam tamen barbaram, & impiam carnificinam non ſemel Iſraelitæ poſtmodum vſurparunt *Pſalm.* 105. *verſ.* 37. Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas demonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem : ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Canaam. 4. *Reg.* 16. *v.* 3. Loquendo de Achaz dicitur: inſuper, & filium ſuum conſecravit, transferens per ignem ſecundum idola gentium, *Ierem.* 32. *verſ.* 35. Et ædificaverunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filij Ennon, vt initiarent filios ſuos, & filias ſuas Moloc. Quod quidem idolum Moloc vbertim probat ibidem ipſe Bonfrerius fuiſſe Saturnum. Vnde quando *verſ.* 21. dicitur : *De ſemine tuo non dabis, vt conſecretur idolo Moloc*, fit eadem prohibitio, ac in Deuteronomij loco nobis obiecto. Quare prohibitio vtrobique facta huius tenoris eſt nempè : ne filij Iſrael more Gentium ſacrificarent filios ſuos dœmonijs per oblationem idolis factam ; & ne facerent ſimiliter Deo ſuo: quandoquidem Gentiles nedum litabant filios ſuos idolis; ſed paſsim id faciebant, & quidem nulla vrgente graviſsima cauſa, itemque fiebat à perſonis privatis ; necnon cum evidenti crudelitate, & immani aduſtione parvulorum, ita vt potius quam ſacrificium non foret niſi tortura, & cruciatus, adhibitis multifariam ſuperſtitionibus ſuis. Hoc ergo eſt quod Deus, tàm ibi, quàm alibi interdicit populo ſuo ; non verò rem omninò contrariam cuiuſmodi eſt : *Interdum in caſu rariſsimo, vbi bonum maius præponderet, & non à perſona privata, ſed à publica, vel à cuncto populo, nulla ſu-*

*ſuperſtitione admixta, nec barbaro holocauſto, & tortura, ſed ſincero ritu ſimplicis ſacrificij quidpiam humanum offerre Deo vero, & reali veluti Domino vniverſorum, qui tùm lege ſua, tùm factis ſingularibus Hiſtoriæ Sanctæ victimam aliquando etiam humanum ſibi, & voveri, & conſecrari non dedignabatur.* In quorum terminorum tenore procedit noſtra concluſio. Et multo ſuavius ſi de lege tantum permiſsiva, vt monuimus, res ſuſtinetur.

13 *Replicabis.* Nequit intelligi permiſsio reſpectu illius, quod prohibetur expreſsè. Atqui in datis textibus expreſsè prohibetur immolatio Gentilica filiorum: ergo hæc nunquam & nullo modo, ac nullo caſu poteſt permitti in Iudæis tunc ex eo quod illis ignoranter ex Gentibus hic ritus adhæſerit. Reſpondeo diſting. maior. *prout re ipſa prohibetur*, conc. maior. *ſub immutatione rei admodum ſubſtantiali*, neg. mai. & diſting. min. *reſpectu idolorum, & cum ſuperſtitione, & crudelitate notoria*, conc. min. *aliter*, neg. min. & neg. conſeq. Vtrumque enim benè componitur, nimirum, & quod Iudæi de Gentilibus per errorem, & ignorantiam humani ſacrificij aliquid accepiſſent; & quod Deus ſervata eadem materia ſacrificij humani vel potius voti, & conſecrationis rei humanæ ad nutum Dei ſacrificandæ immutaverit in ſua permiſsione, & licentia obiectum ritus, & circunſtantias, non ſecus ac ſi diceret: *Permitto vobis propter ruditatem, & morem veſtrum tam inolitum, quòd mihi ſimplici adoratione, & ritu vrgente maximo bono, & publico conſecrare mihi rarò aliquando publica authoritate poſitis, & tradere ad necem quidpiam humanum.* Sic non niſi ex ritu Gentilico antea cũ Diana vſurpato ſacratiùs inductæ fuerunt, & oblatæ B. V. Mariæ Candelæ, de quibus eius Sacra Purificatio dicitur *Candelaria.* Atque in ſententia de illicito eſu carnium ante diluvium ſic poteſt credi, propter morem iam inolitum fuiſſe poſtea permiſſus. Conformiter ad quæ dixit Bon-
„ frerius in textu, *Deuteron.* 12. Ali-
„ qui enim ad cultus ſubſtantiam, &
„ & eius obiectum referunt, vt ſcili-
„ cèt Deorum Gentilium cultus prohi-
„ beatur. Alij ad modum colendi, &
„ cærimonias vt prohibeatur, ne Deus
„ verus colatur ſimilibus cœrimonijs
„ cuiuſmodi Cananæi illi ſuos Deos
„ coluerunt: quod ex eo probari po-
„ teſt quod dicatur hic. *Et requiras*
„ *cærimonias eorum.* Et paulò poſt. *Non*
„ *facies ſimiliter Domino Deo tuo.* Alij
„ ad vtrumque referunt quod videtur
„ probabilius. Ad confirmat. iam reſpondeo. Quod concluſio noſtra nihil obeſt quominùs ſemper eſſent odibiles Deo viri ſanguinum, ideſt, effuſores ſanguinis ſine cauſa ex levitate, ex ira vitioſa, &c. Quorum in concluſione noſtra nihil includitur ſed taxis iuſtiſsimis circumſcribitur. Vbi admonendum è re præſenti notabis, quod licèt interdum dicatur *ſacrificium humanum*, &c. potius intelligere debes *conſecrationem, vel traditionem* ipſi Deo factam de re aliqua ad deſtructionem non tam per modum hoſtiæ, & victimæ offerendæ ipſi Deo in ſignum cultus exhibitæ; quàm per modum exappropriationis perpetuæ, & rei ſuo ſupremo Domino proprietatis redditæ & ideo tunc Dominus eam in gratiam ſic conſecrantis omnino vult eſſe reipſa deſtruendam, & nulli iam vſui cuiuslibet permanſuram. Quod in ſequentibus plus declarabitur.

14 Obijcies 3. Eatenus noſtra concluſio teneret, quatenus textus ille Levitici clarè ait, quod quidquid conſecratum fuerit *morte moriatur*, & id debet intelligi de morte propriè tali. Sed hoc eſt falſum: ergo, &c. Probatur min. Ibi fit ſimilis ſermo, & ſimilis clauſula de agro. Sed ager proprie *mori* non poteſt: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſp. neg. min. & min. probationis: omne enim quod verè habet vitam, verè mori poteſt: & quidem ager, quandiu frugifer eſt vi-

vit in ſeminibus, & frugibus ſuis: vnde ille qui conſecraretur Deo per *Cherem*, & *anathema* ſive in exciſionem deberet ſic morti tradi, vt neque vlterius coli, ſeri, aut ſervire poſſet, ad modum, quo ea quæ ſale ſeminantur, infrugifera redduntur non ſine magna ſignificatione. Itaque ex vi talis conſecrationis ad rei deſtructionem, ſivè domus euerti, ſivè ager non ſeri, ſed deſeri; ſivè animalia etiam immunda aut homo, ſic debitè conſecratus, ex Dei lege deberet interfici. Vbi vide, immunda animalia hic à me computari; quia, vt ſuprà tetigi hoc non erat genus hoſtiæ, victimæ, aut ſacrificij in ſignum cultus Dei, vbi de immundis, & mundis deberet fieri diſtinctio. Et eſt clarum: quia votum *Cherem* elicitum de Chananæis delendis etiam claudebat equos, aſinos, &c. vt dubitari non poteſt. Finis autem, propter quem hoc genus conſecrationis inductum erat in lege, tam procul eſt à ſimilitudine cum idolatrico ſacrificio; quin potius voluerit ipſe Deus, quod ſi de quapiam creatura ſua alicui fiebat idolum, ſcilicèt in quantum nimius amor erga ipſam eſſet; poſſet quis quaſi per exappropriationem, & reſtitutionem plenæ voluntatis ſuæ erga Deum ſuum, rem illam, ſivè agrum, ſivè animal, ſivè filium ſummè dilectum Deo tradere in anathema vel exciſionem, ita heroicè, vt nunquam ſpes remaneret iterum re tali fruendi: ideoque dictum fuit Abrahæ *tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, &c.* Et hoc quidem quando tale votum *Cherem* fiebat de re dilecta; quando enim fiebat de deſtruenda re hoſtili, etiam erat in ſignum puri amoris Dei: quaſi exinde zelus pati non poſſet, quòd quidquam Deo odibile in mundo ſupereſſet. Propter quæ Vulgatus interpres hoc genus appellavit *conſecrationem*: ſi quidem res, quæ anteà poſsidebatur humanitus, eo voto interpoſito, iam ſolum reſtaret ita ſervitura divinitus in manifeſtatione ſupremi dominij, vt nulli vnquam humano vſui iam cederet. Neque inſolitum ſolet eſſe etiam in civilibus, quòd *puriſsimum perire* alicuius rei, ſit alicui perſonæ obſequioſum, & multi amoris teſtificativum: veluti in convivio, huius amoris, & lætitiæ cauſa, paſsim vas pretioſum proijcitur, vt frangatur, & pereat. *Replicabis* id ſolum poſſe ſuſtineri, ſi homo eſſet Dominus vitæ, vel filij, vel ſervi ſui. Reſpondeo tamen neque eſſe Dominum vitæ inimicorum, circa quos tale votum, & anathema non diſſonat. Vnde ſemper dicimus, terminos noſtræ concluſionis non deſerentes, tùm, quòd ſolùm in caſu publico, & graviſsimo tali vitæ preponderanti id liceret, in quo caſu iam non fieret authoritate privata: tum quòd deſtructio vel mors rei ſic oblatæ potius fiebat, authore Deo, quàm homine: huius enim ſolum erat rem Deo ſuo vovere ita exappropriatam, & tam ſine ſpe vlterius ea fruendi, vt quantùm ex ſe eſſet, totali eius ruinæ eſſet promptus; poſtea verò ex Dei acceptatione in lege inſinuata debebat fieri exciſio aut occiſio.

15 Obijcies 4. Si per modum legis etiam permiſsivæ licuiſſet in lege antiqua vitam hominis Deo conſecrare; id eſſet commune omni Iudæo, & in omni tempore. Sed hoc eſſe non poſſet ſine excidio populi, & turpitudine legis cohærentis cum Gentiliſmo: ergo, &c. Mai. conſtat: quia ex textu, *Levit.* 27. Nulla ſit limitatio, neque quoad tempus, neque quoad perſonas. Min; etiam patet: quia tunc multi, & frequenter, vel propter impetrationem rerum aliquarum, vel propter æmulationem devotionis, quoslibet filios aut ſervos ſacrificarent, & fieret monſtroſa deſtructio Gentilicaque crudelitas, etiam hominibus ſine fide ſemper exoſa. Ad hoc argument. reſpondeo negando mai. ad cuius probationem dico, quòd, quamvis non detur in tali lege exceptio ſignata; attamen tàm libri legales, quàm hiſtoriales no-

nobis oſtendunt, quomodo debeat intelligi: ſiquidem in Abraham, qui erat privata perſona, voluit animum, ſed non filij ſacrificium: quia nec tunc erat cauſa publica. nec Deo per modum ſacrificij, & victimæ placet hoſtia humana. Deinde in filia Iephte fuit cauſa maximi momenti, & à perſona publica facta fuit non *ſacrificium*, quod occiſionem ſonat authoritate ſacrificantis, ſed *conſecratio* quæ ſonat religioſi cordis donum, & exappropriationem. Similiter in delendis Cananæis, *Numeror.* 21. vbi cunctus populus vovit conſecrationem Deo faciendam de cunctis Cananæis. Similiter in Samſone cum Philiſtæi;. Denique ſimiliter in Razia qui 2. *Machab.* 14. Pater Hebræorum dicitur, & non niſi propter cauſam graviſsimam ſe interfecit, alioquin brevi ignobilius necandus. Ex quibus ſimul cum toto corpore legis vbi Deum ex vna parte paſsim teſtatur, eſſe vitæ humanæ authorem, & Dominum; ex alia verò paſsim etiam conſulit innocentibus de populo ſuo; ne pereant, ſed adhuc per votum oblati redimantur; ſequitur quod lex illa, Levit. de voto conſecrationis, vel anathematis debet ſub noſtris conditionibus intelligi, & temperari.

16 Obijcies 5. Si aliquando, etiam in raro caſu, licuiſſet aliquid humanum Deo offerre ad occiſionem; Deus humano ſacrificio delectaretur. Sed hoc nefas eſt dicere: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo primo prout *tom.* 2. *Decad.* 2. *quæſt.* 6. reſpondeo loquendo de voto Iephte: non enim eſt delectari ſacrificio humano, aliquod rariſsimum, & propter graviſsimas cauſas, & in rebus iuſtis petere, aut permittere; ſed ſolum ſi fieret cum frequentia, quemadmodum ad delectationem Principum feræ trucidantur, aut gladiatores cruente ſe exercent: quod hic non datur. Reſpondeo ſecundo diſtinguo mai. offerre per modum *raræ conſecrationis*, neg. mai. per *modum ſolitæ victimæ*, conc. maior. & conc. min. neg. conſeq. Quia ſi Deus poſceret in ritu ſuorum ſacrificiorum, quæ de more cultui ſuo offeruntur, humanas victimas, etiam interdum offerri: fortè poſſet poſtulari crudelitatis, eò quòd effuſo humano ſanguine innocenti placaretur, & ex eo odorem ſuavitatis acciperet. Quod verò per modum conſecrationis, & anathematis ſupra explicati aliquid ipſi reſtituatur, non ſolum quoad vſum, ſed quoad dominium vſque ad internectionem; hoc non erat delectari ſacrificio humano: quia ibi non eſt ſacrificium: cum etiam domus, ager, & equus quæ non ſunt immolatitia ſic poſsint offerri; præſertim cum veluti diximus, Deus ipſe ſit qui tunc aufert vitam talis innocentis ſic conſecrati eo ferè modo, quo veluti ſupremus Dominus alijs immaturè vitam præripit innocentibus.

17 Colliges 1. Quod quamvis Lorinus in ſua ſententia rectè dicat, non potuiſſe conſecrari ſervum Hebræum: nam anno remiſsionis vel iubilæi ſolvi deberet; non rectè tamen in noſtra ſententia: quia ſemel conſecratus voto anathematis ex lege Dei deberet interfici. 2. Quod ly *morte morietur*, Levit. 27. impropriatur apud AA. dum ſumitur pro voto de perpetua deſtinatione ad templum, vti in Samuele, & Samſone quorum quidem fuerunt vota, ſed non anathemata. 3. Sacrificia Gentilica filiorum, cunctis tam horrenda ideo ſic fuiſſe: quia præter frequentiam, levitatem, & crudelitatem de tanto ſanguine humano paſcebatur invidia diabolica. Diabolus enim, poſt ruinam, vellet, ſi poſſet, omne genus humanum convellere, & quantocius poſsit, complures ſtatim interimere, ac ſuffocare; ne vnquam Creatorem ſuum agnoſcant; è contra verò hoc votum conſecrationis, & anathematis ſub debitis circunſtantijs rectum eſſet ex parte offerentis: quia propter Creatorē vellet funditùs evellere amorem creaturæ, quam cupit:

ex parte huius: quia vrgente bono maioris momenti, & publico iustè cedit vita privata: denique ex parte Dei qui potens est tollere vitam, quam dedit: signumque dat acceptatæ consecrationis seu anathematis, dum nulli iam vsui res sibi consecrata relinquitur super terram: vnde, & dicitur, *Sanctum sanctorum erit Domino*: quia *sancta* à Sacerdotibus tractarentur; *consecrata* vero, & eversa, aut destructa propter Dominum nulli tractanda relinquuntur. 4. Gabaonitas anathemate consecratos servatos fuisse vel propter iuramentum Iosue; vel quia veniebant pacifici, in quo casu lex non vrgebat. Denique vide Augustinum *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. & lib. 22. contra Faustum, cap. 73.* Et prologum legis veteri, Rabbi Moysis Ægyptij huc transcribendum.

18 Itaque do in primis loca Augustini nuper relata, quæ huc facere videbuntur; daturus subinde Prologum legis Mosaicæ quem ante eius explicationem præmisit Moyses Ægyptios. Igitur *cap. 21. lib. 1. Civitat. Dei*, „sic se habet. Quasdam vero excep„tiones eadem ipsa Divina fecit auc„toritas, vt liceat hominem occidi. „Sed his exceptis, quos Deus occidi „iubet, sive data lege, sivè ad perso„nam pro tempore expressa iussione. „Non autem ipse occidit, qui minis„terium dat iubenti, sicut adminicu„lum gladius est vtenti. Et ideo ne„quaquam contra hoc præceptum fe„cerunt, quo dictum est. *Non occides.* „qui Deo Authore bella gesserunt, „aut personam gerentes publicæ po„testatis secundum eius leges, hoc est „iustissimæ rationis imperium, scele„ratos morte punierunt. Et Abraham „non solum, non est culpatus crude„litatis crimine, verum etiam lauda„tus est nomine pietatis, quod voluit „filium nequaquam scelerate, sed „obedienter occidere. Et merito que„ritur. Vtrum pro iussu Dei sit haben„dum, quod Iephte filiam quæ Patri „occurrit, occidit, cum se immola„turum Deo id vovisset, quod ei re„deunti de prælio victori primitus „occurrisset. Nec Samson aliter ex„cusatur quod seipsum cum hostibus „ruina domus oppresit: nisi quia spi„ritus latenter hoc iusserat qui per „illum miracula faciebat. His igitur „exceptis, quos vel lex iusta genera„liter, vel ipse fons iustitiæ Deus spe„cialiter occidi iubet, quisquis ho„minem, vel seipsum, vel quemlibet „occiderit homicidij crimine innec„titur. Hactenus Augustinus hic. De„inde *in lib. 22. contra Faustum cap.* „73. sic habet. Quædam enim facta, „lex illa æterna, quæ ordinem natu„ralem conservari iubet, perturbari „vetat, ita medio quodam loco po„suit hominibus, vt in eis vsurpandis „merito reprehendatur audacia, in „exequendis autem obedientia iure „laudetur. Tantum interest in ordine „naturali, quid, à quo agatur, & sub „quo quisque agat. Abraham si filium „sponte immolaret, quid nisi horribi„lis, & insanus? Deo autem iubente „quid nisi fidelis, & devotus appa„ruit.... Quamobrem si iam tandem „intelligit humana duritia, atque in „rebus rectis voluntas prava, atque „perversa (loquitur contra Mani„chæum) plurimum interesse: vtrum „aliquid humana cupiditate, vel te„meritate admittatur; an Dei parea„tur imperio: qui novit, quid, quan„do, quibus permittat, aut iubeat, „quid cuique facere patique conve„niat. *Et cap. 77.* inquit. Attendant ip„sum Dominum Christum mutantem „quæ dixerat, & aliud dicentem, „quando misi vos, inquit, sine sacculo, „& pera, & calceamentis, nunquid „aliquid defuit vobis? At illi dixe„runt. Nihil. Dicit ergo eis: sed nunc „qui habet sacculum tollat similiter, & „peram: & qui non habet, vendat tu„nicam suam, & emat gladium. Isti „certe si ista diversa in testamentis „singulis invenirent veteri, & novo,

„etiam

„ etiam hoc clamarent duo ſibi teſta-
„ menta eſſe contraria. Quid ergo
„ nunc reſpondebunt?... Iam ne intel-
„ ligunt quemadmodum nulla inconſ-
„ tantia præcipientis, ſed ratione diſ-
„ penſantis, pro temporum diverſita-
„ te præcepta, vel conſilia, vel per-
„ miſſa mutentur? Hucuſque S. Doct. ex quibus verbis conſtat primo, circa occiſionem hominis per ſe, vel per alium potuiſſe eſſe ſpeciales caſus præter communem legem, in quibus ex ſpeciali motu, & iuſsione Dei fontis iuſtitiæ, quid tale licuiſſet. Secundo. Merito exinde diſquiri: an pro iuſſu Dei haberi debuiſſet Sacrificium filiæ Iephte. Tertio. Multa quæ alioquin crudeliter, & ſcelerate fierent; tamen ex obedientia Dei inculpate laudabiliterque patrari potuiſſe. Quarto. Ipſam legem naturæ dictare, eſſe quidem longè diverſum, ſibi aliquid propria auctoritate vſurpare audacter faciendum, ac aliquid legitime iuſſum obedienter exequi. Quinto. Imperium Dei ſatis noviſſe diſcernere, quid permittendum, aut quid iubendum, aut cui faciendum, & cui patiendum. Sexto. Quod quando intra idem teſtamentum apparet vna iuſsio alteri iuſsioni eſſe contraria; non id provenit ex inconſtantia præcipientis, ſed ratione diſpenſantis, vt pro temporum diverſitate præcepta, vel conſilia, vel permiſſa mutentur.

19 Venio iam ad Prologum Rabbi Moyſis Ægyptij in libro, qui inſcribitur *Director dubitantium*, & qui recognitus eſt per Reverendum P. Auguſtinum Iuſtinianum Ordinis Prædicatorum Nevienſium Epiſcopum. De quo Rabbino ſcire oportet, ita potius veritatis, quam furfuris Iudaici amatorem ſæpè ſtetiſſe, vt Iudæi Galli hunc librum incendio devoverint, quia nimirum Chriſtianis ſe fautorem oſtenderet. Is ergo in *lib.* 3. huius operis cum ad explanationem totius ſuæ legis accedat in *cap.* 35. quaſi præfationem præmittit ſimplici ſtilo rudique ſubobſcuram in hunc modum.

„ Scire debes, quod lex non conſide-
„ rat rationem extraneam, nec ſequi-
„ tur illud quod raro, vel in pauciori-
„ bus accidit: ſed in omnibus, quæ in-
„ tendit ſivè ſit opinio recta, vel mo-
„ res boni, vel opus vtile, procedit, vt
„ in pluribus; neque conſiderat quod
„ raro, nec quod damnum eveniat
„ alicui ex illo præcepto, vel ex regi-
„ mine tali: quoniam lex eſt ratio ſpe-
„ cialis, quæ probari poteſt in rebus
„ naturalibus, quia ex vtilitatibus
„ communibus proveniunt damna ſin-
„ gularium, ſicut patebit ex verbis
„ noſtris, & aliorum. Secundum hunc
„ igitur intellectum non mireris, ſi le-
„ gis intentio non perficitur in quoli-
„ bet ſingularium: ſed ſunt ſingularia,
„ quæ de neceſsitate non perficit re-
„ gimen iſtorum præceptorum. For-
„ ma namque naturalis, & ſpecialis
„ non conſiderat quidquid eſt in quo-
„ libet ſingulari. Omnia namque ſunt
„ ex vno creatore, & eodem opera-
„ tore; & omnia fuerunt data ab eo-
„ dem Paſtore, & contrarium huius
„ eſt impoſsibile. Nos autem iam oſ-
„ tendimus, quod impoſsibile natu-
„ ram habet firmam, & ſtabilem quæ
„ nunquam mutatur. Et ſecundum
„ hanc inquiſitionem præcepta non
„ poſſunt eſſe vtilia ſecundum diver-
„ ſitatem variationis hominum, &
„ temporum: ſicut peritus qui præpa-
„ rat medicinam ſecundum quod eſt
„ opus vnicuique ſingulari ſecundum
„ diſpoſitionem ſuæ complexionis in
„ ſtatu quem habet. Sed neceſſarium
„ eſt, vt regimen præceptorum ſit de-
„ finitum commune totius gentis: li-
„ cet ſit quibuſdam conveniens, qui-
„ buſdam vero nequaquam: quoniam
„ ſi rationem omnium ſingularium at-
„ tenderet; omnia corrupta eſſent.
„ Propter hoc igitur non oportet, vt
„ ea de quibus lex facit mentionem
„ determinentur in loco, vel tempore,
„ ſed ſint iudicia communia, ſicut
„ Scriptura dicit Synagoga vnum præ-

„ ce-

„ cepit nobis. Oportet igitur conſide-
„ rare, & procedere in iſtis magnis
„ vtilitatibus ſecundum plus, ſicut oſ-
„ tendi. Poſtquam vero præmiſi pro-
„ poſitiones iſtas incipiam exponere,
„ quod intendo. Hactenus hic Rabbi-
nus. Vnde conſtat primo. Quod lex vetus non ferebatur in ſpeciales caſus, & cauſas, & id quod raro accideret: quare aliter in caſu raro, & rariſsimo procedi permitteret, aut forte ex præcepto particulari etiam iuberet. Secundo. Quod neque obſtabat legi veteri, quod ex aliquo præcepto aut regimine aliquod damnum ſequeretur alicui, eo quod lex attendit rationem in ſpecie rectificantem, non tamen in generalitate vniverſaliſsima, aut particulariſsima individuatione: nam bonum commune affert damnum ſingularium. Tertio. De neceſsitate dari aliqua ſingularia, quæ non perficiantur ex regimine iſtorum præceptorum veteris legis: omnia tamen ab vno creatore, & operatore prodijſſe: in quo datur intelligi, quod idem creator, qui tulit legem pro communi fuit idem Paſtor, qui ſpecialiter providit pro ſingularibus. Quarto. Quod impoſsibile ſit aliter legislationem intelligi; alioqui præcepta non poſſent eſſe vtilia iuxta variationem hominum, & temporum: ſicut medicina illa, quæ pararetur ſingulariſsimo homini, & ſingulariſsimo ſtatui quem tunc haberet. Quinto. Propterea legem debere eſſe regimen commune, ita vt ſi rationem omnium ſingularium attenderet corruptio foret; ex quo oritur quanta diſcretione legis etiam divinæ legitimus intellectus ſit temperandus. Sexto denique. Quod quamvis lex agat de rebus in determinato loco, aut tempore faciendis non tamen ipſa eſt loco, aut tempore determinata, ſed vniverſalis, & vſque ad ſui finem currens. De quibus omnibus forte pro ſuperioribus doctrinis noſtræ quæſtionis, tùm auctoritas aderit, tùm claritas affulgebit. Inſuper tamen adverte, quod ſi votum *Cherem* de auferenda vita, adhuc in tali caſu putaretur illicitum; tamen ſi ignoranter fuiſſet emiſſum; videatur doctrina quæſtionis antecedentis.

***

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO QUARTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

### NON HABEBIT PLVRES VXORES.

*Deuteron.* 17. *verſ.* 17.

### ARTICULUS.

*VTRVM IN LEGE VETERI FVERIT LICITVM HABERE plures vxores?*

1 SUppono 1. In lege veteri ſtatim poſt diluvium reperiri, viros nedum habuiſſe vxores, ſed habuiſſe inſuper concubinas, ſecum cohabitantes atque coeuntes, veluti conſtat in Abraham, *Geneſ.* 21. habuit enim duas vxores vel potius vxorem, & concubinas ſcilicèt Saram, & Agar, & Ceturam. Iacob verò habuit duas vxores, ſcilicèt Rachelem, & Liam, & Concubinas, vt Balam, &c. Helcana item duas Annam, atque Phenenam. Imò ante diluvium, *Geneſ.* 4. de Lamech dicitur habuiſſe plures vxores: quod non fuit ab eo niſi illicitè perpetratum, *ex cap. Anno* 24. *quæſt.* 3. Verum res huiuſmodi in temporibus Regum multo magis excrevit: ſiquidem de David antequam regnaret, legitur, habuiſſe duas vxores, & poſtquam regnavit in Hebron alias quatuor, quin numeremus hic Berſabe ſibi copulatam poſt adulterium, & Michol filiam Saulis à Davide ſubductam, & poſt reſtitutam. Quæ omnia, *ex lib.* 1. & 2. *Reg.* affatim conſtant. Præterea verò Salomon magnum in hac re fecit exceſſum, habens ſibi ſeptingentas vxores Reginas, tercentaſque concubinas: in quo fertur peccaviſſe tùm ardore libidinis, tùm periculo idolatrandi, 3. *Reg.* 3. Ex eo verò manavit Roboamo aliquid huiuſcemodi: quippè habuit vxores octodecim, concubinaſque ſexaginta, 2. *Paralyp.* 11.

2 Suppono 2. Saris diſcriminis intereſſe inter vxores, & concubinas: quod melius cognoſcetur ſi aperiatur, quid debet intelligi nomine concubinæ. Pro qua re penitus explicanda ſeorſim quæſtionem attinganm, in qua nonnulla, quæ inde poſſunt dubitationem ingerere, facilius clareſcant. Impræſentiarum autem ſatis erit pro oportunitate libare nonnihil. De concubinis ergo agunt Expoſitores ſacri præſertim Abulenſis *in* 1. *Reg.* per plures quæſtiones. Deinde etiam iuriſperiti eò quòd in iure canonico, vel civili de ea re diſſeratur: ſub eo tamen diſcrimine, vt quæ in iure Civili concubina habetur, ſit de concubitu illicito, quaſi nimirum ſit amaſia, vel pellex; in iure autem Canonico nomine *concubinæ* intelligitur etiam ea quæ eſt

vice coniugis, licito quidem accepta contractu, & concubitu. Aſcendendo verò ad ius divinum, vbi diſtinguebantur concubinæ, & vxores, & quidem licitè acceptæ à viris ſanctis à Deo laudatis; videtur, quòd concubinæ erant quaſi ſecundariæ quædam vxores duplici titulo ſic appellatæ, nimirum, vel quia eſſent inferioris ſortis, & ſtatus ad virum; vel quia ab hoc quaſi indotatæ, & ſine nuptialibus ſolemnitatibus acciperentur. Quare in ordine ad quæſtionem præſentem perinde eſt de vxore, ac concubina, ſemel ac licitus fuiſſet coitus cum plurimis fœminis. De quo *an licuiſſet?* poteſt eſſe non modica difficultas. Ratio dubitandi eſt manifeſta: ſiquidem ex vna parte videtur reclamare contra hoc, tùm creationem hominis in vnico viro, & fœmina, tùm perpetuam monogamiam antediluvium, excepto Lamech criminoſo; tùm etiam præſentem legem Deuteronomij, qua inhibita eſt Regi vxorum pluralitas. Ex alia verò parte licitudinem ſuadere videntur tot exempla ſuprà relata virorum in veteri lege commendabilium.

3 His poſitis circa tenorem prohibitionis Polygamiæ: an videlicèt illa ſit prohibita non ſolum lege divina; ſed iure naturæ; an tantum lege poſitiva; non deſinunt eſſe diverſæ ſententiæ. Alia enim aſſerit, non eſſe prohibitam iure naturæ: quam ſuſtinent inter alios duos graves Authores, quos alij licèt pauci ſectantur. Hi ſunt Durandus *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 33. & Abulenſis *Math. cap.* 19. Alia verò ſententia communiſsima Theologorum ſentit habere plures vxores non ſolum iure divino poſitivo, ſed etiam iure ipſo naturæ fuiſſe interdictum. Ita Ang. Magiſter 3. *part. quæſt.* 65. *art.* 1. Cornelius *in Geneſ. cap.* 16. Azor Becanus *in Analog.* veteris, & Novi Teſtament. *cap.* 21. *concluſ.* 2. neque tamen propterea in veteri lege fuiſſe illicitè vſurpatam à Sanctis Patriarchis ſò quòd Deus ipſe diſpenſare poſsit in iis, quæ ſunt de iure naturæ præſertim ſecundario. Contra ac impius ille Calvinus Abraham tanquam adulterum accuſabat, quia cum Agar ſe immiſcuiſſet: quem tamen errorem etiam priſcum nervosè confutant Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, & Hieronymus ſimul cum Ioſepho. Circa quod hæc ſubiungit Cornelius, loco ſupra citato: *Adde. Polygamia, ſi eam petat primaria vxor, vt hic petijt Sara; idque ad gentis, & veræ fidei ac religionis conſervationem, & propagationem, annuente Deo, non eſt contra ius naturæ, vt paſsim contendunt AA. cum D. Thoma.*

4 Sit mea concluſio. *In lege veteri licuit ex divina diſpenſatione habere plures vxores attento fine propagationis, & circunſtantijs.* Probatur concluſio. Id quod in lege veteri habetur, & proponitur, vt licitum, & probatum, non ſine alio iure priori aliquatenùs reclamante; non fit licitum niſi ex diſpenſatione divina. Atqui pluralitas vxorum habetur in lege veteri, vt licita, & approbata iure ipſo naturæ aliquatenus contradicente: ergo licita fuit ex diſpenſatione divina. Mai. eſt ſatis clara: nam quando ius aliquod ab Authore eius relaxatur; diſpenſatio dicitur. Probo min. quoad primam partem ex ſacris textibus vbi id vſurpatũ conſtat à viris ſanctis, & probante Deo: tùm ibi Geneſ. 16. *Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios: cumque illa acquieſceret deprecanti,* &c. Tùm Geneſ. 30. *Dixit Iacob Socero ſuo: da mihi vxores, & liberos meos.* Tùm 1. Reg. 1. *Helcana habuit duas vxores.* Tùm 1. Reg. 15. *Surrexit Abigail, & ſequuta eſt nuntios David, & facta eſt illi vxor. Sed & Achinoam accepit David, & fuit vtraque vxor eius,* ergo, &c. Probo iam ſecundam partem min. Id eſt aliquomodo contra ius naturæ, & divinum, quod aliquomodo opponitur primæ inſtitutioni matrimonij: ſed ita ſe habet Polygamia: ergo, &c. Probatur 1. ex verbis, Geneſ. 1. *Maſculum, & fœminam creavit eos.*

eos. Et 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Vnde constat primam institutionem matrimonij à natura incipientem, & à Deo factam, & significatam, vnicam fœminam expressè includere: ergo plures habere opponitur primæ institutioni matrimonij. *Vrgetur* 1. Copulam viri, & fœminæ ad propagationem nemini licèt aliter comminiſci, quàm prout Deus ab initio creaturæ eam fecit, & dixit. Atqui eam fecit, & dixit, vnicam fœminam efformando de viro; cum potuiſſet plures: ergo Polygamia eſt contra ius naturæ circa copulam viri, & fœminæ. *Vrgetur* 2. Ius naturæ in hac re fert duo: alterum quod corpus viri omninò tradatur fœminæ; alterum eſt, quod traditum vni ipſe non poſsit iam tradere alteri. Ergo, niſi Deo poſtmodum vt ſupremo Domino aliter diſponente, non poteſt illa traditio corporis inter plures fœminas diviſa cenſeri. Sed hoc eſt quodammodo, reclamante natura contractus, Deum diſpenſare in Polygamia: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Id quod repugnat fini matrimonij à natura intento, eſt id, contra quod quodammodo ius naturæ reclamat. Sed Polygamia tali fini adverſatur; tùm quia vnus non poteſt ſatisfacere pluribus, ſivè ad copulam, ſivè ad obſequium, & curam, & ſobolis providentiam; tùm quia ex natura rei inter plures vxores, & earum liberos arderent implacabiles contentiones, & rixæ: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Ex Hieronym. Chryſoſt. Theophil. Beda, Anſelm. *in cap.* 19. *Matth.* Ambroſ. *in lib. de Viduis circa finem.* Auguſtin. *lib.* 1. *de Nuptijs, & Concupiſcen. cap.* 9. Hi enim PP. aſſerunt pluralitatem vxorum adverſari primo iuri contractus matrimonij inter virum, & fœminam. Ergo de primo ad vltimum Polygamia eatenus licuit in lege veteri quatenus Deus quodammodo diſpenſavit in eo, quod pertinebat ad ius naturæ.

5 Obijcies 1. Concluſio noſtra ſe ipſam deſtruit: ergo ſuſtineri non valet. Probatur anteced. Ex vna parte aſſeritur, quòd Polygamia fuit contra ius naturæ. Ex alia verò quod Deus diſpenſavit. Sed ambo hæc non cohærent: ergo, &c. Probatur min. Deus diſpenſare non poteſt in iure naturæ iuxta communem, & veram ſententiam Theologorum: ergo, &c. Antec. probatur: quia lex naturæ vt talis ſolum prohibet, quæ ſunt intrinſecè mala, & vllatenus cohoneſtari non poſſunt. Sed Deus diſpenſare nequit vt fiant, quæ ſunt intrinſecè mala: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. neg. anteced. Ad cuius probationem, neg. min. & ad huius probationem, diſt. anteced. non poteſt diſpenſare *rigoroſè* loquendo, conc. *laxè*, neg. anteced. & conſeq. Dedimus ergo in quæſtionibus de diſpenſatione in lege naturæ vbertim omnes doctrinas, quibus hæc, & alia plura ſolvantur: vnde illuc recurrere oportebit, vt funditus res tota comprehendi queat; licet pro præſenti obiectione quod ſatis eſt dabimus. Dicitur ergo laxa diſpenſatio, quando Deus titulo *Domini, Iudicis, &c.* ſcilicèt, tranſmutando vt poteſt dominia, & iuriſdictiones facit, vt aliqua liceant ſic, quæ, ſi taliter non tranſmutaſſet, non licerent: quare nunquam facit, vt ea quæ ex lege æterna, & naturali non licebant, liceant: & cùm etiam ex ijs, quæ diximus *in quæſt.* de lege æterna præceptiva, nil ſit intrinſecè *formaliter* malum niſi per oppoſitionem ad legem æternam, licet pro priori ſit malum *fundamentaliter*; ſequitur, quod Deus ſua tali laxa diſpenſatione non facit, vt liceant quæ ſunt intrinſecè formaliter mala, ſed tranſmutando iura, prout poteſt, facit, ne ſint intrinſecè mala in ſui natura, quæ alioqui fuiſſent, niſi Deus ita diſpoſuiſſet: proindeque neque ab æterno prohibita per legem æternam, neque vnquam in tempore per naturalem. Potuit ergo Deus, vt ſupremus

Do-

Dominus creaturæ, corpus viri vnius diviſa, & concordi traditione pluribus fœminis tradidiſſe; & ſic partito dominio nil contra ius naturæ etiam ſecundarium reſultaret. *Replicabis.* Ergo Polygamia nullatenus fuit contra ius naturæ. Reſp. diſt. conſeq. ex Deo laxè diſpenſante ſeu iura mutante, conced. pro priori ad talem diſpenſationem, neg. aſſumptum. Itaque ſemel vxoribus cognoſcentibus vnum virum, non niſi partim, ſibi quoad omnia fruendum; Dei quoque erat in ipſis, & obſequia, & providentias, & rixas ſui, liberorumque temperari. Præter quæ omnia, quæ huc attinent ex profeſſo in quæſtionibus generalibus, quæ de legibus dedimus exponuntur, & ſpeciatim in ea: *An Deus poſsit diſpenſare in lege naturæ?*

6 Obijcies 2. Ex iure Canonico conſtat non ſolum, quòd Polygamia ſit illicita in lege gratiæ; ſed etiam quòd fuerit illicita generaliter loquendo in lege veteri: ergo non licuit in ea per diſpenſationem. Anteced. probatur: quia *lib. 4. Decretal. cap. Gaudemus. de Divortijs* expreſsè dicit Innocentius, nunquam licitum fuiſſe habere plures vxores: & id probat ex prima hominis creatione; & quia non plures coſtæ, ſed vna tantum coſta ædificata eſt in mulierem: ergo, &c. *Confirmatur.* Inibi expreſsè dicit, quòd id ſolùm ex revelatione licuit Patriarchis, & viris iuſtis, qui eas leguntur habuiſſe: ergo quia communiter licitum non erat. Ad hoc argument. reſpondeo diſting. anteced. nunquam licitum fuiſſe pro priori ad diſpenſationem divinam, conced. anteced. cum divina diſpenſatione, neg. anteced. & conſeq. Itaque ſupponendo, quòd Papa Innocentius ibi loquebatur de pluralitate vxorum inter Paganos, vbi proculdubiò diſpenſatio divina locum non habuit, dico, aſſumptum fuiſſe, vt Pagani converſi, qui reperirentur intra ſecundum, & tertium gradum copulati non ſolverentur; & licet plures vxores accepiſſent, primam retinerent, eò quod plures licitè nunquam habere potuiſſent: vbi clarum fit, quòd loquitur independenter à divina diſpenſatione: quod, & nos etiá tenemus, & propterea opinamur, Polygamiam abſolutè loquendo eſſe contra ius naturæ ſecundarium, vt ſupra probavimus. Sed per talem textum non probatur, quòd diſpenſatio non interceſſit; quin potius in eodem capite ſatis clarè ſubiungitur: ſiquidem dicitur licuiſſe ex revelatione Sanctis Patriarchis: in quo ſatis clarè etiam dicitur, ex lege licuiſſe, quandoquidem in tota lege adhibentur Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Iacob veluti exempla probitatis; quinimò in ipſo capite *Gaudemus* non obſcurè exponitur generalis Dei diſpenſatio, dum de ipſa revelatione facta Patriarchis ſtatim ſubdit: *Quæ, mos quandoque; quandoque fas eſſe cenſetur*: vbi prudentiſsimè innuit, pro revelatione ſub verbali diſpenſatione debere intelligi, aut facultatem explicitam, aut morem priorum familiariter agentium cum Deo. Et ex *iis* conſtat reſponſio ad confirmationem.

7 Obijcies 3. Pluralitas vxorum primò reperta in Sacris litteris illicita, & criminoſa fuit. Sed iuxta hanc primam videntur reliquæ debere taxari: ergo nullatenus licuit habere plures vxores. Min. patet: quia eadem taxa, & tenor correſpondet eidem facinori, quoties lex interea nihil immutat. Mai. probatur *Geneſ. 4. verſ. 19.* vbi dicitur de Lamech: *Accepit duas vxores*: ſed in eo vniverſim per PP. & DD. imò, & ex iure Canonico criminoſus fuit: ergo, &c. Min. patet: quia præter PP. & TT. Nicolaus Pontifex ſcribens ad Lotharium Regem, qui erat Polygamus, vocat Lamech adulterum. Inſuperque conſtat: quia paulò antè *Geneſ. 2.* facta fuerat lex dicens: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. conceſſ. maior, ne-

negand. minor. & ad huius probationem reſpondeo cum Bonfrerio, Cornelio, & alijs aliter debere fieri intelligentiam de Polygamia Abrahami, & ſequentibus, quàm de Lamech, tàm ex parte perſonæ, quàm ex parte rei, & ex circunſtantijs: ſiquidem Lamech fuit manifeſte vir pravus, vt conſtat ex homicidio ab ipſo perpetrato, cum tam vehementi remorſu, & timore ſupplicij; neque vlla ibi cauſa iuſta apparet, cur ſtatim ab illo pronuntiato Dei, *& erant duo in carne vna* ille fuerit vnus in carnibus duabus, vel tres fecerit eſſe in carne vna. In Abraham verò, & Patriarchis invenitur ſanctitas perſonæ, & familiaritas cum Deo ad cuius nutum vivebant Patriarchæ: deinde tranſacto diluvio vrgebat propagatio orbis citiùs peragenda. Poſtremò occaſio, & licentia fuit in Abrahamo, dum Sara ipſa inſtitit, vt ad ancillam accederet: & in Iacob pleno Dei viſione, & deſponſante ſe ad nutum Dei, idem credi relinquitur: quare ait Bonfrerius: *Primus Lamech plures ſimul vxores ſine divina diſpenſatione habuit; quod poſt diluvium divina diſpenſatione factum licitum.* Quod ego etiam dico addens cum Becano non ſine aliqua inſpiratione Dei Saram ſuaſiſſe Abraham, vt ad ancillam ingrederetur. Vnde ante diluvium Polygamia non licuit. Poſt diluvium ex divina diſpenſatione licuit in Patriarchis, & conſequenter in lege, quæ eos vt exempla adhibebat. Demum per Chriſtum fuit Polygamia ſublata dum declarat adulterum, Mœchumque eum, qui accedat ad alteram præter ſuam. Rogabis hic non importune: cur Deus ad eundem planè finem propagationis prius ordinavit Monogamiam, & poſtea Polygamiam? Reſpondeo verba Becani, quia admodum placent, & ſi obſerventur poterunt eſſe clavis ad reſolvendum quam plura, ait ergo ſic. „Deus ſolet pro diverſitate tempo„rum ordinare diverſa media ad eun„dem finem. Sic ad dirigendum ho„minem in ſuis actionibus ordinavit „1. legem naturalem, 2. legem Moy„ſaicam, poſtremò legem Evangeli„cam. Similiter ad ſuſtentationem „hominis conceſsit 1. carnes anima„lium ſine vlla reſtrictione; poſtea „reſtrinxit hanc conceſsionem ad car„nes eorum animalium, quæ in lege „Moyſaica habebantur munda: tan„dem ſublata hac reſtrictione redijt „ad primam conceſsionem. Idem di„co in propoſito. Ad propagationem „prolis ordinavit 1. Monogamiam: de„inde conceſsit Polygamiam: demum „exploſa Polygamia revocavit Mono„gamiam, & ſimul commendavit cœ„libatum, & virginitatem. Hactenus. Becanus: atque vt concludam hoc argumentum, lubet adijcere quod ipſa lex Moyſaica *Deuteron.* 21. dum ait: *Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam, & alteram odioſam, &c.* Satis indicat diſpenſationem Dei in ea re; alioqui non tam permiſsivè, & licentiosè loqueretur de ea.

8 Obijcies 4. Textum thematis vbi ſic dicitur *Deuteron.* 17. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animam eius*: ſed expreſſa prohibitio in lege facit illicitum: ergo ita fuit in lege veteri Polygamia. Ad hoc argumentum, reſpondeo facilè cum communi Interpretum, quòd in illo textu ſermo eſt cum Regibus, & de pluralitate exceſsiva vxorum; non de pluralitate ſimpliciter: ibi enim ſtatuitur, qualis futurus ſit, & debeat eſſe rex avertendo ab eo omnes delicias immoderatas, omnemque mollitiem, & effœminationem; vt virilem animum ſervet, prout oportet ad tantum muneris ritè gerendum, vnde neque in divitias plurimas, prout ibi etiam cavetur, neque in plurimas vxores fas erat diffluere; quemadmodum fecit Salomon *Reg.* 3. 11. Atque quemadmodum in lege veteri oportebat in hac diſpenſatione Polygamiæ metas non tranſilire indulgendo libidini; ſic etiam in lege nova, vbi Polygamia eſt inter-

dicta debent ſibi principes temperare, ne ſibi ducant vxorem niſi vnicam. Quod dico propter Valentinianum Imperatorem alias Catholicum, qui meritò reprehenditur ab omnibus quippè cum vxorem haberet nomine Severam, & ex ea Gratianum; non ſolum ſibi aliam Iuſtinam duxit, quam deperibat; ſed teſte Socrate *lib. 5. cap. 27.* legem edixit, vt vnicuique duas vxores liceret accipere.

9 Ad calcem obſerva 1. Quod ne multiplicemus quæſtiones, quæ per eaſdem doctrinas ſint reſolvendę; monemus, alias eſſe quæſtiones de licitudine circa res Veteris Teſtamenti, quæ ex eadem doctrina ac præſens quæſtio ſunt reſolvendæ: cuiuſmodi ſunt: *An licita fuerint Iudæis vſuræ extortę ab alienigenis? An licitum ipſis fuerit odium inimicorum, atque vindicta? An licitus fuerit libellus repudij? An licitum fuerit habere concubinas?* Et alia quæſtiones ſimiles de rebus, quæ cùm appareant eſſe quodammodo contra ius naturæ, licere tantummodò poterunt per leges permiſsivè conceſsivas ſeu diſpenſativas in ſenſu ſuprà explicato; quatenus videlicèt Deus velut ſupremus Dominus corporum, & fortunarum; velut ſupremus iudex, ac vindex, diſponat iura aut vindictas in hac vel illa manu, & medio, hoc vel illo miniſterio, quibus poſitis non evadat contra ius naturæ id, quod alioqui ſic videbatur. Obſerva 2. *in lib. Numeror. cap. 5.* ſic præſcribi teſtimonium pro Zelotypia. Mulier accuſata à marito ferebat oblatiunculam ſacerdoti, & hauſta aqua cum pulvere Tabernaculi, & Sacerdotis imprecatione ſuper vterum, & vitam fœminæ; hæc reſpondebat: amen. Quod ſi rea erat; fœmore putreſcente ac tumente vtero diſrumpebatur, & expirabat. Quod quidem erat favor Dei vt terreret; & adulteria non creſcerent: decreſcente vero timore Domini; ceſſavit auxilium. Quod doctrinale eſt. Obſerva 3. Quod cum circa ea quæ ſunt de iure naturæ TT. communiter tres claſſes dividant primo principia. 2. *Decalogum* 3. Alia inde ſubillata; vberius quam alij loquendo in ſpecie hæc diſcernit Azorius *tom. 1. lib. 1. cap. 13.* vbi non eſt inutiliter conſulendus, imò & tranſcribendus vt melius poſsit intelligi quarum rerum de iure naturæ naturæ poſsit eſſe ignorantia.

10 „ Igitur noſter Azorius ibi „ ait ſic. Reſpondeo, ea, quæ ſunt iu„ris naturalis aliquando eſſe per ſe „ nota, ita, vt non ex alijs, ſed ex ip„ſis comperta, & explorata cuique „ reddantur, qualia ſunt. Bonum eſt „ amplectendum, malum fugiendum. „ Cautè vivendum. Nulli nocendum. „ Quod tibi non vis alteri ne feceris. „ Vnicuique ſuum ius tribuendum: & „ horum ignorantia probabilis, & iuſ„ta in nullum hominem cadere poteſt. Alia vero non ſunt per ſe nota; „ ſed facillimè ex per ſe notis colli„guntur, qualia ſunt præcepta Dea„calogi: & horum licèt poſsit eſſe ig„norantia probabilis ad tempus bre„viſsimũ, non tamen diu: quia eo ipſo, „ quod ex per ſe notis evidenter con„ficiuntur; abſque magno negotio in„noteſcunt: at interim dum ea quis ex „ per ſe notis concludit, poteſt bona „ fide, & ſine culpa ignorare; ſed diù „ non poteſt ea ignorantia laborare, „ aut in ea permanere, quia facilè, poſitis per ſe notis, inferuntur. Ex quo „ efficitur quod veriſimile non ſit, „ quod Bardeſanes, & Euſebius, & „ alij hiſtorici tradiderunt, apud ali„quas Gentes furta licuiſſe, apud alias „ adulteria, apud alias ſtuprũ, & pro„miſcua coniugia, & homicidia: hæc „ enim facilè ex per ſe notis conclu„duntur tanquam mala. Exiſtimo ta„men, hæc, & alia ſimilia quoad cer„tas Nationes fuiſſe permiſſa, vel im„punita: ita ut Authores horum ſce„lerum impunè permitterentur; non „ quòd hæc exiſtimarentur honeſta, „ bona, & licita; ſed quod eiuſmodi „ peccata minimè debitis pœnis pu„ni-

„ nirentur, vel ob Gentis illius igna-
„ viam, aut malitiam, aut ob alia gra-
„ viora mala vitanda, aut ob propria
„ tuenda, conſervandaque commoda.
„ Alia item ſunt iuris naturalis, aut
„ iuri naturali contraria, & adverſa,
„ quæ licèt poſitis ijs, quæ per ſe ma-
„ nifeſta notaque ſunt, inducantur;
„ haud tamen ita facilè, & perſpicuè
„ inferuntur. Talia mala ſunt ex mu-
„ tuo vſuram, & lucrum exigere: pro-
„ prias iniurias vlciſci: plures vxores
„ habere, repudiari legitimam, fura-
„ ri ad ſuccurrendum egeno, ſurripe-
„ re aliquid hoſtibus, tyrannum occi-
„ dere privata authoritate, ſine Iudicis
„ ſententia, ad ſcortum accedere, men-
„ tiri propter ſalutem alterius, vel ob
„ malum gravius, & deterius caven-
„ dum, vel ob bonum commune ſer-
„ vandum: carnibus humanis veſci,
„ metu mortis mali aliquid committe-
„ re, Sororem in vxorem accipere. Ne-
„ gari non poteſt, quin horum, &
„ ſimilium cadere in aliquos poſsit ig-
„ norantia probabilis, & iuſta: nam
„ non ſolùm Ethnici, & indocti; ſed
„ Chriſtiani homines etiam, & docti
„ horum nonnulla iure naturali licita
„ eſſe arbitrantur. Caſianus certè Ori-
„ genes, & Plato putaverunt licere
„ aliquando vti mendacio ob malum
„ maius evitandum, aut bonum tuen-
„ dum, & conſervandum. Durandus,
„ & alij tradiderunt ſimplicem cum
„ ſcorto congreſſum, aut multitudi-
„ nem vxorum, aut repudium legiti-
„ mæ vxoris non eſſe iure naturali; ſed
„ tantum divino prohibita. Item hu-
„ iuſmodi mala, licèt ex principijs
„ per ſe notis naturali ratione ducan-
„ tur; dubitari non poteſt, quin ſit
„ opus magna rationis intelligentia in
„ his argumento, & ratione colligen-
„ dis: ergo poteſt quis ea bona fide
„ ignorare. Eſt tamen animadverten-
„ dum, apud Chriſtianos ignorantiam
„ probabilem huiuſmodi malorum ra-
„ riſsimam eſſe, aut nullam ferè: quia
„ apud Chriſtianum populum eſt fre-
„ quens Divini Verbi enuntiatio, vi-
„ tiorum reprehenſio, honeſtatis, &
„ virtutis commendatio, bonorum
„ prædicatio, quibus ſcorta, menda-
„ cia, fraudes, inſidiæ, vſuræ, multi-
„ tudo vxorum, & repudium paſsim
„ condemnantur; vt per ſe mala, &
„ fugienda. Poteſt tamen eſſe ignoran-
„ tia probabilis apud vulgares, & ru-
„ des homines putantes, licere menda-
„ cium leve, aut officioſum propter
„ communem ſalutem, aut magnum
„ aliquod aliorum bonum retinendum
„ aut tuendum. Hacteuus Azor, qui
poſteà pergit probans, etiam poſſe dari
ignorantiam iuſtam, & probabilem
iuris divini cum com-
muni TT.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO QUINTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

FILIJS AVTEM CONCVBINARVM LARGITVS EST munera. *Geneſ.* 26.

### ARTICULUS.

### *VTRVM IN LEGE VETERI LICITE QVIS POTVERIT habere concubinas?*

SUppono 1. Hoc nomen *concubina*, dici à *concubitu* non ſecùs ac *coniux*, *vxorque* dici ſolet à coniunctione, quam in individua vita, fama, & fortunis vir ſolet habere cum fœmina medio vinculo matrimonij. Igitur ratio dubitandi hinc proficiſcitur: nam ſi vir legitimè vxoratus tradidit conſorti ſuæ poteſtatem in corpus; minimè poteſt niſi adulterinè coire cum altera: ſi ipſe vel illa altera in matrimonio eſt; fornicariè verò, ſi nullo legitimo vinculo obſtante, corpora permiſceantur: vnde cum nomen *concubina*, concubitum præcisè ſignificet, nullo titulo, aut vinculo explicato; illicò damnabile apparet, concubinam habere; & multò magis propter duo primo. Quia *concubinam habere* phraſis eſt ſonans ex mera libidine habere ſecum aliquam pellicem, vel amaſiam, quæ Hiſpanicè *Manceba* dicitur; & olim intelligi ſolebat teſte Abulenſi 2. *Reg.* 8. *quæſt.* 23. *Focaria*: quaſi quæ in eodem foco, & Laribus cum amaſio ſuo vitam libidinoſam traduceret. Secundo. Quia concubinatus nomen ſemper veluti criminoſum inſonuit. Ex alia verò parte paſsim legitur in Scriptura vſus concubinarum per electos viros, vt Patriarchæ, & Reges, vt conſtat in Abraham *Geneſ.* 16. & 25. & David 1. *Paralypom. cap.* 3. Salomone 3. *Reg.* 11. *&c.* Vnde meritò controvertitur: *An & quomodo olim licuiſſet habere concubinas præter vxores?*

2 Suppono 2. Hanc controverſiam, vt alias ſæpè me monuiſſe iam memini, reſolvendam non eſſe, neque ex iure Canonico poſteriori, aut Theologia morali, inde manante; neque ex iure Civili etiam anteriori. Non ex hoc, vt patet, quia ius Civile longè inferius eſt, quàm ius divinum, ita vt licet hoc iam fuerit abrogatum; nihilominus abſurdum eſſet ex iure Civili, quoquomodo inſpecto, taxare actionem aliquem veteris legis, dum ipſa vigebat. Non ex iure Canonico: quia planum eſt, quod hoc, vtpotè innixum novæ legi, non facit regulam pro lege antiqua. Sed quia cum hæc vti par eſt, ſemper in veneratione habeatur imò, & iura nova inde multum

emen-

emendicent; rursusque mentem, & praxim Sacris Canonibus, & doctrinis præocupatam habeamus, vtpotè nunc vigente doctrina; confusio exoritur aliqua mentis in taxando illa facta vetusta. Quamobrem claritatis præludium est ea secernere, quæ ius vtrumque Canonicum, & Civile circa concubinas statuere decrevit. Itaque primo, ex iure Canonico dicitur 33. *distinct. cap. Si quis.* Quòd ille qui post acceptum sacrum baptisma secundis nuptijs fuerit copulatus, aut concubinam habuerit; non potest fieri Episcopus, & Sacerdos, causa bigamiæ, vt ibi explicatur, §. *Ecce.* Vbi apparet ex voce *bigamia* illic non sumi concubinam pro copula fornicaria. Secundo. 34. *distinct. cap. Is qui.* Dicitur quòd ille, qui non habet vxorem; sed pro vxore habet concubinam, à communione non repelliatur, dummodò vnica, vel vxore, vel concubina sit ille contentus: & idem dicitur ibidem, *cap. Christiano.* Vnde videtur censeri concubina, quæ coniugali affectu tractatur. Tertio. Dicitur 34. *distinct. cap. Omnibus*, §. *Concubina.* Quod concubina ea intelligitur, *quæ necessitatibus legalibus instrumentis vnita est, & coniugali affectione accipitur: hanc coniugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.* Vbi patet, quòd concubina sit vxor. Quarto. Dicitur 32. *distinct. quæst.* 4. *cap. Nemo*, & *cap. Meretrices*, & *cap. Mœchia*, quòd nulli licet mulierem tangere, aut concupiscere nisi maritali affectu. Vbi observo, quòd hic non videtur nominari *concubina*, sed *meretrix*, aut aliquid simile, vnde apparet concubinam non esse quid inhonestum. Qui omnes textus, vt patet ex Decreto habentur non ex Decretalibus quorum discrimen peritis notum est, & exprofesso illud exposui in mea Palæstra Scholastica *lib.* 4. agendo de authoritate Sacra in Palæstra.

3 Suppono 3. In iure Cæsareo etiam tangi plura, quæ hanc materiam videntur concernere: habetur enim in Digestor. *lib.* 25. *tit.* 7. *de Concubinis*, vbi primo. *Pro concubina* intelligitur mulier illa, quæ animo libidinoso, & voluptuario retinebatur in diuturno contubernio. Secundo. Permissum erat ex iure Civili habere concubinam viris non vxoratis; non tamen plures, neque eam, quæ fuisset patris sui; ad evitanda maiora mala. Vnde non tam erat licentia, quàm impunitas, vide Authenticam de Triente, & semisse, §. *Consideravimus.* Tertio. In concubinam recipi poterat non solum liberta, sed etiam ingenua, dummodò, vel obscuris natalibus, vel prostituta; ita vt honesta, & ingenua sine contestatione apud Iudices suscipi non posset. Quarto. In Authentica *quibus modis naturales efficiuntur*, §. *Si quis autem*, & §. *Si verò effusa* dicitur, quòd filij concubinarum non succedunt vniversaliter ab intestato; sed interdum in aliqua parte; interdum in nulla. Quinto. Instituta de patria potestate, §. 1. & 2. dicitur: *Non haberi* in patria potestate filios concubinarum, eò quòd sint ex non iustis nuptijs. Sexto. In Authentica, *vt liceat matri*, & *Aviæ*, §. *Quia verò*, *collation.* 9. dicitur, oportere cum eis, cum quibus potest contrahi, fieri dotalia instrumenta, aut probationes, sacramentavè, id est, iuramenta. Septimo. In *leg. Si quis*, *ff. de Ritu nuptiarum* dicitur, quòd Præses provinciæ potest accipere de provincia, quam administrat, non vxorem, benè vero concubinam, *leg. Quæ in concubinatu*, *ff. de Concubinis.* Ex quibus certe id liquido apparet, quod nimirùm in iure Canonico concubina sano significato suscipitur; in Civili verò videtur potius deflecti ad illicitum concubitum, permissum tamen quoad impunitatem; ne maiora scelera sequerentur.

4 Suppono 4. Quod illud, quod suprà diximus, scilicèt, quod *vxorem* facit affectus coniugalis; concubinam vero *lex nominat*; potest accipi diversimodè prout Abulensis observat

*quæst.* 208. *in lib.* 1. *Reg. cap.* 8. Nam potest primo intelligi, quòd lex, quæ nominat concubinam, & vnde hæc incœperit vsurpari, sit lex Canonica, eò quòd in capitibus supra relatis ex Decreto sic contradistinguatur vxor, & coniux, à concubina, licèt maritaliter accepta. Secundò potest intelligi *lex* Civilis quatenus eamdem distinctionem præstitit lex in concubinatu *ff. de Concubinis*; vel potest tertio intelligi de lege veteri, aut iure divino, vbi sæpè vocantur aliquæ concubinæ, quasi contradistinctæ ab vxoribus. Cum autem hæc postrema vsurpatio tam prima, & prisca sit; magis libet eò reducere rem huius nominis *concubinæ*; licet nomen talis rei potius ex iure Civili, quod latinitate, & antiquitate præcesserit ad versiones latinas, desumptum veniat. Quoad licitudinem vero in lege veteri pluralitatis vxorum iam in ea quæstione præmisimus à nobis ibi indiscriminatim accipere, sivè vxores, sivè concubinas, intelligendo dumtaxàt vsum plurium mulierum; *an videlicèt tunc licuisset*? Nunc autem quæritur specialius: *An concubina fuerit re vera vxores, & licitè ex eo titulo haberi potuerint, quatenus licet dispari gradu, tamen fuissent vxores?*

5 His positis circa licitudinem veterum concubinarum in antiqua lege valde concors est AA. sententia affirmativa, excipiendo videlicet excessum nimiæ libidinis, & voluptatis, & personarum ea de causa receptarum in concubinas. Quoad tenorem verò huius licentiæ in lege veteri potest discriminari aliqua diversitas sententiarum, quatenus nimirum prima asserit in Veteri Testamento licuisse quidem plures sibi fœminas copulare, eo nimirum tenore, vt inter omnes vnica esset primaria vxor Domina, & gubernatrix familiæ; cæteræ verò concubinæ conthorales, ac secundariæ vxores appellarentur. Ita sentiunt P. Becanus *in Analog. cap.* 21. *concl.* 3. *n.* 10. Cornelius, & Pererius *in Genes. cap.* 25. Cardinalis Bellarmin. *de Matrimonio, cap.* 11. Rebellus *de Iustit. & Iur.* Secunda sententia asserit ita licuisse cum pluribus fœminis cohabitare, vt plures earum essent vxores primariæ, plures autem concubinæ, seu secundariæ vxores. Ita sentire videntur Rupertus *lib.* 7. *in Genes. cap.* 39. Tostatus *in Iudic. cap.* 19. *quæst.* 3. & 1. *Reg. cap.* 8. *quæst.* 209. Lipomanus, & Oleaster *in Genes. cap.* 22. Enriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 1. *disp.* 20. *punct.* 3. Coninch *disp.* 26. *dub.* 1. Laiman *tract.* 10. *part.* 3. Pineda *de Rebus Salomon, lib.* 7. *cap.* 5. Maluenda *de Anti-Christo, lib.* 6. *cap.* 22. Sanctius, Genebrard. Sherlogus *in Cant. cap.* 6. *vestig.* 33. *sect.* 1. *num.* 7. De quibus AA. fortè aliqui loquuntur in eodem sensu, ac prima sententia; licet Tostatus verè aliter sentiat in iudicio contradictorio, vt manifestè apparet *quæst.* 206.

6 Sit nostra conclusio: *Licitum fuit in lege veteri cohabitare cum illis, quæ dictæ fuerunt concubinæ, dum non ex libidine sola haberentur, sed affectu coniugali, & fœcunditatis.* Probatur conclusio, quoad primam partem sic. Id quod invenitur in Sacra Scriptura vsurpatum in Patriarcha Sancto, sine vlla reprehensione Dei, familiariter agentis cum ipso, debet licitum pronuntiari. Sed vsus alterius mulieris præter vxorem propriam nomine concubinæ invenitur in Sacra pagina vsurpatus à Patriarcha Sancto Abraham, sine vlla reprehensione Dei, familiariter agentis cum ipso: ergo licitum fuit habere sic concubinas. Min. probatur ex textu *Genes.* 25. vbi dicitur, quod *filijs concubinarum largitus est munera* loquendo scilicèt de Agar, & Cetura: ergo, &c. *Confirmatur.* Si in lege veteri non licuisset habere concubinam simul cum vxore; Sara non suasisset Abrahæ vt ingrederetur ad Agar; sed ita ei suasit *Genes.* 16. ergo quia per se loquendo, id erat licitum. Probo mai. Si non licuisset; eatenùs fuisset, quia præter

vxo-

vxorem propriam quævis alia copulatio foret adulterina, & vxori propriæ iniusta, iniuriosa, & infensa. Sed si ita foret, Sara non suasisset coniugi aliquid tam contra se ipsam: ergo, &c. *Confirmatur* 2. In veteri lege post diluvium fœmina benè noscebat, corpus mariti non sibi soli, & omnino tradi per nuptias. Atqui solum ex vi contractus nuptiarum posset interdici accessus ad aliam præsertim, si in propria vxore fœcunditas deerat: ergo, &c. Mai. satis patet ex quæst. de Polygagamia tunc temporis licita, quam etiam nos hic sustinemus. Probo iam 2. part. Conclusionis. Tùm quia omnis meræ libidinosa, & luxuriosa copulatio ipso iure naturæ est interdicta quoad speciem sui, aut qualitatem, non secus ac omnis excessus illicitus est, etiam in re iustè vsurpabili. Tùm quia *Deuteron.* 17. prohibitum est Regibus habere plurimas vxores, ne eos distrahant, & avocent à munere suo. Sed quoad intrinseca periculi eadem ratio est in privato, ac in rege; licèt de hoc fiat clarius prohibitio propter potentiam, & vsum ad habendas plurimas: ergo, &c.

7 Probatur 2. conclusio. Illæ quæ dicebantur in lege veteri concubinæ non desinebant esse vxores in aliquo vero sensu. Sed hoc ipso erant licitæ: ergo, &c. Probatur mai. Origo vsurpationis concubinarum sumitur ex Patriarcha Abraham. Sed concubinæ huius verè fuerunt vxores: ergo, &c. Min. constat, quia concubinæ eius fuerunt Agar, & Cetura, *Genes.* 25. Sed de Agar dicitur, *Genes.* 26. *Dedit eam viro suo vxorem*: & de Cetura, *Genes.* 26. dicitur: *Abraham vero aliam duxit vxorem nomine Cetura*: ergo concubinæ Abraham erant verè vxores. Confirmatur. Ex ipsa sacra Pagina constat, eas concubinas fuisse maritali affectu, sibi copulatas, & ad liberos procreandos, atque cum inæqualitate coniugij. Ergo erant verè vxores, licèt in gradu inferiori. Probatur antec. Quia in primis de affectu coniungali, & liberorum procreativo statim ibi patet in textibus ex ipsis generationibus enarratis, quæ ad totam latitudinem feminis Abrahæ describendam, & admirandam conducebant. Deinde quoad gradum coniugij probatur sic: constat ex Sacra pagina differentia inter vxorem, & concubinam; tùm quoad nomen; tùm quoad iura, & honorem; tùm quoad sobolem inde nascentem. Ergo, &c. Probo anteced. per partes. Quoad *nomen*. Quia quæ erat vxor nunquam dicitur concubina; licèt quæ erant concubinæ interdum dicerentur vxores: ergo quia gradus coniugalis concubinæ esset inferior, & quasi depressivus, vnde non deceret primam vxorem sic appellare; licèt è contra per dignationem, & quasi honorificentiam non dedeceret, concubinas appellare vxores. Probo quoad *ius*, & *honorem*. Quia Sara, quæ erat vxor fuit iuxta opiniones DD. vel filia patris Abrahæ, & soror eius non vterina; vel filia fratris sui Aram, ita vt esset æqualis in genere; Agar verò erat Ancilla. Itemque 3. *Reg.* 11. vxores prius, & honorificentius recensentur separatim à concubinis quasi propter inferioritatem personarum. Probo denique *quoad sobolem*: quia filij concubinarum non habebant ius succedendi, vt patet, tùm, *Genes.* 21. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac*: Tùm, *Genes.* 25. vbi Abraham separavit ab Isaac filios concubinarum Agar, & Ceturæ; & largitus est illis munera, reservata Isaac integra hæreditate. Ex quibus primis vestigijs postea pro temporum oportunitate sumpserunt iura humana ea, quæ decreverunt. Ergo de primo ad vltimum concubinæ verè fuerunt vxores: cumque iuxta nos licuerit vxorum pluralitas; etiam licuit in lege veteri sub tenore relato concubinas habere. *Confirmatur* 2. Explicatissimis quibusdam atque perapositis verbis P. Pauli Sherlogi, loco vbi su-

„ prà, sic aientis: Sub priscis tempori-

„ bus,

„ bus, cùm à numine dispensatum, vt „ plures legitimè coniunctas vxores „ vnus idemque maritus habere pos- „ sit: ex his ipsis quæ vero matrimo- „ nio confæderabantur, aliæ erant „ paris cum viro stemmatis, quæ vel „ dotem afferebant, vel pretio coemp- „ tæ fuerant à coniuge, quorum nup- „ tiæ solemnibus ritibus testium, con- „ viviorum, conscriptarum tabula- „ rum, alijsque pro Gentium diverso „ vsu cærimonijs publicè celebraban- „ tur; quæ in familia dominabantur, „ quarumque ad sobolem hæreditario „ iure stabilia pertinebant bona. Aliæ „ obscuri generis plerumque sine „ pompa, & tædis ad multiplicatio- „ nem prolis non ad speciosa assump- „ tæ, quasque priores illæ subditas „ imperio coercebant, denique exi- „ gui vltra ancillas favoris, & quarum „ stirpi, nisi adoptaretur à nobiliori- „ bus vxoribus, genitor non nisi ex „ mobili gaza relinquebat munera „ quædam. Dicebantur priores illæ „ antonomasticè *vxores primariæ*, *li- „ beræ*, *roginæ*; secundæ *ancillæ* nomi- „ nabantur *secundariæ vxores*, & no- „ tiori vocabulo *concubinæ*: quæ dic- „ tio in veteri testamento, vbi fre- „ quenter legitur, veram propriam- „ que denotat *contboralem*: & non- „ numquam ea, quæ dicta est concu- „ bina, alibi vxor appellatur. Aboli- „ ta autem Polygamia per Evange- „ lium, sublataque altera vxore, quæ „ secundaria fuisset; concubinæ vox „ ad illicitos amplexus translata est, „ scortumque, & pellicem significare „ cæpit certè fornicariam, licèt, & „ nonnumquam de legitima vxore, à „ quibusdam intellecta, non eiusmo- „ di quæ simul cum altera nupta reti- „ neretur à marito (hoc enim nun- „ quam post Christum fas erat) sed „ quæ, cùm vna, solaque in domo, & „ Thalamo esset; tamen solemni pom- „ pa non est traducta. Hactenus ille qui verba postrema bona DD. manu suffulcit, quem ideo produxi, quia distincta, & perspicua eius verba rem nostramque thesim multum diluci- dant.

8 Objicies 1. Concubinatus ex ore omnium DD. est contra ius naturæ: ergo non potuit licere in veteri testamento. Probatur consequent. Ius divinum, salvum, & illibatum semper ius naturæ conservat: ergo si concubi- natus erat contra ius naturę non pote- rat iure divino antiquo approbari. *Con- firmatur.* Ius novum tàm Canonicum, quàm Civile damnat vsum concubinæ præter vxorem. Sed licèt ius huma- num posit alia inducere præter divi- num; tamen iuri divino in his, quæ disponit, contraire non potest: ergo, &c. *Vrgebis.* Ius Civile prius est Christo. Sed tale ius damnat concubina- tum, vt suprà constitit: ergo adhuc vigente lege antiqua, damnabatur. At ius Civile in hoc puncto à sacra Pagi- na non abhorrebat; quin potius hæc consulebat, vt duo tantum essent in carne vna: ergo, &c. Ad hoc argu- mentum respondeo distinguendo an- tecedent, *concubinatus* prout sumitur, & intelligitur post Christum, conc. antec. prout sumitur in lege veteri, subdistinguo *pro priori ad dispensatio- nem Dei*, conced. antec. *post illam*, neg. antec. & consequent. Itaque prout patet ex verbis relatis Sherlogi, & alijs, prophana eruditione ibi ab eo collectis, vox *concubina* aliter apud Iu- dæos, aliter etiam apud Romanos, & Christianos accipiebatur: nam cum statim à Christo interdictum fuerit, posse quoque modo virum vnum coire cum duplici; statim etiam concubina- tus clarè contra ius naturæ esse convin- citur, eò quòd, sublata quavis Dei dispensatione, & tradita vni soli fœ- minæ potestate corporis viri: ad nul- lam aliam sine violatione iuris talis vir posset accedere. At in veteri tes- tamento iuxta doctrinas fusè à nobis expositas in quęstione *de potestate Dei, ad dispensandum in lege naturæ*; post diluvium (imò & anteà Lamech habuit

duas)

duas) cœpit invaleſcere diſpenſatio Dei ad habendas plures vxores, *laxa* quidem, quatenus Deus vt ſupremus Dominus quarumcumque rerum proindeque, & corporis viri, poſſet pluribus fœminis, ſine iniuria inter ſe dare poteſtatem in eundem virum; & conſequenter viro poteſtarem in plures fœminas; vt ſemper accederet ad ſuam: vnde penitus concidit difficultas argumenti. Ad confirmationem, reſpondeo diſtinguendo minor. non poteſt contraire iuri divino *vigenti*, conced. min. *abrogato*, neg. min. & conſequent. Nam ius divinum vetus fuit abrogatum per novum latum à Chriſto, cui proinde ius, tàm Canonicum, quàm Civile in hoc puncto ſe conformarunt. Neque difficultatem auget vrgentia, qua premitur argumentum. Quoniam ei facilè reſpondetur, dicendo ex vna parte, quòd ius Civile in hac diſpoſitione non debet conſiderari prius Chriſto, ſed longè poſterius: ſiquidem licet leges duodecim tabularum, & Reſponſa Iuriſconſultorum Romanorum fuerint valde priſca; nihilominus ſatis notum eſt corpus iuris Civilis concinnatum fuiſſe in Digeſtum, & Codicem Iuſtiniani multò poſt Chriſtum, vt patet ex Hiſtoria Iuris præfixa ante Pandectas: quare ex hac parte non ſubſiſtit. Deinde etiam ſi prius eſſet, & conformaretur primævo illi iuri naturæ, & divino quoad matrimonij legitimitatem; ſecus verò iuri divino antiquo poſt diluvium, in quo nuper explicata diſpenſatio interceſſit.

9 Obijcies 2. In Sacra pagina filij Abraham ex Agar eius concubina dicuntur nati ex fornicatione: ergo non niſi ex illicito concubitu. Probatur anteced. Ex illis verbis *Ioann.* 8. vbi Iudæi, qui de Abraham deſcenderant per Iſaac ex Iacob, & duodecim Tribubus dixerunt: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, ſed in hoc indicare videntur, ſe eſſe filios ingenuos Abrahæ, natos ex libera, ſcilicèt, Sara; non verò ex Agar: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. negand. anteced. ad cuius probationem, reſpondeo ex doctrina Becani *in Analog. cap.* 21. *num.* 11. diſtinguendo verba textus: *Non ſumus ex fornicatione ſpirituali*, conced. mai. *ex fornicatione carnali*, neg. mai. & min. &c. Itaque fornicatio, de qua ibi eſt ſermo in Sacra pagina, & quæ frequentiſsimè ſic explicatur, eſt idololatria; & hanc à ſe repellebant Iudæi, vt ſtatim apparet in ratione ibi ſubiuncta: dixerunt enim *Nos non ſumus ex fornicatione: quia patrem habemus Deum*, quaſi dicerent, Nos nos habemus patres idolatras; neque Deorum cultores, ſed patrem habemus ipſum Deum, & progenitores illos, qui cultui veri Dei fuerunt addicti. Non ergo tale dictum accipiendum eſt de fornicatione carnali cum Agar eius concubina.

10 Obijcies 3. Habuiſſe concubinas habetur in Sacra pagina criminoſum: ergo non fuit omninò, & generaliter licitum. Anteced. probatur, ex 3. *Reg.* 11. vbi dicitur de Salomone, fueruntque ei vxores *quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & averterunt mulieres cor eius. Cumque iam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres.* Sed in his verbis oſtenditur, criminoſum fuiſſe eius concubinatum; ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. diſtinguend. anteced. Habere concubinas *qualitate, quantitate, & modo* contra legem, & permiſsionem, conced. anteced. *modo debito*, neg. anteced. & conſeq. Itaque licet Abulenſis 1. *Reg. cap.* 8. *quæſt.* 225. etiam admittat ſolutionem, quòd Salomon non peccaverit habendo tot vxores, & concubinas; nihilominus poſteà magis inclinat, & ſequitur, iuxta tenorem textus ſuperioris, quòd Salomon in ea re peccavit ex parte quantitatis, eò quòd habuerit numerum exceſsivum vxorum, ac concubinarum contra legem *Deuteron.* 17. prohibentem Regi plures vxores. Ex parte qualitatis quia adhæſit alienigenis contra legem *Exod.* 34. &

*Deuteron.* 7. & ex parte modi, quia tam ardentiſsima libidine, & amore ipſis fuit copulatus, vt ab eis fuerit infatuatus, quouſque averteretur cor eius à Domino. Igitur in hoc tenore nos non dicimus concubinas habere licuiſſe: ſicuti nec dicere poſſumus, quòd Abſalon licitè cognoviſſet concubinas patris ſui David, ſequutus peſſimum conſilium Achitophel; ſed ſolum quod licuiſſet in lege veteri habere concubinas præter vxorem, ſi nihil præterea miſceretur, quod legem violaret. Et hoc modo licitè eas habuit Roboam, qui *lib.* 2. *Paralypom. cap.* 11. dicitur habuiſſe decem, & octo vxores, & ſexaginta concubinas. Item David *lib.* 3. *Reg.* 15. conſtat licite habuiſſe ſuas concubinas: ſiquidem dicitur ibi feciſſe rectum coram Domino, excepto ſermone Vriæ Ethæi. Quæ omnia fusè tractat locuples Abulenſis 1. *Reg.* 8. *à quæſt.* 225. deinceps ſuſtinens etiam eodem tenore noſtro ſupra relato, licitam fuiſſe concubinam Levitæ *Iudic.* 19. Quare de primo ad vltimum licitum fuit habere concubinas, quæ ſine immoderatione, & exceſſu forent, quaſi vxores ſecundariæ.

11 Ad calcem colliges, quid in lege nova teneri debeat de concubinis, & concubinatu. Nam cum in lege veteri licuiſſet habere plures vxores, licuit proinde habere illas ſecundarias, quæ diſpari gradu etiam eſſent vxores, præcipuè deſtinatæ ad concubitum, vnde, & *concubinæ* appellari conſueſcunt. Poſtquam verò lege nova Evangelij pluralitas vxorum ſublata eſt, ex ea veteri conſuetudine remanſit quod potuit, ſcilicèt, quòd, cùm vnica tantum futura eſſet vxor; hæc liceret, ſivè vxor eſſet, ſivè concubina homini Chriſtiano, vt conſtat ex capitibus iuris Canonici ſupra relatis. Quorum ratio fuit: quia cum per legem Evangelicam limitatum fuerit, vt vnus tantum vnam haberet vxorem, & ſæpè poſſet accidere, quod vir non haberet ſibi æqualem, quam duceret; oportebat in remedium concupiſcentiæ interea concedere ſecundarias vxores, id eſt vnam tantum concubinam, vel ſecundariam vxorem loco vxoris primariæ, quam non poterat ducere: ideoque concubinæ erant faciliores inventu, vtpotè quæ poterant eſſe natalibus obſcuræ, libertæ, meretrices, paupe-res, & indotatæ; & hac de cauſa ſine ſolemnitatibus matrimonialibus: quouſque Eccleſia diſpoſuit tempore procedente, quod, quamquàm inferioris conditionis aſſumerentur vxores; tamen iam omnes ſub vno ritu, & ſolemnitate matrimoniali ſaltèm Eccleſiaſtica copularentur. At cum libido humana ſemper creviſſet homines alioqui præter vxorem, concubinæ aut pellici adhęreſcentes cum peccato quidem à iure Civili impuniti relinquebantur, ne ſtupra, & adulteria perpetrarent, vt in ipſo titulo Digeſtorum expreſsè proponitur: vnde naſcitur, quod in iure Civili concubinatus in malam partem ſit accipiendus.

***

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SEXTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

HI SVNT DIJ TVI ISRAEL, QVI TE EDVXERVNT DE terra Ægypti. *Exod. 32. verſ. 4.*

### ARTICULUS.

*VTRVM SYNAGOGA VETERIS LEGIS ERRAVERIT ALIQVANDO contra fidem?*

1 SUppono 1. Hoc nomen *Synagoga*, quod Græcum eſt, ſignificare congregationem, gaudereque acceptione multiplici. Nam primo inter literatos communiſsimè vſurpatur pro tota Eccleſia Iudæorum, quæ figura fuit noſtræ Matris Eccleſiæ. Et ſic invenitur, *Numeror. 27.* ibi: *Audit eum omnis Synagoga filiorum Iſrael*, & alibi. 2. Sumitur ſimpliciter pro ſuo grammaticali ſignificato coniuncto cum aliquo genitivo, vnde ſpecialem ſignificationem importat: & ſic ſæpè dicitur, vel *Synagoga potentium*, Pſalm. 85. vel *Synagoga ſuperborum*, vt Eccleſiaſt. 3. vel *Synagoga etiam Satanæ*. Apocalyſ. 2. quando nimirum congregantur impij, vbi pij congregari deberent. 3. Sumitur pro congregatione partiali, conventiculoque quorumdam Iudæorum, dum ad ſacra ſua peragenda colliguntur: cuiuſmodi habent per orbem, vbi diſperſi ſunt, in præſenti multas Synagogas diſperſas; & olim erant ipſis ad inſtar noſtrarum Eccleſiarum particularium, quæ componunt vnam Sacroſanctam Apoſtolicam Romanam Eccleſiam. Et ſic apud Evangeliſtas dicebatur Chriſtus Dominus ingredi Synagogas. Noſtra verò quæſtio ſolum procedit in primo ſenſu: an ſcilicèt Iudæorum Eccleſia, quandiu vigebat aliquando à veritate aberraverit?

2 Suppono 2. Rationem dubitandi non eſſe parum implexam, neque reſolutione expeditum articulum diſputandum. Nam ex vna parte videtur, quòd talis Synagoga, interea dùm viguit, à vera fide aberrare non potuit: quandoquidem erat tunc vnica vera Eccleſia mundi, & per quam Deus deberet illuminare omnes in vera fide, & ſynceritate illum quærentes: proindeque debebant eius eſſe promiſſa non non defutura. Ex alia verò parte non deſunt aliqui caſus ſatis impediti, in quibus videtur, tùm à veritate aberraſſe, tùm à vera fide defeciſſe non ſolùm hic vel ille Iudæorum numerus, aut hæc, vel illa Synagoga particularis; ſed Synagoga capitalis, & vniverſim collecta, ſupponenſque pro tota Religione, & Gente Iudæorum. Vnde meritò vertitur hic articulus diſputandus, neque infructuosè; tùm

vt quorumdam locorum difficilium nobis donet legitimum intellectum; tùm ad luſtrandum, excutiendumque latibulum hæreticorum, quo ſe recipiunt, vt Eccleſiam noſtram errare poſſe præfractè contendant. Ea propter non erit nobis opus in hac quæſtione ſigillatim recenſere ſententias: ſiquidem vel in ea diſputatio inſtituitur dogmaticè? Et quoad an eſt ſcilicèt: *an error fuerit necne?* Et in eo ſenſu ſatis eſt generatim dicere duo eſſe agmina pugnatorum, alterum videlicet Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui quamvis inter ſe mordicùs diſſentiant, tamen dum ſternunt viam, contra noſtra dogmata adorituri, amico fœdere componuntur: dicuntque in hac re antiquam Synagogam à fide multoties aberraviſſe. Alterum agmen eſt vniverſim Catholicorum, qui ſyncera fide ſua de more non ſolum omnibus fidei præſentis articulis auſcultant, & obſecundant; ſed vſque ad initium ſæculorum eadem fide retrogrediuntur, credentes Deum ſuis non defeciſſe: proindeque cenſentes, ſemel ſtabilita Synagoga cum Oraculis, & tota Eccleſiaſtica hierarchia, hanc, dum viguit, fuiſſe columnam immobilem veritatis. Si verò quæſtio ſumitur quoad *quomodo aliqui textus ſint expediendi?* cum omnes noſtri Iterpretes in eo conveniant, quòd nihil importent huic aſſertioni contrarium; commodius AA. diverſimodè interprætantes ad commentaria librorum vnde loca petita ſunt, remittuntur.

3 Sit noſtra concluſio. *Synagogo vſque ad adventum Chriſti à fide nunquam erravit. Ab adventu verò Chriſti cœpit tenebreſcere, & obſcurari eo tenore, quo Chriſtus publica ſua prædicatione mundum cœpit illuminare.* Probo primam partem concluſionis. Synagoga, & Eccleſia Iudæorum fuit illud firmamentum, & columna veritatis, quod poſuit Deus in mundo vt homines recto tramite dirigerentur vſque ad adventum filij ſui, qui futurus erat lux mundi. Sed talis Eccleſia ſic à Deo proviſa, & inſtituta in fide, & veritate deficere non poterat: ergo nunquam defecit. Probo maiorem Synagoga ita fuit inſtituta, vt Deus ipſe in ſe ſuſcepiſet prębere in dubijs oracula, atque reſponſa, legem ſuo digito ſcribere, prophetas ſuo ſpiritu implere; Duces ſuo impulſu agere, & in omnibus dare plenam figuram, & promiſsionem Chriſti venturi, dando interea lucem, & gratiam ex fide in Chriſtum, ita vt nullus haberet excuſationem de non credendo, & ſperando in Meſsiam venturum: Sub quo tramite ſalvarentur. Sed præter hæc nihil aliud videtur poſſe deſiderari, vt eſſet verum firmamentum veritatis: ergo, &c. Maior conſtat ex tota Sacra pagina in libris legalibus, hiſtorialibus, & propheticis. Probo iam illam primam min. 1. Nam ſi aliquando Synagoga dum vigebat defeciſſet à fide; non fuiſſet regula infallibilis veritatis: ergo, &c. Antec. patet, nam tuta ſemita, & regula veritatis eſſe non poteſt ea, quæ interdum viatorem falit: nam & ſi ſolum ſemel fiat erratica, id erit ſatis vt per eam potius quam in patriam deveniatur in præcipitium. 2. Probatur eadem minor ex repetitis locis in quibus Deus in lege veteri ſignificat populo ſuo, quòd, ſi ſervaverit eius præcepta cæremonias, & iudicia; erit eorum Deus in æternum eis non defuturus. Sed ſi Synagoga quæ erat viſibilis gubernatio tàm ſacra, quàm politica populi Dei aliquando defeciſſet à fide, eis Deus defuiſſet in protectione: ergo, &c.

2 Probatur 2. eadem prima pars ex D. Paulo ad Hebr. *cap.* 9. *verſ.* 8. „ vbi ait: Hoc ſignificante Spiritu „ Sancto, non dum propalatam eſſe „ Sanctorum viam, adhuc priore Ta„ bernaculo habente ſtatum. Quæ pa„ rabola eſt temporis inſtantis: iuxta „ quam munera, & hoſtiæ offeruntur „ quæ non poſſunt iuxta conſcientiam „ perfectum facere ſervientem, ſolummo-

„ modo in cibis, & potibus, & varijs „ baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis vſ- „ que ad tempus correctionis impoſi- „ tis. Ex quibus verbis, ſic argumentor. Synagogam à fide, & veritate deficere eſt ipſam cadere. Sed ipſa vſque ad mortem Chriſti non cecidit: ergo nec defecit à fide. Mai. patet: nam ipſam ſemper ſervare fidem, & veritatem, eſt in vtraque fuiſſe conſtantem: ergo à contrario ſenſu in vtraque non fuiſſe conſtantem; nihil eſt aliud quam cecidiſſe. Probo iam min. Iuxta Interpretes eſt ſatis clarum, Div. Pauli contextum per prius Tabernaculum intelligere Synagogam, & tempus correctionis intelligere adventum Chriſti, & regni eius, atque abrogationem veteris legis. Sed prius Tabernaculum ſtetit vſque adventum Chriſti, & regni eius: ergo, &c. Probatur min. ex D. Paulo: quia tunc ſolum ſtare deſijt prius Tabernaculum, quando fuit propalata Sanctorum via. Atqui hæc propalatio eſt ipſemet adventus Chriſti, & regni eius: ergo, &c. Mai. patet ex illis verbis: *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum.* Quæ probatio vberrime poterit roborari ex multis doctrinis, quas dedimus circa abrogationem veteris legis, *tom.* 1. *Decad.* 5.

5 Probo iam ſecundam partem concluſionis, ſcilicèt, quod Synagoga cœpit in fide, & veritate tenebreſcere, & obſcurari eodem tenore, quo Chriſtus mundum illuminare incipiebat. Probatur hæc pars primo, ex *Epiſt. ad Hebr.* præſertim *à cap.* 7. *vſque ad* 10. Primo. Quia ibi dicitur: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius; introductio verò melioris ſpei, per quam approximamus ad Deum*: ergo, &c. Secundo. Quatenus allegando locum Iſaiæ, inquit: *Dicens autem; novum veteravit prius, & aufert primum, vt ſtatuat ſecundum.* Sed hoc eſt eodem tenore diſparuiſſe obligationem veteris legis, ac apparuit, & clarescere incœpit lex nova: ergo, &c. Probatur tertio, ex Div. Bernardo *in Epiſt.* 77. & Hugo à Sancto Victore, *lib.* 2. *de Sacramentis, part.* 6. *cap.* 4. vbi „ ait: Oportuit enim, vt illa, quæ „ finienda erant, nequaquam ſubitò, „ vel præcipitanter, ſed paulatim, & „ quaſi cum quadam reverentia di- „ mitterentur, vt oſtenderetur bona „ fuiſſe tempore ſuo: & ſimiliter, quæ „ incipienda erant non ſubitò in au- „ thoritatem aſſumerentur; ſed cum „ mora, & gravitate inchoarentur, ne „ velut aliena, & præter rem, aliunde „ inducta ſubitò putarentur: illa igitur „ dimiſſa ſunt; non proiecta; & iſta „ inſtituta ſunt; non vſurpata: ergo „ &c.

6 Probatur ſecundo concluſio. Ante adventum Chriſti nullus eſt caſus, in quo conſtet Synagogæ fides, & veritas defeciſſe, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum. Sed poſt Chriſti Nativitatem cœpit gradatim circa fidem tenebreſcere Synagoga eodem tenore, quo Chriſtus cœpit apparere lux mundi: ergo, &c. Probatur min. ex P. Martino Becano *in ſua Analogia, cap.* 6. in hunc modum. Tria concilia principalia referuntur facta poſt Chriſtum natum, in quorum primò, licet inciperent perſecutiones in Chriſtum ab Herode; tamen in eo notitia veræ fidei non defuit; quando Hieroſolymis pronuntiatum eſt Math. 2. *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethleem terra Iuda, &c.* In ſecundo verò *Ioann.* 11. coacto per Caipham iam cœpit tenebreſcere fides, dum notitiam verè propheticam *expedit vobis, vt moriatur vnus homo pro populo* erroneo ſenſu contorſit. In tertio verò, vbi *Math.* 26. tandem pronuntiatum fuit: *Reus eſt mortis* fides omninò interijt. Sed hoc eſt fidem in lege veteri eodem gradu defeciſſe, quo illuceſcebat in nova: ergo, &c. Min. conſtat: quia in tempore vtriuſque poſterioris Concilij iam Ieſus luce ſua Evangelica totum mundum illuminabat.

7 Obijcies 1. Si fides in veteri lege non defeciſſet vſque ad adventum Chriſti; vel fuiſſet vſque ad ipſum natum; vel vſque ad prædicationem; vel vſque ad mortem; vel vſque ad Pentecoſtem in quo iuxta nos fuit promulgata lex Evangelica? Sed nullo ex his modis res benè componitur: ergo neque concluſio. Probatur min. per partes primo, quoad Chriſtum natum: quia ante ipſum erat prædictum Hebræis, 2. *Paralypom.* 15. *verſ.* 3. *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero.* Secundo. Poſt Chriſtum natum: quia *Iſaiæ* 1. 3. dicitur: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit.* Tertio. Quoad prædicationem, & tempus eius: quia toto eo tempore, vt nos diximus, lex obligabat, vt etiam conſtat *tom.* 1. *Decad.* 5. *quæſt.* 2. Quarto. Quoad tempus ante Pentecoſtem: quia iam erat facta redemptio, & lex nova ore Chriſti intimata: proindeque fides Synagogæ perierat. Atqui iuxta nos lex vetus vſque ad Pentecoſtem adhuc obligabat: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. conceſ. mai. negando min. ad cuius probationem, reſpondeo per partes, & quidem quoad primũ dico fidem non defeciſſe in Synagoga, vſque ad Chriſtum natum: nam prophetia illa intelligitur de tempore Babilonicæ captivitatis, in quibus non defuit illis verus Deus, & vera fides ac prophetia, vt conſtat ex Prophetis, qui illic fuerunt, vt Ezequiel, Daniel, cum Baruch, Eſdra, & alijs: vnde ſenſus erat, quod futuri eſſent ſine publico, ac ſolemni cultu, & Templo Dei veri, ac ſine Sacerdote lege, & Doctore, vt ſtatim ait textus, quatenus ea omnia munera in captivitate, & abiecta, perinde eſſent, ac ſi non eſſent: ideòque dicitur, quod ſtatim ac poſteà quærant Deum, eum ſunt reperturi; vti fecerunt poſt captivitatem Templum, Civitatem, Cultum, & politiam reædificantes. Ad 2. reſpondeo illam prophetiam Iſaiæ, vel debere intelligi de Chriſto, quem Iſrael non cognovit; licet Bos, & Aſinus cognoverit Dominum ſuum: quia in eo capite infra dicitur *niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quia Sodoma fuiſſemus*: vnde iam non eſt contra noſtram concluſionem. Vel ſi intelligitur de populo Iſraelitico ſermo eſt de cognitione practica; quatenus, licet Iſrael cognoſceret, & crederet verum Deum; non tamen eius legem ſervabat: non ſecus, ac modo concionatores ſolent contra pravos mores detonare vehementer, dicendo: *Hæc Civitas eſt perditis moribus; Deum ſuum iam non cognoſcit.* Ad 3. Quia benè poterat componi, quòd lex tempore prædicationis Chriſti obligaret; & nihilominus aliqua ex parte fides Synagogæ inciperet non tàm deficere, quàm obſcurari: quatenus Miniſtri Synagogæ pravis ſuis paſsionibus iam cœcutientes, notitias à Deo ipſis immiſſas ſenſu erroneo intelligerent, & contorquerent; licet aliàs verum ſenſum ex Deo adhuc illis aſsiſtente retinerent ea, quæ pronuntiabant, prout accidit in Caipha, vt ſupra diximus prophetante, & ſenſum verum prophetiæ alio torquente, vt perſonam Chriſti quem timebat, deſtrueret. Cum tamen circa omnia præcepta legis moralia, cœremonialia, & iudicialia Miniſtri Synagogæ aliquid innovare non poſſent; ſtat optimè, quòd lex illa cum vi ſua obligatoria perſeveraret donec abrogaretur; & tamen Synagogam ipſam viſibilem, & Miniſtros eius ad ſolem iuſtitiæ iam ortum, & illuminantem, denſa caligine cœcutire incœpiſſe. Ad 4. Ex immediatè dictis clareſcit quoque reſponſio: quia quemadmodum vigente tota lege veteri, poterat fides Synagogæ in ordine ad hanc, vel illam applicationem veritatis tenebreſcere; ita etiam potuit ex toto, quoad aliquod punctum perſonale, fidem amittere; lege interea cum vi ſua perſeverante: quemadmodum re vera perdidit

didit totum lumen fidei, notionemque prophetiæ in ordine ad cognoſcendum Meſsiam. Ratio à priori eſt: quia fides vera ex parte obiecti materialis non erat indiviſibilis circa res, & perſonas credendo nimirum, v.g. has, & illas res à Domino factas, vt in libris Hiſtorialibus; has & illas res à Domino præceptas; vt in libris legalibus; has, & illas ſententias ex mente Domini pronuntiatas; vt in libris ſapientialibus; & has vel illas prophetias ab his vel illis prophetis prædictas. Quare propinquante iam fine legis, fidei, & prophetiæ, in veteri lege; voluit Deus vt priuſquam lex moreretur, prius in Synagoga periret fides non quidem quoad libros legales, Hiſtoriales, Prophetales, & Sapientiales; ſed quoad non intelligendas prophetias de Chriſto, negandumque prophetam. Rurſuſque fides, quæ à Synagoga, à morte Chriſti, iam abfuit, translata eſt ad Eccleſiam congregationemque Apoſtolorum: quibus placuit, vt dicimus in quæſtionibus de abrogatione fuſius, vt lex vetus cum ſua obligatione duraret vſque ad Pentecoſten propter rationes in noſtro *tom.* 1. *tota Decad.* 5. per otium expenſas.

8 Obijcies 2. Synagoga nihil aliud eſt niſi totus populus Hebræus cum ſuo Summo Sacerdote. Sed hic populus ita conſtitutus à fide defecit: ergo & Synagoga. Minor probatur. Quia *Exod.* 32. conſtat quod totus populus Hebræus cum Aaron Summo Sacerdote ipſius, idolatravit ad Vitulum aureum, dum Moyſes erat in Monte: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſp. diſt. mai. Iam lege Dei informatus, conced. maior. ante Dei legem, neg. mai. & reſpectivè diſtincta min. neg. conſeq. Itaque Synagoga cum ſuo Summo Sacerdote ſemper intelligitur quædam Congregatio Monarchica, ad inſtar noſtræ Matris Eccleſiæ: proindeque intelligi non poteſt niſi tantum inchoative, quandiu lex non aderat; ſiquidem totus nexus, compagoque huiuſmodi humanæ hierarchiæ ſita ſunt in lege, quæ inſtar vinculorum eſt: quare cum tempore, quo Aaron à populo provocatus cum eo vitulum fecit, necdum à Deo legem haberet; inde eſt quòd tunc non defeciſſe dicitur Synagoga; ſed populus: quem fortiter punivit Dominus; dum, Moyſe cogente Levitas pro ſe, pluſquam viginti millia iunxit, *Num.* 3. 39. & multa millia de populo interfecit. Propterea 2. Solutio eſſe poterit ex Becano quod deficiente Moyſe, & tanto numero Levitarum malè dici poſſet, quod tota Synagoga id eſt tota Congregatio filiorum Iſrael defeciſſet. Quoad Aaron vero (licèt eſſet Summus Sacerdos) non tamen ipſi prout modo noſtro Papæ alligata eſſet Dei aſsiſtentia: quia tunc Deus ipſe erat caput Synagogæ, dum per ſemetipſum ea omnia gubernabat. Noſter vero Pontifex habet huius aſsiſtentiæ infallibilem promiſsionem. *Tu es Petrus, &c.*

9 Obijcies 3. *Ierem.* 2. ait Duo mala fecit populus meus: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, &c.* Atqui deſeruiſſe Deum defeciſſe eſt à fide: ergo aliquando defecit Synagoga. Ad hoc argumentum reſpondeo 1. Ibi ſermonem non eſſe tàm de fide, quàm de operibus præſertim de toto populo: ſiquidem vſque ad Babylonicam captivitatem ſemper duravit Dei cultus, & ſacrificium iuge vt conſtat 2. *Machabæo* 1. 19. Quare tota Prophetica lamentatio erat de peccatis populi etiam idolatricis; ſed non quoad populum vniverſum; ita vt extinctus fuiſſet cultus veri Dei. Reſp. 2. quod nedum in Regno Iuda, vbi conſervatum fuit templum, Reges pij, & cultus Dei ſemper propter ſuprà dicta perſeveravit fides veri Dei; ſed etiam in Regno Iſrael, vbi fuerunt Reges impij, & Ieroboam fecit, plures idolatrare; tamen ibi fuerunt Elias, & ſeptem millia qui non curvaverunt genua ante Baal, & aliqui qui ibant adorare in Ieruſalem vt ſpeciatim diſſero in *quæſt.*

*de Decem Tribubus*: an fuiſſent idololatræ, quomodo? 3. *Reg.* 16. & *Tob.* 1. 5. Quare, licèt Elias ſibi viſus fuiſſet ſolus relictus; tamen vbi ſuprà, cum monuit Deus, ſeptem millia ibi eſſe, &c. Præterquamquod licèt totum Regnum Iſrael defeciſſet, & etiam plures de regno Iudæ tamen dum ſervaretur Templum Sacrificium, & Sacerdos, Synagoga non deficiebat.

10 Ad calcem obſerva, quod ſi in iuramento Ioſue coram Eleazaro, & Voto Iephte coram toto Iſraele argumentum fiat quod erraverit Synagoga; habemus de his rebus ſpeciales quæſtiones vbi hæc facta omnino excuſantur: tùm *tom.* 2. *Decad.* 1. *q.* 6. tùm hoc *tomo Decad.* 2. *q.* 1.

JHS.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

VENIESQVE AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, & ad iudicem. *Deuteron.* 17.

### ARTICULUS.

*VTRVM PONTIFEX IN VETERI TESTAMENTO FVERIT iudex infallibilis controverſiarum?*

1 SUppono 1. Statim ac Deus fecit ſibi populum peculiarem, educēdo eum de Ægypto, vt ſuis divinis legibus informaret; conſtituiſſe Summum Sacerdotem, atque Pontificem ordinarium (Moyſis enim extraordinarius Pontifex fuit, & eius linea, & propago ſolum fuit Levitarum) qui quidem cum iure ſucceſsionis præeſſet populo Dei in his quæ erant ad Deum vt conſtat *Eccleſiaſt.* 45. *verſ.* 8. Vnde poſt Aaron ſucceſsit Eleazarus, eique Phinees ille poſterus Aaron, tam celebris propter zelum quo prærreptus Scortum Madianitidem interfecit: cui facto propterea repromiſit Deus æternum Sacerdotium. *Eccleſiaſtic.* 45. 28. eo ſenſu iuxta Becanum, vt patri ſuo ſuperſtes illo frueretur in ſe, & filijs ſuis; niſi ij malè ſe gererent: quo caſu, iure non amiſſo, eis tamen auferretur vſus, & exercitium, vt re ipſa factum eſt. Nam poſt Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi, qui fuerunt eius poſteri; tranſlatus fuit Pontificatus ad poſteros Ithamar, & primum ad Eli, de quorum genere Pontifices fuerunt eius nepos Achitob, & poſteri Achias, Abimelech, & Abiathar: nam filij Eli Ophni, & Phinees mortui ſunt ante patrem 1. *Reg.* 4. Regnante vero iam Salomone eiectus fuit Abiathar; quòd adhæſerit Adoniæ; & ſubrogatus Sodoc 3. *Reg.* 2. in quo reſtitutus fuit Pontificatus ad lineam Aaronis, in qua per tredecim Pontifices duravit vſque ad captivitatem Babilonicam, quæ contigit, Saraia Pontifice ducto etiam in Babi-

lo-

lonem: cui succesſit quidam Phaſur filius Emmer, qui Hieremiam miſit in carcerem: de cuius legitimo Pontificatu merito dubitatur apud AA. Finita verò captivitate Babilonica, Iosue filius Ioſedech cœpit eſſe Pontifex, cui per ſucceſsionem vſque ad duo, & viginti ſucceſſerunt Pontifices vſque ad tempora Machabæorum. Circa quos, qui de Scriptura conſtant, interdum Antiochus, & Herodes per abuſum poteſtatis regiæ arbitratu ſuo mutarunt Pontifices. An verò Salomon rectè ſe geſſerit ejiciendo Abiathar? quæſtio eſt inter TT. merito diſputanda. De ordine vero Pontificum, *vide Apparatum, part.* 1.

2 Suppono 2. Hunc Summum Sacerdotem, ſeu Pontificem Hebræorum fuiſſe illum iudicem controverſiarum, quem habebant Hebræi, vt apertè conſtat, tùm ex præſenti textu, *Deuteron.* 17. Vbi manifeſtè dicitur, quòd ſi quid difficilè, dubiumve occurrat, quod, etiam auditis reſponſis localium iudicum, omnino reſolvi non poſſet; tunc fiat recurſus ad templum, & Summum Sacerdotem, qui illo tempore iudex habeatur, & eius ſententiæ ſit acquieſcendum: tùm ex verbis Ioſephi contra Apionem *lib.* 2. vbi hæc habet verba: *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo ſacrificus leges cuſtodit, diiudicat controverſias, convictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.* Tum ex ipſa naturali ratione, dictante, eam rempublicam Iudæorum Deo ſic prædilectam & in qua tot leges morales, cæremoniales, & iudiciales ſancitæ erant, non poſſe in poſterum remanere ſine aliquo capite principali, qui ex lege ipſa, & ex ſpiritu eam intelligendi, quem propter vnctionem ſanctam, & coniunctionem cum Deo altiorem, acciperet vberiorem, poſſet dirimere quæſtiones, ex lege manantes tàm circa credenda, quam circa agenda, prout inſinuant illa verba, 2. *Paralypom.* 19. *Cumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremonijs, de iuſtificationibus oſtende de te eis, vt non peccent in Domino.* Nam licèt Moyſes, antequam lex eſſet ſcripta; viva voce Deum conſuluerit, *Numer.* 9. & *Numer.* 15. & *Numer.* 27. cuius quidem oracula in legem relata ſunt; tamen oportebat iam ſcripta lege, dari miniſtrum primum qui tanquam ordinarius mediator inter Deum, & homines cunctas controverſias ex lege dirimeret.

3 Suppono 3. Hunc Summum Sacerdotem, & iudicem habuiſſe infra ſe alios iudices ſubalternos, & inferiores, qui proximius, & immediatius multa dirimerent, vt patet, *Deuteron.* 16. & *Paralyp.* 19. Vbi iubentur conſtitui eiuſmodi iudices in Civitatibus, & portis vt iuſtam ſententiam ferrent circa dubia occurrentia, niſi aliquod ita eſſet perplexum, & anceps, vt opus eſſet, rem deferre Hieroſolymam ad Pontificem. Quare hinc apparet inter Hebræos, & fuiſſe multa tribunalia particularia, & minora, & aliud generale altius, atque ſupremum cuius pronuntiatio rei, & cauſæ eſſet terminus. Hæc quæ ſuapte natura rationi, & æquitati ſunt conſona, exordium habuere in ipſo Moyſe, *Exod.* 18. quando nimirum videns Ietro Moyſem toto die ad reſponſa ſedentem, dixit illi: „ Vltra vires tuas eſt negotium; ſolus „ id non poteris ſuſtinere, ſed audi „ verba mea, atque conſilia, & erit „ Deus tecum. Provide de omni plebe „ viros potentes, & timentes Deum, „ in quibus ſit veritas, & qui oderint „ avaritiam: & conſtitue ex eis Tri„ bunos, & Centuriones, & Quin„ quagenarios, & Decanos, qui iu„ dicent populum omni tempore. „ Quidquid autem maius fuerit refe„ rant ad te, & ipſi minora tantum„ modo iudicent: leviuſque ſit tibi, „ partito in alios onere. Quibus auditis Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. Sed & inſuper cum ipſo Moyſe Deus quoque providit vt etiam ad maiora reſolvenda ſibi adeſſet grave

concilium vocatum Sanedrin, vel Synedrium, *Matt.* 14. & *Luc.* 9. atque *Actor.* 4. commemoratum. Itaque, *Numeror.* 11. *v.* 16. dicitur: *Et dixit Dominus ad Moysem. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel: quos tu nosti, quòd senes populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, vt sustentem tecum onus populi, & tu solus non graveris.* Quæ quidem Concilia fortè collapsa restituit Iosaphat, 2. Paralypom. 19. subdens, vers. 11. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in ijs, quæ ad Deum pertinent præsidebit.* Igitur nostra quæstio inquirit: an talis Pontifex prout erat iudex controversiarum etiam suo concilio stipatus, fuerit infallibilis iudex controversiarum veteris testamenti? In quo puncto brevis est admodum sententiarum recensio: siquidem cum punctum sit de re fere dogmatica; ex vna parte aliqui Lutherani non renuunt concedere Pontificem fuisse iudicem controversiarum; sed negant fuisse infallibilem. E contra vero P. Martinus Becanus *in sua Analog. cap.* 11. *quæst.* 2. asserit fuisse iudicem infallibilem. Quod, & reliquis Catholicis etiam est pervium adscribere: quasi gradum facientibus vt infallibilitatem Romani Pontificis tueantur. De qua quidem non sunt hic miscenda argumenta; cum potius hic articulus præsens, prius stabilitus, argumenta suppeditet pro disputando illo vlteriori.

4 Sit mea conclusio Pontifex in lege veteri erat infallibilis iudex controversiarum. Probatur 1. conclusio, ex „ verbis *Deut.* 17. *v.* 8. ibi: Si difficile, „ & ambiguum apud te iudicium esse „ perspexeris inter sanguinem, & san- „ guinem, causam, & causam; lepram, „ & lepram: & iudicum intra portas „ videris verba variari; surge, & as- „ cende ad locum, quem elegerit D. „ Deus tuus. Venieſque ad Sacerdo- „ tes Levitici generis, & ad iudicem, „ qui fuerit illo tempore: quæresque „ ab eis: quia indicabunt tibi iudicij „ veritatem. Et facies quodcumque „ dixerint qui præsunt loco, quem ele- „ gerit Dominus, & docuerint te iux- „ ta legem eius; sequerisque senten- „ tiam eorum. Non declinabis ad dex- „ tram, neque ad sinistram. Qui au- „ tem superbierit, nolens obedire „ Sacerdotis imperio, qui eo tempo- „ re ministrat D. Deo tuo, & decre- „ to iudicij; morietur homo ille. Ex quibus verbis multipliciter argumentor: & probo sic conclusionem. Primo. Esse Pontificem infallibilem stat in eo, quòd semper, & in quolibet sit verus cognitor, & discretor veri, & falsi, bonique, & mali. Sed ex supra dictis constat veterem Pontificem esse huiusmodi cognitorem in omni ambiguitate, & in omni causa criminali, & civili, imò & in causa Dei, vt est lepræ immissio: ergo erat infallibilis. Mai. patet: quia nemo fallibilis est, nisi habendo verum pro falso, aut falsum pro vero; similiter bonum pro malo, &c. ergo qui vtriusque semper est cognitor, & discretor infallibilis est. Minor constat ex illis verbis: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam; lepram, & lepram, & iudicum intra portas videris verba variari; surge, & ascende, &c. quia indicabunt tibi iudicij veritatem.* Secundo. Quia tenor appellationis ad Supremum Tribunal Religionis, & à Deo dispositus infallibilis est. Sed in verbis supra relatis Deus ipse disponit, quomodo à iudicibus, & portis inferioribus appellari debeat, tanquam ad Supremum Tribunal Religionis, ad Summum Sacerdotem veteris legis: ergo hic erat infallibilis. Mai. constat: quia, si ordo appellationis instituebatur à Deo, via erat tutissima ad veritatem: & hæc in Supremo Tribunali Religionis non poterat non inveniri: ergo, &c. Anteced. patet: quia alioqui Deus falleret homines, aut in via ve-

veritatis, aut termino, quod dici nequit. Iam min. illa conſtat ex verbis datis, vbi lex Dei diſponit appellari ad locum Dei ſeu Tabernaculi, & ad Summum Sacerdotem, ibi cum ſua Sacerdotali Congregatione ſedentem. Sed hoc erat Tribunal Supremum Religionis: ergo,&c. Tertio.Perſona illa, quæcumque ea ſit, cui alligata eſt promiſsio veritatis à Deo facta; infallibilis eſt: ſed ſupra in textu alligata fuit promiſsio veritatis à Deo facta Supremo Sacerdoti: ergo infallibilis erat. Min. conſtat ex illis verbis: *Quæreſque ab eis, quia indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt in loco, quem elegerit Dominus; & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum.* Ex quibus ſic. Deus ibi clarè ait, quòd ex Summo Sacerdotio reſidente circa Tabernaculum Domini procedit iudicium indicans veritatem, & ad mentem divinæ legis, ſententiamque planè ſequendam. Sed hoc eſt Deum promittere veritatem, vt de ſe patet, vt alligatam Summo Sacerdoti: ergo, &c. Quarto. Pontificem eſſe infallibilem eſt in iudicio ſuo non poſſe pronuntiare niſi verum. Sed ita erat Summus Sacerdos in iudicio ſuo: ergo fuit infallibilis iudex. Probo min. Deus non poteſt comminari pœna graviſsima de non ſequendo, & exequendo aliquam ſententiam; niſi hæc ſit vera. Atqui Deus comminatus eſt gravi pœna ei, qui non ſequeretur ſententiam Summi Sacerdotis iudicantis aliquam controverſiam: ergo, &c. Mai. conſtat: quia Deus nequit vrgere, & compellere ad ſequendum quod eſt falſum, vel ambiguum. Min. conſtat ex illis verbis: *Non declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicij, moriatur homo ille.* Probatur ſecundo concluſio. In toto veteri Teſtamento nullus caſus eſt in quo Summus Sacerdos, vel in fide, vel in moribus erraviſſet. Sed in toto tempore legis veteris, & tanta varietate Pontificum aliquando videretur fuiſſe erraturus, ſi potuiſſet errare: ergo non poterat. Min. veriſimillima eſt: mai. autem ex ſolutione argumentorum conſtabit.

5 Obijcies 1. *Lib. 4. Reg. cap. 16.* refertur, quòd Summus Pontifex, tum vocatus Vrias, contra legem Dei fecit altare novum in Templo iuxta formam altaris Damaſceni, & in eo obtulit ſacrificia: ergo aliquando erravit Pontifex veteris Teſtamenti. *Confirmatur.* Quia Aaron fuit Summus Sacerdos veteris legis, & nihilominus vitulum adoravit: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpondeo primo, ex doctrina P. Becani, diſtinguendo anteced. *Erravit vt Summus Pontifex, & iudex*, neg. antec. *vt vir privatus* volens condeſcendere cum Rege Achaz,conc.antec. & neg. conſeq. Itaque noſtra ſententia ſolum eſt, quod ille Pontifex vt talis, & ex ſua Cathedra tunc procedens, ac definiens in re fidei, ac morum errare non poterat; licet perſonaliter poſſet vt homo alius,aliqua tentatione ſuperari, & facere aliquid quod non eſſet ritè factum. Et ſic accidit in conſtructione novi altaris iuxta exemplar Damaſcenum miſſum ad Regem Achaz: quia id non erat aliquid idolatricum; ſed potius Deo verò deſerviturum: vnde licet prohibitum fuiſſet in lege,non tamen erat eiuſmodi vt fides publica, vel publici mores ex inde læderentur; ſed ſolus ille peccaret qui faceret, Regi nimis auſcultans. *Replicabis.* Summum Pontificem id præſtitiſſe, erat, tanquam Summum Sacerdotem, & in re propria miniſterij ſui malum cudere exemplum: ergo,&c.Reſpondeo 1. diſting. antec. *Cognoſcendo eſſe malum*, conc. antec.*Qualificando vt bonum*,neg. antec. Reſpondeo ſecundo negando antec. quia non video,qua lege prohibitum fuerit, ne vmquam poſſet etiam temporibus procedentibus altare conſtrui ipſi Deo ſub elegantiori quadam, aut præſtantiori, magiſque glorioſa figu-

figura : quemadmodum etiam nunc in lege gratiæ, obsequiosum est Deo ipsi Templa, & Aras extruere elegantissimè fabrefactas more Gentilico, vt omne pretium, venustras, & elegantia Deo subserviat : & hoc est quod intendit Achaz, dum voluit altare veri Dei non esse inferius altari Assyriorum: quare fortè neque Vrias peccavit ei obediens : præsertim cum rei tantæ aliqua daretur increpatio ; si vel ex se ipsa, vel ex circumstantijs temporis non licuisset, postquam à temporibus Salomonis omnis gloria, & decor dedicabatur in Templo. Ad confirmationem responsio est facilis: quia Aaron non erat tunc Summus Pontifex, sed postea fuit consecratus anno 2. exitus de Israel, vt constat *Exod.* 40.

6 Obijcies 2. Hieremias fuit condemnatus ad mortem publico decreto omnium Sacerdotum, & prophetarũ. Proindeque inter eos fuit Summus Sacerdos. Sed occidere talem prophetam fuerit error solemnis in doctrina: ergo poterat errare Summus Pontifex. Mai. constat ex *Hierem.* 26. *vers.* 11. vbi dicitur : *Et loquuti sunt Sacerdotes, & prophetæ ad Principes, & ad omnem populum dicentes iudicium mortis est viro huic* : ergo, &c. Confirmatur. Quia *Hierem.* 6. dicitur : *A propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt malum.* Confirmatur 2. Ex *Isaia* 56. vbi dicitur: *Speculatores eius cæci, omnes nescierunt, vniversi canes non valentes latrare, pastores ignoraverunt intelligentiam.* Ad hoc argument. respond. disting. mai. *Omnium incluso Summo Sacerdote*, neg. anteced. *plurium Sacerdotum, & prophetarum*, conc. antec. & neg. conseq. Itaque illa sententia capitalis Hieremiæ non fuit iudicialiter lata, neque ad Synedrion, & Summum Pontificem delata ; sed intentata per tumultum, vt etiam observavit Hieronym. à populo cum pluribus Sacerdotibus, & prophetis, qui eum de vastatione Civitatis concionantem audiverant, vt ibidem contextus exponit : quare nec ipsa mors subsequuta fuit ; sed reddente de se rationem Hieremia, dimissus ipse fuit. Hinc ad primam confirmationem patet responsio : quia illa propositio Hieremiæ erat vna ex eis, quam detonabat adversus populum, & prophetas falsos, malosque Sacerdotes; qui populo connivebant, & blandiebantur : quare in omnes illos invehebatur propheta, & quod ipse prædicabat, retulit textus ; non autem statutum aliquod, aut decretum de statu totius Sacerdotij etiam in primo capite. Ad 2. Confirmat. respondetur primo, ex D. Hieronymo : qui putat tales speculatores cœcos fuisse Scribas, & Pharisæos extituros in tempore Apostolorum prædictos per Isaiam, qui nempè in ipso lumine doctrinæ Christi cœcutirent, dum examinarent, & ignorarent intelligentiam. Secundo respondetur vt supra, id dictum fuisse relatè ad tempora Isaiæ, & multam turbam iniquorum prophetarum, aut Sacerdotum ; contra eos enim passim ijs, & similibus phrasibus se explicabant prophetæ, qui vt tales non ita loquuti fuissent ; neque tam promiscuè contra Summum Sacerdotem. Vnde, & dixit D. Paulus *Act.* 23. se excusans: *Nesciebam quod Princeps esset Sacerdotum.*

7 Obijcies 3. Cayphas fuit Summus Pontifex. Sed hic erravit condemnando ad mortem Prophetam Prophetarum : ergo potuit errare. Ad hoc argument. concess. maior. & min. disting. conseq. Potuit errare quandiu vigebat fides integra in Synagoga, neg. conseq. quando iam venerat nova lux in mundum, & lumen Synagogæ cœperat obscurari, conc. conseq. Nos enim solum sustinemus, quòd, quando Summus Sacerdos veteris legis erat illud organum fidei, & veritatis quod Deus habebat in mundo ; tunc infallibilis erat Iudex cuiuslibet controversiæ, ne Deus homines in via ordinaria comperiendi veritatem relinqueret expositos falsitati, nec satis de ea pro-

proviſos. At vbi Chriſtus venit, in quo non organum, ſed etiam ipſa veritas venit; nil mirum, quòd organa alia receptiva veritatis, dum hanc coram habebant, & interrogabant: *Quid eſt veritas?* eiuſdem infallibiles teſtes eſſe non poſſent: eò quòd à ſuis organis veritas deficere incœpiſſet. *Replicabis.* In lege veteri non erat inconveniens, falli Pontificem; cum darentur oracula, quibus Deus ipſe dabat reſponſa: ergo, &c. Reſp. Oracula ſolùm pro caſibus extraordinarijs eſſe diſpenſata; ſecùs pro communi, & ordinaria via inveniendæ veritatis, quam in lege ſua Deus tenebatur relinquere humanitus adquiribilem.

8 Obijcies 4. Si hæc infallibilitas ſtabilitur protuenda infallibitate Romani Pontificis; potius ei nocet. Atqui induci videtur vt fundamentum ad hanc: ergo, &c. Probo min. Nocet infallibilitati extra concilium, quam tam firmiter ſuſtinemus: ergo, &c. Probo antec. Concilium in lege veteri fuit inſtitutum, *Num.* 11. 16. De ſeptuaginta ſenioribus, qui aſsiſtere deberent cum Moſe ante tabernaculum, vbi dicitur: *Deſcenditque Dominus per nubem, & loquutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetaverunt, nec vltra ceſſarunt.* Ex quo ſic. Dato concilio in lege veteri, Spiritus Dei diviſus eſt inter Moſem caput Synagogæ, & Seniores, his prophetantibus, & vltra non ceſſentibus. Sed hoc indicat, Moſem niſi cum ſuo Concilio, non habiturum plenum ſpiritum requiſitum pro primo capite: ergo, &c. Prob. minor. Nam extra ſuum Concilium deficerent ei plures gradus illis Spiritus, qui pro pleno regimine Synagogæ datus erat toti Concilio: ergo, &c. Ad hoc arg. reſp. neg. mai. cum antec. & min. probationem. Ad probationem minoris, reſp. neg. antec. Quia ſi Moſes eſſet extra Concilium; potiùs Seniores manerent ſine illo Spiritu, quem partito acceperant per manum Dei de plenitudine data in Moyſe; & quem ideo acceperant vt Moyſes non gravaretur, ibi: *Vt ſuſtentent tecum onus populi, & tu ſolus non graveris.* Quare ſicut inſitis trunco ramuſculis, hi ſtatim vireſcunt, & fructificant; amputati vero, ipſi areſcunt, & humor retrahitur ad truncum, ita cum vnetione illa Spiritus ſumpta de Moſe ſe habebant Seniores; vt ſcilicèt cum ipſo Spiritum de ipſo haberent, & prophetarent; ſine illo verò nil ſpiritus haberent, & totus ad Moſem reverteretur: vti pax Apoſtolica, quæ revertebatur ad eos. *Ad vos reverteretur.* Qui modus explicandi appoſitiſsimus eſt, vt infallibilitas Romani Pontificis tàm intra, quàm extra Concilium puriſsimè, & Catholiciſsimè explicari queat.

*

JHS.

# QUÆSTIO OCTAVA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

## QVATVOR REGES ADVERSVS QVINQVE.

*Geneſ.* 14. *verſ.* 9.

### ARTICULUS.

### *VTRUM BELLUM IN LEGE VETERI FUERIT LICITUM?*

1 SUppono 1. Bellum ortum fuiſſe ex peccato originali iuxta ea, quæ diximus agentes de iure Gentium: ſiquidem de iure Gentium planè eſt ius belli: non enim dicitur propriè, & abſolutè *bellum*, niſi quod intervenit inter Gentes, & Nationes, quarum quælibet ſuo Supremo Domino auſcultat: dum enim intra aliquod Regnum Civitates ipſæ confligunt, dicitur bellum *civile*. Itaque poſtquam amiſſa eſt originalis iuſtitia, & pax, homoque prolapſus eſt in peccatum; nedum diviſus fuit amor ille communis naturæ humanæ in plures amores proprios; ſed exinde terra, poſſeſsiones, & iura diviſionem ſumpſerunt; & vt ex his etiam vnuſquiſque tueretur ſua, primum lites, rixę, deinde de gente in gentes iura belli manarunt. Atque cum prima origo belli incœpiſſet vltione, & ſupplicio; inde effectum eſt, vt Deus ipſe peccata poſtea publica, & communia belli clade puniret: vt conſtat *Levit.* 26. *Deuteron.* 28. *Iudic.* 2. 3. 6. & 10. *Iſai.* 5. & *Hierem.* 5.

2 Suppono 2. Bellum communi diviſione eſſe duplex, aliud defenſivum; aliud vero offenſivum. Primum eſt illud, quod gens aliqua parat, & ſuſcipit, dum ab alia natione invaditur. Offenſivum verò eſt, quando ipſamet invadit, & aggreditur hoſtes ſuos, obſidendo, rapiendo, interficiendovè. Et vtrumque generatim loquendo poteſt eſſe iuſtum, vel iniuſtum. Vt autem iuſtum ſit, conveniunt AA. cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. tres eſſe conditiones neceſſarias. Prima eſt authoritas legitima Principis, vel reipublicæ Superiorem non agnoſcentis. Secunda eſt iuſtitia cauſæ ad defenſionem, vel aggreſsionem. Tertia eſt recta intentio. Vnde bellum, ſi habet has omnes conditiones, eſt licitum; illicitum verò ſi aliqua deſit; cum hoc diſcrimine vt ſi alterutra ex prioribus deſit; bellum ſit manifeſtè contra iuſtitiam. Si autem deſit tertia id eſt recta intentio, quatenus data authoritate Principis, & iuſta cauſa, tamen ille ex vindicta, & odio aliunde conceptis belligeratur, eſt contra charitatem, vt benè obſervavit noſter Cardinalis Bellarminus *lib. de Laicis, cap.* 15. De hoc ergo bello ſivè offenſivo, ſivè defenſivo etiam iuſto, hoc eſt iuſta cauſa comite

quæ-

quærimus. An licitum fuiſſet Hæbreis?

3 Suppono 3. Varias leges circa tenorem belli ſervandum recenſeri in Sacra pagina, quas fuſius noſter Becanus, preſsius verò circunſcribit noſter Azorius, *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 11. prima eſt, *Num.* 10. de tubis argenteis ductilibus, diverſoque earum clangore edendo pro diverſitate miniſterij. Secunda, eſt *Deuteron.* 23. vbi dicitur: *Quando eggreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala ſcilicèt à fornicatione, ebrietate, rapinis, & iuramentis*, &c. Quæ lex obſervatione eſt valde digna nedum pro ipſis tunc, qui ſæpè cadebant in bello, dum aliter facerent; ſed pro nobis etiam, quos non aliter oporteret belligerari. Tertia, *Deuteron.* 20. circa delectum militum in quo relucet multa prudentia, dum pavidi, ſponſi, & qui de plantatione aut ędificio necdum primum tulerant fructum iubebantur abire: ſiquidem, & conſulebatur nativo rerum amori, & iuri, & conſulebatur robori exercitus: ne quis corde aliunde capto veniret ad prælium. Quarta. *Deuteron.* 20. vt propinquante conflictu, Sacerdos ante aciem ſtans validè hortaretur populum, fugata formidine, eumque de preſentia, auxilioque Dei ſui firmiter confortando, vt alacriùs pugnam inirent. Quinta eſt *Deuteron.* 20. circa tenorem obſidionis, & occiſionis ſervandæ. Vt nimirum pax civitati cuilibet offerretu, qua accepta ſalvaretur ſub tributo; ea vero non accepta periret exceptis parvulis, & mulieribus, niſi eſſet de Cananæis vbi nullus permitteretur vivere propter periculum perverſionis. De qua lege fuſius egi, *tom.* 2. *in quæſt. de Iuramento Ioſue cum Gabaonitis.* Denique ſeptima lex erat quaſi promiſſoria victoriæ, ſi nimirum ita bellum moverent, & obſervarent; vt videlicèt admodum pauci delerent quamplurimos, vti accidebat; & quaſi comminatoria, vt ſi ſecùs facerent, pavor irrueret ſuper eos, & fugerent nemine perſequente. Ita habetur. *Levit.* 26.

4 Suppono 4. Plures, & varias fuiſſe cauſas, ob quas in lege veteri iuſte potuiſſet bellum iniri, ſivè illud contra exteros fuiſſet, ſivè contra ſubditos, quod civile vocant, & inteſtinum. Fusè egi de hac re, *tom.* 2. *quæſt.* 6. vbi vſque ad duodecim huiuſmodi cauſas retuli; ſed modò paucioribus contenti erimus, ne quæſtio gravetur. Prima ergo cauſa iuſta, & legitima eſt publica Principis contumelia, & irriſio prout fuit illa, quæ deſcribitur 2. *Reg.* 10. facta ab Hanon rege Ammonitarum contra ſervos, & nuntios regis David. Secunda ferre ſuppetias inimicis, quemadmodum fecit Syria Damaſci opem ferens Adarezer regi inimico David, 2. *Reg.* 8. contra quem multa clade pugnavit. Tertia eſt violatum fœdus, vti fecit rex Moab rumpens fœdus de centum millibus ovium ſolvendis: quare ei rex Ioram bellum indixit. Quarta negatio tranſitus per ditionem alienam. Et ſic pugnaverunt Iſraelitæ adverſus Arad regem Cananæorum, *Numer.* 21. Quinta punitio malefactorum, propter quam filij Iſrael pugnaverunt contra Beniaminitas, *Iudic.* 20. Sexta rebellio ſubditorum, propter quam pugnavit David contra Seba 2. *Reg.* 20. ſeptima idolatria ſubditorum, propter quam Moyſes dimicavit contra Iſraelitas, *Exod.* 32.

5 His poſitis circa ſententias perinde nobis hic diſcurrendum eſt ac facimus in quæſtione de inſidijs licitis in bello *tom.* 1. *Decad.* 2. *quæſt.* 2. ibi enim diximus contra Calvinum calumniantem quæſtionem, tanquam ſi diſputabilis non eſſet; ſed placitum, & ſententia cunctorum: quòd iuxta Dialecticam non ſolum datur quæſtio *an ſit res? vel quid ſit?* Sed etiam *quomodo ſit?* Eo quod quamvis certum ſit rem eſſe; tamen multa militant contrà, ita vt expeditionem doctrinalem dignam deſiderent. Ad hunc ergo modum

in

in hac noſtra quæſtione inter Catholicos controverſia non eſt, niſi quoad varietatem explicationis ; eſt tamen contra hæreticos : ſiquidem Manichæi teſte D. Auguſtino *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 74. & ſequentibus aſſerit*, eos, quemadmodum alia loca veteris teſtamenti impugnabant, dixiſſe, bellum ex natura ſua illicitum fuiſſe ac proinde Moyſem Ioſue, & Davidem, alioſque veteris teſtamenti impie bellum geſiſſe. Catholica verò ſententia omnium tenet prædictos PP. non niſi licitè bellum iniſſe, hocque licitè exerceri, quoties conditiones ſuprà relatæ non deſunt.

6 Dico igitur : *Bellum in veteri Teſtamento, & lege licitum fuit, quoties conditiones ſupra relatæ non deficiebant.* Probatur concluſio primo. Bellum inter Nationes, & Gentes natura ſua licitum eſt. Sed alias in veteri lege non erat prohibitum ; ſi adeſſent debitæ conditiones : ergo licebat. Min. patet: quia nuſpiam in tota lege apparet prohibitio ; quin potius multa quæ ad bellum iuvent. Probatur mai. Nam bellum, aut eſt defenſivum, aut offenſivum : ſed vtrumque licet iure naturæ, ſi cum authoritate, cauſa, & recto fine ſuſcipitur : ergo, &c. Probo min. Bellum defenſivum eſt ad cavendum ſibi ab iniuria, & damno inferendo ; offenſivum verò ad reparandam iniuriam illatam. Sed vtrumque dictat ius naturæ, ſi tres illæ conditiones non deſint : ergo, &c. Probatur min. Ius naturæ ſecundarium, ſcilicèt, quod habet natura humana poſtquam corruit per peccatum, eſt, vt quiſque in rerum diviſione, & occupatione primitus innocenter facta, tueatur quæ ſua ſunt, ſivè ſit communitas, ſivè perſona privata : ergo de iure naturæ eſt, quòd quævis gens vel natio arceat iniuriam armis, ne fiat ; vel eiſdem factam reparet, ac compenſet. *Confirmatur.* Iuris naturæ eſt in perſona privata, vt coram Iudice fungatur actione ſua, ne lædatur; vel de læſione facta reparetur. Atqui inter duas Nationes; & Principes nulli ſubiectos non datur alia actio, quàm armorum : ergo per eam licet arcere iniuriam, vel reparare.

7 Probatur 2. concluſio. Non poteſt eſſe illicitum bellum, quod Deus ſæpè imperavit legibus, & quod celebravit laudibus. Atqui generatim loquendo, ita ſe habuit bellum in lege veteri : ergo licebat in ea. Min. probatur per partes. In primis de iuſſu Dei circa bellum conſtat *Numeror. 25.* ibi : *Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſem dicens : hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos, quia, & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos.* Ex 1. Reg. 15. *Nunc ergo vade, & percute Amalec : & dele vniverſa eius*: ergo, &c. Quoad ſecundam partem de legibus belligerandi iam ſupra conſtitit in notabilibus. Quoad tertiam verò partem de laudibus ſtrenuè bella gerentium etiam conſtat, tùm quia Abraham laudatur *Geneſ. 14. 19.* tùm quia Levitæ laudantur de hac re *Exod. 32. 29.* tùm quia *ad Hebr. 11. 32.* laudantur Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Samuel, David, &c. ergo, &c. *Confirmatur.* Ex omnibus illis bellis recenſitis quarto notabili. Quia omnia illa, vt inibi conſtat locis citatis fuerunt iuſtè concepta, legitima authoritate peracta, & ſana intentione inducta: atqui dum hæc concurrunt illicita eſſe non poſſunt: ergo, &c.

8 Obijcies 1. Quidquid adverſatur charitati inter homines licitum eſſe non poteſt : ſed ita ſe habet bellum quibuſvis conditionibus actum : ergo ſua natura non licet. Probatur min. Quidquid inter homines tollit pacem inter eos; facit ſciſuram animorum. Sed hæc contrariè oponitur charitati erga proximum : ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. negand. min. ad cuius probationem, diſtinguo mai. Quidquid tollit veram pacem animorum, conc. mai. Quidquid tollit officia pacis : ſubdiſtinguo, primò, & ſine cauſa, conc. mai. Secundò, & cum illa, neg.

neg. mag. & respectivè distincta min. neg. conseq. Itaque cum vix aliud principium iuris naturæ secundarij, aut iuris Gentium sit notius, quàm quod *vim vi repellere licet*; statim apparet quantum à natura ipsa liceat bellum, quod vi repellit vim, aut illatam, aut inferendam. Æquè tamen verum est, quòd etiam inter Nationes sinceram animorum fidem, atque concordiam discindere piaculum est; sed ab eo factum, qui primò sine causa bellum ingerit, vel dat causam, vt alter ipsi inferat, sublata tali concordia: nam vera pax non consistit in sola suspensione lædendi; sed in mutua animorum consensione, & fide: quæ, aliqua iniuria illata illico rumpitur interius; etiam si exterius adhuc bella non dentur. Ea propter ille, qui vel intentata iniuria per alterum bellum defensivum parat; vel accepta iniuria offensivum; non tollit veram pacem per armorum strepitum: iam enim vera pax charitatis, & animorum fides ablata supponitur per iniuriam factam, vel paratam fieri: ergo qui primus arma movet defensivè, solùm tollit pacis officia, & effectus iusta causa; non secus ac suus hostis fuit primus, qui iniuriam intentando, aut faciendo, veram pacem sustulit, & iniustè: hic ergo est, qui verè lacerat charitatem, & illicita perpetrat; secus verò qui non nisi provocatus iniuria manus cum hoste conserit. Quæ iniuria potest esse positiva, aut negativa, sibi, aut suis, in religione, & in fama, &c.

9 Obijcies 2. Si bellum ita licuisset; etiam licuisset contra ipsos Iudæos, si prædictæ conditiones intervenirent. Sed hoc est falsum: ergo, & conclusio. Probatur min. Quia quando Roboam cum Iuda, & Beniamin voluit inire bellum contra Israel; dixit illi Dominus, 3. *Reg.* 12. *Non ascendetis neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel.* Sed nihilominus Roboam habebat iustam causam belligerandi ad reducendum rebelles: ergo, &c. Ad hoc argumentum concessa mai. neg. min. & ad eius probationem resp. iterum negand. min. quia Deus decreverat scindere Regnum Salomonis, & id notificavit ipsi Roboam per Semeiam virum Dei, subdens: *A me enim factum est verbum hoc*: quare eum à tali bello Deus non revocavit eo præcisè titulo, quia essent fratres sui; sed propter rationem datam: siquidem satis constat, quod iusta causa interveniente poterat bellum suscipi inter ipsos Israelitas, vt pugnavit Israel contra Beniaminitas *Iudic.* 20. Moyses contra Idolatras *Exod.* 31. & David contra rebelles, 2. *Reg.* 20. Et ratione patet: aliàs inter ipsas Tribus, nec teneri iustitia posset, nec iniuria vindicari. Cum ergo iusto Dei iudicio decem Tribus fuissent adscriptæ Ieroboam; non poterat Roboam eas licitè recuperare.

10 Obijcies 3. Si Iudæis bellum licuisset, maximè contra Nabuchum. Sed cum eo bellum suscipere non licuit: ergo absolutè non licebat. Mai. patet: nam vix alius hostis Iudæis magis declaratus, & infensus, quàm Nabuchodonosor. Min. probatur ex *Hierem.* 27. *vers.* 9. *Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & divinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: non servietis Regi Babilonis.* Ad hoc argum. respond. concessa mai. dist. min. ex defectu iustæ causæ, & authoritatis, conc. min. his adstantibus; neg. min. & conseq. Itaque advertì debet, Deum propter alta sua iudicia, imò & misericordiam, decrevit iugo, & dominio Nabuchi Israelitas punire, & probare: & quidem tam benignè, vt per Hieremiam toto eo capite eos admoneret, vt intelligerent se magis sibi consulere, si ei parerent, vt patet *vers.* 12. *Subijcite colla vestra sub iugo Regis Babilonis, & servite ei, & populo eius, & vivetis.* Vnde cum Deus sic disposuisset; iam eius populus, neque habebat authoritatem, neque causam iustam ad bellum ineundum cum Nabucho; licèt tàm tempore Ducum,

quàm Iudicum Regum, & Machabæorum potuissent iustè belligerari cum tot Gentibus, quas Scriptura recenset. Vbi nota 1. quod si indidem tibi obijciatur, aliquod bellum Israelitis non licuisse in aliquibus determinatis circunstantijs; nihil propterea conficitur contra conclusionem: in ea enim solum asserimus, bellum sub debitis conditionibus ex lege licuisse: quod semper erit verum, licet aliquod particulare, & personale bellum fuisset illicitum etiam in viro, & duce populi Dei. Nota 2. quod in iustitia causæ ad bellum intelligitur, quòd non sit alius modus pacificus arcendi iniuriam, nempe mora temporis, obsequijs, favore, & interloquutione, aut medio Iudicio aliorum; dum enim hæc media suppetant, aliud ita cruentum cur liceat? Nota 3, quod cum modò Principes Christiani non nisi ex sententia Iurisperitorum bellum suscipiant; & illi quandoque probabiliter vtrimque dissentiant; posse esse licitum vtrimque bellum. At in lege veteri erat difficilius: tùm quia dum erat Oraculum de ineundo bello deficiebat probabilitas in contrarium: tùm quia cum dimicarent cum Gentibus lege Dei carentibus, hæ non multum curarent de probabili iustitia belli, quod ipsæ susciperent. Nota 4. quod præter rationes supra datas de licentia belli, ea vt id expedierit, non est contemnenda, scilicèt, Deum medio illo aptissimè retundere ab initio superbiam humanam: nullibi enim altius ostenditur potentia Dei ad retundendum omnem potentiam humanam, ac quando nimirum exerta omni humana potentia, eam Deus conterit, vel admodum paucis vt sæpè fecit; vel rebus debilibus vt muscis, per ciniphes, & alia id genus. Non secus ac Deus alta sua sapientia disposuit tonitrua, fulgura, & fulmina, vt etiam in pace, & in vrbibus potentiam Dei nobis præsentarent, & quasvis superborum hominum machinas, & cacumina comminueret; necnon elata nimis corda terreret.

11 Ad calcem obserua 1. Pulchra verba Augustini *lib. 22. contra Faustum à cap. 74.* sic aientis: Neque „ bella per Moysem gesta miretur, aut „ horreat, quia & illis diuina sequu„ tus imperia, non sæviens, sed obe„ diens fuit, nec Deus cum iubebat „ ista, sæviebat, sed digna dignis re„ tribuebat, dignosque terrebat. Quid „ enim culpatur in bello? An quia mo„ riuntur quandoque morituri, vt do„ minentur in pace victuri? Hoc re„ prehendere timidorum est, non re„ ligiosorum, nocendi cupiditas, vl„ ciscendi crudelitas, impacatus, at„ que implacabilis animus, feritas re„ bellandi, libido dominandi, & si qua „ similia, hæc sunt quæ in bellis iure „ culpantur, quæ plerumque ita cul„ pantur, vt etiam iure puniantur. Ad„ versus violentiam resistentium, sivè „ Deo, sivè aliquo legitimo imperio „ iubente gerenda ipsa bella suscipiun„ tur à bonis, cum in eo rerum huma„ narum ordine inveniuntur, vbi eos, „ vel iubere tale aliquid, vel in tali„ bus obedire iuste ordo ipse constrin„ git. Alioquin Ioannes, cum ad eum „ baptizandi milites venirent, dicen„ tes. Et nos quid faciemus? Respon„ deret eis, arma abijcite, militiam „ istam deserite, neminem percutite, „ vulnerate, prosternite neminem. Sed „ quia sciebat eos cum hæc militando „ facerent non esse homicidas, sed mi„ nistros legis, & non vltores iniuria„ rum suarum, sed salutis publicæ de„ fensores, respondit eis, neminem „ concusseritis, nulli calumniam, fe„ ceritis, sufficiat vobis stipendium ves„ trum. Sed quia Manichæi Ioannem „ aperte blasphemare consueverunt; „ ipsum Dominum Iesum Christum „ audiant, hoc stipendium iubentem „ reddi Cæsari, quod Ioannes dicit „ debere sufficere militi. Reddite, in„ quit Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & „ Deo, quæ Dei sunt. Ad hoc enim „ tri-

„ tributa præſtantur, vt propter bella „ neceſſario militi ſtipendium præbea- „ tur: meritò, & illius Centurionis „ dicentis: & ego homo ſum ſub po- „ teſtate conſtitutus habens ſub me „ milites, & dico huic vade, & vadit, „ & alij veni, & venit, & ſervo meo „ fac hoc, & facit, fidem laudavit, „ non illius militiæ defertionem im- „ peravit. Sed de iuſtis quidem iniuſ- „ tiſque bellis nunc diſputare longum „ eſt, & non neceſſarium. Intereſt „ enim quibus cauſis, quibuſque Au- „ thoribus homines gerenda bella ſuſ- „ cipiant: Ordo tamen ille naturalis „ mortalium paci acommodatus hoc „ poſcit, vt ſuſcipiendi belli autho- „ ritas, atque conſilium penes princi- „ pem ſit, exequendi iuſſa bellica mi- „ niſterium milites debeant paci, ſa- „ lutique communi. Bellum autem „ quod gerendum Deo Authore ſuſ- „ cipitur, rectè ſuſcipi dubitare phas „ non eſt, vel ad terrendam, vel ad „ obterendam, vel ad ſubiugandam „ mortalium ſuperbiam, quando ne „ illud quidem quod humana cupidi- „ tate geritur, non ſolum incorrupti- „ bili Deo, ſed neque ſanctis eius „ obeſſe aliquid poteſt: quibus potius „ ad exercendam patientiam, & ad „ humiliandam animam, ferendamque „ paternam diſciplinam etiam pro- „ deſſe invenitur; neque enim habet „ in eos quiſquam vllam poteſtatem, „ niſi cui data fuerit deſuper. Non eſt „ enim poteſtas niſi à Deo, ſivè iuben- „ te, ſivè ſinente. Cum ergo vir iuſ- „ tus, ſi fortè ſub rege homine etiam „ ſacrilego militet, rectè poſſet illo iu- „ bente bellare civicæ pacis ordinem „ ſervans, cui quod iubetur, vel non „ eſſe contra Dei præceptum certum „ eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt, „ ita vt fortaſſe reum regem faciat „ iniquitas imperandi, innocentem au- „ tem militem oſtendat ordo ſervien- „ di; quanto magis in adminiſtratio- „ ne bellorum innocentiſsimè diver- „ ſatur, qui Deo iubente belligerat „ quem male aliquid iubere non poſ- „ ſe, nemo qui ei ſervit, ignorat? Suf- „ ficiant hæc licèt adhuc pergit Au- „ guſtinus.

12 Obſerva 2. Hæc omnia dicta eſſe, loquendo de bello, prout olim à Iudæis in lege veteri vſurpatur: cuius leges ex Sacra pagina deductas iam tetigimus, eaſque eleganti ſuo ſtylo cinxit Ioſephus *lib. 4. Antiquit. Iudaic. cap. 8. propè ad finem.* Qui Author, licèt poſtmodùm ſeptem libros de Iudaico bello conſcripſiſſet; non agit de eo doctrinaliter; ſed hiſtoricè; & quidem ſolum à tempore quo vaſtata fuit Ieroſolyma per Antiochum, expoſito præſertim bello quod Iudæi geſſerant cum Romanis. Quoad iura verò, per quæ nunc bella geruntur, ſparſim ea tàm iure Canonico, & Civili, quàm in DD. Theologiæ Moralis attingi ſolent. Prodijt autem Romæ hoc decimo octavo ſæculo ineunte, opus ſanè doctum, atque præclarum Authore P.D. Antonio Thoma Schiara Aſtenſi Clerico Regulari: quod inſcribitur *Theologia Bellica*, omnes ferè difficultates ad militiam, tùm terreſtrem, tùm maritimam pertinentes complectens; atque Canonice, iuridice, moraliter necnon hiſtoricè dilucidans. Diviſum initio fuit totum opus in duo iuſta volumina. Quorum primum continet libros quatuor, ita vt reſolvantur in 1. difficultates pertinentes ad Reges, & Principes. In 2. pertinentes ad Duces exercituum. In 3. pertinentes ad Officiales. In 4. difficultates pertinentes ad milites privatos. Volumen ſecundum alios totidem continet libros in quorum 1. agitantur difficultates pertinentes ad arma. In 2. difficultates pertinentes ad loca. In 3. difficultates pertinentes ad naves. In 4. denique pertinentes ad bona. In quibus omnibus difficultatibus reſolvendis clara methodo pergit, & ſemoto denſo tumultu diſputatorio, viam ſternit reſolutioni: hanc fundat, & diluit, & largiter per illationes de ſua reſolutione fruc-

fructificat. Acceſsit ad duo priora volumen tertium, in quo ſatis multa enucleantur circa adminiſtrationem Sacramentorum per Capellanos exercituum; dirimunturque plura, quæ inter Capellanos maiores exercitus, Ordinarioſque locorum ſolent agitari, atque controverti. Cuius quidem operis docti, atque ſingularis rationem hic loci dedi: quippè quod fortè pluribus non innoteſcit: luſtravi tamen ego illud, ſi fortè ad primævum ius belli ab exordio mundi nonnulla diſſereret.

JHS.

# QUÆSTIO NONA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

MISITQUE AD BENADAB REGEM SYRIÆ, QVI HABITabat in Damaſco, Fœdus inter me, & te eſt, &c.

2. *Paralypomen.* 16. 3.

## ARTICULUS.

*VTRVM IN LEGE VETERI LICVERIT AVXILIVM AB INFIdelibus implorare?*

1 SUppono 1. Auxilium, quod peti poteſt ab alia potentia in bello iuſto, de quo loquimur, vt ſupponimus, eſſe varium, & multiplex: nam poteſt eſſe vel de inanimatis, cuiuſmodi ſunt tormenta bellica, vel reliquum omne genus armorum machinarumve, quibus actio bellica fœlicius poſsit expediri. Vel inſenſibilibus, cuiuſmodi ſunt alimenta, & victus pro alendo exercitu. Vel de ſenſibilibus cuiuſmodi ſunt, equi, Elephantes, & muli etiam pro impedimentis exercitus; vel denique de rationalibus, vt communiter implorari ſolet auxilium vnius regis ab alio, aggregando ſibi plures copias inſtructas ſuis armis, centurionibus, &c. Quæquidem genera auxiliandi non importunè præmittuntur eſſe valde diſtincta, eò quòd pro re diſputanda nonnullæ ſint rationes, quæ videantur militare contra hoc genus auxilij; non verò contra aliud; veluti eſt periculum perverſionis, quod omnino ceſſat, ſi auxilium ab infidelibus imploratum ſit dumtaxat per irrationalia, inſenſibilia, & inanimata. Ergo poteſt bellum iuſtum ſuſcipi contra fideles, & contra infideles: vnde etiam pro caſu, pro quo contra fideles ſuſciperetur; articulus noſter inquirit. An ab infidelibus licitè imploraretur auxilium?

2 Suppono 2. Nullum tutius auxilium conſtare in Sacris Scripturis, quàm cùm Imperator exercitus vel in multis, vel in paucis omnia diſponebat ſecundum legem: & inſuper ſancta fiducia plenus belli exitum Domino commendabat. Quare leguntur in hoc genere feciſſe præclara facinora celebres

bres illi duces Scripturarum Moyſes, Ioſue, Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Iephte, & Samſon. Similiter temporibus Regum ſiquidem præter David, qui, Deo prius conſulto, & eius ope implorata, tam fœliciter contra hoſtes pugnavit; conſtat *Paralypom.* 13. & 17. & 32. Tùm Abia Rex Iuda, qui vt iniret prælium contra regem Iſrael, totam ſuam ſpem, & fiduciam in Domino collocavit: tùm Ioſaphat, qui propter eandem fiduciam, & ſpem in Deo repoſitam erat terrori cunctis ſuis hoſtibus in circuitu: tùm Ezequias, qui in preſſura poſitus obſidionis per potentiam Aſſyriorum, hac ſpe, & oratione mirabiliter delevit exercitum, dum Angelo deſcendente in caſtra obſidentium 185. millia in vna nocte interfecit. Atque ſub hoc etiam vexillo Machabæi feliciſsimè pugnaverunt. Cum tamen contrà legere ſit in libris hiſtorialibus etiam in populo Dei miſerandas clades dum potius quam ad Deum, ad humana auxilia, confugiebant vt in decurſu diſputationis partim conſtabit.

3 Suppono 3. Deum ipſum, qui nedum in alijs; ſed etiam in belligerando ſuum populum provide diſponebat, & informabat; etiam quæ videbantur minima, & negligenda non præterijſſe: ſiquidem leges dedit in quibus apparet, quàm purgatiſsima omni ex parte ſua caſtra eſſe deberent prout conſtat *Numeror.* 5. & *Deuteron.* 23. vbi dicitur. *Sint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis: Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos.* Quamobrem è caſtris iubebantur excludi omnis pollutus, leproſus, & immundus: quod præterquamquod valetudini, & robori exercitus non parùm conſuleret; inſuper reverentiæ Dei debebatur, quandoquidem in caſtris erat Arca Dei. Ac licèt hanc puritatem caſtrorum ſolum in deſerto obligaſſe ſenſerit Abulenſis; videtur tamen ab Eſſenis etiam in Iudæa obſervata, prout refert Cornelius ex Ioſepho *lib. 2. de Bello Iudaico, cap. 7.*

4 His poſitis circa ſententias aliqui, quos ſupreſſo nomine refert Becanus, ſentiunt, licuiſſe Iudæis in lege veteri dum bellum iuſtum ſuſcipiebant etiam contra fideles, implorare ſibi infidelium auxilium, ſivè in armis, ſivè in militibus. Secunda verò ſententia eſt aliorum DD. qui cenſent Iudæos propter leges ſuas verè non potuiſſe fœdus inire cum infidelibus ad bellum cum ſuis hoſtibus in eundum. Quos etiam ſupreſſo nomine citat noſter Martinus Becanus *in Analogia* veteris & novi Teſtamenti, *cap.* 17. *quæſt.* 6. Tertia ſententia ait per ſe loquendo licitum eſſe etiam in bello iuſto contra fideles quodvis auxilium infidelium advocare; per accidens verò eſſe illicitum, tùm ratione periculi perverſionis, tùm ratione infidelitatis in fœdere, tùm ratione ſcandali. Hanc tenet in loco ſuprà citato P. Becanus afferens pro ſe Dominicum Bañez *in* 2. 2. *quæſt. art.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. cum alijs apud eundem citatis. Quarta ſententia, & modus reſolvendi poteſt ex nuper dictis ſic cogitari: vt nimirum licitum eſſet implorare auxilium ab infidelibus, etiam contra fideles dummodo id ſolum eſſet præſtandum in armis, & pecunijs, in equis, & alimentis; in quibus inconvenientia ceſſare apparebant; ſecùs verò quoad perſonas, & milites.

5 Dico igitur. *Petere auxilium ab infidelibus etiam in bello iuſto contra fideles ex ſuis intrinſecis, & ex iure naturæ licitum eſt. In lege veteri per ſe fuit illicitum.* Probatur facilè prima pars concluſionis. Quia, conſiderata natura vt purè tali, aliorum infidelitas ad rem non eſſet; ſed æquè alij alijs eſſent membra eiuſdem naturæ, quæ ſe fovere mutuo poſſent in cauſa iuſta, imò, & ſæpè deberent. Probo ſecundam partem, quæ continet punctum præcipuæ difficultatis. Illud erat per ſe illicitum in lege veteri, quod in ea

expresse, & formaliter prohibebatur: sed inire fœdus cum infidelibus expresse, & formaliter prohibebatur in lege veteri: ergo erat per se illicitum. Maior patet: quia quod per se respicit lex, & per se respicit vt prohibitum, per se illicitum est. Atque ideo distinxi dicens *ex intrinsecis rei*: nam *intrinseca rei* sunt independenter à positiva prohibitione; secus autem *per se rei*, nam nihil magis *per se* in ordine ad licentiam, aut illicentiam rei, quàm lex versans circa illam. Vnde licèt loquendo de lege, vbi non sit positiva dispositio de hac re, posset dici quod *per se* liceret; secus vbi datur dispositio expressa. Iam probo min. 1. *ex* „ *text. Exodi* 34. ibi: Cave ne vn„ quam cum habitatoribus terræ illius „ iungas amicitias, quæ sint tibi in „ ruinam: sed aras eorum destrue con„ fringe statuas. Lucosque succide: noli „ adorare Deum alienum. Dominus „ Zelotes nomen eius Deus æmulator „ est. Ne ineas pactum cum homini„ bus illarum regionum: nec vxorem „ de filiabus eorum accipies filijs tuis. Atqui tales habitatores erant Gentiles vti Amorrhæus, Cananæus, &c. ergo, &c. Confirm. Ratio est: quia Deus est Zelotes, & ruina imminens. At dare dexteras cum alienis à Deo, & alienis à fide, Deo iusta Zelotypia est, & iustus timor ruinæ ex tali victu, & coiunctione animorum: ergo, &c.

6 Probo 2. min. ex textu Deu„teronomij 7. ibi: Non inibis cum „ eis fœdus, nec misereberis earum, „ nec sociabis cum eis coniugia. Filiam „ tuam non dabis filio eius, nec fi„ liam illius accipies filio tuo: quia se„ ducet filium tuum, ne sequatur me, „ & vt magis serviat dijs alienis. Iras„ ceturque furor Domini; & delebit „ te cito. Quin potius hæc facietis eis. „ Aras eorum subvertite, & confrin„ gite statuas, lucosque succidite, & „ & sculptilia comburite: ergo formaliter, & expresse prohibitum erat in lege veteri fœdus inire cum gentibus. Confirm. 1. ex verbis illis ibi etiam traditis. *Quia populus es Sanctus Domino Deo tuo. Te elegit Dominus tuus vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Ex quibus arguo sic. Deus expresse volebat populum suum se conservare, vt sanctum, & vt peculiarem populum Dei inter populos terræ. Atqui si fœdus iniret cum infidelibus iam neque haberetur populus peculiaris, vtpotè cum alijs communicans; nec sanctus propter mores improbos, quos à sui contubernio non seiungebat: ergo, &c. Confirm. 2. Ex alijs verbis ibidem subsequutis. Eatenus in lege veteri licuisset inire fœdus cum infidelibus, eosque advocare in auxilium, quatenus per id melius consuleretur ad faustum eventum Belli. Sed hoc est falsum: ergo non licuit. Probo min. dicto capite septimo, vbi mirabilia sunt verba, quibus non est „ parcendum, ibi: Non quia cunctas „ Gentes numero vincebatis; vobis „ iunctus est Dominus, & elegit vos; „ cùm omnibus sitis populis pauciores: „ sed quia dilexit vos Dominus, & cus„ todivit iuramentum, quod iuravit „ Patribus vestris; eduxitque vos de „ manu Pharaonis Regis Ægypti. Et „ scies quia Dominus Deus tuus ipse „ est Deus fortis, & fidelis... reddens „ odientibus se statim, ita vt disperdat „ eos, & vltra non differt, restituens „ eis quod merentur... Devorabis om„ nes populos, quos Dominus Deus „ tuus daturus est tibi... Recordare „ quæ fecerit Deus tuus Pharaoni, & „ Ægyptijs... sic faciet cunctis popu„ lis, quos metuis. Atqui in his verbis, & toto capite mille modis ait Deus, quòd si eum sequantur, & à Gentibus separentur, fœliciorem, & securiorem obtinebunt deletionem inimicorum: ergo illa maior securitas boni exitus per auxilium infidelium falsa est, & contra legem. Confirm. 3. Passim in libris Historialibus reperitur adimpletio huius promissionis, & comminationis, ita vt quando à Domino de-

fi-

ficiebant, & adhærerent Gentilibus, infauſtum exitum reportabant; dum autem irent cum Deo ſuo, victoriam obtinerent: ergo ex lege ſua confirmata experientia tenebantur, ne cum infidelibus fœdus inirent. Confirmatur 4. A ratione nunquam poteſt eſſe licitum ſe conijcere in vehementiſsimum diſcrimen amittendæ fidei, & ſalutis animæ, vnde certa ruina ſit ſecutura. Sed ex fœdere, & coniugijs ſtatim ſubſequutis cum alienigenis ait Dominus quod certiſsimè avertentur à Deo ſuo corda Iſraelitarum: ergo, &c.

7 Obijcies 1. In Sacra pagina invenitur Rex Iuda laudatus in textu, & ſtatim iungens fœdus cum alienigena. Ergo licitum fuit. Probatur anteced. *2. Paralypom. cap. 16. v. 17.* dicitur de Rege Asà, ſic: *Attamen cor Asà erat perfectum cunctis diebus eius.* Sed ſtatim inducitur initio capitis ſequentis iniens fœdus cum Benadad Rege Syriæ, qui erat Gentilis: ergo, &c. Min. conſtat ex illis verbis: *Miſitque ad Benadad Regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: fœdus inter me, & eſt.* Ad hoc argumentum reſpondeo 1. diſtinguendo antec. iungens *licitè*, neg. antec. *illicitè*, conc. anteced. & neg. conſeq. Ita in eodem capite manifeſtum eſt delictum Asà in tali fœdere commiſſum: ſiquidem ſtatim per prophetam fuit reprehenſus à Domino, ibi: *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo; idcirco evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua... Stulti igitur egiſti.* Vnde quamvis in fine capitis antecedentis verè laudatus fuerit; tamen fuit multo tempore ante; licèt in Hiſtoria ſit quaſi coniunctum: quoniam ſtatim ſubiungit textus moram temporis ſubſequutam, dicens: *Bellum vero non fuit vſque ad trigeſimumquintum annum regni Asà.* Quinimo ex hoc loco confirmatur noſtra concluſio, tùm ex malo effectu talis fœderis, tùm ex verbis quibus eum ſic Deus increpuit: *Nonne Æthyopes, & Libies multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos, cum Domino credidiſſes, tradidit in manu tua?* Reſpondeo 2. diſtinguo antec. Iungens fœdus per modum ſocietatis, atque convictus, neg. antec. per modum pacti, vt vnus Rex Gentilis inquietaret alium Gentilem ſibi inimicantem, conced. anteced. & neg. conſeq. Eſt enim valde diſtinctum, inire fœdus amicitiæ, & ſodalitatis in quo poſſunt latere plura pericula fidei, & morum quàm ſolum paciſci, vt vnus Princeps Gentilis inquietans alterum, cogat eum deſiſtere ab hoſtilitate, quam parat: & ſic fuit in hoc caſu: ait enim textus: *Quamobrem miſi tibi argentum, & aurum vt rupto fœdere, quod habes eum Baſaa Rege Iſrael, facies eum à me recedere.* In quo nullum periculum ſuberat. Ac deniquè ſententiam confirmant verba illa, *cap. 14.* dicentis: *Domine non eſt apud te vlla diſtantia: vtrum in paucis auxilieris; an in pluribus: adiuva nos D. Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noſter tu es, non prævaleat contra te homo. Exterruit itaque Dominus Æthyopes coram Asà, & Iuda, & fugerunt Æthyopes.*

8 Obijcies 2. *in lib. 1. Machab. cap. 8.* Invenitur, Machabæos inijſſe fœdus cum Romanis mutuis datis Epiſtolis, & re valde ſolemniter confecta. Atqui ſi id non licuiſſet; Iudas Machabæus præſtitiſſe non videretur: ergo erat licitum. Ad hoc argumentum reſpondeo 1. Ad ineundum pactum de convictu, & ſodalitate cum Gentilibus, neg. mai. ad auferendum iugum Græcum, conced. maior. & conceſſ. minor. nego conſequent. Itaque Machabæi dolo, & armis nimium infeſtabantur à Græcis Gentilibus ita vt gemerent ſub eorum preſſura, & anguſtia vt conſtat *verſ. 18.* ibi: *Vt auferrent ab eis iugum Græcorum: quia viderunt quod in ſervitutem premerent Regnum Iſrael.* Quamobrem in præbendo auxilio vnius regis ad alterum

rum poteſt eſſe diſtinctio, quæ ſit alicuius momenti: nam ſi in eo conſiſtat, quod quando rex invaditur à rege tertio ſibi inimico; petat ab altero rege amico ſuo, quod per aliam viam propriis copijs hoſtis ſui vires mordeat, & diſtrahat, eique neget victus, & arma; licitum apparet tale auxilium: quippe in eo non militant inconvenientia partis adverſæ. Atque in hoc genere fuiſſe videtur auxilium poſtulatum à Iuda Machabæo: tùm quia expreſſa conditio erat negare victus, & arma: tùm quia fortè Romani videbantur ſeorſim ab ipſis Iudæis poſſe facilius perſequi Græcos. Reſpondeo ſecundo diſtinguendo mai. putantes propter circunſtantias belli Græcorum ſe poſſe ita confugere, conc. ant. præſtantes rem, quæ verè fieri poſſet, neg. mai. & diſting. min. non præſtitiſſet ductus aliqua ignorantia ſibi à Deo permiſſa, neg. min. non præſtitiſſet malitioſe, conc. min. & neg. conſeq. Duo ergo ſunt, quæ ſuadere non deſinunt Iudam Machabæum in hoc caſu non tam perfectè attigiſſe beneplacitum Dei: alterum eſt, quod in hac amicitia ineunda multis humanis rationibus, & ſplendentibus Romanorum triumphis ductus fuit Iudas ad ſic paciſcendum: alterum vero fuit quod ſtatim ipſe Iudas in prælio inito cum Bachide lamentabiliter occubuit; quod ſi ex Deo pœnitus tale fœdus manaſſet; non tam infeliciter pugnatum eſſet: quare mihi creditu eſt facile hanc rei ignorantiam ipſi fuiſſe permiſſam, ſivè quia iam fides vera paulatim per tempora ad Romanos appropinquabat, ſivè ob alias cauſas Deo notas, & nobis occultas.

9 Obijcies 3. Ad iuſtam cauſam cuivis licitum eſt dare auxilium, & petere: ergo, ſi bellum eſſet iuſtum, à quibuſvis poterant Hebræi auxilium implorare. Antec. patet: quia iuſtitia cauſæ iuſtificat quidquid requiritur ad vincendum. Confirmatur primo. Infideles ex ſe poſſunt bellum iuſtum ſuſcipere contra quoslibet: ergo & iuvare, & ab eis auxilium implorari. Secundo. Quia Magis à natura eſt, vt homo iuvetur ab homine, quam à feris, & animantibus. Atqui in bello iuſto licitè vtimur equis, Elephantibus, Camelis, &c: ergo, &c. Tertio. Licitum eſt præbere auxilium infidelibus, vt fecit David cum Rege Achis. 1. *Reg.* 28. ergo, & petere: quia correlativa ſunt. Ad hoc arg. reſp. diſt. antec. *auxilium in quo* non obſtet cauſa ſuperior, conc. antec. in quo obſtet, neg. antec. & conſeq. Itaque *per ſe loquendo* antecedens eſt verum, niſi in tali auxilio petendo inveniatur obſtaculum, vt eſt hic, vbi non ſolum invenitur Deo manifeſta inobedientia, ſed periculum perverſionis, & peior exitus belli, vt ponderatum eſt: quare iuſtitia cauſæ ſi maneret, cætera iuſtificaret: at ſi adhibendo aliquod medium potius evertitur, nil iuſtificat. Ad 1. confirm. conceſ. antec. neg. conſeq. quoad ſub illationem de petitione. Non enim quidquid poteſt mihi licitè alter dare, poſſum ego petere, & vti: poteſt enim quis Virginem ſuam dare bono Sacerdoti inſtituendam; & hic non poteſt petere, ſi timet ſe lapſurum, maximè, ſi ſibi prohibitum ſit contubernium eum fœmina: & ſimiliter iuvenem hæreticum iuſtituendum, quin poſsit hic petere, ſi timet ſui perverſionem. Ratio eſt, quia tales infideles nec eſſent inobedientes, nec ſe exponerent diſcrimini; ſecus Hebræi tale auxilium petentes à Gentibus. Ad 2. confirm. diſt. mai. quoties damnum maius non immineat, conc. mai. ſi immineat, vt in noſtro caſu ex periculo, & præcepto propter id impoſito, neg. mai. & conceſſ. min. neg. conſeq. Ad 3. reſp. diſt. antec. auxilium per modum convictus, & ſocietatis, neg. antec. aliter ſine vllo periculo ſui. Tranſeat antec. Ad probationem dico, quod David licèt iverit cum Achis, apud quem erat cum ſuis, neceſsitate compulſus fugiens à Saul; non tamen ibat cum eo ſub vero fœdere: & ideo

Sa-

Satrapæ noluerunt ei fidere, & Caſtris abegerunt. Et reapſe David clanculum nocebat Philiſtæis, vt patet *cap.* 27. vbi dicitur: *Virum, & mulierem non viviſicabat David... Hæc fecit David, & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philiſtinorum.* Non ergo cum eis habuit fœdus; ſed potius eis inſidiabatur, vt patet. Rog. 1. An nunc liceat inire fœdus cum Turcis, & Heræticis? Lacroix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 872. preſſe reſpondet, quod 12. AA. concedunt; 14. negant. 6 cum ſumma neceſsitate concedunt. Diana ait, per ſe licere; per accidens verò vix vnquam: & fortius March. apud ipſum. Et quidem dici poſſet *per ſe* licere, eo quòd coram Papa, & Eccleſia lex de non faciendo, non vigeat: ſi tamen conſenſus dici poſsit ille qui ſæpè invitus impediri omnino non poſsit. *Per accidens* vero (imo quaſi ferè per ſe) perverſio fidei, & morum, infida fœdera, ſcandala, triſteſque exitus ſatis oſtendunt quam execrari hoc debeat, & pedibus aliſque fugiendum. Rogab. 2. An contra infideles, eò quod tales fuerint, poſsit bellum licitè intentari? Reſpond. cum varij ſint infideles Pagani, Sarraceni, Heretici, &c. plura hic, quam corollarium poſtulat, miſcerentur. De ijs tamen omnibus docte, & breviter tractar Azor *tom.* 2. *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 7. *à q.* 30. *& deinceps.*

10 Ad calcem huius quæſtionis placet non denegare ea, quæ ex Theologia bellica P. D. Antonij Thomæ de Schiara, *tom.* 1. *difficult.* 6. excerpi poſſunt. Qui in primis ſic notat peroportune, idem non eſſe, fœdus inire cum ijs qui à vera religione alieni ſunt; & advocare alienos à vera religione ad bellandum contra fideles. Primum enim dicit reciprocam promiſionem iuratam, ſeu pactum de bellica ſocietate obſervanda in offendendo, vel defendendo, vel vtrumque faciendo, invita altera parte, non reſcindendum; quia in contractibus alternatim, & coæqualiter oritur in contrahentes actio, & obligatio, vt per textum *in leg. Labeo*, §. *Contractum*, *ff. de Verborum ſignificatione*, *cap. Quod ſemel*, *de Regulis iuris*, *in* 6. præſertim ſi contractus eſt iuramento roboratus; ſemoto tamen animæ detrimento, *cap. Cum contingat de iure iurando*, vel ex iuſta cauſa fœderatorum. Secundum, ſeu advocare alienos à vera religione ad bellandum, importat tantum operam, & ſervitium eorum, quouſque Principi pro bello aliquo, aut facinore illis vti expedire videatur, cum Principi militem dimittere ad libitum concedatur Criſpol. *in Caſib. Militarib. caſ.* 1. *n.* 22. Pòſt quod notabile non importunum, & in huius ſecundo ſenſu non videtur contraire; in primo tamen de fœdere ſtricto tali, relicta probabilitate ſententiæ affirmantis, licere tale fœdus Principi fideli cum infidelibus, quam tùm ratione, tùm ſacris exemplis de Abraham ineunte fœdus cum Abimelech de Machabæis cum Romanis promovet; nihilominus adhæret negativæ ſententiæ productis iuribus Authoribus & rationū momentis, atque argumenta oppoſita diluit, planè diſtinguens iuxta notabile nuper ab eo tactum, repellenſque tale fœdus ſtrictum, ſecus verò advocationem infidelium neceſsitate iuſti belli exigente. Ex qua ſententia pergit de more ad ſuas illationes conſtabiliendas. Quæ proindè diſſertatio ad caſus ſimiles reſolvendos, neque erit lectu inutilis, neque iniucunda.

***

JHS.

# QUÆSTIO DECIMA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

### NON MVLTIPLICABIS TIBI EQVOS.

*Deuteronomij* 17. *v.* 16.

### ARTICULUS.

*AN IN LEGE VETERI LICITVS FVERIT EQVORVM VSVS?*

1 SUppono 1. Equos antiquo tempore non ſecus ac nunc ad duplicem vſum deſervire potuiſſe, nempe ad bellum, vel ad apparatum, ſplendorem, & pompam, inceſſuſque elegantiam: quamquam ſubinde vnus horum vſus ſit alteri quaſi connexus, niſi in ſpecie ab ipſa lege præſcriberetur. Ratio eſt: quia cum equus animal ſit adeo nobile, & generoſum, vt nedum ſit elegans ad inceſſum, ſed etiam ardens, & imperterritum ad prælíandum; ferè impoſsibile eſſet, vt quicumque licitè poſſent habere equos ad pompam, non eiſdem quoque vterentur ad conflictum, quoties bellum ingrueret; cum nulli alij animali fidere poſſent tutius vitas ſuas in fervore prælij. Et quidem ad oſtentationem, & pompam fuiſſe in Regno Iſrael equos plurimos conſtat 3. *Reg.* 10. *v.* 26. An verò Salomon in eo peccaverit? dubium eſt. In quo Becanus videtur putare quod ſic, attendendo præſertim ad tributa duriſsima Salomonis, 3. *Reg.* 12. Bonfrerius verò potius excuſare videtur, eò quòd ea pompa videretur fuiſſe complementum gloriæ Salomonis à Deo promiſſa, eique conceſſa; dum Deo gratus eſſet, antequam templum ædificaſſet. Sed præcipuum dubium verſare videtur circa bellum: num ſcilicèt in eo Iudæis equitatum habere licuiſſet?

2 Suppono 2. Rationem dubitandi conſurgere ex multiplici textu ſparſo per Sacras litteras. Alij enim ex vna parte ſuadere videntur, licitum ipſis fuiſſe vſum equorum: ſiquidem de Adonia, 3. *Reg.* 1. legitur quòd fecit ſibi currus, & equites: & de David etiam conſtat, 1. *Paralypom.* 18. quod ſuperato rege Adarezer, centum ipſius quadrigas equorum ſibi retinuit. Item pius Ioſaphat equos habuit, 4. *Reg.* 3. & Hieroſolymis, domoque regia porta erat, quæ dicebatur *equorum*. Sed & fortius idem apparet ex reductione populi de Babilonia, qui ſecum adduxit pluſquam ſeptingentos equos. 1. *Eſdr.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 7. Alij verò textus è contra perſuadent ipſis fuiſſe interdictum vſum equorum præſertim ad bellandum vt conſtat *Deuteron.* 17. v. 16. & *Pſalm.* 32. *verſ.* 17. *& Iſai.* 31. *v.* 1. *& Oſſeæ* 1. *v.* 7. *Ioſue* 11. *v.* 6. vbi omnes equi bello capti ſubnervari iubentur. Ex quibus reſul-

sultat quæstio hic non immerito disputanda.

3 His positis duplex potest recenseri sententia: altera, nimirum, asserens Iudæis fuisse verè prohibitum plures equos habere. Quam sententiam tenent Haimo, & Benedictus Arias Montanus, apud Patrem Pinedam *lib. 7. de Rebus Salomonis, cap.* 14. Origenes *homil.* 15. *in Iosue*, & D. Hieronymus *in Psalm.* 75. *v.* 7. secunda verò sententia asserit non fuisse Iudæis prohibitum equorum vsum; sed tantummodo abusum, & excessum. Hanc sententiam defendunt P. Martinus Becanus *in Analog. Veter. & Novi Testamenti, cap.* 16. *quæst.* 11. Eamque etiam videtur amplecti Iacobus Bonfrerius *in suis Commentarijs super Deuteron. cap.* 17. *v.* 16. Item Cornel. ibidem citans prò se Basilium, & Procopium: necnon, & Hieronym. in eodem loco vbi suprà citatus est pro sententia contraria.

4 Sit mea conclusio. *In lege veteri prohibitum fuit Iudæis vti equis, præsertim ad bullum.* Probatur conclusio. Non potest non esse verè prohibitus vsus equorum præsertim in bello si in Sacra pagina datur, tùm lex de hac re satis expressa, tùm experientia constans vsus contrarij, tùm crebra increpatio transgressionis, & exprobratio vsus contrarij, simul cum varia congruentia admodùm verisimili. Sed hæc omnia dantur. Ergo, & vera prohibitio. Probo 1. partem minoris. Nam, *Deuteron.* 17. inquit textus loquens de Rege, quem creaverit: *Non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus.* Sed hoc est prohibere equorum vsum, maximè ad bellum: ergo, &c. Probatur min. 1. Quia multiplicatio equorum, & formatio equitatus ad bellum respicit: præsertim prout ex alijs locis colligitur, vt Psalm. 19. *Hi in curribus, & ij in equis; nos autem in nomine Domini.* Psalm. 32. *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Psalm. 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* Et Isai. 31. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxiliam in equis sperantes.* Probo min. 2. Ratio quam dat textus est, ne equitatu sublevatus reverteretur populus in Ægyptum. Sed hæc ratio non tàm probat interdictum abusum, quàm vsum præsertim in bello: ergo, &c: Patet min. quia in Ægyptum populum iam nisi armata manu propter hostes interiacentes redire non posset. Probo 2. partem de experientia, & praxi: quia tàm in bello, quàm extrà mos erat Iudæis mulas conscendere vt constat 2. Reg. 13. *Omnes Filij Regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.* Et cap. 18. *Accidit autem vt Absalon occurreret servis David sedens mulo,* 3. Reg. 1. *Imposuerunt Salomonem super mulam regis David.* Ergo, &c.

5 Probatur quoad tertiam partem de increpatione: quia *Isai.* 2. reprehenduntur Israelitæ, quòd Dei obliti, terram equis replevissent. Et *Isai.* 30. etiam increpantur, quòd in equis Ægypti fiduciam collocarent. Item de exprobratione: quia *Isai.* 36. Rapsaces Dux Assyriorum exprobravit Ezequiæ, quòd non haberet ascensores equorum. Et quidem propter prohibitionem, vt interpretatur Hieronymus: ergo, &c. Probatur denique de congruentia primo. Quia Deus volebat intercipi omne commercium cum Ægyptijs, vbi speciosum erat genus equorum; qui nisi prohiberentur omninò, saltem in initijs, facilè populus ad Ægyptum reverteretur. Secundo. Quia in multis textibus inculcatur Iudæis ne sua fortitudine, & viribus confideret robore quasi carnis, & sanguinis, potius quam auxilio Dei. Atqui ad hunc finem congruebat interdictio equorum, maximè in bello: ergo, &c. Ex quibus omnibus satis patet, quod omnia loca de hac re simul collustrata potius suadent, equos Iudæis omninò fuisse interdictos, præsertim in initio. Itaque tandem con-

clu-

cluſio confirmatur, ſic ex *Ioſue* 11. Nam ibi iuſſus eſt equos Gentilium, cum quibus erat dimicaturus, ſubnervare, ne alias ſervire poſſent, vti & fecit: ergo, quia non licebat eis talis vſus equorum.

6 Obijcies 1. David fuit Rex Sanctus, & ſanctè ſe geſsit reſervando ſibi centum quadrigas equorum de pugna, quam habuit cum Adarezer Rege Soba. Sed ſi ex lege fuiſſent equi prohibiti, David eos licite ſic non reſervaſſet: ergo ſaltem aliquomodo liciti fuerunt. Mai. conſtat 2. *Reg.* 8. & 1. *Paralypom.* 18. *verſ.* 4. vbi dicitur: *Subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas ſibi reſervavit.* Præterea ibidem patet, quod id præſtitit laudabiliter nam ſtatim ſubiungit textus: *Adiuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.* Ad hoc argumentum quod videtur fortius, ex eo quod David in eo rectè ſe geſsit, poſſet primò reſponderi id particulariter inſpiratum fuiſſe Davidi propter eum bonum zelum, quo ea bella gerebat, cunctaque ad Dei obſequium revocabat: vnde, & propterea ne putaretur minus rectè proceſsiſſe, ſtatim retulit textus, quomodo ſpeciale auxilium Dei foret cum illo. Sed reſp. ſecund. neg. min. quia talis reſervatio equorum non erat pro ſuo vſu in quo ſtaret legis tranſgreſsio. Id conſtat, quia etiam poſt hæc nullus, tàm ſui, quàm filiorum eius, vt Abſalonis, & Salomonis, legitur equorum vſus; ſed potius contrarius, ſiquidem, vt ſupra conſtitit, inſederunt mulis, tàm in bello vt Abſalon, quàm in triumpho, vt Salomon quando iuſſus fuit pro initio regnandi conſcendere mulam patris ſui. Et propter hæc magis inclino, vt mea fert quoque concluſio, quod etiam ad eleganter incedendum erat eis talis vſus prohibitus: & ſic eam Deuteronomij legem intelligebant; alias cur ſibi reſervatis tot equis nunquam, neque David, neque filij, neque in bello, neque in triumpho equum conſcenderint? Vnde ſtatim pervium eſt cogitare, illos equos à David reſervatos propterea fuiſſe, vt haberentur non ad vſum, ſed ad regium ſpectaculum, regiamque ſupellectilem, cuiuſmodi eſſe ſolent in regum aulis aliqua ſingularia inimicorum ſpolia, & animalia rara, quæ pro ſolo regio ſpectaculo ſuſtentantur. Vel potuerunt reſervari ad munera quædam, exigente occaſione, alijs Principibus præſentanda; vel cum eis aliqua ſibi neceſsaria recuperanda. Quod ſi tamen ad vſum aliquem præter bellicum eos, quis reſervatos eſſe contenderit, vt aliqui AA. exiſtimare videntur; non valde repugno, cùm præcipuum fundamentũ in Scriptura magis vrgeat pro non vſu equorũ in bello. Sed re vera, neque erit cur ſerius interpres à parte contraria inſiſtat, quando nullum poteſt depromere vſum licitum in Sacra pagina niſi mularum. Tertio. Poteſt reſponderi conformiter ad doctrinas à nobis præſtabilitas in quæſtione de iuramento promiſſorio, negando etiam minor. eò quòd lex vetus Deo ſic providente, & diſpenſante, diverſimode quoad gradus obligationis occurrerit per tempora ſua, ita vt in initio fortiſsimè, vniverſim, & quaſi ineluctabiliter obligaret. Poſteà verò pro humana conditione, & tractu legis, plus ſe explicantis, temperatius. Ex quo manat, quòd cum in initio *Ioſue* 11. iuberentur equi in bello capti ſubnervari; ita cum omnibus præſtitit Ioſue: tunc enim recentius poſita erat lex interdicens equos Iudæis ad auferendum commercium cum Ægyptijs, vel ſuperbiam in prælijs; poſtmodum vero temporibus Dauid, in quibus neque commercium Ægypti imminerct; neque exaltarentur ſuperbia in præliando, ſed potius cum ſuo David humiliter ad Dominum confugiebant; potuit illa lex intelligi temperatius, vt plures AA. nunc eam intelligunt ſolum de interdicta equorum copia, & abuſu: ita vt ſub hoc tenore ex diſtinc-

tinctione temporum iura concordent: vt quidem initio legis omnis omnino vsus fuerit interdictus; postea verò non nisi abusus copia, & excessus.

7 Obijcies 2. Eatenus daretur talis prohibitio equorum, quatenus illorum vsus fuisset interdictus, *Deuteron.* 17. Sed non fuit; ergo conclusio est falsa. Min. probatur: textus solum dicit, *& non multiplicabit sibi equos.* Sed hæc expressio manifestissimè non interdicit vsum, sed excessum: ergo, &c. Confirmatur 1. Nam ratio data in textu, scilicèt: *Ne equitatu numero sublevatus*, &c. Clarè etiam significat transgressionem futuram esse in solo numero, & abundantia: ergo, &c. Confirmatur. 2. Nam eodem tenore quo ibi prohibetur multiplicatio equorum etiam prohibetur pluralitas vxorum, & divitiarum. Sed hæc duo solum quoad excessum, & abusum fuerunt ipsis prohibita. Ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando min, ad cuius probationem disting. mai. loquendo iuxta naturam rei, & interpretando ex toto contextu Sacræ paginæ, conc. maior. attenta mera grammaticali significatione verbi, neg. mai. & respectivè distincta, min. neg. conseq. Itaque ibi textus, & lex loquebantur apositè: siquidem quando res est eiusmodi, vt non haberi soleat nisi in numero; præsertim à persona regia; & prohibeatur ex aversione talis rei; tunc casus est, prohibere illam simpliciter, prohibere illam in numero: maximè si in persona, cui fit prohibitio, sit vehemens propensio ad talem rem prohibitam, v. g. ponamus exemplum in aliquo mercatore, aut negotiatore multum dedito vsuris. Si ipsi aut lex aut iudex ita diceret: *Non multiplicabis tibi vsuras*: quis auderet dicere, eas solum fuisse prohibitas quoad excessum, non verò omnino? Ratio est: quia ibi fit prohibitio, tùm personæ propensæ, tùm de re, quæ in pluralitate vsurpatur, tùm ex multo rei horrore propter intrinsecam malitiam. Sic similiter in nostro casu, dicendo: *Non multiplicabit sibi equos*: fit prohibitio, tùm respectu Principis, & populi vehementer inclinati ad fastum equorum, tùm de re, quæ in pluralitate vsurpatur, præsertim à Principe, & popullo belligerante, tùm cum horrore rei, & quasi execratione equivalente ad illum suprapositum de re intrinsecè mala, ex eo quod commercium rursus inire cum Ægyptijs, & superbire in prælijs suis Deus in suo populo multum aversabatur, & execrabat. Vnde clarè colligitur, quod illa prohibitio omninò facta fuit vsque ad vnum. Quod insuper patet: quia negationes, & prohibitiones in Sacris litteris crebro ita fiunt vsque ad vnum. Deinde efficacius: quia de re, quam Deus, quasi execrando, prohibet, neque particulam solet permittere; quinimò rei adiuncta; & rem de re prohibere solet: vt patet ex toto corpore legis, & clarè constat, dum non solum prohibet coli idola; sed neque vendi, neque eorum pretium retineri. Ergo, &c. Ad 1. confirmationem simul, & ad 2. respondeo sub eadem doctrina, quæ sit fulcrum, explicatioque ad superiora. Nam licèt ibi signetur equitatus numerus, significatur vt effectus, qui sequeretur si omnis omnino equorum vlus non foret interdictus: siquidem gens adhuc inclinata ad Ægyptios, & ad generosum fastum equorum, paucos prius habere permissa; statim sibi equos multiplicaret, & equitatus, quibus in Ægyptum rediret. Vbi nota subtiliter: quod ly *non multiplicabis* in rigore est dicere: neque *paucos habebis*: multiplicare enim rigorosè loquendo non est habere plures nec de multis facere: id enim potius est facere abundantiam; sed multiplicare in rigore est de paucis facere plures: proindeque, suppositâ passione vehementi ad equitatus, idem est dicere, *non multiplicabis tibi equos*: quàm dicere: neque paucos habeas, vnde statim tibi crees multos. Solitum enim est in Deo, & lege veteri prohi-

bere ſimul rem, & periculum rei veluti idolatriam, & connubia cum alienigenis. Vnde cum apud Sinas malefidi ſint canes; dicere alicui eorum per cupido: *Ne canes tibi multiplices* eſt dicere: *Ne villos habeas; ne ſtatim habeas plures.* Cuius quidem interpretationis tenor ſemper ſolidè excerpitur ex toto contextu Sacræ paginæ: quia, ſcilicèt, talis vſus nuſpiam licitè inventus, ſæpè apud Iudæos increpitus; ſæpè exprobratus eſt, & pro eo mularum vſus inductus. Ex quo iam manat reſponſio ad paritatem vxorum, & divitiarum: ſiquidem è contrario vtrumque poſtea in Sacra pagina invenitur cum moderatione permiſſum, & licitè vſurpatum: quare eadem regula interpretandi ſuaviter, & fortiter nos inducit, vt equorum vſum penitus explodamus; vxorum verò, & divitiarum temperate ſervemus.

8 Obijcies 3. Reges Iuda vſi ſunt equis etiam in bello: ergo non ita ipſis prohibitus fuit vſus equorum. Probatur antecedens. De Rege Ioram, qui erat Rex Iuda dicitur 2. *Paralypom.* 21. *verſ.* 9. *Cumque tranſiſſet Ioram cum principibus ſuis, & cuncto equitatu, qui erat ſecum, &c. ſurrexit nocte, & percuſſit Edom*: ergo, &c. Confirmatur. Rex Ioſaphat fuit pius, & ſanctus, ſed tamen habuit equos ad bellum: ergo, &c. Probatur min. 4. *Reg.* 3. *verſ.* 7. dicitur de altero Ioram Rege Iſrael, ſic: *Miſitque ad Ioſaphat Regem Iuda, dicens Rex Moab receſſit à me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui reſpondit: aſcendam: qui meus eſt, tuus eſt: populus meus; populus tuus: equi mei, equi tui*: ergo habebat equos ad bellum. Ad hoc argument. per quam facilis erat reſponſio quoad Ioram Regem Iuda, qui peſsimus fuit prævaricator, & propterea dirè ab Elia increpatus, & etiam mortuus populo exoſus: quare dicendo in vſu equorum peccaviſſe; pugna conquieſceret. Sed attendendo ad confirmationem, quæ inducit Ioſaphat cum equitatu ad bellum parato, germanius eſt ad argumentum, & confirmationem reſpondere cum doctrina iam inſinuata ſupra in tertia ſolutione primi argumenti, dicendo, videlicet, quòd iuxta noſtram concluſionem lex vetus ſecundum litteram in ſui exordio, & prout diu fuit obſervata, nullum equorum vſum admiſit; verùm tempore procedente, poſtquam diviſio ab Ægyptijs radicata erat; & ſuperbia præliandi compreſſa per ſpem in Domino poſitam, & ponendam; potuit aliquis equorum vſus, & retentio, ſivè tanquam res pretioſa, ſivè aliquando ad inceſſum, aut dona facienda, non tam odio haberi, aut removeri à Iudæis; eo quòd iam ceſſaret illud periculum, quod antea erat tam præſentaneum: vnde David illas centum quadrigas equorum de Rege Aderezer ſibi reſervavit. Poſtea iam iuvenili ardore regio magis rem ampliante, & fortè nonnullis legiſperitis etiam præeuntibus, Adonias filius David, 3. *Reg.* 1. fecit ſibi currus, & equites, vt regnaret: & poſt hunc Salomon fundatius (Deus enim ei promiſerat maiorem pompam regis, quàm quæ eatenus fuerat, & poſtea erat futura) cœpit ſine menſura equos multiplicare, 3. *Reg.* 4. & 10. & 2. *Paralypom.* 2. & 9. Vnde, & magis inclino cum Bonfrerio, Salomonem in ea re fortè non peccaviſſe. Ex eo igitur tempore iam apud Magiſtros legis deſuper à Deo illuſtratos, vt eam pro conditione humana, & ſtatu, ſpiritu prudentiæ temperarent, invaluit facultas, qua reges iam cum equitatu ad bella procederent: imò, & neque in fœdere cum alienigenis ineundo ligatiſsimi putarentur: quare ibidem Rex Ioſaphat, nedum cum Rege Iſrael, ſed cum Rege Edom dexteras iunxit. Obſerva tamen hic à Ioſaphat non fuiſſe vocatum auxilium infidelium; ſed cum Rex Iſrael eum advocaſſet contra Regem Moab; & etiam advocaſſet Regem Edom, hi tres perrexerunt. Replicabis quomodo ergo conqueritur *Iſaias* 2. *verſ.* 7. dicens

cens de Hieruſalem : *Repleta eſt terra eius equis , & innumerabiles quadrigæ eius.* Reſpondeo ibi Prophetam tropice loquutum potius plangere effectus, quàm cauſas, nimirum ſuperbiam, avaritiam, luxuriamque, & alia vitia, in quæ ſua fœlicitate devenerunt : ſolet enim multa fœlicitas multa crimina parturire : vnde ibi ſimiliter lamentatur, quod terra erat plena auro, & argento, quod de ſe erat innocens, ſecùs in vitijs ex inde manantibus. Præterquamquod dici poteſt, permiſſionem ſolùm quoad Principes invaluiſſe ; ſed Prophetam conqueri, eum vſum, & exceſſum factum iam fuiſſe Vulgarem.



JHS.

# DECAS III.

## QUÆSTIO PRIMA.

### TEXTUS

### AD ILLA VERBA.

### MANDATVM NOVUM DO VOBIS.

*Ioann.* 13.

### ARTICULUS.

### *UTRUM LEX NOVA SIT VERE PRÆCEPTIVA, & quomodò*

1 SUppono 1. Ex Suario *lib.* 10. *de Legib. cap.* 2. *numer.* 12. nonnulla, quæ præsertim articulum illustrabunt. Primo enim ait, quòd circa præcepta Decalogi, & quæ ad ea reducuntur, Christus Dominus nihil adiecit præter ea, quæ sunt de iure naturæ, vel simpliciter, & absolutè loquendo; vel consequenter ad suppositionem institutionis alicuius Sacramenti: & ita ad ius naturæ reduci possunt, & debent quæcumque ex ipsa lege Decalogi promanarint. Secundo. Quod in explicatione huius legis moralis, licet de rigore obligationis ad ius naturæ nihil addiderit; addidit tamen Christus multa alia valdè vtilia ad eius obseruationem, quæ tamen ex errore, vel hominum ignorantia, non erant cognita: quæ quidem appellari possunt *mandata, & consilia dispositiva*, seu præparantia ad obseruandam legem: in quo sensu non incongruè sumi possunt pro consilijs ea, quæ sub nomine mandatorum in lege veteri recensentur, prout inclinat D. Thomas: nam verbum *iubeo, impero, ac præcipio* sonant rigorem obligationis; verbum autem *mando* importat dumtaxàt aliquid committi alteri, & quasi in bona fide eius deponi. De quibus Augustinus *de Sermon. Domin. in Monte*, & D. Thomas *quæst.* 108. *artic.* 3. Tertio. Quod Christus Dominus ad legem moralem perfectius implendam multa consilia adiecit *Matth.* 10. & 19. & *Luc.* 9. & 10. & hæc sunt consilia perfectiva de quibus latè Suarez *de Religione loquens de statu Religioso*; & D. Thomas 2.2. *quæst.* 184. *art.* 3. & *sequentib.*

2 Suppono 2. Ea, quæ videntur corpus alicuius legis adæquatè componere, esse quinque, scilicèt, præcepta moralia, præcepta cœremonialia, & præ-

præcepta iudicialia, mandata, & consilia, sumendo nimirum mandata in superiori acceptione; quando, nimirum, committuntur aliqua, & commendantur facienda sine rigore legislativo, & quæ iuvant ad legem implendam. Nam ex his omnibus resultat, quod homo obligetur ad faciendum quidquid debitum est erga Deum, erga se, & erga proximum suum: atque insuper, quod ad hæc præstanda duplici manu iuvetur altera eum manuducente, & adiuvante, vt faciat; altera dum facit, vel postquam fecit, eum perficiente confortante, ne deficiat. De quibus omnibus generatim hic oportebit attingere, vt melius cognosci possit tenor ille, quo data est hæc lex nova, & Christus fuit eius Legislator. Circa quæ tamen præoculis habere oportebit id, quod dicunt Theologi Scholastici ad tractatum de Incarnatione, nimirum, inter duas voluntates, quæ in Christo Domino reperiuntur, divinam, scilicèt, & humanam, dari mirabilem illam concordiam, qua Christus Dominus, vt homo, semper, & in omnibus voluit idem, ac Deus: vnde eius placitum ab æterna lege, & naturali nunquam dissensit.

3 Suppono 3. Quando agitur de lege nova, sæpè solere vsurpari ac dici: *Hoc vel illud esse de iure naturæ*; sed debere maximè adverti id, quod Suarius in hac parte, nunquam importunus, frequenter inculcat, scilicèt, ius naturæ comprehendere non solum ipsam nudè sumptam, sed ipsam etiam, vt elevatam eò quòd elevatio fiat per gratiam, quæ est veluti natura ordinis superioris, radicans altiores habitus, & fundans celsiora iura. Qua propter inoffensa phrasi potest dici aliquid valde supernaturale esse de iure naturæ; quin propterea iudicari debeat sermonem esse de viribus naturæ nudis, & non elevatis. Vbi tamen est advertendum; quòd, etiam considerata natura cum sua elevatione, dupliciter potest considerari aliquid esse de iure huius naturæ: primo antecedenter ad rei institutionem, considerando, nimirum: an de iure illius sit, quod instituatur, vel non instituatur? Secundo consequenter ad institutionem: an, scilicèt, facta institutione alicuius rei, ea præstari debeat attento iure naturæ sic elevatæ?

4 His positis in hac quæstione, quæ inter Catholicos non potest esse *quoad an est?* Quasi dubitetur: *An sit vera lex?* Sed *quomodo est?* Nempè: quænam est eius præceptorum collectio traditio, & obligatio? Non dantur diversæ sententiæ DD. nisi in quantum ad vnum, vel alterum placitum prædictæ legis explicativum discrepant: veluti cum Toletus noster *Ioann.* 13. *Annotat.* 30. putare videtur, præceptum charitatis in lege nova non fuisse de dilectione proximi in communi; sed inter Christianos exercenda. Sivè quatenùs exponentes, quomodo Christus nos redemit à maledicto legis? Anselmus, & Adamus in Paulum dicunt, esse *sub lege* eos, qui illam transgrediuntur. Sed D. Thomas, Sotus, & Vega, apud Salas *disput.* 24. *sect.* 3. putant *esse sub lege* non esse, nisi eius timore duci ad eius impletionem. Item quoad præcepta iudicialia in lege nova ea negant communiter Suarez, Azor, & Salas. An verò lex nova sit vera lex, Christusque verus Legislator? Negant impudentes hæretici vt Lutherus, Calvinus, Beza, & alij, contra quos egregiè pugnant Stapletonius, Bellarminius, & nostri controversistæ.

5 Sit nostra conclusio: *Lex nova est vera, ac proprijssima lex præceptiva, & verum ac legitimum corpus legis efformat.* Probatur 1. conclusio ab authoritate quoad primam partem: tùm ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *canon* 19. ibi: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem; anathema sit.* Ergo Evangelium vera lex est præceptiva. Tùm ex verbis Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de*

*Ieruſalem.* Tùm ex *Pſalm.* 109. ibi: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Simul cum Auguſtino 18. *de Civit. cap.* 50. & 17. *cap.* 17. ibi: *Et ipſi quidem fatentur inimici, ex Sion miſſam fuiſſe legem Chriſti, quod Evangelium nos vocamus, & eam virgam virtutis eius agnoſcimus.* Probatur 2. eadem pars ab authoritate magis in particulari. Primo. Quia dantur varia præcepta, v.g. Ioann. 14. *Præceptum meum eſt, vt diligatis invicem.* Item: *Si præcepta mea ſervaveritis; manebitis in dilectione mea.* De Euchariſtia, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. vltimo de Baptiſmo, & prædicatione: *Euntes docente omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare, quæcumque mandavi vobis.* Et ſic de alijs: ergo, &c. Deinde ab ipſo tenore explicationis Evangelicæ, quatenus *Math.* 5. relata veteri lege, exponitur nova per phraſim, & contrapoſitionem legislativam ſic: *Ego autem dico vobis, &c.* Item, quia Evangelium vocatur à D. Paulo *Teſtamentum, & pactum,* quo nomine vera lex deſcribitur: ergo, &c. Probatur eadem pars à ratione: quia Chriſtus ad vberem gratiam ſuæ redemptionis communicandam; Rempublicam ſpiritualem conſtituit, cuius eſſet caput verè, & abundè poteſtativum. Sed hoc non ſtat ſine vera, & propria legislatione: ergo, &c. Mai. conſtat, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Min. etiam conſtat: quia Princeps cum dominio iuriſdictionis, inſtitutio, & res publica ſunt tria, quæ ſine vera legislatione reperiri non poſſunt. Confirmatur 1. Chriſtus verè Legislator fuit: ergo, & vera lex nova. Patet antec. ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *Canon.* 21. Ex Iſai. 33. *Dominus Iudex noſter. Dominus legifer noſter.* Ex Epiſt. Iacob. 4. *Vnus eſt Legislator, & Iudex, qui poteſt perdere, & ſalvare.* Confirmatur 2. Lex eſt præceptum ab habente poteſtatem impoſitum communitati in bonum commune ipſius. Sed huiuſmodi plura ſunt in lege Evangelica: ergo, &c. Min. partim ſupra conſtitit, & toto decurſu Evangelico conſtat, & ſtatim etiam conſtabit: ergo, &c.

6 Probo ſecundam partem concluſionis. Chriſtus Dominus in lege nova tulit, prout oportebat, ſua præcepta moralia, cœremonialia, iudicialia, mandata, & conſilia. Atqui ex his coaleſcit corpus iuris verè, & adæquatè legislativum: ergo verum nobis corpus legis reliquit. Min. patet. Probo maiorem per partes breviter, & primo primam. Modus ferendi legem quoad moralia, qui tempore Chriſti oportebat, non erat alius, quàm iterum inculcare præcepta Decalogi, quodammodo vel oblivioni tradita, vel nænijs, & ſiniſtris Iudæorum doctrinis obſcurata, & ea clariùs, & puriùs hominibus ſervanda proponere, attento ſtatu naturæ, & etiam elevationis factæ per gratiam. Sed ita ſe geſſit Chriſtus Dominus: ergo, &c. Minor probatur. Nam in primis, poſtquam eis propoſuerat finem *vltimum* ſuæ legis quoad homines, ſcilicèt, ſalvationem finalem ipſorum, & finem *proximum*, ſcilicèt, iuſtificationem eorumdem; iuveni interroganti *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Deinde *Mathæi* 5. mirifico illo ſermone abundè fudit doctrinas mirabiles, quibus homo in omni honeſtate naturali, & ſupernaturali ſe ritè exerceret. Vnde Suarez loquens de illa Prophetia: *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion*, ait lib. 10. cap. 1. num. 6. *Præterea in Novo Teſtamento evidenter oſtenditur impleta per Chriſtum hæc prophetia, nam Mathæi* 5. *cœpit Chriſtus oſtendere legislationem ſuam perfectius declarando naturalem legem, quam anteà intelligeretur, ſæpius dicens. Ego autem dico vobis.* Et homini elevato declaravit, iam magis illuminatum teneri ad fidem magis explicitam Trinitatis, Incarnationis, &c. *Euntes docete om-*

*omnes Gentes, &c. Ego & Pater vnum sumus. Alium Paraclitum mittam vobis, &c.* Ad spem altiorem de Regno Cœlorum. Ad charitatem maiorem : *Vt diligatis invicem sicut dilexi vos, &c.* Ad virtutes sectandas, vt in Beatitudinibus, &c. ergo, &c. Probo secundam partem, quoad *cæremonialia.* Nam vt supra diximus instituit Sacramenta: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Et sacrificium : *Hoc facite in mei commemorationem.* Sacra verò, & obseruantias reliquit, tùm in potestate Ecclesiastica, tùm in Spiritu Sancto, & Paracleto ipsi promisso: ergo, &c. Probo tertiam, in qua nonnulli DD. statim manus dant dicentes Christum nulla *iudicialia* dedisse, eo quod Regnum temporale non instituerat. Cum tamen iudicialia illa sint, quæ circa Rempublicam humanam pro statu luminis sui benè instituendam versentur, puto Christum Dominum plenè etiam nobis de iudicialibus providisse. Tùm quia primo decreuit formare sibi suam Ecclesiasticam Rempublicam de toto orbe terrarum *docete omnes Gentes : prædicate omni creaturæ.* Secundo. Quia elegit primos Ministros fundatores huius Reipublicæ, scilicèt, Apostolos, qui, licèt videbantur dispergendi; id erat ad congregandum ; & eos instituit, ac docuit; quid cum hominibus præstare deberent : *In quamcumque Ciuitatem intraueritis, &c.* Tertio. Illos faciebat verè potestatiuos in sua Republica : *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cœlo, &c.* Quarto. Eos & fideles instituit circa victum, vestimentum, & pacem secum seruandam. Tùm quia Legislator spiritualis, & fundans Regnum spirituale, debet intimare iudicialia, non temporalia, sed spiritualia, arcana, & secreta, ea nimirum quibus membra membris intima, & salubri communione cohærerent: & huiusmodi plena sunt Euangelia. Tùm quia si iudicialia, nedum interiùs, sed exteriùs, etiam benè instituta à Christo desiderentur ; id facit exactè, quoad iudiciarias potestates temporales, confirmando eas, quæ erant legitimæ, & eis forum suum, iura, & tributa relinquendo, vt in statere soluto, in non adrogando sibi hæredum iudicio, &c. constat. Quoad institutionem vero omnium statuum Reipublicæ id fecit Christus per Paulum plenissimè. Quia ea nimirum non erat Legislatio Pauli, sed Christi. Ait enim ipse Paulus, se omnia illa, & Euangelium ab ipso Christo Domino accepisse : ergo, &c. Probo quoad quartam partem de *mandatis, dispositiuisve consilijs* ex illo. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Si cœcus cœcum ducit ; ambo in foueam cadunt* ; & mille alijs monitis, quibus ipse suos diligenter præseruare cupiebat. Denique quinta pars de consilijs omnibus patet : quia ideò lex Euangelica dicitur *lex consiliorum*, quia nimirum præceptis alia *consilia perfectiua* adiecit, quibus opus ad altiores apices virtutis excresceret : ergo de primo ad vltimum Christus perfectum, & integrum corpus iuris nobis in Euangelio proposuit.

7 Obijcies 1. Si lex Euangelica esset verè lex, esset verè lex noua. Sed ita non est, saltem quoad moralia: ergo, &c. Probatur minor. Quoad moralia ex dictis, nil Christus videtur addidisse ad id, quod erat de iure naturæ. Sed hoc non est verè esse legem nouam: ergo, &c. *Confirmatur.* Christus verè esse Legislator non potest, quando de se nihil vel præcepti, vel obligationis imponit. Sed in primis ex hic supra dictis Christus quoad res præceptas nihil adiecit, quod in Decalogo non contineatur. Et deinde ex nostris doctrinis in materia de legibus nulla alia obligatio videtur esse, quam ea, quæ venit à lege æterna, & naturali : ergo, &c. Ad argum. resp. dist. mai. Esset verè lex noua *aliqua vera nouitate*, conced. mai. id est, *denuò inuenta, & imposita*, neg. mai. &

respectivè, dist. minor. neg. conseq. Certum enim est, quòd in lege Evangelica nihil importatur quoad moralia, quod non sit de iure naturæ, quin desinat esse lex nova. *Quo circa* (ait Suarez, num. 12.) *non vocavit Christus illud præceptum novum, quia sit positivum, & non naturale; sed vel quia ab ipso fuit renovatum; cum antea esset ferè per pravam consuetudinem antiquatum, vt dixit Clem. Rom. lib. 6. Constit, cap. 23. inde ostendens Christum legem naturalem non abstuliſſe, sed confirmasse. Vel quia novo modo illud tulit, explicando novam rationem in obiecto illius sumptam ex adventu eius, & ex speciali dilectione sua erga homines, vt videntur exponere ibi Chrysost. homil. 71. & Cyrillus, lib. 9. cap. 23. Vel denique ex effectu, quia hæc dilectio renovatura erat mundum, vt sensit August. tract. 65. in Ioannem.* Hucusque D. Eximius eximiè.

8 Ad confirmat. resp. dist. mai. Quando de se nihil *tàm intensivè, quàm extensivè* imponit, conced. mai. quando imponit *saltem extensivè*, neg. mai. & respectivè distincta min. neg. conseq. Itaque, propriſsimè loquendo, Legislator non nisi Legis-Lator est: vnde sicut in humanis Solon, & Lycurgus, alijque legislatores fuerunt verè, & propriè: quia quidquid magis noverant, & illuminatius de æquo, & iusto perceperant in ordine naturæ, id explicatius, & ordinabilius populis tradiderunt; ita multò altius Legislator fuit Moyses, quia infallibilius legem accepit, & eam populo detulit, quamquam in ea nihil nisi, quod lex æterna, & naturalis dictarent, & iuberent includeretur. At super omnes altisimè Christus D. est Legislator: quia venit tempore (& ideo post omnes noviſsimè venit) quo, natura in esse naturæ iam magis dolata; & in esse gratiæ altius elevata; oportebat tradi iam explicatiſsimè quidquid foret de iure naturæ aut secundum se, aut elevatæ, vel absolutè, vel pro circunstantijs, prout Christus nobis expoſuit, superaddens huic magisterio legislationis beneficium, & pretium: *beneficium* quidem reparationis, & redemptionis; *pretium* autem gratiæ, quo finis vltimus comparetur. Non ergo Christus in ratione obligationis ad obediendum superiori supremo, (cuius vnica, & æterna lex moderatur omnibus creaturis) aliquid *intensivè* adiecit; sed tanquam frater tam præclarus noster, ea insuper præter legislationem (idest intimationem, & declarationem legis æternæ, & naturalis) præstitit pro nobis glorioſa, vt novos necteret titulos, propter quos ex iure æterno, & naturali etiam teneremur, nec ingratos esse tali *beneficio*, nec prodigos tanti *pretij*. Et in hoc sensu verum est primò. Quod nova obligatio adveniret, non propter novum ius; sed quia idem, pro novis titulis, & circunstantijs declararetur vrgere. Et secundo. Quòd qui contra ipsum ius naturæ à Christo impoſitum, aut expoſitum, peccat; gravius peccabit, quam Gentiles. Quare tandem in Moralibus legis novæ, & Christus Legislator est; & nihil de præceptis adiecit, quod in Decalogo, & iure naturæ non esset incluſum; & in linea obligationis, tanquam Legislator nihil superimpoſuit; licèt vt Redemptor, & Author gratiæ nos Hypoſtatica fraternitate tam celsiſsimè oppigneraverit. *At inquies*, voluntas Christi præcisè qua talis, satis erit, vt obliget independenter à voluntate Dei. Respondeo distinguendo. *Obligatione legislativa*, neg. suppoſitum: Voluntas enim Christi summe concors est cum lege æterna, & iuſsione Dei circa vniverſa. Obligatione *fraternitatis mirificę*, conced. assumptum. Et notà, quòd licèt Christus in fide, spe, & charitate ampliora, & magis explicita poſtulet; ideo est, quia naturæ iam magis elevatæ, & instructæ, Myſteria eadem, promiſſa eadem, & idem dilectus clarius, enucleatius, & extensius debent proponi. Replicabis. Ergo Christianus peccans non peccabit contra Christum Legislatorem, vt talem. Resp. Nego con-

consequentiam, quia cum Legislator, vt talis, non sit, nisi *Legis-Lator* ideſt lator, & intimator iusti, & æqui; qui peccat, hanc intimationem negligit. Et vlterius. Si intimator, & promulgator Superior est, & voluntate quoque sua iubet quod intimat; contra eius voluntatem etiam peccatur, non tamen contra eam, præcisè qua talem; sed qua divinæ legi, & æternæ iussioni evadit conformis, & intimatur vt superior: ex quo tale peccatum, qua tale, non erit maior inobedientia quam est; sed ex alio titulo, & minori: minus est enim, præcisivè loquendo, non obedire voluntati humanæ Christi, quam æternæ Dei voluntati.

9 Objicies 2. Si lex nova est vera lex, & Christus D. verus Legislator; præcepta cœremonialia huius legis, scilicèt sacrificia, & sacramenta, erunt de solo iure positivo divino; non autem de iuræ naturæ. Sed hoc est contra Systema nostræ doctrinæ: ergo, & conclusio. Probatur maior: quia ea cœremonialia vel considerantur quoad institutionem, vel quoad obligationem susceptionis. At neutra est de iure naturæ: ergo, &c. Minor quoad primam partem patet: quia ius naturæ, talium Mysteriorum institutionem invenire non poterat; sed fuerunt Christi, & eius charitatis liberæ, & voluntariæ inventiones: ergo, &c. Probatur quoad secundam. Quia etiam posita institutione eorum, obligatio adhuc in natura elevata venire non potest à iure naturæ: siquidem libere olim potuit vivente Christo susci pi baptismus, & nunc Extrema-Vnctio, vt aliqui putant: ergo, &c. Ad argum. resp. neg. mai. & min. probationis, & ad primam partem huius, dist. anteced. *Ius naturæ, ideſt, purè naturæ*, conced. antec. *Ius naturæ, ideſt, ius æternum, & supernaturale naturæ, seu in Christo hypoſtatice vnitæ, seu in hominibus elevatæ*, neg. anteced. & consequentiam. Licèt enim illa cœremonialia celsiora erant, quam ad quæ natura sola pertingeret; hæc natura hypostlicè iuncta Deo in Christo, & in hominibus sub statu elevationis verè dictabant Christo, tunc venienti ad redimendum, & restituenda fluenta gratiæ interciſa; desuper hos sacros fontes gratię in Sacramentis, & se ipsum hostiam puram, in Cruce cruente semel oblatam, iterum in sacrificio incruento iugi offerre se redivivum in pignus amoris. Hæc ergo lex æterna in talibus circumstantijs dictabat, & vehementer suadebat Christo tanquam oportuniora, & glorioſiora media ad finem tam glorioſi adventus: quare Christus ea libere elegit. Debet enim animadverti, non debere esse præceptivum quidquid est de iure naturæ, aut lumine naturæ dictante, vt in superioribus quæstionibus tetigi. Ratio à priori est: quia cum ius naturę sit ratio, & lux iusti, & æqui; vbi hæc invenitur; statim hoc est de iure naturæ: vbi vero deest, huius deordinationis rectificatio dicitur esse de iure naturæ (& tunc præceptivo) quia tale ius poscit, & iubet, vt res inordinata ad rectum, & iustum traducatur. Vnde conficitur, quod benè potuerunt illa cœremonialia quoad sui institutionem etiam esse de iure naturæ, ideſt, iuxta ius æternum, & naturæ, considératæ, nedum in statu elevationis; sed altissimæ etiam suæ reparationis.

10 Ad 2. probat. neg. antec. Quia multò melius posita tali institutione vrgebat ius naturæ elevatæ, vt homines tenerentur per ea media obtinere salutem pro eo tempore, pro quo essent necessaria ad eam obtinendam, & pro eo gradu, pro quo ad eam conducerent. Vnde patet responsio ad subiunctam probationem de baptismo, & extrema-vnctione: id enim ius æternum, & ius naturæ elevatæ, quod postulabat baptismum forè de necessitate salutis, postulabat, illud in abrogatione veteris legis non nisi paulatim introduci; & quando debita, & plana promulgatio facta fuisset iuxta mentem sui legislatoris. Ad extremam-vnctionem cum

vtriſque AA. poterit ſtare reſponſio: nam, ſi fit de præcepto, itidem dicimus non niſi ab æterno iure, & ſupernaturali pro ſtatu elevationis, & reparationis, advenire talem obligationem; vel abſolutè: quia per tale Sacramentum anima ſibi valde conſulit; vel in circunſtantijs. Si verò non ſit de præcepto; erit quidem de iure naturæ, vt ſupra diximus, *perfectivo* quatenus eſt medium excellens ad perfectius decedendum in gratia. Vbi oportunè refricabis, etiam, quæ à nobis vocantur *mandata*, & *conſilia* eſſe de iure naturæ, vel diſpoſitivè, vel *perfectivè*: *diſpoſitivè* quidem quia iuſtum, & æquum eſt, rationique conſentaneum eum, qui tenetur ad iuſtum, & æquum in aliquo caſu, cavere ſibi, & ſe præparare, ne à recto deficiat. *Perfectivè* autem quia in bono, & recto perfici ſemper eſt optimum. Porrò *mandata* hic ſumuntur quaſi *monita, res commendatę* Hiſpanicè. *Aviſos, y encargos*, licèt non ignoremus tàm in veteri, quàm in nova lege interdum pro præceptis promiſcue vſurpari.

11 Rogabis 1. In quonam ergo ſtat diſcrimen de eo, quod aliqua ſint de iure poſitivo divino; ſi cuncta ſunt de iure naturali, vt ſuprà, explicato? Reſpondeo ſtare in eo quod, quamvis obligativa vis deſcendat ex lege æterna, & naturali impreſſa creaturæ rationali, & inde veniat obligatio in actu primo cuiuſcumque legis poſitivæ divinę aut humanæ; tamen dicitur ius poſitivum *divinum*, aut *humanum* relatè ad promulgationem, eo quod hæc ſit de eſſentia legis *vt obligantis in actu ſecundo*: quare, quando præter impreſſionem, & intimationem legis naturæ factam in creatura rationali datur extrinſecus promulgatio, & intimatio, ſivè divina, ſivè humana; tum res dicitur eſſe non ſolum de iure naturę; ſed de iure poſitivo divino, aut humano. Vt autẽ tollatur aliqua æquivocatio, nota: quòd, licèt lex, vt promulgata adhuc non obliget in actu ſecundo omnes individuos, eò quòd non ad omnes pervenerit; attamen ipſa de ſe ſtatim ac promulgatur incipit obligare in actu ſecundo hos, vel illos. Rogabis 2. Quid ſibi velint nomina quibus ſolet hæc lex appellari? Reſpondeo dicitur *lex nova*, vt ſupra explicuimus cum Suario. Dicitur *lex fidei*: non quia ſolum poſcat fidem, vt delirant hæretici, ſed quia hæc lex ſpiritus, & gratiæ, in fide eſt fundata ad iuſtitiam adipiſcendam ex fructu bonorum operum. Auguſtinus *de Spiritu, & littera, cap.* 13. Dicitur *lex gratiæ*, non quia non obliget; ſed quia eſt lex ſecum trahens gratiam ad ſui adimpletionem. Dicitur *lex libertatis*, non quia nos liberet ab omni iure naturali, & divino; cum potius lex ſit, vt iuri naturali, & divino nos liget; ſed quia liberavit nos à iugo veteris legis, quod Apoſtolus importabile vocat propter præcepta multiplicia vſque ad 613. affirmativa, & negativa, itemque oneroſa, operoſa, & impendioſa, vt tot ſacrificia, mundificationes, expiationes, & omnia iudicialia; cum tamen lex nova maximè corde, & animo poſsit impleri: ideoque dicitur lex data *in viſceribus cordis*, ex Hieremia 31. & Paulo *ad Hebræos* 8. & 2. *ad Corinth.* 3. in hac enim lege Spiritus Sanctus diffunditur in cordibus noſtris ex Div. Thoma *quæſt.* 106. *art.* 1. ex Chryſoſtomo *tom.* 3. *homil.* 1. *de Spiritu Sancto.* Ex Auguſtino *de Spiritu, & littera, cap.* 17. Rogabis 3. Quando cœpit hæc lex obligare? Reſpondeo à die Pentecoſtes, vt fusè tractavi agendo de ceſſatione veteris legis, *tom.* 1. *Dec.* 5. & videri poteſt Suarius *lib.* 10. *de Leg. c.* 4.

12 Inferes 1. Hanc legem præcipere, tàm actus externos, quàm internos, vt patet de præceptis à nobis expoſitis, in quibus multa externa clauduntur; in actibus verò internis cùm ſita ſit nobilior, & altior animæ iuſtitia, & cordis rectitudo; id circo in hac lege perfectiſsima tales præcipiuntur, vt fides, ſpes, charitas, pœnitentia,

tia, oratio, & similia: de quibus plura statim damus in quæstionibus de beatitudinibus; de modo orandi; de Christo legislatore, & non purè correctore traditionum. Præterea tales actus interni iubentur, vt externi morales humanitùs fiant. Atque cuiuscumque rei malæ præsertim intrinsecè, vt furari, & mœchari etiam desideria purè interna; imò & internæ delectationes morosæ, prohibentur, ne cordis puritatem, quam hæc lex postulat, labefactent. Infertur 2. Non solum præcipere operationem; sed etiam modum operandi cum sana intentione, tàm generali, quàm particulari in quolibet opere determinato; & prohiberi intentionem contrariam, vt colligitur *Math.* 5. quia perfectio huius legis postulat, ne qua ex parte vitietur opus iniunctum. Infertur 3. Id, quod dicit D. Thomas *in Quodlib.* 5. *art.* 13. *Legem novam esse contentam præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratiæ*, ita debere intelligi, vt supra ea, quæ natura se sola exigit ad rectum, & iustum, lex Redemptoris, vtpotè reparativa, ea superaddat, medijs quibus natura lapsa ad statum, quem perdidit, reascendat: & sub Sacramentis gratiæ sacrificium intellige. Inferes 4. Præcepta *pascendi oves.* Ioan. 21. non *communicandi* cum excommunicatis, *Math.* 18. & alia, includi in præceptis fidei, sub quibus vnum ex credendis est, Ecclesiam Christi esse vnam cum suo capite potestativo, cui obediendum est. Et hæc sunt de iure naturæ modo supra explicato. Item quoad iudicialia, quæ nos recensuimus, si de ijs sunt, quæ Civilia, & Politica iudicantur; ad ea, quæ iuris naturalis seu legis esse, ait D. Thomas, reducuntur; si vero Ecclesiastica, ad ea, quæ sunt fidei sub regimine Ecclesiæ nuper attacto.

)(§)(

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM? ABSIT. Sed legem ſtatuimus. *Pauli ad Rom.* 3. *v.* 31.

### ARTICULUS.

*VTRVM LEX NOVA PER POTESTATEM HVMANAM SIT diſpenſabilis?*

1 SUppono 1. Legem gratiæ communiter diſtingui à lege veteri in eo, quòd prima gaudet virtute iuſtificationis; ſecus vero ſecunda. Cæterum, vt hoc diſcrimen aliquatenus inclareſcat; ſupponi debet, quod præcepta, vt purè præcepta in nulla lege iuſtificant, ſeu veteri, ſeu nova, ſeu naturali; ſed ſolum iubent, & iuvant, quaſi impulſivè, & directivè ad faciendum quod per legem imperatur: quod ſi ſit opus iuſtificationis indiget gratia iuſtificante. Igitur quoad hæc debet primo obſervari, quòd lex nova, licèt rigoroſè, & formaliter dicatur *iuſtificari* præalijs legibus; quia cum ipſa venit gratia ſanctificans; eò quòd idem ſit Author legis, & author gratiæ; & fuerit in tempore, in quo, preſente iam Chriſto, fuerunt Sacramenta huius legis de præſenti fæcunda; non vt fuit in veteri, & naturali, nempe ex fide in Chriſtum venturum; nihilominus, teſte Suario, cum Medina, Soto, & Valentia etiam lex nova dicitur iuſtificare quoad præcepta ſua collectivè ſumpta, non tàm vt obligantia, quàm vt inſtituentia, & fundantia hunc legis ſtatum. Tùm, quia inſtituta ſunt Sacramenta, quæ ratione talis inſtitutionis habent vim iuſtificandi, & quaſi obligant Deum ad largiendam iuſtificationem accedenti. Tùm, quia in ea dantur promiſsiones factæ Sacramentis de collatione gratiæ ex opere operato; itemque promiſsiones de iuſtificatione in vi operis meritorij ex opere operantis modo, quo in lege veteri eſſe non poterat: quia, licèt opus in ea factum in gratia mereretur augmentum gratiæ; tamen promiſsio non erat illius legis; ſed novæ. Tùm, quia vt inſinuavi in lege gratiæ omnia quaſi vaſa, media, inſtrumenta, ſacramenta, inſtituta, promiſsioneſque ita immediatiſsimè, & tam intra ſe fæcundabantur, & redundabant de illo pretioſo theſauro Sanguinis Chriſti, vt ea omnia collectivè inſtitutum faciant in vero ſenſu iuſtificativum etiam ſecundum legem, quod nulli alij ſcilicèt naturali, & veteri conveniebat. Ea propter huic legi tribui ſolent promiſcue effectus Sacramen-

mentorum, vt gratia Sacramentalis, actualis, & habitualis, character Sacramenti, poteſtas ordinis, & iuriſdictionis: necnon remotius omnia privilegia gratiæ, extraordinaria auxilia, vocationes miraculoſæ, & alia huiuſmodi, eò quòd hæc lex ſit veluti officina quorumcumque bonorum ſpiritualium atque gratiarum.

2 Suppono 2. Nullam eſſe difficultatem in concedendo poteſtatem divinam ad diſpenſandum in prædicta lege, etiam ſine cauſa: quod ideo non poteſt humanus legislator in lege ſua; quia ipſe talis non eſt, cuius placitum ſit ipſa rectitudo, prout accidit in Deo. Quoniam ipſius legis divinæ, vt ſæpè dixi, ſolum eſt declarare legem æternam, & naturalem creaturæ rationali impreſſam, & hanc intimare faciendam. Neque, vt Deus diſpenſet in lege ſua divina poteſt obſtare immutabilitas æterni decreti, qua prius decreverit obligare; & poſtea in caſu particulari obligationem relaxet. Ratio eſt: quia, ſi Deus tale ius divinum diſpenſat; eſt per aliud ius divinum, quod pronuntiat: & in hoc caſu faciendo hanc ſecundam promulgationem in particulari exceptivam illius promulgationis prioris, & communis; indicat, quòd illa intimatio, quæ per verba communia, inſpirata fuit Scriptori Canonico, in ſuo divino *concipi* talis decreti non fuit vniverſaliſsimè ſub eodem tenore quoad omnia ſingularia; ſed quod ex tunc Petrus, v. g. ille, qui poſtea diſpenſatur, in obligatione non fuit incluſus. At inquies hæc diſpenſatio non erit propria. Reſpondeo primo. Sit ita: nam ſufficit diſpenſatio equivalens quoad effectum: vt ſervemus, quòd Deus quando decernit, non decernit ſub ſigno vniverſali, veluti nos, qui cuncta capere non valemus; ſed decernit ſingulariter circa ſingularia. Reſpondeo ſecundo. Quod vt ſit diſpenſatio propria ſufficit legem vt promulgatam, pro hoc caſu etiam vrgere, & ſub hac vrgentia promulgationis à Domino relaxari, & aliter pro ſuo placito de illa perſona, aut caſu diſponi. Tota ergo quæſtio eſt in ordine ad poteſtatem humanam.

3 Suppono 3. Omnia, quæ ſunt de iure divino novæ legis poſſe commodè, & vtiliter dividi in tres claſſes ſcilicèt inſtitutiva, Salvativa, & Gubernativa. Prima ſunt præter Hierarchiam Eccleſiæ, & myſteria fidei (quæ quaſi inſtituuntur, dum aperiuntur, & proponuntur credenda) Sacramenta gratiæ, quæ à Chriſto D. inſtituta ſunt ſub debita materia, & forma vt Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, &c. & ſacrificia, quæ reducuntur ad vnicum ſacrificiũ corporis, & ſanguinis Domini, ſeu illam oblationem mundam quæ promiſſa erat in lege veteri. Secunda claſsis eſt eorum præceptorum, quæ, poſita tali inſtitutione, ſunt de neceſsitate ſalutis, & propterea quaſi neceſſariò imponenda, ſivè illa ſint neceſſaria neceſsitate medij, ſivè neceſſitate præcepti. Huiuſmodi ſunt præcepta fidei de Trinitate, Incarnatione, Sacramento Altaris, & de ſuſcipiendo Baptiſmate, Pœnitentia, Euchariſtia: nam de Confirmatione, & Extrema-Vnctione dubitant nonnnulli; de Matrimonio vero, & ordine ſuſcipiendo *per ſe loquendo* præcepta non dantur. Tertia autem claſsis eorum eſt, quæ ius divinum ſtatuit in ordine ad rectam gubernationem eorum, quæ inſtituta ſunt. V.g. Reſidentia Epiſcopi, & alia id genus, quæ ſolent ab AA. diſputari ſint necne de iure divino. Quod quidem ius divinum, vt dilucidiùs res tota tractetur, debet preſsius ſumi pro eo, quod iuxta Vulgarem acceptionem contraponitur iuri naturali etiam divino, v. g. adimpletio voti, quæ de iure divino eſt, ſed naturali; ſecus autem eſt ſumptio Euchariſtiæ in communi ſenſu; licèt, modo, quo nos dicimus ſupra in quæſtionib. antecedentibus, omnia quæ vſpiam præcepta ſunt, eſſe de iure naturæ, diſtinctio in eo non detur niſi quoad tenorem, quo à nobis

bis inibi explicari ſolet, & hic refricabitur.

4 Suppono 4. Diſpenſationem poſſe conſiderari propriè, & ſtrictè; & ſolùm laxè. Illa quidem eſt, quæ vel de tota collectione præceptorum diſpenſat in vno, reſpectu omnium ſubditorum; & hæc potius eſſe videtur abrogatio partialis. Vel quatenùs circa legem actualiter obligantem non ſolum in generali, ſed particularem perſonam, hanc diſpenſans ab adimpletione, relaxat ita, vt iuſſa non præſtans licitè operetur, & tranſgreſſor non fiat. Diſpenſatio autem *laxè* talis eſt illa, quæ citra aliquam interpretationem legis (hæc enim ad ſenſum, & verba legis attendit) ita materiam immutat, vt iam ſupra illam, aut perſonam non cadat tale præceptum: & in hoc ſenſu diſpenſat Deus in lege naturali furti: quia, ſi Petrum facit dominum rei, quæ eſt in poſſeſsione Ioannis, ab hoc ille eam ſine furto poteſt ſurripere: & ſimiliter hoc modo diſpenſare dicitur medicus in eſu carnium: quatenùs declarat hunc, v.g. non verſari in eo ſtatu valetudinis, quem lex poſtulat, vt obligare poſsit ex DD. conſenſu. Circa genus verò diſpenſationis ſtrictæ, & rigoroſæ ſubnotare placet, quòd quamvis lex in ſe verè lata non ſit pro tali caſu, nihilominus ſi promulgatio, quæ extat talis legis verè talem caſum comprehendit in verbis ſuis, poteſt intervenire diſpenſatio ſtricta in hoc ſenſu, quatenùs, videlicet tollendo promulgationem ad hunc caſum extenſam tollitur obligatio legis *formaliter in actu ſecundo*, ſiquidem hæc obligatio per promulgationem conſtituitur, & *arguitivè* tollitur tota obligatio legis: quia loquendo de divina lege, ſi huius promulgatio pro hoc caſu non intelligitur, infertur pro eo caſu legem non eſſe latam. Quare, cùm per talem actum diſpenſandi tollatur à perſona, vel caſu particulari obligatio, quæ in vi promulgationis generalis præexiſtebat, ſeu apparebat exiſtere; in aliquo vero ſenſu diſpenſatio proprie poterit appellari, licet non ſtrictiſsimè.

5 Suppono 5. Interpretationem legis poſſe eſſe, vel emendativam, vel declarativam: interpretatio emendativa, quæ dicitur Epikija eſt duplex alia, quando verba legis talem caſum comprehendunt; & nihilominus per interpretationem pronuntiatur, mentem Legislatoris eum caſum non comprehendiſſe; licet verba comprehendant, vnde emendantur verba; non ſenſus. Alia eſt, quæ non ſolum emendat verba, ſed ſenſum videlicet, quando ita fit interpretatio, vt licet Legislator (humanus, videlicet, non divinus) quia nequit cuncta ſaltem certò, & infallibiliter prænoſcere, hanc perſonam caſumque comprehenderit; tamen talis perſona per Epikeiam doctrinaliter à ſapientibus excuſetur. Vnde in hac Epikija non ſolum emendantur verba, ſed ſenſus, & quaſi mens ipſa Legislatoris. Interpretatio vero purè declarativa eſt, quando, vel quia verba de ſe erant ambigua, vel quia propter immutationem, quam de placito hominum acceperunt, facta ſunt ambigua, eo modo conditur verborum ſignificatio, vt hunc caſum non comprehendat, vel maiorem, aut minorem, quam antea latitudinem verba in ſe admittant.

6 His poſitis duplex in hac re ſolet recenſeri ſententia. Prima eſt Iuriſtarum plurium, qui quamvis non ſine confuſione iuris divini naturalis, & poſitivi, novi, & veteris (quod vtpotè non obligans eſt valde diverſum pro hac re) docent, Papam poſſe diſpenſare in omnibus, quæ ſunt de iure divino præter articulos fidei. Ita Panormitanus *in C. Propoſuit de Conceſsion. Præbend. num.* 20. Cum Innocentio *C. Cùm ad Monaſterium de ſtatu Monachorum.* Felinus *in cap. Quæ in Eccleſiarum de Conſt. num.* 19. & 20. vbi ait Pontificem poſſe ex cauſa mutare formam Baptiſmi in hac: *Ego te baptizo*

*in*

*in nomine Trinitatis* : quod refer ex Innocent. *cap.* 1. *de Baptiſmo in finem* 11. Imò idem Felinus *cap.* 1. *de Conſtitut. num.* 23. audet aſſerere Papam poſſe vno verbo creare Præsbyterum dicendo : *Sis Præsbyter*, imò & poſſe ſolo verbo Epiſcopum facere citans Angelum *in leg.* 2. *C. de Crimine Sacrilegij*, & in *leg.* 1. *C. de Sententiam paſsis.* Eamdem ſententiam ſequitur Decius *conſ.* 112. *num.* 3. *in fin. volum.* 1. & in dict. *C. Quæ in Eccleſiarum, num.* 25. *& ſeq. alias* 44. *&* 45. Secunda ſententia loquitur in hac re temperatiùs, quàm antecedens: negat enim Papæ poteſtatem diſpenſandi in omni iure divino Evangelico, in aliquibus autem diſpenſationem Pontificiam poſſe cadere non diffitetur; in ea, videlicet, quorum obſervatio in particulari poteſt impedire maius ſpirituale bonum, v.g. votum, & iuramentum. Ita ſentit Cano *in Releƈt. de Pœnitentia, part.* 5. *ad finem.* Et Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 6. *num.* 6. Licet Cano *lib.* 2. *de Locis, cap.* 18. *ad* 4. cum communi videatur incedere. Tertia ſententia, & communis abſolutè negat Chriſti legem divinam eſſe diſpenſabilem adhuc per Papam. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. *ad* 3. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. *ad* 3. *in Quodlib.* 4. *art.* 13. *& Quodlib.* 9. *art.* 15. *& in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Vbi tamen ea quæ Apoſtolica ſunt, & non Chriſti videtur excipere. Soto 1. *de Iuſt. & Iure, quæſt.* 7. *art.* 3. Catherinus *contra Caiet. lib.* 6. *cap.* 2. Almain *lib. de Suprema poteſtate Eccleſiæ, cap.* 3. Salmeron *in Acta, tract.* 61. *in quarta, & quinta differentia inter ius Divinum, & Humanum.* Sylveſter cum Summiſtis. Et de rigoroſa diſpenſatione Ledeſma *in* 4. 2. *part. quæſt.* 4. *art.* 6. Covarrub. *in* 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 9. *num.* 4. *cum alijs.* Maior *in* 4. *d.* 24. *quæſt.* 12. licet de diſpenſatione laxè ſumpta concedant.

7 Dico 1. *Summus Pontifex non poteſt proprijſsimè, & ſtrictiſsimè diſpenſare in lege divina Evangelica, tàm diſpenſatione quaſi legislativa, & privilegiata, quàm diſpenſatione perſonali. Poteſt autem aliquomodo diſpenſare, tàm propriè, quàm laxè vtroque diſpenſationis genere memorato.* Probo primam partem poſtea probaturus ſecundam. Diſpenſatio ſtrictiſsima, & rigoroſa in eo ſtaret, quòd lex verè lata quoad aliquam rem, vel perſonam, & verè obligans; propter talem diſpenſationem in tali re, vel perſona deſineret obligare. Sed nulla poteſtas eſt humana poſsibilis, quæ præſtet, vt lex ſemel à Chriſto lata pro determinata re, vel perſona, ita lata non fuerit, vel ſemel lata pro re, vel perſona, eam non obliget: ergo, &c. Maior patet ex ipſo conceptu ſtrictæ diſpenſationis, prout contra diſtinctæ à diſpenſatione laxa, & interpretatione. Minor etiam conſtat: quia ſi Chriſtus, tanquam Legislator infinitè ſapiens, ſemel legem tulit ad obligandum in determinata re, caſu, aut perſona; nemo poſſet facere, ne eam tuliſſet: quia ad præteritum non datur potentia; neque poſſet facere, vt ſemel lata obligationem laxaret pro tali re, vel perſona: ergo, &c. Anteced. quoad ſecundam partem, ſic probo. Eatenus id videretur poſſe præſtare Pontificia poteſtas; quatenus hæc ex Chriſti delegatione id poſſet ex verbis Math. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erunt ligatum, & in Cœlo; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlo.* Sed ex his verbis talis poteſtas non colligitur: ergo, &c. Probatur minor. In prædictis verbis non poteſt claudi delegativè poteſtas, quæ in ipſo Chriſto, ſi pro caſu diſpenſationis viveret, non reſideret. Sed pro caſu diſpenſationis, quem Chriſtus ſapientia ſua antevidit, & prò quo tulit legem obligaturam, non poſſet Chriſtus velle non obligare: eſſet enim vitiosè inconſtans: ſiquidem, viſis omnibus, obligare decreverat: ergo, &c.

Ex-

Explicatur Legislator humanus intendens verè, & efficaciter ſua lege omnes caſus cogere, atque perſonas ideò poſtea poterit quoad aliquam rem, vel perſonam interdum prudentiſsimè diſpenſare: quia præ humana imbecillitate non poterat antevidiſſe, dum legem ferret, eos caſus, & perſonas, aut circumſtantias, in quibus obligationem relaxare oporteret: ergo Chriſtus Dominus, qui infinita ſcientia cuncta prænoverat, ſi ſemel tulit legem pro aliquo caſu, & perſona in circumſtantijs etiam obligaturam nequibit ipſe poſtea aliter rem determinare: & multò minus quælibet ab eo delegata poteſtas. Explicatur ſecundo. Diſpenſatio legislativa dicitur illa, quæ de corpore legis aliquod præceptum reſpectu omnium relaxat: & diſpenſatio perſonalis dicitur illa, quæ ſingularem perſonam, & caſum eximit à præcepto cæteros obligante, ſed pro vtraque pariter militat ratio ſuperius data: ergo, &c. Maior conſtat: quia illa prima diſpenſatio cum ſit reſpectu communitatis eſt inſtar legis.

8 Probo ſecundam partem concluſionis præiactæ. Diſpenſatio quæ ſit aliquomodo propria (de hac enim modo loquor) eſt illa, quæ quamvis attingere non valeat vim obligativam radicalem legis, & legislatoris; tamen poteſt relaxare in aliqua re, vel perſona obligationem in actu ſecundo. Sed Papa poteſt, licèt non attingere vim obligativam radicalem legis Chriſti; tamen relaxare eius obligationem in actu ſecundo quoad aliquam rem, vel perſonam: ergo, &c. Maior conſtat: quia ideo dicitur diſpenſatio *aliquomodo propria*, & non proprijſsima: quia relaxando obligationem in actu ſecundo, ſolum arguitivè infertur, non fuiſſe latam legem in actu primo; non tamen poſt legem ſic latam poſſet relaxari eius obligatio. Probatur minor. Poteſtas Spiritus Sancti benè poteſt in lege Evangelica exponere, & aperire, aliquam promulgationem à Chriſto generatim factam, quoad aliquam rem; & perſonam verè factam non eſſe. Sed poteſtas Papæ licèt verè ſit poteſtas humana, quia eſt hominis, & eſt in humanis; tamen in hoc genere fulta eſt toto lumine gratiæ, & vitute Spiritus Sancti: ergo ſic adiuta benè poterit relaxare obligationem in actu ſecundo; limitando, videlicèt, promulgationem à Chriſto generatim factam. Maior patet nam Chriſtus Dominus licèt legislator infinitè ſapiens cum in verbis, & modo loquendi debuiſſet hominum ruditati ſe accommodare; ita id & fecit; ſub ea tamen alta ſapientia, vt, quia generis humani multiformis viciſsitudo multiformem quoque Spiritum intelligentiæ poſtularet; decerneret mittere Spiritum Sanctum, qui Eccleſiæ ſuæ indeficienter aſsiſteret. Vnde, & ait: *Alium Paraclitum mittam vobis Spiritum veritatis: ille vos docebit omnia; & Juggeret quæcumque dixero vobis.* Quibus verbis pro hac re nihil clarius. Probo minor. Poteſtas Papæ ſic fulta Spiritu Sancto procedit, quoties verè ex Cathedra decernit aliquid pertinens ad fidem, & mores: ſed quævis expoſitio iuris divini generatim lati, quæ excipiat diſpenſative rem, & perſonam, pertinet ad fidem, & mores: ergo, &c. Confirmatur primo. Eatenus non poſſet aliquomodo propriè diſpenſare, quatenus poteſtas Papæ eſſet poteſtas inferior ad poteſtatem Chriſti legislativam: ſed, licèt ſit ita inferior ad poteſtatem legislativam Chriſti, & vim eius obligativam, & radicalem (ad hanc enim tollendam vel immutandam Pontifex quoquo modo pertingit nunquam) tamen in ordine ad taxandam promulgationem Evangelij poteſtas Papæ ſub ſpeciali aſsiſtentia Spiritus Sancti eſt communicativè eadem, vt ex ſupradictis patet: ergo, &c. Confirmatur ſecundo. Verba illa, *Math. 16.* ſupra data: *Ego dabo tibi claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris*, &c. Dant ſimul Papæ generaliſsimam, & ſpecialiſsimam com-

commiſsionem ad declarandum, & reſolvendum ſuper Eccleſia Militante ſemel iacta, & fundata quidquid, ex permanente, viſum ſit taliter expedire, vt de Eccleſia Militante in Triumphantem pateat via, ſalus, atque commercium. Et quidem ita vt in Cœlo probatum ſit quidquid reſolvatur in terra. Sed hæc ſtare non poſſunt ſine vera poteſtate aliquomodo propriè diſpenſandi in iure divino, temperando videlicèt, & accommodando quidquid ſine ruina Militantis Eccleſiæ reſolvi poteſt. Nam ideſt quod præfata verba clare pronuntiant: ergo, &c. Maior probatur ſic. In primis datur generalis commiſsio, vt nemo negat: ſed deinde datur ſpecialis, prout debet dari: ergo, &c. Probo minorem. Specialitas quæ debet dari non eſt ſpecialitas ex parte materiæ, veluti in iure humano communiter ſolet intelligi de commiſſione ſpeciali, ideſt, circa rem aliquam in ſpecie: ſed debet intelligi de perſona quatenus ipſi *ſpecialiter præ alijs* committitur id, quod, etiam generaliter, commiſſum eſt nemini, præterquam ipſi: ergo, &c. Probatur anteced. Specialitas illa, quæ debet eſſe eſt, de qua D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. *ad* 3. ait: *Vnde, ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare niſi ille, à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit; ita in præceptis iuris divini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus vel is, cui ipſe ſpecialiter committeret.* Sed hæc ſpecialitas planè eſt non de negotio commiſſo, ſed de perſona vt patet in illis verbis *vel is cui*, ergo, &c.

9 Confirmatur 3. Eatenus Papa non poſſet ſic diſpenſare in iure divino, quatenus, ſi poſſet, paulatim omnis fundamentalis Eccleſiæ ritus ſubverteretur, aut deformaretur plurimum: ſed hoc non ſequeretur: ergo, &c. Minor, præterquamquod à nobis ſupponitur, nempe, quod talis diſpenſatio ſit citra ſubverſionem (ſubverſio autem aut deformatio cenſenda non eſt varietas pro conditione rerum, locorum, temporum, & perſonarum) probatur ſic. Talis ſubverſio, aut intolerabilis deformario ſolum oriretur, non ex poteſtate diſpenſandi diſpenſatione multiplici; ſed ex aliquibus diſpenſationibus, quæ re vera forent nocivæ atque ſubverſivæ. Sed ſtat quam optimè Papam, atque Eccleſiam habere veram poteſtatem ad diſpenſandum; & nihilominus ex regimine Spiritus Sancti promiſſo per illa verba. *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, non permitti, ſuam poteſtatem exercere per aliquam diſpenſationem actualem, quæ eſſet ſubverſiva: ergo, &c. Minor patet, & explicatur primo. Iuxta AA. nobiles, qui cum D. Thoma explicant impeccabilitatem Chriſti, & obligationem verbi ad regendum humanitatem ſic per auxilia ſemper efficacia; vt numquam eſſet lapſura: quod regimen cum manet ab intrinſeco, apud ipſos impeccabilitatem ſalvat. At in noſtro caſu tale ſimile regimen, cum ſit ab extrinſeco; liberam poteſtatem non impedit: ergo ſtat quam optimè, Papam habere poteſtatem liberam ad diſpenſandum in iure divino modo dicto, & quòd non ſit expoſitus periculo alicuius diſpenſationis actualis nocivæ, aut averſivæ Eccleſiæ. Secundo. Explicatur Eccleſia in ordine ad promulgandum, & intimandum populo ius divinum, ita eſt per Spiritum Sanctum confirmata in vero, & bono; ſicut aliquis, *v. g. Apoſtoli* dicitur confirmatus in gratia. Sed quod aliquis ſit confirmatus in gratia, ita vt infallibiliter numquam ſit peccaturus, non tollit liberam poteſtatem ad moraliter operandum: ergo quamquam Eccleſia ita ſit confirmata in vero, & bono, vt nunquam proceſſura ſit ad diſpenſationem pravam, atque nocivam; tamen ſtat, habere poteſtatem liberam diſpenſandi. Vbi nota diſcrimen: quòd in confirmato dicitur remanere poteſtas peccandi: quia in eo debet ſalvari libertas, & meritum; in Eccleſia vero

non relinquitur vera potestas ad dispensationem pravam, & nocivam: quia ad id in ea libertas poni non debet: vnde gaudebit libertate contradictionis ad dispensandum, vel non dispensandum, sed non libertate contrarietatis versantis inter bonum, & malum ex parte sui exercitij; licèt in obiectis dispensabilibus forte aliqua contrarietas reperiatur.

10 Confirmatur 4. Interpretatio illa circa ius divinum, quę non præcisè explicat ambiguitatem verborum; sed vel addit, vel minuit verba; meditaturque dubium in casu præsenti, & non in verbis legis, non tàm est interpretatio purè talis; quàm interpretatio aliquo vero, & proprio modo dispensativa. Nã est quasi taxativa promulgationis. Sed huiusmodi dari poterit in Papa circa ius divinum sivè quoad institutiva, sivè quoad præceptiva, sivè quoad guvernativa, si adsit triplex genus debitæ conditionis: ergo sub hoc triplici genere conditionis apposita negari non debet. Probatur minor. Triplex genus conditionis est huiusmodi. Primum: quod dispensatio non sit circa substantialia, & principalia intrinseca que rei institutæ, aut præceptæ, aut iure divino stabilitæ; sed solum quoad accidentalia, modalia, adhærentia, extrinseca, & contingentia tali rei. Secundum: quòd dispensatio non sit quasi totalis in aliquo genere; sed solum sit vel quoad *aliquid*, vel *aliquando*, vel *alicubi*, vel *alicui*. Tertium genus est: quòd sit à solo Papa propter commissionem supra attactam; & quòd sit cum causa plusquam gravi etiam ad valorem: & quòd Papa in ea procedat solemniter, & ex Cathedra ita, vt alias non sit valitura: ad quod AA. sanè graves atque prænobiles, licèt concedant, vti par est, infallibilitatem Papæ seorsim à Concilio; eam tamen concedunt, quoties pro rerum gravitate non despicit Cardinalium de more, & DD. suorum quærere, & audire consilia. Alij sine hoc. De quo agit P. Gutierrius, Hurt. *in sua Theologia Castigata, in disp. proœmiali.* Sed sub triplici hac conditione, imò, & non tàm exactè, olim per Papam dispensatum est tàm in matrimonio rato, quàm in vinculo spirituali inter Episcopũ, & Ecclesiam; necnon, & residentia Episcopi, quæ est de iure divino: tùm quod gravius est, in præceptivis circa Sacramenta, vt laici non communicent in vtraque specie: tum in institutivis, quatenus olim teste Suario *lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 4. cum alijs dispensatum est propter defectum vini, vt Eucharistia in sola specie panis conficeretur: itemque licèt Episcopus sit minister ordinarius Confirmationis, potest ex dispensatione Papæ id simplici Sacerdoti committi: ergo in omni specie iuris divini, sivè institutivo, sivè præceptivo, sivè administrativo sub præfatis conditionibus dari potest potestas dispensandi: præsertim cum Innocentius Tertius *in cap. Inter Corporalia de translatione Episcoporum* dicat, Papam sic dispensantem id facere potius potestate divina, quam humana, idest, prout nos supra diximus cum potestate verè humana, sed desuper Spiritu Sancto illuminante, atque confirmante fæcunda. Pars tertia conclusionis facilè probatur. Quia dispensatio laxè talis est, quando ratione dominij, potestatis, aut iurisdictionis supra materiam, potest vel privatus, vel communitas excusari ab obligatione legis. Sed id potest Papa in residentia Episcopi, & iure decimarum, quæ sunt de iure divino: ergo, &c. Minor patet: quia quoad residentiam posset in vno, vel in pluribus providere ovibus per Episcopos Titulares, & ita non tam strictè cogeretur residere. Quoad decimas, quia cum sit Dominus earum poterit eas, vt velit, & quibùs velit remittere, & relaxare.

11 Dico secundo. *Papa potest verè interpretari ius divinum in triplici specie relata; non vero per epiKeiam, quæ sit emendatio ipsius.* Probo primam partem postea probaturus secundam. Inter-

terpretatio ſtrictè talis eſt illa, quæ nihil immutando de verbis legis, ſcilicèt, neque numerum, neque ſignificationem, compingit, & ellicit ex eis, v. g. hunc ſenſum, præ alijs. Sed hoc poteſt facere Papa: ergo, &c. Minor probatur primo. Quia Papa ad id gaudet aſsiſtentia Spiritus Sancti, vt hæc nobis ediſſerat iuxta illa verba. *Et ſuggeret quæcumque dixero vobis.* Sed hoc eſt aperire nobis, quæ à Chriſto dicta ſunt de nova lege magis concisè, & arcanè: ergo, &c. Secundo. Quia, vt inſinuavi, cum Eccleſia futura eſſet in locis, temporibus, & perſonis tam multiformis, non poterat ritus quilibet ſeu inſtitutus, ſeu præceptus, ſeu ordinatus non poſtulare ſibi vivam vocem declarativam, & Spiritu Septiformi animatam. *Probatur ſecunda purs.* Omnis Epikeia, prout ſupra tradidi in notabilibus, eſt interpretatio emendativa, & correctiva legis, vel quoad verba, vel quoad mentem legislatoris. Sed poteſtas Papæ etiam ſub aſsiſtentia Spiritus Sancti non poteſt verè corrigere in Evangelio ſeu verba Chriſti, ſeu mentem Chriſti legislatoris: ergo, &c. Minor patet, quia verba, & mentem æternæ, & infinitæ ſapientiæ quis vnquam corrigat? Et qui Spiritu Sancto illuminatus ſit penetrabit abſtruſa; ſed non emendabit. Hic nota primo me conſultò prætermiſiſſe loqui de illis,, quæ ſimul ſunt de iure naturali, & divino, vt ſunt vota, & iuramenta in quibus Papa diſpenſat modo ſatis noto DD. quia volui liquidius agere de iure divino, in quantum tali, vt tota res melius illuſtretur. Secundo. Quod quoties relaxatio aliqua iuris divini, vel facta, vel facienda veniat in diſputationem Theologicam, tentari debet via ſuavior, ſcilicèt prius: an per interpretationem puram; deinde, an per diſpenſationem laxam; demum, an per diſpenſationem aliquomodo propriam reſpoſsit expediri?

12 Obijcies 1. Et ſuppono quod adverſus primam partem primæ concluſionis iam ibi diluta eſt obiectio, quæ fieri poſſet de poteſtate Papæ in vi aſsiſtentiæ Spiritus Sancti: hic enim decreta ſemel lata per divinum Verbum fruſtrare non poteſt. Tota ergo vis obiectionum militat adverſus ſecundam partem. Primo ſic. Illa poteſtas Papæ aliquomodo diſpenſativa propriè eſſet circa omnia iuris divini: non enim bona induci poteſt ratio diſcriminis. Sed ita eſſe non poteſt: ergo. Probo min. Primo. Ex Leone Papa *Epiſt.* 90. *cap.* 1. & habetur *in cap. vlt. diſt.* 14. vbi ait: Statuta divina eſſe immutabilia; ſecus vero humana: ergo, &c. Secundo. Quia ſi in lege Evangelica non darentur aliqua magis cardinalia, & fundamentalia legis, quæ neceſſariò forent immutabilia; poſſent per diſpenſationes etiam fundamentalia moveri, & ita variari, vt decurſu temporis Eccleſiæ forma, figura, & vnitas non permaneret. Sed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Confirmatur 1. Poteſtas data Eccleſiæ iuxta D. Paulum data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. At ſi ita generaliter poſſet in omnibus diſpenſare; potius Eccleſiam deſtrueret, quàm ædificaret: ergo, &c. Confirmatur 2. Ex Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 2. vbi ait: *Sed non ſemper quando melius occurrit lex eſt mutanda: quia mutatio in ſe habet quoddam detrimentum communis ſalutis; cùm ad obſervantiam legem multum valeat conſuetudo, ita quòd ea, quæ contra communem conſuetudinem fiunt, quamvis de ſe leviora ſint, graviora videantur.* Atqui tota ratio, vt poſſet fieri diſpenſatio, eſt quia tunc id melius fore videtur: ergo hoc fundamentum eſt fallax. Ad hoc argument. reſp. conceſſ. maior. neg. minor. ad cuius primam probationem, diſting. anteced. divina ſunt immutabilia *eò modo quo ſtatuta divina ſunt*, conced. anteced. ſunt immutabilia *ſine vlla prorſus variabilitate* in obſervatione pro circumſtantijs locorum, perſonarum, & temporum, neg. anteced. & conſeq. Aperte enim dixi-

mus,

mus, ſtatuta Chriſti, eo modo, quo, & pro quo data ſunt, neque ab ipſo Spiritu Sancto poſſe immutari; cæterùm per hoc non tollitur; quòd ipſa ita ſint generatim in lege nobis promulgata, vt non poſsint, ſervata ſubſtantia eorum, & gravibus conditionibus iam relatis, non accommodari in ſui obſervatione quoad aliqua non ſubſtantialia, ad loca, perſonas, & tempora: quæ accommodatio, ex arbitrio Papæ cum lumine Spiritus Sancti, pendebit. Ad ſecundam probat. diſting. maior. quæ forent immutabilia quoad ſubſtantiam, & permanentiam abſolutam ritus, conced. maior. quæ neceſſario forent immutabilia, id eſt incapacia alicuius variationis, non ſubſtantialis quoad ritum abſolutè conſideratum, neg. maior. & reſpectivè diſtincta minor. neg. conſeq. Itaque nos dicimus; quòd nunquam facere poteſt Papa, vt aliqua inſtitutio in ſubſtantialibus ita deficiat, vt abſolutè non permaneat, prout inſtituta eſt. V. g. licet alicubi diſpenſaverit confici Sacramentum in vnica ſpecie; dum in tota reliqua Eccleſia conficiatur in duplici, non obeſt; impoſsibile autem eſſet, quod pro tota Eccleſia id faceret: nam ſemper illud Sacramentum in vnica ſpecie, in eſſe Sacramenti inſtituti à Chriſto, facit vnum in genere Sacramenti cum Euchariſtia totius orbis. Idem dic de baptiſmo aquæ, cum tamen aliquando hic ſuppleatur per flamen, ſeu contritionem, & ſanguinem: non enim ita poſſet baptiſmus aquæ ex authoritate Papæ declarari in Eccleſia non neceſſarius. Quare ratio à priori ea eſt, quòd inſtituta, & præcepta novæ legis etiam fundamentalia non dicuntur immutari ſubſtantialiter, etiam cum reſpectivè in aliqua parte ipſius ritus attingi videntur; ſi nimirum, id fiat dumtaxat cum reſpectivis cauſis graviſsimis, & reſpectu *alicuius*, vel *aliquando*, vel in ordine *ad aliquid*, vel ſolum *alicubi*: quoniam quando ita reſe habet, & vniverſim per Eccleſiam, tàm ritus inſtitutivus, quàm præceptivus integer perſeverat, non rectè dici poteſt, quod Papa tunc ritum immutat; ſed quod fidelibus de ſua poteſtate indulget, vel potius ſuccurrit, vt, præſtando de ſe ritum, & præceptum, in quantum poſſunt, intelligantur nihilominus ratione vnitatis Eccleſiæ, & communionis fidelium integrum ritum cum fratribus ſuis in toto terrarum orbe peragere: vnde neque propterea in Paradyſo Eccleſiæ ritus ille deformis vllatenus apparebit. Non ſecus ac ſi in Paradyſo pulchris arboribus conſito, & fructibus onuſto; pro graviſsimis perſonis, & cauſis ſolum *alicubi*, & in *aliqua* arbore, & *aliquando* aliquis ramuſculus, vel pomum, vel arbor, aut arbores excideretur; amænitas, & venuſtas integra remaneret. Sic ſimiliter conſidera in Paradyſo Eccleſiæ Sacramentorum fontibus, & fructibus vitæ noſtræ compoſito.

13 Ad 1. confirmat. reſpondeo negand. aſſumptum: eiuſmodi enim poteſtas potius eſt in ædificationem Eccleſiæ, quatenus, nimirùm multiformis ſpiritus gratiæ omnibus locis temporibus, ac perſonis attemperat iura ſua, ritus, & iuſſa, ita vt ipſis ſemper illæſis in ſubſtantia ſua, & ita penè in toto corpore Eccleſiæ regnantibus; nihilominus oſtium aperiat Iudæo, & Gentili, Barbaro, & Scithæ: vnde latius patet ædificium Eccleſiæ, quin vllus eius ritus, præceptumvè ſit abolitum; ſed, modo ſupra explicato, per modum vnius ſervatum à tota Eccleſia: ita vt etiam laici qui in vna ſpecie communicant, verè dicantur quod non communicant, niſi Sacramentum duarum ſpeciarum: & ſimiliter illi qui olim diſpenſati ſunt ex defectu vini, vt in vna ſpecie conficerent, verè dici poteſt, quòd in vnica illa ſpecie quam poterant, conficiebant Sacramentum duarum ſpecierum: quatenus ex vnitate, tum Eccleſiæ, tùm ſui in poteſtate conficiendi, ipſorum quoque erat confectio

in

in vtraque ſpecie: & ſic vnitate morali, & Sacramentali ſervabant ritum integrum Sacramenti, licèt quoad vtramque ſpeciem confici, aut ſumi non poſſet. Ad 2. confirmat. ex dictis facilè reſpondetur, D. Thomam diſcretè ibi fuiſſe locutum, ne humanarum legum diſpenſatores facilè ſub ſpecie *melioris* illudantur, non computantes boni communis detrimentum, quod ex repetito vulnere legis ſit manaturum: neque dubium eſt, quin per hanc viam multæ leges moriantur, & concidant. Cæterum nos ſuſtinemus, quòd Papa diſpenſans ſub conditionibus, ſupra à nobis relatis, ſemper facturus eſt quod eſt melius, imò & quod pro tunc ipſa æterna lex iubet: ſiquidem ſolum dicimus diſpenſare *propriè aliquomodo*, ideſt, quatenus promulgando ius divinum ſub tali tenore in illo caſu, tollitur illa obligatio, quæ ex promulgatione generali videbatur præexiſtere; & innoteſcit quomodo lex æterna ab initio caſum illum, aut non reſpiciebat prohibitivè; aut reſpiciebat illum conceſsivè. Et ſic ibidem proſequitur Ang. Doctor, inquiens: *Quare nunquam debet lex mutari, niſi ex aliqua parte tantum comperſetur communi ſaluti, quantum ex illa parte derogatur, vt vel in novo ſtatuto ſit aliqua evidentiſsima vtilitas, vel maxima neceſsitas recedendi ab eo, quod diu viſum eſt ex aliqua manifeſta iniquitate nunc apparente.* Vbi clarè loquitur de humana legislatione; cum in noſtro caſu (ſervato integrè, & in abſoluta conſideratione ritu, & præcepto) maius bonum commune ſequeretur ex diſpenſatione, quàm ſecùs.

14 Obijcies 2. In lege veteri Summus Sacerdos diſpenſare non poterat, quia erat lex Dei. Sed non minus eſt lex Dei, & ius divinum, quod fuit in lege Evangelica promulgatum: ergo, &c. Confirmatur 1. Si Papa poſſet diſpenſare maximè ex illis verbis: *Quodcumque ſolveris, & ligaveris, &c.* Sed talis poteſtas ibi non clauditur: ergo, &c. Min. probatur. Primo. Quia ipſi Pontifices ibi talem poteſtatem non recognoſcunt, vt patet in Decreto 25. *quæſt.* 1. *cap. Sunt quidam*, & duobus ſequentibus. Secundo. Quia quoties aliquid eſt de iure divino, ipſi Pontifices diſpenſare refugiunt; imò & in ſtatutis Apoſtolicis, vt conſtat *cap.* 2. *de Bigamis.* Confirmatur 2. Quia Pontifici non fuit communicata à Chriſto poteſtas excellentiæ. Sed, ſi in omnibus præceptis fidei, ſacrificij, & Sacramentorum novæ legis poſſet diſpenſare; gauderet poteſtate excellentiæ, vt videtur patere: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpondeo, permiſſa maior. de qua agimus Decade ſequenti, dum poteſtas Summi Sacerdotis diſcutitur, diſtinguo cauſalem ipſius: *Ideò præcisè*, neg. mai. ideò, & *quia Deus in ea lege ſibi ſoli oracula reſervavit*, agendo familiariter cum hominibus, cum ſenſibili maieſtate, & dando reſponſa per propitiatorium, & Ephod conſultivum, conced. maior. & conceſſ. min. neg. conſeq. Quia voluit Deus, quod in lege nova, vt in lege perfecta, & conſummata, atque mundum conſummatura, & in qua iam Deus homini ſe hypoſtatice copulavit, traderentur homini, ſic exaltato, claves Regni Cœlorum, & poteſtaris ſimul cum Paracleto miſſo de Cœlis ad legitimè penetrandum, & reſolvendum in tota lege Evangelica. Ad 1. confirmat. nego minor. ad cuius primam probat. nego anteced. quia, præterquamquod illa capita Decreti non faciunt argumentum neceſſarium; inſuper ibi ſolum dicitur, quod contra ſtatuta PP. immutari aliquid non poteſt, etiam ex authoritate Sedis Apoſtolicæ. Quod quidem verum eſt ſub eodem tenore noſtræ ſententiæ: quia cum Sedes Apoſtolica, PP. debeat inniti, vt benè reſolvat; non ita fieret, ſi ſtatuta PP. vniverſim, & ſubſtantialiter convelleret; quod tamen non faceret, quoties, adhibitis noſtris conditionibus, *alicubi, aliquando, &c.* rem ex conſilio, & luce Spiritus Sancti pro oportunitate

decerneret. Ad 2. probat. dico eam firmare noſtram ſententiam, nempè quòd detur talis poteſtas in eo ſenſu; & tamen quod Spiritus Sanctus ita manuteneat Pontifices, vt non de facili ad ſimilia procedant; quemadmodum Deo dante hactenus viſum eſt, & probatio ipſa confirmat. Ad 2. confirmat. conceſſ. maior. neg. minor. iuxta modum diſpenſandi, quem nos admittimus, qui in toto rigore talis non eſt: quippè non extenditur ad virtutem obligativam radicalem legislatoris, ſed ſolum verſatur circa promulgationem factam iuris divini, eam temperando prout Spiritus Sanctus edocet, ad quos caſus, & quomodo ſub ea promulgatione ius, & divina iuſsio extendatur, ita vt, ſemel latum, revocari non poſsit.

15 Obijcies 3. Si admittatur hæc diſpenſatio non rigoroſa, & quæ non pertingat ad iuſsionem Chriſti alterandam; ſed ſolum quaſi ex parte promulgationis ſe teneat; nihilominus exinde videtur obnoxia mutationi, & ruinæ tota lex Evangelica quoad fidem, quoad Hierarchiam Eccleſiaſticam, quoad Sacramenta, & ſacrificium. Sed hæc non poſſunt non eſſe abſurda: ergo & concluſio. Mai. patet: quia illa omnia, licet ſub tali temperatione, quæ voluntati Chriſti non contrairet, tamen alterabilia omnia redderentur. Confirmatur. Si Sacramenta quoad aliquid ſuæ inſtitutionis, ſcilicèt, materiæ, & formæ, Miniſtri, poſſent immutari; ea ſic immutata non cauſarent gratiam: ergo etiam ſic immutari non poſſunt. Anteced. patet: quia Chriſtus Dominus alligavit ſua merita, iuſtificationem, & gratiam illi præcisè inſtitutioni, quam fecit: ergo hac immutata, virtus illa ſanctificativa periret. Ad hoc argumentum capitale non perfunctorie reſpondendum eſt; ſed ita vt res tota, nedum benè inclareſcat; ſed pijſsimo intellectu, tùm in legem Evangelicam, tùm in poteſtatem ſupremi capitis accommodetur. Itaque ſuppoſito, quòd ſemper à nobis negatur diſpenſatio, quæ riguroſe ſis talis, non ſecus ac verè dicitur, Papam diſpenſare non poſſe circa ea, quæ ſunt de iure naturæ; nihilominus cum ſit diſcrimen aliquod ſtans in eo, quod promulgatio, & impreſsio legis naturæ eſt vnicè, & immediatè à Deo; promulgatio verò iuris divini fit miniſterio humano per ſententias, & verba Scriptoris Canonici in Scripturis, quæ proculdubiò ſubiacent iudicio Eccleſiæ iuxta illud Auguſtini: *Non crederem Evangelio, niſi ita me doceret Eccleſia*; valdè ſolidè, & pacificè, vtiliterque inducitur tale genus diſpenſationis *aliquomodo propriè*, quatenus, videlicet, non deſinit attingere id, quod conſtituit obligationem legis in actu ſecundo, nempè promulgationem, licèt minimè attingere poſsit ipſam voluntatem legislatoris. Quo poſito reſpondeo ad argumentum in forma, negando mai. & ad probat. ſubiunctam diſting. ſic omnia manerent alterabilia *ſubſtantialiter abſolutè*, neg. anteced. omnia manerent alterabilia *quoad extrinſeca, & accidentalia, & etiam ſubſtantialia aliqua ex parte*, ſubdiſting. *omnia collectivè*, ita vt ſtatus legis aboleretur, neg. anteced. *omnia diviſivè*, & ita vt Eccleſia quoad fidem, Hierarchiam, Sacramenta, & ſacrificia ſemper integra permaneret, conc. antec. & neg. conſeq. Igitur præter accidentales, & extrinſecas immutationes, quæ ex tali poteſtate venirent, & ſubſtantiæ rei non obeſſent; do etiam libenter, & reverenter propter exemplaria, quæ proſtant in Eccleſia, & quæ non niſi admodum ritè facta credi oportebit, quòd aliqua ex parte etiam de ſubſtantia rei poſſet fieri, aut potuiſſet, talis diſpenſatio, non quidem abſolutè; ſed reſpectivè, ſcilicèt, vel *alicui*, vel *aliquando*, vel *alicubi*, vel quoad *aliquid*: nam ſub hoc tenore, & conditionibus, ſupra attactis, adhibita illa quaſi mutatio ſubſtantialis, quæ ſequeretur in illa particulari re diſpenſata, foret in-

integralis quidem, non verò quidditativa in Ecclesia quoad sui fidem, Hierarchiam, Sacramenta, & sacrificium: atque ad hos terminos tandem Suarius devenit. Ratio est: quia semper remanebit Ecclesia vniversalis de se ad totum orbem extensa cum sua Hierarchia Sacerdotali, sub vno capite Romano Pontifice; cum suo ingressu per baptismum, & fide explicita Trinitatis, & Incarnationis; necnon cum reliquis Sacramentis, & sacrificio altaris sub vtraque specie. Quod corpus Evangelicum, & Ecclesiasticum semper in tota sua quidditate permaneret; licèt quoad integralia terrarum orbis aliquis locus esset, vel persona, vel tempus, in quo propter defectum rei, vel causas gravissimas aliquid de ritu etiam substantiali omitteretur (nunquam verò quidpiam aliud ab institutione alienum admitteretur, vt fecerunt hæretici) quia, scilicèt, sub hoc tenore, quemadmodum corpus humanum alicubi læsum in organo quoad integralia; tamen ibi cum tota communicat hominis quidditate, eò quòd tale membrum se gerit humanitùs in quantum potest; sic similiter pars illa, aut persona dispensata, eo quod in quantum posset, servaret verum ritum, nec falsum misceret; verè communicaret cum quidditate, & statu perfecto totius Ecclesiæ, quoad fidem Hierarchiam, Sacrificium, & Sacramenta.

16 Porrò vt superioris doctrinæ soliditas, & vtilitas ampliùs innotescat; oportet sigillatim discurrere circa omnia, quæ in lege Evangelica clauduntur, expendendo quomodo circa omnia sub præfatis conditionibus potuerit, & semper possit Ecclesia *aliquomodo propriè* dispensare, non rigorosè; hoc est, taxando promulgationem; perindeque exponendo *ad quid*, *& quomodo* voluntas legislatoris, & eius institutio se extenderit. Igitur circa fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis potest cadere sub hoc genere dispensationis, vt in populis semibarbaris, & multum rudibus, atque vbi promulgatio fuit transiens, fides vtriusque mysterij etiam modo subobscuro retineantur, si aliter non potest, & sub ea sic servato baptismate sint membra Ecclesiæ: veluti, vt memini, in Hispania apud Batuecos populos, nuper cognitos, inventum fuit, vt audivi baptisma, sic solitum vsurpari. *Ego te baptizo in nomine vnius, & trium*, quod proculdubio validum erat populis illis, qui ex Christianis ducebant originem. Vnde, si aliqui populi, alioqui feroces, nollent se dedere fidei, & baptismati, nisi sub hac forma confusa. *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, ait Felinus, non est cur Papa dispensare non possit. Secundo. Circa hierarchiam satis receptum est potestatem iurisdictionis in Sacerdote, & Episcopo esse de iure divino, & nihilominus ex potestate Papæ iustè ampliari aut restringi. Item quoad Sacerdotium, & potestatem ordinis si causæ grauissimæ vrgerent, & de solemni more, & Cathedra sic fieri resolveretur à Papa, vt cum aliquo in particulari *solis verbis* in Sacerdotem aut Episcopum crearetur, videretur valere, prout dicitur sensisse Innoc. I. Felinus, & Angelus apud Suarez; licèt hic de Innocentio dubitet. Ratio est, quia potestas consecrandi ex Tridentino *sess. 22. de Sacrificio Missæ, C. & Can. 2.* cum Theologis, & D. Thoma videtur data fuisse per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ Henriquez lib. 10. cap. 3. num. 1. sic exponit per paraphrasim. *Vt ego, & consecro Eucharistiam, & illam offero; similiter vos consecro Sacerdotes, & Episcopos: ita vos accipite potestatem consecrandi Eucharistiam, & offerendi illam in Missæ Sacrificio.* Vnde tàm pro hac parte, quàm pro sola expressione Trinitatis in baptismo, ea ratio militat, nempe, quod in significatione verborum nulla substantialis mutatio apparet: & illa verba, quæ diceret Pontifex in eo casu (quem semper supponimus coram Ecclesia vrgentissimum) in ea non desi-

ne-

nerent referri ad debitum Calicem, & Patenam, licèt abſentes. Tertio. Circa Sacramenta præter baptiſmum relatum, iam circa Euchariſtiam, tàm vt Sacramentum, quàm vt Sacrificium olim Papa diſpenſavit propter defectum vini, vt in ſolo pane conficeretur, ita Turrecremata *in cap. Comperimus de Conſecr. diſt.* 2. Antoninus 3. *part. tit.* 3. *cap.* 6. §. 1. Genebrardus *in Chronolog.* cum alijs citatis à Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 43. *ſect.* 4. vbi nota diſpenſationem, certe arduiſsimam, & tamen factam. Item de Miniſtro Confirmationis, qui eſt Epiſcopus, iam recipitur quod poſsit diſpenſari cum ſimplici Sacerdote. Deinde circa materiam proximam pœnitentiæ ſcilicèt dolorem, & confeſsionem multa pro caſibus ſtatuit Eccleſia de ſola attritione, de integritate interdum ſola formali. Circa Extrema-Vnctionem non videtur, cur non poſſet Papa diſpenſare alicubi ex defectu Miniſtrorum, vt Diaconus illam adhiberet. Circa ordinem iam ſupra tetigi. Circa matrimonium hoc non eſt ſolum de iure divino, ſed de iure naturę, & nihilominus diſpenſat in matrimonio rato, & etiam ipſe D. Paulus inter Infideles diſſolvit matrimonium conſummatum quando alter coniux converſus nequit cohabitare ſine contumelia Creatoris. Atque etiam ab aliquibus tradi, etiam in conſummato Papam diſpenſare poſſe, refert Suarez. Quod tamen ego inficior: tùm quia licèt in rato poſsit, quia nodus corporum nedum factus eſt; in conſummato vero iam factus eſt: & clare dixit Chriſtus. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Tùm quia huc venit oportuna doctrina D. Thomæ dicentis, diſpenſari non poſſe, quando caſus eſt talis, vt detrimentum commune præponderet vtilitati ex diſpenſatione reportandæ: vti eſt certum in hac materia: ſi quidem ſtatim fortè aliqui Principes vitio, & opibus potentes, priorem vxorem repellerent, vt aliam ducerent. Sic Valentinianus Imperator ſe fecit polygamum: Henricus Octavus propter ducendam aliam ſe fecit hæreticum. Quarto denique circa ſacrificium, quod vnicum eſt in Eccleſia, iam dixi. Poſt quæ tandem circa adminiſtrationem, & gubernationem Eccleſiæ, etiam videmus, à Papa diſpenſari ea, quæ non ſolum de iure divino, ſed ſunt de iure naturali divino, v. g. matrimonium Epiſcopi cum Eccleſia, reſidentiam in illa, ſolutionem decimarum, adimpletionem voti, atque iuramenti. Ex quibus omnibus ſatis liquet, quàm ſolidè, & vtiliter ponatur hæc poteſtas diſpenſativa *aliquomodo propria* quæ ex vna parte voluntatem obligatoriam Chriſti nō vulnerat, & ex alia abunde conſulit DD. preſſuris tàm præteritis, quàm futuris. Replicabis primo. Ergo poterit aliquis populus ſitus in locis aridiſsimis à baptiſmo aquæ excuſari authoritate Papæ eo quòd in reliqua Eccleſia ſervetur ritus baptiſmi: & hic defectus ſit quaſi integralis. Reſpondeo negando conſequent. Quia prior eſt ingreſſus in Eccleſia, quàm poteſtas Papæ ad diſpenſandum cum aliquo, & ſine baptiſmo aquæ in re vel in voto ingreſſus non datur. Potuit autem Papa diſpenſare circa illa verba. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Vt ſufficeret in voto; diſpenſare autem talem populum eſſet, in voto baptiſmi diſpenſare. Replicabis ſecūdo. Talis diſpenſatio à nobis expoſita eſt aliqua Epikeia, quia iam inducit ſenſum verbis contrarium. Reſpond. negando aſſumptum: nam caſus, cauſæ, & circunſtantiæ non faciunt quod verba Chriſti nunc alium ſenſum habeant, quem ab initio non habuerunt, in quo eſſet Epikeia; ſed ſolum viva poteſtas Papę, legendo ſimul librum legis, & librum temporum, & orbis terrarum cœlitus internoſcit ſenſum, prout eum legis verba declarant. Iam venio tandem ad confirmationem, & nego mai. ex doctrina nuper expoſita, & diſting. probati. Alligavit inſtitutioni,

quam

*quam fecit, & promulgavit, & prout eam fecit*, conc. antec. *quam fecit materialiſsimè quoad tunc, ibi, illa*, &c. nego antec. Chriſtus enim inſtituit Sacramenta ſub tenore vivifico, & vivificante duraturo vſque in finem, & toti orbi communicandò quoad inſtitutionem ſuam: fecit ſub cœleſti, & divina prudentia quoad ſpecies Sacramentorum ſubſtantialiter, & proficue intellectas: dixit enim ille. Marc. 2. *Sabbatum propter hominem factum eſt; & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam Sabbati.* Non materialiter, & in individuo; alias ſolus ille Calix, & Patena in Cœna D. preſentes ad creandos Sacerdotes deſervirent. Deinde eam inſtitutionem quam fecit, prout eam fecit, voluit à nobis intelligi; & eam voluit à nobis intelligi, prout Os Eccleſiæ Chriſti, qui Spiritum ſuum ad id promiſit, talem promulgationem in Scripturis factam taxaret. Quare inſtitutio fuit, prout legitur; & ita legitur, prout bene intelligitur; & ita benè intelligitur, prout à Papa nobis declaratur: quippè qui habet claves, & Spiritum Scripturarum.

17 Colliges 1. Erraviſſe Philippum Melancton, & alios Hæreticos, quorum primus dixit Eccleſiam poſſe diſpenſare, vt in melle; alij, vt in cereviſia conficeretur Euchariſtia. Quia in materia Sacramentorum aliud manifeſtè miſcere, & intrudere, eſt clarè inſtitutioni adverſari; quoad negativum verò, & affirmativum rei eiuſdem inſtitutæ, verſari, non eſt pluſquam tenorem inſtitutionis, *vt promulgatæ* taxare. Colliges 2. Noſtram ſententiam ſic explicatam trahere in Concordiam Iuriſtas, & Theologos, omnes viros doctos, & ex ea poſſe in poſterùm non obſcurè definiri: *An caſus aliquis occurrens eiuſmodi ſit, vt Papa ſub hoc tenore diſpenſare poſsit?* Componiturque hic, quomodo in iure divino Papa veriſsimè diſpenſare non poſsit; & verè in aliquo ſenſu non improprio poſsit diſpenſare. Colligitur 3. Legem Apoſtolicam, ſeu præcepta Apoſtolica pari iure currere poſſe cum lege Evangelica, quia, vel ex ore Chriſti ea acceperunt; vel Spiritu Sancto deſuper illabente, ea didicerunt. In eo tamen debebit eſſe obſervatio, vt nil intrudatur ſub lege gravi aut levi, niſi quod iuxta materiam, aut pœnam appoſitam ſic eſſe colligatur: ſiquidem, & mandata aut conſilia diſpoſitiva; aut conſilia perfectiva poterunt inveniri, & ſic etiam in ipſa lege Evangelij. Colligicur 4. Plures AA. paſsim probantes aliquid eſſe nunc ex obligatione gravi, à iure divino ex aliquo textu veteris teſtamenti, illegitimè procedere, ſi vim divini iuris prætendant: tum, quia ſæpè citant textum, qui non eſt de lege, hoc eſt de libris legalibus; ſed de Proverbijs, vel Sapientia, vel Hiſtoriali, &c. Et tunc non facit argumentum neceſſarium de obligatione, ſed ſolum de rei licitudine, ſi ibi probatur, & non eſt abrogata. Tùm quia, licèt ſit de veteri lege; ea iam abrogata fuit: quare niſi quod in ea de iure naturæ fuerit, vim non habet. Poterit autem ex eis argumentari imitativè, & congruenter; ſecus autem neceſſario: vnde licèt ab ipſis Concilijs aliquid cooptatum ſit, & propterea obligationem induerit; tamen notari debet; quod talis obligatio non erit niſi ex iure Eccleſiaſtico, & humano; non vero divino. Colliges 5. Legem novam fore in perpetuum duraturam cum Eccleſia. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et Daniel. 7. *Et Regnum eius alteri populo non tradetur... poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius non commovebitur.* In lege autem veteri duratio promittebatur conditionatè, ſi Dominum ſequæretur, & quidem duratio in ſe, vel in perfectiori. Item patet illatio: quia facta iam Hypoſtatica vnione Mediatoris, & quaſi de copia gratiæ reparato priſtino ſtatu Innocentiæ, lex alia perfectior venire

non posset. Colliges 6. Quomodo in pefectione distinguatur lex nova à veteri prout supra tetigi, & Suarez *lib.* 10. *cap.* 8. late persequitur. Dixi vero ibi posse in lege veteri dari eo modo viros perfectos. Cui videtur opponi illud Pauli *ad Heb.* 9. quod lex vetus *nequit perfectum facere seruientem.* Sed respondeo id intelligi de perfectione gratiæ, & de perfectione vltimata, vltra quam alia non datur; non vero de perfectione respectiva ad capacitatem subiecti, & eius plenitudinem.

JHS.

# QUÆSTIO TERTIA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

BEATI PAVPERES, QVIA VESTRVM EST REGNVM DEI. *Luc. 6. versic. 20.*

### ARTICULUS.

*QVOT ET QVÆ FVERINT BEATITVDINES A CHRISTO D. in lege Evangelij pronuntiatæ?*

NOTABILIA.

1 SUppono 1. Christum Dominum apud *Matthæum cap.* 5. dum sermonem ad Discipulos institueret, octo beatitudines recensuisse, à quibus non sine Divina Rhetorica exorsus, homines pelliciebat, vt eis facilius doctrinas altissimas instillaret. Apud *Luc.* verò *cap.* 6. quatuor dumtaxàt beatitudines computavit: quas tamen totidem contrapositis lamentationibus statim ipse suffulsit. Quare cum vtrobique videatur res non modicum discrepare, tùm quoad numerum, tùm quoad nonnullas verborum discrepantias: quia Mathæus, ait: *Pauperes spiritu*: Luc. verò *pauperes* tantum, item ille ait: *Esuritis iustitiam*; hic verò dumtaxàt *esuritis*: tùm propter adiectionem lamentationum in Luc. quæstio nascitur non contemnenda: *An eædem vtrobique beatitudines recensentur, & quomodo cohæreant?* In quo cum Ambrosius, & alij PP. atque DD. eleganter de more desudent; nos pauca libabimus ex ijs, quæ ad rei declarationem profutura videantur: monentes interea, nos esse minimè oblitos alterius quęstionis mox dandæ, in qua agimus: *An sermo habitus à Christo, Mathæi 5. & Luc.* 6. Idem fuerit, in quibus vtræque beatitudines includuntur: vnde, illa iam resoluta, forte videatur esse modo hæc secunda quæstio supervacanea. Sed profecto non est: tùm quia dum locuti sumus de identitate

titate concionis ſolum proceſsimus, attenta cohærentia, & quaſi chronotaxi vitæ, & geſtorum Chriſti Domini, prout nobis referuntur in Evangelijs, itemque inſpecta ſummatim, & generaliùs vtrobique data doctrina; quin inibi miſceretur ſpecialis, ſeparataque diſputatio de punctis ibi tactis, quæ, cum ſint plurima, perperam poterant in vnam diſputationem rectè trahi, & ritè coire: quare, & liberum manſit de vnoquoque ſeorſim pro merito diſputationem inſtituere. Vnde ex triplici genere quæſtionis Dialectico, quo inquiri ſolet: *An res ſit? quid ſit? & qualis ſit?* Licet ſupra quæſtio quod *an eſt*, maneat generalius attacta; remanet vlterius *quoad an eſt in ſpecie*: *quoad quid eſt*; & *qualis eſt*, valdè vtiliter diſputandum.

2 Suppono 2. Circa numerum talium beatitudinum non eſſe valdè inſiſtendum, atque laborandum: quo videlicet aliæ ad alias doctrinaliter reducantur, vt omninò methodicè nihilo aliæ ab alijs videantur diſsidere; & de beatitudinibus vitæ verè Chriſtianæ, ſicuti nihil reſtet vltra octo beatudines à Math. relatas; ſic nihil de his octo beatitudinibus nihil ſit, quod in ſuis quatuor non includatur à Luca. In quo negotio nonnulli laborant, & verè negotium eſt. Ratio ſuppoſitionis eſt propter plura. Primo. Quia vt optime Siurius adnotavit *tom. 1. tract. 35. cap. 2. num. 17.* Beatitudines vitæ verè religioſæ, & Chriſtianæ in Sacris codicibus multiplicatæ inveniuntur longo cenſu vltra numerum à Math. relatum, v. g. Pſalm. 1. verſ. 1. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum.* Pſalm. 31. verſ. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Pſalm. 33. verſ. 9. *Beatus vir, qui ſperat in eo.* Pſalm. 111. verſ. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Iob 5. verſ. 17. *Beatus homo, qui corripitur à Deo.* Luc. 11. verſ. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Ioann. 20. verſ. 29. & ſic de alijs. Vnde, excluſa ab hoc Doctore reductione aliarum ad alias, cenſet beatitudines reipſa plurificari iuxta virtutes: neque immeritò, ſivè hæ beatitudines ſumantur pro habitibus, vt volunt Scot. Gabriel. Almain. & Maior, apud Salas *tom. 2. lib. 2. tract. 12. ſect. 9.* ſivè pro actibus virtutum, vt ſentiunt alij communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæſt. 69. art. 1.* Secundo. Quia diviniſsimus Magiſter ille Ieſus D.N. altiſsimè prætergreditur omnes vias noſtras didacticas, atque methodicas ratiocinij, quibus nos pro nobis, & mente noſtra, verè pertenui, mille partitionibus, definitionibus, diſcurſibuſque indigemus, vt ea, quæ tradenda ſunt, ritè percipi queant. Vnde quoties fallit in nobis methodus; offendit confuſio; cùm tamen diviniſsimus ille Magiſter ſit infinita ſapientia, nullas, adhuc vt ſe explicet, metas habet; nec termini reſpectu eius ſunt termini, quare eſt veluti velle concha cingere oceanum, modis noſtris partitivis ac reductivis perſequi eius ſapientiæ profunditates, tantò plus mirabiles, quanto ad vulgus ſermone familiariſsimo, & omnium captu facillimo diffunduntur: quin potius videtur ipſum, quemadmodum vitam communem degere voluit, ita voluiſſe cum ſimplicibus non niſi ſimplicem, ſimul tamen altiſsimam, forè eius ſermocinationem; & nos fortaſſe de eius myſterijs tantò plus inventuros propiuſque acceſſuros ei, qui abſcondita prudentibus, parvulis revelavit, quò magis liberi ad eum propinquemus ſine preſſuris humanæ cuiuslibet diſciplinæ. Neque propterea non ritè faciunt, qui doctrinas Dominicas ad quaſdam methodicas partitiones trahere, contrahereque conantur: cùm hoc profecto non tàm ſit agere de modo docendi, quàm de modo diſcendi, & propinandi ea, quæ à Chriſto Domino edocta ſunt, vt mens humana ad ea capeſſenda ſuis iuſtis adminiculis præparetur. Verùm ſimiliter ſe gerunt optimè, dum purè ad litteram Chriſti Domini documenta exquiruntur, illi

qui

qui non tàm laborant in eo, quod illa ad quasdam patitivas methodos revocare conentur, quàm vt germanissimum, perspicuum, atque sibi cohærentem eliciant sensum, totiusque tractum doctrinæ; quamquàm vltra, citra, aut præter inventionis nostræ, atque traditionis nostræ doctrinalis vias, res abire videatur: quis enim cognovit sensum Domini, cùm sint investigabiles viæ eius; & in cogitationibus nostris nemo sit, qui sit similis sibi?

3 Tertio, & fortè est ratio à priori: quia in his beatitudinibus non tam est attendendum ad hos vel illos actus, vel habitus vitæ virtuosæ, quos hic vel illhic Christus D. recensuerit; sicuti neque ad has vel illas lamentationes oppositas; neque ad has vel illas doctrinas præceptivas, aut consiliantes, quas hic vel illic sparsim pro oportunitate distribuit; sed ad summa quædam capita trahenda est summa totius legis evangelicæ; non secus ac tota lex olim ad duo illa puncta amoris Dei, & proximi cingebatur. Quamobrem quemadmodum in quæstione de correctione legis novæ ad antiquam dicimus, duo puncta cardinalia legis gratiæ esse: *Amplecti totam legem, & observare non solum in opere, sed etiam in corde, & ex animo.* Et deinde, *id facere non solum ex animo, sed heroico, & liberali.* Quia nimirum nulla maior lætitia, & gloria cordis, & animi, quam ipsi est cum Deo; & tanto amplior Dei profusio ad cor hominis, quantò hoc sit erga Deum, magis heroicum, & liberale; ita conformiter ad hæc, taxanda, libranda sunt, & intelligenda per summa quædam capita omnia illa, quæ ad beatitudinem rursusque quæ ad infælicitates ab homine explicatas, pertinere videantur. Qua propter Christus D. quamdam beatitudinem totalem, & integralem præsentis vitæ, & futuræ semper respexit, proindeque mille etiam apothegmata, & sententias partiales in hunc finem coeuntes, millies quoque ipse respersit, quæ quantumvis inter se quodammodo seu variarent, seu dissiderent; tamen semper sub eodem fine totali mirifice consentiunt, & religantur. Vnde, & similiter de infælicitate vtriusque vitæ tùm generatim ex toto, tùm speciatim per partes ipse differuit: quare si hic volumus, maioris intelligentiæ causa, cingere cardinaliter de toto iure positivo Divino vias Domini Legislatoris; dicendum est, in tota lege veteri in ordine ad operandum atque merendum, totam legem claudi in illis duobus articulis, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum.* In ordine vero ad præmium, & suplicium *expressè* proposita, fuerunt alia duo, scilicèt huius vitæ temporalis vera abundantia, & gloria amplissima, & etiam cumulatissima in temporalibus maledictio: *figuratè* tamen fælicitas æterna, & infælicitas signabantur. In lege vero gratiæ ad operandum, atque merendum propositi sunt illi duo articuli capitales, scilicèt: *Hunc amorem Dei, & proximi nedum opere externo, sed interno, & vero corde perficere*; & præterea *id non solum facere ex animo; sed etiam heroico, & liberali*: quorum primum punctum capitale ad præcepta; secundum verò ad consilia planum est pertinuisse. Contrapositè vero ad hæc; alia duo puncta sunt, scilicèt, *operari, vltra, citra, præter, aut contra charitatem Dei, & proximi*, & insuper *operari vltra, citra, præter, vel contra animum verè Christianum, qui est, & debet esse heroicus, & liberalis in Deum.* Deinde pro præmio, & suplicio duo alia puncta capitalia, & totalia, scilicèt *vitæ præsentis atque futuræ vera fælicitas; rursuque vera infælicitas vitæ præsentis, atque futuræ.* Quibus punctis benè perpensis, atque collectis nihil invenitur in sententijs divinis, & legibus positivis, quæ sivè in legem ferendo, sivè in præcipiendo, sivè in consiliando, sivè in promittendo, sivè in comminando non inveniatur apte tra-

trahi ad hanc partitionem, modo præiactam. Ex qua pro re præsenti fit primus excursus vtilitatis quatenus vtræque beatitudines de quibus differimus facile cohærebunt, si ad summa hæc capita religantur. Secundus autem, & vtilissimus si tractetur à Doctis, est vt magna ex parte saltem quoad doctrinas, quædam harmonia Evangelica conficiatur in pluribus controversijs, quæ inter Doctores solent plurimum negotij facessere. Quod vt melius fiat.

4 Suppono 4. Historiam Evangelicam per quatuor Evangelistas traditam plurimis constare locis celebriosis: pro quibus explicandis non erit inutile contemplari quomodo Spiritus S. (eo desuper mihi non deficiente) singulis afflaverit pro tota Sacra Historia simplici fidelitate, sed quadruplici organo, stylo, & calamo conscribenda. Namque profectò verum est, hos Sacros homines vberiori Dei spiritu fuisse refertos, atque donatos, quam fuere illi Septuaginta interpretes, qui iussu Ptolomæi Philadelphi Sacros libros Hebraicos transtulerunt: de quibus satis commune est apud Doctores, eos Spiritu S. dictante, nedum egisse Interpretes, sed multis in locis egisse veros Paraphrastas, vel decurtando, vel addendo voces, pro elucidatione sententiæ iuxta sensum, quem illis de ea tunc Dominus inspirabat, prout tractant in Prolegomenis DD. qui egerunt de interpretatione Septuaginta. Et de hac agunt sigillatim Petrus Lopez de Montoia. Eugubinus, Bartholocius. Et præterea etiam modò in Ecclesia Dei spiritus ille, qui est *septiformis munere* multiplices sensus sanos, sanctos atque Catholicos inspirat Doctoribus ad intelligentiam Scripturarum, ita vt quamvis ex eisdem vocibus eliciatur à diversis diversa sententia; tamen non discrepent in summa doctrina Ecclesiasticæ, sed potius in ea quidpiam harmonicum elaborent. Ad hunc ergo modum mihi videtur, quòd cum Spiritus S. voluisset, doctrinam Christi D. quadruplici organo, & calamo traditam fuisse; pariter voluit, illos quatuor Evangelistas easdem Domini pronuntiatas sententias ita hoc, vel illo modo tradidisse, vt hic vel illic decurtata, vel ampliata vocibus, hæc aut illa sententia, esset quidem vna veritas facie multiplici decorata: quod certè congruentissimum est prophetæ dicenti de Evangelistis *quatuor facies vni*, &c. Vnde fieret, quòd quamvis inter ipsos Evangelistas non solum variare interdum voces videantur; sed etiam ipsæ sententiæ sub affinibus vocibus explicatæ; nihilominus semper retineatur fidelissimè Christi veritas, & sententia; eo quod quidquid vspiam à quoquam ex ipsis pronuntietur, nequeat non esse oraculum ex ore Domini pronuntiatum iuxta tenorem verborum, quo Christus in ea re se ibi, & alibi etiam explicuisset: quæ nimirum sententiæ partiales, quæ in totalem summam doctrinæ abire, & coire debent, nunquam verè, & germanitus discrepant, quoties sponte ferunt, atque feruntur in sua prima capita, ibique legitimè religantur. Quæ quidem profecto, & non alia est regula, & amussis Catholica ad examinandas doctrinas: de quo doctè scripserunt Gersonius, Poza in voto Platonis, Panormus, & Theophilus Rainaudus locupletissimè. Namque profecto, quemadmodùm, si propositio aliqua ad limos cardines Conciliorum, dogmatum, & firmæ Theologiæ Scholasticæ legitimè religatur; sanè Theologica est; ita suppositio, & sententia, quæ legitimè ad primos cardines doctrinæ Christianæ, & Dominicæ religatur, verè Dominica est. Neque obest si quis dicat, ita resultare, vt aliquis Evangelista diceret de Christo D. protulisse in aliquo loco sententiam, quam verè ibi non protulit. Quoniam est falsum hoc assumptum: tùm, quia ex vna parte verba divini Verbi non minoris accipienda sunt quam verba

Spiritus S. quæ ex ijs, quæ diximus *tom. 1. Palæstræ Biblicæ, quæst. de Diluvio* fcatent mille ſententijs: quod fusè, & mirificè ibi explicat Auguſt. Ex altera vero parte quiſque Evangeliſta Spiritu S. illuminabatur ad eas eliciendas. Tùm, quia ferè numquam Evangeliſtæ ſententiam promunt, quam non ſatis ſigillatim declarent verba illa quæ referunt. Vnde, vt in decurſu contractius rem attingemus, videntur hæc profutura pro paranda in multis locis vera harmonia Evangelica, nunquam magis harmonica, quam cum fit concors plurima diſcrepantia: idem enim tonus, & tenor vocis inter muſicos harmonia non eſt; non ſecùs igitur inter Doctores idem ſonus, & tenor ſententiæ non eſt harmonia doctrinæ. Quæ omnia forte elucidabuntur, ea exemplificando in varijs ſiſtematis Scholaſticis, v. g. Thomiſtico, Ieſuico, &c. Namque non deſinit eſſe Thomiſta ille, qui in aliquo puncto ſententiam profert à Thomiſta altero diſcrepantem, ſi tamen vtraque poteſt optimè ad prima principia Thomiſtica colligari, v. g. ſi duo diſcrepent de conſtitutivo peccati commiſsionis in poſitivo, & in privativo, quorum alterutrum, & vtrumque quam optimè cohæret cum ſiſtemate Thomiſtarum, imò & Ieſuitarum, &c. Vnde ſi ſententiæ mutuo ſibi pugnantes ritè poſſunt ad altiora quædam principia, vnaquæque per viam ſuam, venire concordes; quanto magis duæ ſententiæ quæ in Sacris litteris nunquam erunt oppoſitæ, ſed ad ſummum diverſæ.

3 His poſitis circa identitatem beatitudinum vtrarumque triplex poterit referri ſententia iuxta ea, quæ de identitate ſermonis totius in monte ſunt à nobis poſtea dicenda. Prima eſt eorum, qui cenſent diverſam beatitudinum traditionem eſſe apud Lucam, & Mathæum: pro qua ſtat Aug. *lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 19. & Author imperfecti *homil.* 9. Chromat. in hunc locum, & Gregorius *homil.* 9. *in Ezechielem.* Baſil. *homil. de Baptiſmo.* Ludolphus Carthuſian. *part.* 1. *cap.* 33. Caiet. *Lucæ* 6. Barradas *tom.* 2. *in lib.* 7. *cap.* 1. Silveira *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. *quæſt.* 2. Secunda ſententia putat, eaſdem fuiſſe, ſemel à Domino traditas, quatenus vtrobique vnicus, & idem fuit ſermo. Chryſoſt. *homil.* 15. *in Math.* Ianſen. *cap.* 39. P. Salmer. *tom.* 5. *tract.* 2. Baronius anno Chriſti *cap.* 32. *num.* 10. Torniel. anno mundi 4082. *num.* 5. Hugo Cardin. Abulenſ. Maldon. Cornel. & alij *ad cap.* 5. *Mathæi.* Marian. Stella, & Æſtius *ad cap.* 6. *Lucæ* cum, & apud Illuſtriſ. Siurium *tom.* 1. *Super Evangelia, tract.* 35. *cap.* 2. Tertia ſententia apud eundem favet problematicè vtriſque partibus, quam tenet Lyra *Lucæ* 6. Dion. Carthuſ. *Mathæi* 5. quorum Anteſignanus fuit Auguſt. vbi ſuprà relatus. Loquendo tamen in ſpecie determinata de ſola identitate harum beatitudinum. Prima ſententia aſſerit, eaſdem beatitudines deſcriptas fuiſſe per Lucam, & per Mathæum: pro qua citat ſupreſſo nomine multos Recentiores, necnon trahit Irenæum *lib.* 3. *Adverſus Hæreſes, cap.* 14. & Baſil. *lib. de Baptiſmo.* Secunda ſententia negat fuiſſe, eaſdem: quam tuetur Cardinalis Toletus, qui pro eadem citat Baſil. *lib. Moralium regula* 48. *cap.* 3. Ambroſ. *lib.* 2. *Officiorum, cap.* 4. Epiphan. *hæres* 66. Eutimium, *Lucæ* 6.

6 Dico ergo *vtraque beatitudines ab vtroque Sacro Evangeliſta relatæ eædem ſunt, ſemel in monte ex ore Chriſti D. pronuntiatę.* Probatur concluſio primo ab authoritate D. Ambroſij; quæ eſt inſtar plurium, eo quod clariſsima ea ſit, & prorſus aperta: ait enim *in Lucam cap.* 6. in hunc modum: *Quatuor tantum beatitudines S. Lucas Dominicas poſuit; octo vero S. Mathæus, ſed in illis octo iſtæ quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illę octo*: ergo planè cenſuit eandem Chriſti Doctrinam de beatitudinibus traditam à Chriſto D. diverſimode nobis fuiſſe

ab

ab vtroque Evangeliſta propoſitam. Probatur ſecundo à ratione. Quoties ſigna ſunt ſatis clara vnius, & eiuſdem doctrinæ traditæ à Chriſto Domino, non eſt diverſificanda, & diſtinguenda duplex doctrina, vel duplex traditio eiuſdem doctrinæ, niſi adſit vrgentiſsimum fundamentum. Sed ad ſunt plura ſigna, & clara de eo, quod fuerit vnica, & eadem traditio doctrinæ facta à Chriſto D. circa beatitudines; & aliunde nullum in oppoſitum adeſt vrgentiſsimum fundamentum: ergò vtræque beatitudines fuerunt eadem doctrina ſemel à Chriſto D. tradita in monte. Conſequentia quatenus addit *in monte* ſatis conſtat ex illa alia quæſtione vbi defendimus, eundem ſermonem recenſitum à Luca, & Mathæo non niſi in monte fuiſſe peractum. Maior videtur certa, & canon legitimus interpretandi, non ſecus ac canon philoſophandi ſolemniter exceptus eſt illud principium quod olim vocabatur *Equus Ochami*, ſcilicèt. *Non ſunt multiplicanda entitates ſine neceſsitate.* Minor quoad ſecundam partem conſtabit ex ſolutione argumentorum. Quoad primam vero probatur ſic. Tempus, locus, perſonæ, contextus, & doctrina vtrobique conveniunt clariſsimè. Sed hæc ſunt ſigna plura, & clara: ergo, &c. Probo maior. per partes. *De tempore*: quia vtrobique recenſetur tradita hæc doctrina proximè ante ingreſſum in Capharnaum, vt conſtat *Mathæi* 8. *verſ.* 5. & *Luc.* 6. *cap.* 1. *De loco*: quia locus vtrobique fuit mons, qui, vt iam probabimus *in quæſt. de Sermone Domini in Monte*, de media acclivitate protendebatur in locum campeſtrem illum, quem commemorat Lucas. *De perſonis*: quia idem Chriſtus ad eoſdem Apoſtolos, Diſcipulos, & eaſdem turbas verba fecit, vt conſtat *Math.* 5. *verſ.* 1. & 8. *verſ.* 1. & *Luc.* 6. *verſ.* 17. *De contextu*: quia vtrobique ſeruntur eædem ſententiæ, v.g. de dilectione inimicorum, de percuſsione in maxillam, de cedenda tunica, de non iudicando, ac denique de ædificante domum ſupra petram vbi concio concluditur, tàm apud *Lucam cap.* 6. quàm apud *Math.* 5. 6. & 7. Poſtremò *de doctrina beatitudinum vtrarumque* clara identitas cernitur: nam vtrobique pronuntiantur beati, tùm pauperes, tùm eſurientes, tùm flentes, ſivè lugentes, tùm perſecutionem patientes propter iuſtitiam: ergo de primo ad vltimum tam multa ſigna ſunt identitatis, vt vix queant diſtingui. Confirmatur 1. Non officit identitati doctrinæ, quòd ſtilus variet, ſed apud *Luc.* & *Math.* ad ſummum ſtilus variat, vel penes voces, vel penes fuſiorem contractioremvè modum loquendi, vt ibi cerni poterit: ergo, &c. Confirmatur 2. Quoties ſimillima referunt de aliquo duo Scriptores alter vt teſtis, alter ex traditione, ſi aliquod dictum, vel factum diverſimodè ab vtroque refertur, tota ea diverſitas ad Scriptores revocanda eſt, quin factum, vel dictum illud plurificetur. Atqui Mathæus de tali doctrina ſcripſit, vt ſocius Chriſti. Lucas vero ex traditione, vt ipſe teſtatur: ergo, &c.

7 Obijcies 1. Ea quæ per infallibilem Scriptorem numero ſolemniter diſcrepant non ſunt identificanda: diſtinctio enim in quantitate diſcreta vera, & magna diſtinctio eſt: atqui beatitudines recenſitæ per Mathæum, quæ ſunt octo numero, non minus quam duplo ſuperant beatitudines per Lucam relatas: ergo non ſunt eædem. Minor manifeſta fit collatione *cap.* 5. *Mathæi*, *Luc. cap.* 6. nam apud primum beati dicuntur *mites*, *miſericordes*, *mundi corde*, & *pacifici*; vltra quatuor *pauperes*, *flentes*, *eſurientes*, & *patientes propter iuſtitiam*, quos retulerat Lucas. Ad hoc argumentum reſponderi poſſet ex Amb. primo dicendo, verum tenere, ſi exceſſus in numero foret litteralis, & non ſolum myſticus, vt ipſe S. Doctor planè ibi differit poſtea ſubiungens: *Hic, enim quatuor velut virtutes amplexus eſt Cardinales; ille*

*in illis octo myſticum numerum reſeravit*: Quare cum ex ipſo, doctrinam vtrarumque ſupra viderimus mutuò includi aliam in alia, myſtica numeratio, & recenſio non perturbat litteram. Reſponderi poteſt ſecundo diſting. maior. non ſunt identificanda *adæquatè*, conc. maior. *inadæquatè*, neg. maior. & conc. minor. neg. conſeq. Neque probatio ibi ſubiuncta aliquid firmat: nam diſtinctio numerica (ſumpta arithmeticè) hoc eſt numeri ad numerum, includit identitatem inadæquatam, v. g. octonarij cum quaternario in ſe incluſo: quis enim dixerit octo ova, v. g. realiter adæquatè diſtingui à quatuor ovis in eis incluſis? Quare licet conficeretur, in Mathæo alias inſuper beatitudines præterquàm in Luca expoſitas fuiſſe; nihilominus ſemper verum eſſet, eaſdem beatitudines fuiſſe recenſitas apud vtrumque, & quidem non identitate omninò inadæquata; ſed inadæquata ex parte Mathæi, adæquata vero ex parte earum, quæ referebantur à Luca, quippe omnes omninò reperiebantur apud Math. Reſp. 3. Solutione magis fundamentali, & ad notabilia cohærente, diſt. mai. Quæ ſolemniter diſcrepant ſolum, quoad ſtylum Scriptoris Canonici, neg. mai. Quæ diſcrepant in ſententijs doctrinæ, ſubdiſt. Si in tota ſumma doctrinæ expoſitę non diſcrepant; ſed colligantur, neg. mai. Si diſcrepant in ſumma doctrinæ dicta, & relata, conc. mai. & diſt. min. Non minus quam duplo ſuperant in ſtylo referentis, conc. min. Ex parte rei relatæ, neg. min. ergo neg. conſeq. Itaque in hac ſolutione, quæ viam ſequitur ſatis ſolidam, trahentemque in concordiam vtramque ſententiam, dicimus, eandem ipſiſſimam doctrinam, quam de beatitudine Chriſtiana Chriſtus Dominus in Monte ore ſuo diviniſſimo prædicavit; per duplex organum Evangelicum, tùm ore, tùm traditione exceptam ſtylo nobis, prout oportuit, diverſimodè reſonuiſſe; atque iam fuſiorì calamo apud Matthæum, iam breviori apud Lucam traditam fuiſſe: vnde diſcrepantia rigorosè loquendo non tàm eſt numeri, quàm ſtyli, quem in vtroque Evangeliſta Spiritus altiſsimus temperavit, quippè nullibi ſignatur numerus, præſertim cum, vt ſupra vidimus ex Illuſt. Siurio plures beatitudines credendæ ſunt, quàm quæ ibi fuerint recenſitæ: ſicuti & plura dona Spiritus S. pluresque fructus, quàm ad *Galat.* 5. & *Iſaiæ* 11. referuntur. Quocirca concordia hinc manat in vtramque ſententiam: nam loquendo de beatitudinibus ordinatim recenſitis ſemel quidem in Monte illo locutus eſt Dominus; hanc tamen concionem Spiritus S. ſtylo duplici; & duplici calamo nobis ediſcendam aperuit: quare vtræquæ beatitudines quoad doctrinam Chriſti ſunt idem; quoad ſtylum verò, atque relationem quodammodo ſunt diverſæ.

8 Obijcies 2. cum replica ad ſuperiora. Eatenus ſubſtineri valeret, quòd ſit vnica, & eadem doctrina Chriſti de beatitudinibus per ambos Evangeliſtas relata; quatenus diſcrepantia amborum non eſſet in re, ſed ſolum in ſtylo, & ſermone. Sed hoc eſt falſum: ergo non eſt eadem. Probo minor. Sola diverſitas ſtyli non facit diverſitatem ſententiæ, ſed in vtroque Evangeliſta circa beatitudines invenitur diſcrepantia ſententiæ: ergo, &c. Min. patet. Primo: quia apud Math. memorantur *pauperes ſpiritu*, apud Lucam verò ſolum dicitur *pauperes*. Secundo: quia apud Math. dicitur beati *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, apud Luc. verò beati *qui nunc eſuritis*, quæ eſt planè diverſa ſententia: cum aliud ſit *eſurire*, quod ad corpus pertinet, aliud autem eſurire iuſtitiam, quod potius eſt animi. Ad hoc argument. reſp. neg. min. Ad cuius probationem reſp. diſt. mai. in Scriptore Canonico, neg. mai. abſolutè loquendo permitto mai. & tranſm. minor. neg. conſeq. Itaque modo præ oculis habenda eſt doctrina illa paſsim accepta apud Patres

tres, Interpretes, & Doctores, quod in Sacra Scriptura sæpè sæpius invenitur duplex sensus litteralis, de quo etiam nos latè cum Augustin. egimus *in* 1. *tom. Decad.* 1. *quæst.* 8. Quia nimirum Spiritus S. comprehensor altissimus quarumcumque vocum, & quorumque sensuum in eis contentorum, atque à veritate non recedentium, quoties huic, vel illi Scriptori Canonico diversum stylum, diversasque voces attemperaret, manabat inde ex diverso stylo diversitas in sententia: cuius ratio apriori non alia est nisi, quia Spiritus S. est Author, & Spiritus S. est veritas: quare vt veritas scit quid dictet; & vt Sapientissimus Author scit quibus vocibus, & quibus earum sensibus, multis vijs semper veritati est propinquandum: vnde concluditur, quòd in Scriptore Canonico sola illa diversitas styli possit parere diversitatem sententiæ: quod autem diversitas sententiæ cuiusdam partialis veniat amico fœdere in vnam, & eandem summam doctrinæ, notabili nostro quarto manet satis expositum. De Scriptore autem quovis, vniversim loquendo, verum est dicere, quòd diversitas styli non parit diversitatem in sententia, eò quòd Scriptor ille, & Author nulla alia notione vocum gaudeat, quàm reliquum placitum hominum. *Permisi* verò illam propositionem, quia vel casu, vel industria potest accidere, vt sola styli diversitas, miscendo voces æquivocas, aperiat latitudinem ad diversam sententiam.

9 Resp. 2. neg. minor. & ad eius probationem, concess. maior. negand. minor. Tùm quia ex Ambros. supra, Augustin. *de Sermone Domini in Monte*, Siurio, Maldonato, & alijs, nulla est discrepantia sententiæ in eo, quòd in hac beatitudine de *paupertate* alter adiecerit verbum *Spiritu* alter omiserit; quippè hoc non tollit, quominus vtrobique sit sermo de paupertate potius in corde, & animo, quam in rebus; quatenus non possessuri sint cœlestia, nisi qui noverint non adhærere terrenis: tùm quia fortè dici potest non parum aptè, quòd ly *Spiritu*, quod adijcit Math. appellat supra *beati* non supra *pauperes*, quasi dicat beatus erit animo, & spiritu qui est pauper in mundo: quæ interpretatio fulcitur, quia postea recensentur beatitudines, quæ in terris haberi possunt, vt *possidere terram*, *consolari*, *saturari*, *misericordiam consequi*, vsque ad postremas, in quibus iterum agitur de beatitudine spirituali: vnde, cùm Christus rem ageret cum hominibus promissionibus temporalibus veteri lege vocatis, & assuetis, voluit ille Dominus, qui vtramque beatitudinem pollicebatur, vtriusque vitæ præsentis pariter, & futuræ felicitatem quam pollicebatur ordiri per promissa cœlestia dicendo *beati spiritu*, & postmodum eos per per terrena delinire, vt demum ad cœlestia redirent, vt paulatim eos in vtroque homine alliceret, & vocaret. Quod si ita fuerit, non est in Luc. & in Math. diversa sententia, sed diversus stylus. Tùm quia cum paupertas Christiana constet re, & animo, eam verè dicit, tàm qui re, quàm qui animo eam explicuit. Ad secundam vero probationem de eo quod est *esurire*, & *sitire iustitiam*. Dico in primis, quòd non est discrepantia in sententia, quoties verba ab altero propriè; ab altero verò per metaphoram accipiantur; si tàm proprietas, quàm translatio deserviat eidem Doctrinæ Christianæ, tunc traditæ elucidandæ. Cumque ex vna parte in eo sermone, quem per beatitudines incœpit Christus infra *cap.* 6. *vers.* 25. manifestè loquatur de cibo corporali, atque etiam tota concione erga Deum heroica sanctitas commendetur; potuit Lucas ea verba, explicare per primum, Mathæus vero per secundum; præsertim, cùm ille qui famem, & sitim sustinet propter Deum, verissimè dicitur esurire, & sitire iustitiam, quia nisi, esuriendo in corpore, iustitiam similiter esuriret; facillimè per iniustitiam se saturaret.

Deinde fortè dici poterit, quòd Mathæus dixerit *esurire iustitiam*, id est esurire iustam mercedem, & iustam alimoniam, quando ea fraudatus iniquè vel miserè verè quis fame vrgeretur: quod fulcitur, tùm ex correspondentia promissionis, quæ est *saturatio*: tùm quia non videtur, tam verisimile vt Christus Dominus initio dum suaviter legem Evangelicam insinuabat vellet eos ad arduiora tunc promovere, cuiusmodi est *esurire, & sitire iustitiam*: in quo datur intelligi ardor quidam ingens, atque perpetuus ad se ipsum iustificandum, & quidem per opera Christiana, & heroica. Quod si dicas cum Siuri, se abstinere à cibo, & potu, esse se mortificare, pertinereque ad beatitudinem *luctus* antecedentem; dico, idem argumentum posse fieri in Luca; quia similiter pertineret ad fletum. Atque cum placeant mihi simul, & serviant verba huius Illustrissimi, *num.* 33. vbi Toletum exarmat, ea subiungo: quæ sic se habent. Tum etiam, quia fortè Dominus vtrumque dixit: *Beati, qui lugent, & flent, quia ipsi videbunt, & consolabuntur*, sicut cum apud Lucam, modò referendum, in oppositа infælicitate vtrumque verbum coniunxit Dominus; si autem Dominus vtrumque dixit, potuit vnus Evangelista vnum, & alius aliud referre, non solum sine præiudicio veritatis, sed etiam identitatis beatitudinis, quæ narratur. Hactenus ille: vbi constat, quomodo nonnulla etiam discrepantia sententiæ servet identitatem beatitudinis assumpti, & doctrinæ. 3. solutio est germanior, & cum tota quæst. cohæret. Neg. min. & min. probationis: aliud enim est, quod stylus diversus tantum non diversificat doctrinam, & summam illius: aliud vero quod non diversificet sententiam. Nam stylus amplificatus differt à conciso non solum penes voces; sed per sententias: & sic de alijs differentijs styli. Doctrina vero eadem coalescit de pluribus sententijs etiam diversis, quæ eam multifariam aperiunt, explicant, & declarant. Vide tùm notabilia, tùm argumenta sequentia.

10 Objcies 3. Illæ quatuor beatitudines, quibus Mathæus superat Lucam, aut includuntur in alijs quatuor, aut non. Sed neutrum dici potest: ergo distinguntur. Probo minor. Si non includuntur, manifestè distinguuntur ab eis. Atqui difficilè est, quòd includantur: ergo, &c. Min. patet ex differentia apertissima, quia esse *mites pacificos, mundos corde, & misericordes*, non est *esurire, lugere, egere, & persequutionem pati*. Ad hoc argumentum resp. 1. neg. cum D. Ambrosio assumptum, qua parte asserit illas octo, non includi in his quatuor inclusione sufficienti ad identitatem doctrinæ, quæ capitaliter in eo resumitur, vt nimirum, sicut homines se beatos dicunt, si fruuntur divitijs, delitijs, & gloria mundana; ita Christus potius edisserat veram beatitudinem in eo sitam esse, quòd quis in hac vita *indigeat, prematur, & exprobretur* ad adipiscendum Regnum Cœlorum: quia sicut tota mundi corruptio est *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, ita vera salus Christiana in paupertate, mortificatione, & humilitate sita est. Hoc posito, quod sane solidissimum est, videamus modo, quomodo Christianæ beatitudinis pura, & germana doctrina eadem est vtrobique; quamquàm alibi tradi videatur amplificatius, alibi vero parciùs, quod tamen re ipsa non est. Nam si Mathæum consulimus; cernimus, quòd esse pauperes, & esurire iustitiam (si corporaliter sumimus, vt supra) pertinet ad *paupertatem*: lugere, esse mundos corde, & esurire iustitiam (in sensu spirituali solemnius recepto) est *se mortificare*: esse mites, pacificos, & persequtionem patientes, est *esse humiles*: ac denique esse misericordes pars etiam Christianæ paupertatis est: quatenus quis oportunè sa-

ſapiat proximo erogare de ſuis. Si vero Conſulimus Lucam; citius reduces *eſurire* ad pauperiem ſive ad paupertatem, deinde flere ad mortificationem, & perſequtionem pati ad humilitatem: Quæ tria puncta cardinaliſsima ſunt perfectionis Chriſtianæ, ideoque in his tria ſua ſubſtantialia vota nuncupant Religioſi, *paupertatem* videlicèt, *caſtitatem*, qua ſtudeant corporis mortificationi, & *obedientiam*, qua ſummiſsionem animi profiteantur. Ex qua ſolida, & altiori doctrina duplex obiter obiectiuncula ſolvetur. Prima de imprecationibus,& lamentationibus adiectis à Luca,propter quas dixi nuper, Mathæum Luca non procedere amplificatius; ſed,Spiritu Sancto vbertim, licèt diverſimode, illabente in alterutrum, eandem Doctrinam Chriſtianam, eiuſque beatitudinis doctrinam mirificam alter quidem à contrarijs, alter vero aliter amplificare decrevit. Lucas quidem à *contrarijs* quadruplicem invectivam invexit dicens, *væ divitibus, væ vobis qui ſaturati eſtis, vę vobis, qui ridetis, væ cum benedixerint vobis homines*: Mathæus autem amplificavit paupertatem ab effectibus eſuriendi in ſe, & miſerendi in alios, mortificationem etiam ab effectibus lugendi, ardenter quærendi iuſtitiam, & cor emundandi;humilitatem autem animi, quaſi *à definitionibus conglobatis*, quibus ea, quæ ſibi affinia ſunt, more deſcriptivo ſe elucidant. Secunda obiectio notata eſt à Siurio *num.* 18. quatenus videtur, quod beatitudines non ſunt indefinitè accipiendæ, ſed ad numerum Evangelicę Hiſtoriæ taxandæ, eo quòd Chriſtus aliquid in eis ſpeciale proculdubio indicare voluiſſet. Vnde ad id reſpondetur, voluiſſe quidem vtrobique quoad rem indicare non ſolum aliquid ſpeciale; ſed ſpecialiſsimum, cuius modi eſt ſumma beatitudinis, & perfectionis Chriſtianæ. Quoad numerum autem nihil ſpeciale voluiſſe, ſed eas vtrobique miſcere expreſsiones, quæ tantam rem abunde exponerent, & declararent,quæ & ſine redundantia ampliores, ſi oportunitas ferret, eſſe potuiſſent; & ſine defectu quoque potuiſſent eſſe pauciores.

11 Obijcies 4. Hic modus ſubſtinendi, beatitudines ab vtroque Evangeliſta relatas fuiſſe eaſdem, explicatur, componendo eas fuiſſe diverſas: ergo ſibi non conſtat. Probatur antec. Nam iuſta ſuperius dicta componitur, & admittitur, quod vterque Evangeliſta eaſdem beatitudines explicare conatus, miſcere potuerit ſententias inter ſe diſcrepantes, licèt Spiritu Sancto deſuper dictante, & Doctrinæ Chriſtianæ ſemper accordes. Sed hoc in re eſt admittere beatitudines vtriuſque Evangeliſtæ fuiſſe diverſas, non ſolum ſtylo, ſed etiam ſententia: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpond. diſting. antec. Diverſas in ſtylo Canonici Scriptoris, conc. antec. Diverſas in ſubſtantia, & occaſione Doctrinæ Chriſtianæ traditæ, neg. antec. & conſeq. Itaque ea illatio, quæ prima fronte videtur palmaria, ſcilicèt, *relinquntur diverſę: ergo non ſunt eædem*, fallit re ipſa: quia ſæpè ſæpius accidit, quod ſententia, quæ media graditur via, inter duas pugnaciſsimè diſsidentes, vt ambas redigat in concordiam, videatur laborare inconſtantia, fundamentiſque malè firmis; niſi eius ſtructura penitùs inſpiciatur. Vnde impræſentiarum mens noſtra eſt relinquere apud vtrumque Evangeliſtam multimodas diverſitates, ſcilicèt, diverſitatem in ſtylo, diverſitatem in relatione, & hiſtoria, diverſitatem in vocibus, diverſitatem ſi malis etiam alicubi in ſententia, cum tamen maneat perfectiſsima identitas tùm caſus, ſcilicèt vnius dumtaxat ſermonis habiti in monte; tùm doctrinæ, & perfectionis Chriſtianæ, de qua tota Chriſtiana beatitudo coaleſcit, prout fuſe ſupra tetigimus: vbi, & ſimul dedimus, quomodo etiam poſsit ſtare nonnulla diſcrepantia ſententiæ cum vera,

& ſubſtantiali identitate doctrinæ; quoad relationem vero, & hiſtoriam duplex illa fuit, ſicuti Evangelium eſt duplex; ſed illa Chriſti ſermocinatio; quæ vtrobique refertur, eſt vnica, & ſimplex.

12 Obijcies 5. Ex Cardinal. Toleto, qui cum Caietano, & Silveira apud Siurium ſubſtinet partes adverſas, ſicuti nobiſcum eſt ipſe Ianſenius, Salmeronius, & alij. Paupertas memorata à Luca, diverſa eſt à pautertate, quam refert Mathæus: ergo ſimiliter de reliquis interpretari oportebit. Probo antecedens. Prima eſt paupertas externa, & quæ omnino careat divitijs. Secunda vero eſt paupertas Spiritus, & quæ ſociata eſſe poteſt divitijs iuxta illud, *Pſalm.* 61. *Divitiæ ſi affluant; nolite cor apponere.* Sed vna, & altera magnopere differunt: ergo, &c. Minor probatur primo. Quia quemadmodum magno impedimento ſunt divitiæ ad beatitudinem, *Mathæi* 29. *Dives difficile intrabit in Regnum Cœlorum*, ita paupertas hoc onere libera, erit longe excellentior, quam quæ ſolo ſpiritu eſt paupertas prout firmare videntur Baſilius, *Reg.* 48. *cap.* 3. & Ambroſ. 2. *de Officijs*, *cap.* 4. Deinde probatur ſecundo ex D. Epiphanio hæres 66. vbi reſpondens Manichæo, ait: *Beatitudinem paupertatis Novi Teſtamenti etiam ad vetus ſe extendere*, probans duplicem beatitudinem paupertatis, alteram ſpiritus, alteram rebus: ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. primo. Tranſmiſſo antec. diſtig. conſ. Vbi non vrgeat diverſitas in ſententia, neg. conſeq. Vbi vrgeat, ſubdiſting. ſenſu ſupra explicato de identitare ſubſtantiali doctrinæ, conc. conſeq. Aliter, nego conſeq. Et patet ſolutio ex toto decurſu huius quæſtionis. Reſpondeo ſecundo, neg. antec. ad cuius probationem conceſſ. mai. neg. min. prout in contextu Evangelico paupertas vtraque reperitur. Nam vtrobique germanus ſenſus eſſe debet, quod Chriſtus Dominus paupertatem re, & animo complexus fuerit; præſertim cum vtramque in eodem tractu ſermonis abundè perſequatur; poſtquam enim dixit *paupertatem ſpiritu*, dixit etiam, de cibo, & veſtimento non debere eſſe ſolicitos. Deinde apud Lucam, planum eſt, vt ſi conſulit paupertatem in re, conſulat paupertatem etiam in animo: videtur ergo vtrobique vtramque fuiſſe comprehenſam, quamquam alioqui verum maneat, quod in negotio paupertatis longius iter conficit religioſus, qui re, & animo opibus valedicit, quam Theodoſius ille Imperator, qui ſpiritu quidem, non tamen poſſeſsione vale dicebat; ex quo patet ad primam probationem. Ad ſecundam de Baſ. & Ambroſ. Dico in illis nihil eſſe, quod vrgeat, dicentibus, ibi veram rerum quoque ipſarum renunciationem intelligi: quod nos vltro complectimur. Ad tertiam, ſeu potius ſecundam ex D. Epiphanio, reſp. eum vera dixiſſe, nobis tamen non adverſantia: quia vere beatum erat in lege veteri, id quod etiam ipſe David inſtar perfecti axiomatis vſurpabat, dicens *Pſalm.* 61. divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: per quod tamen minimè tollebatur, quod paupertas non ſecus ac alia plura de lege veteri, novum in nova perfectionis gradum nanciſcerentur.

13 Ad calcem robagis plura, quibus Doctrina Chriſtiana dilucidetur. Primo poſſunt ne *pauperes ſpiritu*, humiles intelligi? Reſp. Ita plures, vt Origines Author imperfecti, Auguſt. Euthim. Hieron. Hilar. Bern. Leo, Theophil. Poſtremi tamen veram paupertatem humilitati conſociant: quæ *paupertas prima* ponitur vt radix boni, ſicuti avaritia radix eſt mali, & regno integro Cœleſti muneranda proponitur, ne ariditate ſua, & nuditate exterreret. Secundo. Quam terram poſſeſſuri ſunt mites? Reſ. cum Chryſoſt. Theophil. & Euthim. *poſſeſſores terræ* huius intelligi (quamvis alij aliter ſentiant) quia manſuetudo fortiſsmè etiam

etiam efferata corda devincit. Tertio. Quinam sunt, qui lugent? Resp. Qui in terrenis mœstitia prægravati ad Cœlestia suspirant, & verè lugent, qui verè mortificantur, vt ait Siurius per „ hæc verba selecta: Sic cum quis con„ cupiscit adire theatra, vt prophanis „ repræsentationibus oblectetur; ire „ ad forum, vt taurorum agitatione „ recreetur, ire ad domum amici, vt „ lusorijs folijs, aut humana conversa„ tione delectetur; ad campum, vt „ cum sociis alijs splendido convivio „ lætetur, & sic de alijs, in quæ humani appetitus concupiscentia ferri so„ let; cum inquam ea appetitui ne„ gantur, & concupiscentia mortifi„ catur, homo luctuosam vitam duce„ re dicitur. Rog. quarto. Quæ præmia sunt *consolari, saturari, videre, misericordiam consequi?* Respondeo temporalia simul, & æterna, prima *propriè*, secunda *mystícè*, & *analogicè*, sicuti promisit Christus centuplum in hac vita, & postea vitam æternã esse reddẽdam. Quinto. Cuius iustitiæ sitis dicitur? Resp. Illius, quæ specialis est virtus, vt tenent aliqui cum Chrysost. Vel potius illius quæ vniversas virtutes claudit, & *Sanctitas*, prout est opinio communis. Sexto. Quænam cordis mundities est quæ proponitur? Resp. Castitas ex Chrysost. Theophilact. & Euthim. Simplicitas ex Aug. & Mald. Conscientiæ vero puritas ex communi Interpretum. Septimo. Cur pacifici vocabuntur Filij Dei? Quia Deus, 1. *ad Chorint.* 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis*, & & qui vocatus est *princeps pacis* fuit Filius Dei. Octavo. Quomodo complectur octonarius beatitudinum, si Div. Thomas 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 3. *ad* 5. ait, pati persequtionem non distingui à reliquis septem? Et Caiet. cum Chrys. nedum octo, sed videntur facere novem? Repond. nos in sensu litterali loquentes non debere vllatenus laborare propter superius dicta. Quoad sensus vero morales, & anagocicos, quos hic SS. PP. ingeminant, videantur Augustt. & Ambros. qui rem tradunt apertius: duo ex Suario interim observando. Alterum quod pati persequtionem certus quidam actus est eximius, atque præexcelsus, qui ad virtutes præhabitas gradus nobiles ad augere non desinit. Alterum est non nunquam fieri Deo authore gratiæ sic providente, vt homines, vel imperfecti, vel peccatores nullis præcedentibus beatitudinibus præparati ad hanc octavam, in qua vera perfectio est per martyrium singulariter assumantur.

JHS.

# QUÆSTIO QUARTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

SIC ORABITIS, PATER NOSTER, QVI ES in Cœlis, &c. *Math. 6. verſ. 6.*

### ARTICULUS.

*QVISNAM SIT, ET VBI PRÆSCRIPTVS TENOR ORANDI in lege Evangelicâ?*

NOTABILIA.

1 SUppono 1. Chriſtum Dominum, vt Legislatorem perfectum, & benigniſsimum poſtquam ſuis præceptis, atque conſilijs latè expoſuit; quomodo, tàm in homine exteriori, quàm interiori, lex perfectiſsima charitatis erga Deum, & proximum ſervanda eſſet; poſtea dictare omnia illa media, quibus homo iuvari poſsit ad eam legem perfectiſsimè implendam: vnde agit de oratione, qua homo erga Deum, de eleemoſyna, qua homo erga proximum, de ieiunio, qua homo erga ſe ipſum viam perfectionis melius poſsit inſtruere: vbique impenſe commendans, fugiendam hypocriſim, qua etiam bona opera, quæ ſunt lux in mundo, plurimum tenebreſcunt; ideoque ait Math. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona*: & Math. 6. *Si ergo lumen, quod inte eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt.* Ex quo dogmatè principali ad ſingularia deſcendit, & in ſpecie taxat vitia illa, quæ in eleemoſyna, oratione, & ieiunio eiuſmodi hypocriſim confovebant; vt eranr oſtentatio in eleemoſyna, multiloquium in oratione, macies affectata in ieiunio, & publicitas in omnibus. Quare dum de eleemoſyna, ait: *Noli tuba canere ante te, & neſciat ſiniſtra tua quę faciat dextera ſua*, pereleganter, & emphatica energia ſe explicat de conatu ocultandi veram virtutem, ne ab hominibus diſsipetur: proptereaque etiam in oratione, cubiculi oſtium ad orandum monet eſſe claudendum. Non quidem, quòd oratio publica interdicatur, prout hæretici errabant, ſenſumque detorquebant; ſed ne oratio fieret oſtentu, potius, quàm devotione, & filiali fiducia: vnde prohibuit in oratione multiloquium, ne putaretur, ſicut humanitùs, ita eos qui arte dicendi valerent, forè potius impetraturos; noſcerentque ſimul Deum ſibi ad largiendum, nedum eſſe paratum, ſed indigentiæ etiam certiſsimum cognitorem. Quoad publicitatem vero interdicit vicos, atque plateas, ſcilicèt, oſtentationis gratia

tia quæsitas, non verò recto, simplici, & Christiano bonorum operum vsu oportuno, locupletatas. Pro ieiunio vero carpit Dominus simulatum pallorem ieiunantis, & de facie hilari consilium adijcit; semper intendens, vt qui vident opera nostra bona, ita Deum glorificent, vt nos propterea non simus vacui vera gratia, & mercede, vnde, & crebro repetit id, quod dixerat in principio: *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

2 Suppono 2. Has omnes doctrinas, quæ in hoc altissimo sermone seruntur, si profundè obseruantur, manifestare quidem amorem Dei erga nos quadam, quasi teneritudine, propensione, & quasi Zelotypia mirificum: duo enim videtur in his omnibus procurare, alterum est, ne nos alij, quàm ipsi præstemus obsequia; & quidem omnia, & tota, & ex corde; propterea ingeminat, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus; & nemo potest duobus Dominis seruire.* Alterum est, ostendere, se nostrum planè esse, nos præueniendo sua dilectissima prouidentia, dum ait: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Non secùs, ac si verbis huiuscemodi nos deliniret: *Filioli me solum quærite, atque diligite; ego enim multo amore, & cura vestri vos ante verto.* Quam ob rem omnia documenta ad has vices amandi, atque redamandi videntur esse directa. Quando autem ait: *Nolite thesaurizare thesauros in terra*, quod tam egregie sumunt Interpretes ad litteram de auaritia in specie: ego, eorum pace, nedum de auaritia, & solicitudine diuitiarum; sed etiam de quavis ambitione, & mercede humana intelligendum esse pronuntio, quasi dicat Deus: *Neque humanis dominis, neque thesauris eorum inhiate terrenis, largiores enim, & nobiliores opes amor vestri meus, in Cœlo fecit esse paratas*; & ideò ait: *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum*; quare volens cor nostrum trahere; ostendit thesauros. Et licet etiam metaphora illa, qua dicit Christus, *lucerna Corporis tui, est oculus tuus*, optimè etiam cum Chrysostomo, & alijs de recta mentis intentione exponatur; fortè litteralior est expositio, quam titigi, vel fortè non contemnenda, vtpotè satis cum cummuni cohærens, scilicèt, *quod lumen sit opus bonum; & si hoc terreno fine obscuratur, quantæ erunt ipse tenebræ?* Videtur ergo Christus D. eo *cap.* 6. nihil aliud velle, nisi suis beneficijs, atque promissis, ita nos cingere, vt amor noster aliorsum, quam ad se, ire non possit.

3 Suppono 3. Ad eundem sermonem D. Mathæi pertinere documenta illa, quæ *cap.* 7. recensentur, quæ est sententia communis interpretum, refragante, aut dubitante nostro Maldonato. Sed verò totus contextus, & præsertim vltima periodus parabolica de ædificio, vbi concludit sermonem D. Lucas (quem eundem fatetur cum hoc ipse Maldon.) evincit eo vsque eandem omninò concionem fuisse protractam. Quod amplius, quidem vrgetur, si exponitur tota cohærentia doctrinæ. Postquam enim toto 5. *cap.* sermo currit de præceptis, atque consilijs, quæ in ipsa lege clauduntur; & postquam *cap.* 6. alia consilia adijciuntur, quibus homo erga Deum, proximum, & se ipsum iuvari queat; ibi tamen, totus scopus doctrinæ in id incumbit, vt amor noster in quibusvis operibus, atque mens nostra, coram Deo, & erga Deum, vt finem, rectificetur. In *cap. vero* 7. iam potius doctrina descendit, vt mens erga proximum non vitietur; neque erga se ipsum, si fabrica perfectionis Christianæ in soliditate ædificanda est. Quam ob rem incipit, monens, ne sinistre de proximo iudicetur; imò, & cùm non benè operetur, potius facta nostra nobis esse inspicienda, ne si damus illi monita nos eis egentes, contemnantur ab illo; deinde nos coarguat in eis. Pergit etiam nobis consulere mentis

fiduciam, quæ noſtrum intereſt, vt accipiamus ea, quæ *in cap.* 6. docuit nos orare, dicens: *Sic orabitis Pater noſter, &c.* & quod in ordine ad ſemitas vitæ noſtræ non ſectemur ſpatioſa, ducti falſis doctrinis Phariſæorum; ſed quòd mente perpendamus eorum non tàm verba, vel folia, quàm opera, aut fructus: quo ita fabrica noſtræ perfectionis ſapientiſsimè, & ſolidiſsimè evadet extructa, vt nullis ventis, aut alluvionibus complanetur. Dubium ergo eſt: *Quando Chriſtus nos docuerit orationem Dominicam?*

4 His poſitis non deeſt aliqua diverſitas ſententiarum circa tempus, & occaſionem qua Chriſtus D. orationem Dominicam, ſive orandi modum præſcripſit diſcipulis ſuis. Alij enim cenſent, non in monte, ſed in alio tempore, & loco prout narrat D. Lucas talem orandi formulam narratam fuiſſe. Ita Maldonat. *Mathæi* 6. & P. Cornel. *Luc.* 11. Alijque Interpretes. Altera vero ſententia tenet, inibi in ipſo monte traditam fuiſſe talem orandi methodum; ita Euthimius, *Luc.* 11. Rupertus, *Mathæi* 6. Toletus, *Luc.* 11. Barradas *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 24. *n.* 13. Silveira *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 50. Illuſt. Siuri *tom.* 1. *tract.* 35. *n.* 145. In quo Authore Doctiſsimo ſi fas eſt meam ignorantiam prodere, id obſervo, vt in hac re videatur non admodum ipſe cohærere cum ijs, quæ eodem tractatu, *cap.* 1. *num.* 3. antea dixerat ſuper hoc eodem ſermone. Namque, ibi dixerat. *Itaque Mathæus initio prædicationis Domini poſuit per anticipationem quod multo poſt contigit, quia incipiens referre prædicationem, ponere voluit ſummam doctrinæ, quam Dominus prædicavit, quæ in eo ſermone continetur*; poſtea vero in hoc loco ſic dicit. *Tum quia non eſt vrgens fundamentum, vt dicamus Mathæum in ſua Hiſtoria narratione vſum fuiſſe figura anticipationis.* Quæ ambo pronuntiata prima fronte non videntur cohærere; niſi ego fallor, & rem mentem non aſſequor, quod lubens fatear eſſe longè facilius, quam tantum virum etiam in re leviuſcula minùs ſibi conſtare.

5 Dico igitur cum Authoribus ſecundæ ſententiæ. *Orationem dominicam ſemel traditam fuiſſe in ſermone habito in monte, prout eam retulit D. Mathæus.* Probatur concluſio. Quia quando aliquid doctrinale traditur; ibi verоſimilius eſt, traditum fuiſſe, vbi traditur tota ſumma doctrinæ, & vbi ſignatur locus determinatus; quam ibi, vbi res traditur per alium Sacrum hiſtoricum, qui neque teſtis fuit oculatus, neque facit ſummam coordinatam doctrinæ, & ſolum rem factam, ſive traditam dicit in loco indefinito, & indeterminato. Sed priori modo traditam orationem dominicam refert D. Mathæus in monte; & ſecundo modo eam refert D. Lucas: ergo potius credenda eſt talis oratio Dominica tradita in monte. Maior videtur certa, & in omnibus factis hiſtoricis æſtimandis, & concordandis tuto vſurpanda, veluti regula. Minor conſtat, quoad vtramque partem, quoad primam ſcilicèt. Quia D. Mathæus *cap.* 6. non ſolum manifeſtè dicit eam orationem in monte fuiſſe habitam; ſed totius Doctrinæ Chriſtianæ, & legis Evangelicæ ibi ex ordine ſummam attexit, & ſcripſit ipſe Evangelium non ex traditione, ſed cuius fuit ipſe teſtis. Quoad ſecundam vero, etiam conſtat quia D. Luc. *cap.* 11. recenſet traditam orationem Dominicam in quodam loco indefinitè à quodam diſcipulo indefinitè interrogatam; deinde traditam non ex ordine cum tota doctrina Evangelica; ſed quaſi carptim, & hinc inde multis ſententijs Dominicis permixtam; poſtremoque ipſe non fuit cum Chriſto teſtis, & ſocius illius Evangelij, quod ſcripſit: ergo priori modo traditam narrationem Dominicam refert D. Mathæum in monte, & ſecundo modo eam refert D. Luc. Qui quidem hæc habet verba in exordio ſui Evangelij: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordi-*

nare

*tare narrationem quæ in nobis completæ sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Vnde. Confirmatur 1. Quia Div. Luc. vtpote ex traditione aliorum Evangelium conscribens, totus in res ipsas ferretur, atque sententias Domini summa veritate narrandas, non tam scrupulosè inhærendo, cui loco, cuive tempori res vnaquæque sit adscribenda; nisi vbi talis circumstantia temporis, loci, aut personæ sit de substantia rei narratæ: ergo in ordine ad tempus, & locum tradendi orationem dominicam potius videtur standum esse D. Mathæo, quam Lucæ. Consequenterque fuit tradita in monte. Confirmatur 2. D. Luc. in su capite 11. etiam attexit alios tractus eiusdem sermonis, quem narraverat Mathæus in monte: ergo similiter eandem orationem dominicam in monte habitam, ibi retulit Lucas in suo cap. 11. Probatur ante. nam cum sermo habitus in monte per tota tria capita protendatur in Mathæo, à quinto videlicèt vsque ad octavum; D. Luc. in suum cap. 11. induxit tùm illam doctrinam *petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis*, &c. quæ reperitur in sermone montis apud Mathæum *cap. 7. v.* Tùm illam doctrinam: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit neque sub modio; sed super candelabrum*: quæ invenitur in sermone montis apud Mathæum *cap. 5. vers.* 15. Tùm illam doctrinam: *Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit*, &c. quæ invenitur in sermone montis apud *Math. cap. 6. v.* 22. ergo de primo ad vltimum sicuti D. Luc. has doctrinas in sermone Domini traditas apud Mathæum, ipse in suum caput 11. pro more suo congessit, & enarravit; sic fecit cum oratione dominica. Ratio enim à priori ea est. Quia inter historiographos, & eorum munera hoc videtur inesse discrimen; quòd nimirum ille qui scriptor est historiæ, cui interfuit debet in quantum potest nedum facta, & dicta fideliter recensere, sed ea etiam cum omnibus circumstantijs loci temporis, & personarum dilucidare. Historicus autem ille, qui rem ex traditione diligenter conquisitam enarrat, si res est eiusmodi vt scateat penè infinitis mirabilibus dictis, & factis; duo tantum videtur pro suo munere habere; alterum *quoad substantiam*, scilicèt quod nihil ex omnibus à se relatis in veritate deficiat. Alterum quod in narratione eo cuncta ordine disponantur, vt nihil siniſtræ intelligentiæ manare queat, quamvis hæc, vel illa, iuncta quidem, aut seiuncta narrentur: cum Spiritus S. qui multiformis est, earundem rerum referendarum diversos ordines dictare voluisset, vt sic eadem Historia Evangelica, vtrobique fidelis; non vero transcripta, de sui veritate abundandantissimè testaretur.

6 Objcies 1. ex Maldonato. Si oratio *Pater noster*, vel oratio dominica, prout vocari consuevit, tradita fuisset in monte; bis Christus D. orationem Dominicam tradidisset. Sed hoc est falsum: ergo non fuit tradita in monte. Minor probatur. Quia in primis non videtur congruum, vt idem Præceptor eisdemmet discipulis rem eandem inculcaret, quasi eam non didicissent: deinde, quia licèt Mathæus eam retulisset in monte; fuit per anticipationem, quatenus ibi occasione data narrandi, voluit totius doctrinæ Evangelicæ summam contexere. Ad hoc argum. resp. nega maior. Quamquam enim nihil manaret absurdi, quod Christus D. legem novam inducens, capitaliora quædam, bis, & pluries tempore suæ prædicationis ingeminaret, sivè eisdem omnino discipulis, vt fecit Ioannes loquens de Charitate; sivè alijs passim advenientibus; nihilominus ad id non cogimur: vnde dicimus quatenus est ex contextu Evangelico semel tantum, & quidem in monte, orationem dominicam discipulis traditam apparere. Quia vt in

noſtra probatione expendimus, & alibi inſinuavimus, non fuit Div. Mathæus qui narrationis ordinem anticipavit, & antevertit, ſed potius D. Lucas eſt, qui ab exordio ſui Evangelij quodam modo teſtatus eſt generatim loquendo, ſe in multis non ſcrupulosè ordini loci, & temporis ſe alligare, ſicubi impræſentiarum ſit manifeſtè cum ait: *Cum eſſet in quodam loco orans; vnus ex discipulis dixit*, &c. Namque, vt tetigi, cùm narrantur ea, quæ videntur (& quidem videri non poſſunt niſi ſub eodem ordine ſub quo fiant;) tum hiſtoricus occularis ſub ordine narrare rem debet; cùm vero multa de multis percontatione atque ſciſcitatione diſcuntur; tunc ipſi, tametſi diligenti, & fideli poſsibile eſt, imò, & frequens, vt ordo merè circumſtantialis, præſertim vbi momenti non eſt, non retineatur. Quare manet, quòd Mathæus, ſecùs verò D. Luc. ordine loci quo fuit, orationem dominicam traditam recenſuerit.

7 Obijcies 2. D. Luc. narrat orationem dominicam traditam à Chriſto extra montem, vbi eam videtur narrare D. Math. ſed potius ſtandum eſt in hoc ordine narrationi Div. Lucæ quam Div. Mathæi: ergo talis oratio non fuit tradita in monte. Probatur prius mai. & poſtea probabitur min, D. Luc. *in cap.* 6. perſequitur, & exponit ibi quidquid ad ſermonem illum in monte habitum pertinere videbatur, ita vt omnia ex eo ibi clauderet, & concluderet; ſed poſtea *in cap.* 11. agit de oratione dominica: ergo, &c. Mai. conſtat. Tùm, quia in fine capitis 6. apponit illam parabolam de homine ædificante ſupra petram, qua apud vtrumque Evangeliſtam claudi videtur concio habita in monte: Tùm, quia ſtatim incipit caput 7. dicens: *Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis; intravit Capharnaum.* Vbi cum dicat, impleta fuiſſe omnia verba; videntur profecto ex mente ipſius nulla reſtaſſe; quod non dixiſſet, ſi oratio dominica narranda adhuc ſupereſſet. Probo iam min. quam promiſi probare: Quia ex vna parte conſtat Div. Lucam teſtatum eſſe in exordio ſui Evangelij ſe ex ordine diligentiſsimo ſcribere, ibi: *Viſum eſt, & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere optime Theophile.* Tùm, quia vt ſentit Maldonatus cum alijs, Mathæus per anticipationem in eo ſermone montis multa congeſsit, quæ poſtmodum acciderunt. Ad hoc argum. re ipſa grave reſp. 1. negand. mai. ad cuius probat. diſt. mai. Clauderet, & concluderet relationem concionis ſummatim factam, prout tunc oportebat, coc. mai. ſpeciatim quoad omnia omninò puncta, neg. mai. ad cuius primam probationem dico, quod licèt ibi claudatur, *cap.* 6. cum prædicta parabola, quæ fuit vltima totius concionis; ideo non arguitur, inibi relata fuiſſe cuncta in ea concione pronuntiata; eo quòd, generali eiuſdem relatione præmiſſa, adiecta fuit vltima periodus magis nota eiuſdem concionis, vt hæc ibi ſaltem generatim tacta dignoſceretur, licèt alibi alia ex eadem concione adhuc, prout oporteret, recenſerentur. Ad ſecundam dico; quòd licèt D. Luc. dixerit *cap. ſequenti. Cum impleſſet omnia verba ſua in aures plebis*; non ideo tollitur, quod aliqua dicta in tali concione poſtea à D. Luca recenſerentur; quin potius ex eiſdem verbis arguo ego: D. Lucam ſolum generatim, & ſummatim retuliſſe concionem, & ideo poſtea dixiſſe, *cum impleſſet omnia verba ſuu in aures plebis*: non ſecus ac ſi diceret, *cum hæc à me proximè relata de concione domini, & alia quæcumque ibi plebi ſuæ diceret compleviſſet; intravit Capharnaum.* Nam cùm introitus in Capharnaum ſequeretur; oportebat virum benè hiſtoricum, qui concionem retulerat, generatim indicare quodammodo, Chriſtum, priuſquam ingreſſus fuiſſet Capharnaum compleviſſe in aures plebis omnia verba *ſua*; tametſi non omnia

ſigi-

ſigillatim in proxima concione per Lucam enarrata manerent : vnde non dixit S. Lucas, *omnia verba hæc mea ; ſed omnia verba ſua* : quo fieret, vt Lector quiſque oculatus, atque peritus, ſi poſtmodum in decurſu inveniret quidpiam, quod iure peteret in anteriorem illam concionem revocari; trahere huc certe illud poſſet, atque deberet; & non perperam intelligeret, quod illud poſt introitum in Capharnaum accidiſſet. Quamobrem potius ex obiectione roboratur concluſio.

8 Reſp. 2. ad idem argumentum. Tranſmiſſa maior. negand. minor. ad cùius primam probationem reſp. D. Lucam ſervaſſe quidem ordine legitime hiſtoricum, iuxta modum quo Spiritu S. dictante, Hiſtoriam Evangelicam conſcribebat ; ſecus vero ordinem ſcrupuloſe circunſtantialem chronicum topographicum, & proſopopæonticon, id eſt loci, temporis, & perſonæ: quamobrem admiſsis verbis nobis obiectis, nihil ſuboritur nobis incommodum ; dummodo duo pluſculum ediſſerantur, alterum, ſcilicèt, quomodo Lucas aſſecutus fuit omnia à principio diligenter : de quo audi Cardinalem Toletum, ibi : *Ecce cauſa cur ipſi viſum ſit ſcribere Evangelium ; quia aſſecutus eſt omnia à principio diligentia magna, & inquiſitione facta ab ijs, qui viderant, & miniſtri ſermonis fuerant, à quibus accuratè perveſtigavit, & intellexit cuncta, quæ geſta ſunt: ex quo fideliſsimè, & pleniſsimè narrare ea potuit, inſinuans, illos, qui conati ſunt ſcribere, non omnia perfecte aſſecutos fuiſſe. A principio vocat : à Ioannis Conceptione, & miſsione Angeli ad Zachariam : hinc enim videtur, quaſi incœpiſſe Chriſti adventus, & eius Hiſtoria ; nempè à præcurſore illius. His enim verbis ſibi legentium fidem conciliat: quippè qui ab ipſis Apoſtolis ea omnia perceperit, quæ ſcripſit, vt ait Irenæus, lib. 3. cap. 14.* Deinde audiendi ſunt Epiphanius, & Ambroſius cum eodem Toleto *Annotat. 8. & 9.* vbi improbans, quod ex Paulo, aut Petro Lucas Evangelium ſcripſerit, vt alij ſentiunt ſic, proſequitur : *Nec abſolutè dixiſſet viſum eſt mihi : non tamen per hoc conſilium Spiritus Sanctus excluditur, qui eum ad ſcribendum ſuo inſtinctu induxit, vt rectè affirmavit Epiphanius hæreſi 51. Cùm enim, inquit, poſt Mathæi, & Marci Evangelium hæretici generationem Chriſti divinam negarent, non legentes Spiritus Sancti deſcenſum in eum, niſi poſt baptiſmum ; Spiritus Sanctus impulit Lucam, vt Evangelium enarraret, & divinam eius Conceptionem deſcriberet, vt illum conceptum, & natum Deum omnes intelligerent. Quia vero Spiritus Sanctus inſpirans, conſilium hominis requirit ( dicitur enim Actor. 15. viſum eſt Spiritui Sancti, & nobis ) id circo Lucas dicit viſum eſt mihi.* Poſtea vero *Annotat. 9.* ait: *Rectè Ambroſius notavit, Lucam omnia noviſſe, non tamen ea omnia ſcripſiſſe, ſed ex omnibus elegiſſe, quæ ſcribenda iudicavit, vt etiam dicit Aug. lib. 4. de Conſ. Evang. cap. 8. Nam multa, quæ Matheus, & Marcus ſcripſerant prætermiſit, multa etiam, quæ poſtea Ioannes narravit, & ipſe etium noverat, divino conſilio ſiluit.*

9 Alterum autem, quod ad plenam ſolutionem intelligendam debet explicatione dilucidari, eſt illud ex *ordine tibi ſcribere.* Prout ſupra exorſus eſt D. Luc. Quod inibi quoque luculentiſsimè explanavit Toletus, ſic in commentarijs, „ decimaque Annotatione locutus. Ex„ plicat quid ſibi viſum ſit ſcribere, nè„ pè ea, quæ ab Apoſtolis prædicata „ ſunt, ac dicta ex ordine ideſt diſtinc„ tè, & ordinate, non quod omnia eo „ ordine relata ſint, quo geſta ſunt; ſed „ quod multa quidē eo ordine ſint exa„ rata: in aliquibus vero, ijs maximè, quę „ de Chriſti doctrina ſcripta ſunt, co„ nexio quædam, & diſtinctio accom„ data ad docendum ſervata ſit, vt ſu„ pra in *Annotat. 2.* dictum eſt. Et proſequitur in Annotatione : *Quidam recentiores ex hoc loco colligunt, Lucam ſervaſſe in omnibus ordinem temporum quibus geſta ſunt, quorum tamen opinio facilè convinci poteſt à veritate aberrare,*

cum

*cum conſtet, nonnulla per anticipationem quandam narrata ab eo eſſe. Servavit quidem ordinem temporis in præcipuis, in nonnullis autem prætermiſit, & alio loco nonnulla conſtituit: quiquidem ordo magis narrationi, & doctrinæ elucidationi accommodatus erat, cum non inſtituiſſet omnia ſimpliciter ſcribere, vti ſupra diximus. Ex ordine igitur ſcripſit omnia, ſed non in omnibus eundem ordinem ſervavit: nam, & in humanis ſcientijs tradendis non idem ordo tenetur; quamvis ex ordine tradantur: eſt enim, & ordo doctrinæ, & ordo rei, ſeu naturæ: cum autem Evangelium non tantum ſit Hiſtoria geſtorum, ſed etiam doctrina, & inſtructio fidelium; vterque ordo ſervatus eſt in eo ſcribendo.* Hactenus graviſsimè, & eleganter noſter Toletus, vbi nihil certè reſtat ſuperaddendum. Ad id autem, quod dicitur ex Maldonato, quod anticipatio potius fuerit obſervata à Mathæo, nego cum Siurio hic *tract.* 35. *num.* 145. & cum Barradas loco ibi citato aiente: *Non enim ſententia placet illorum, qui arbitrantur hanc orandi formam alio tempore fuiſſe traditam, & huic ſermoni in Monte habito inſertam.* Quod ſi forſan velis Mathæum de ſermone in Monte anticipatè locutum; fortè intelligi poterit de toto ſermone integro anticipatè poſito in narratione: ita tamen vt omnis doctrina talis concionis reipſa fuerit in Monte explicata, licet reſpectivè ad alia geſta fortè voluiſſet Mathæus anticipare ſummam doctrinæ. Non tamen in hac quæſtione facilè admitti poteſt anticipatio in Mathæo, quoad orationem dominicam, ſi ſimul eam velis non niſi in Monte traditam fuiſſe.

10 Obijcies 3. Narrationes Mathæi, & Lucæ circa orationem Dominicam capitaliter opponuntur in circunſtantijs: ergo duplici in loco tradita fuit ea oratio per Ieſum. Probo anteced. D. Mathæus illam recenſet nemine interrogante, & in decurſu illius prolixæ concionis in Monte habitæ. D. autem Luc. caſu recenſet, interrogante quodam diſcipulo, & rogante à Domino, vt doceret modum orandi; quemadmodum docebat Ioannes diſcipulos ſuos: ſed hæc ſola circunſtantia neceſſario ſeparat, & diſiungit rem vtrobique narratam: ergo, &c. Min. patet: quia, ſi in medio ſermone ſponte habito, & procurrente data fuit; quomodo tenet verum, fuiſſe rogante quoquam, & quidem ſignanter cum exemplo Baptiſtæ? Ad hoc argument. reſpond. primo negand. antec. Ad cuius probationem, diſting. maior. Mathæus recenſet in medio ſermonis, præmiſſa tamen ſufficienti inſinuatione diſcipuli interrogantis ad cohærendum cum Luca, conced. anteced. ſine illa, neg. maior. & diſt. minor. nego conſeq. Itaque ante huius ſolutionis explanationem præmittendum eſt: tùm mos Scri turæ, quæ interdum plures per vnum ſignificare conſuevit, vt videre eſt in noſtris regulis interpretandi, & patet etiam in Iuda murmurante de profuſione vnguenti, cuius murmuratio indefinite alijs diſcipulis applicata eſt. Tùm doctrina Aug. *ſerm.* 28. *de Verbis Domini,* & *tract.* 7. *in Ioannem*, „ vbi ait: Petitionem, vt Ieſus doceret „ modum orandi, factam fuiſſe ab Apoſ„ tolis. Iam ergo, cùm Mathæus aſcen„ dente Domino in Montem, vbi prius „ oravit ex communi ſententia, ponat, „ quod acceſſerunt ad eum diſcipuli „ eius, & continuò ſermonem incœpit „ in cuius tractu inſeruit orationem „ dominicam, videtur ſatis fundatè in„ de elici cohærentia cum interroga„ tione poſita in Luca. Nam primo ex more biblico vnus, qui eſt apud Lucam, intelligendus eſt pro pluribus qui ſunt in Mathæo, præſertim aſſerente Auguſt. quod talis interrogatio fuerit ab Apoſtolis facta. Secundo. Quia non obeſt, quod ibi Mathæus non ponat interrogationem expreſſam; cum ex regula eiuſdem Auguſt. contra mendacium ad Conſent. *cap.* 10. in Divinis Scripturis vera aliquando tacentur non mentiendo, ſed tacendo. Neque quod

in

in media concione, & non ſtatim referatur talis oratio dominica. Quia potuit Mathæus ordiri concionem vt maluit, præſertim incipiendo à beatitudinibus, quæ perappoſitum certè donabant exordium; vel quia ſicuti vnus ex diſcipulis accedentibus rogaverat modum orandi; alij alia rogare potuerunt, de quibus ſermo ille priores ſuos tractus occœpit.

11 Reſp. 2. ad idem argument. neg. anteced. Et ad eius probationem, diſt. maior. Mathæus recenſet orationem in medio concionis habitæ in monte, *quæ fuerit prolixa quædam, & continua Chriſti oratio ad diſcipulos habita, & non interrupta*, neg. maior. In medio concionis *ſumpta pro quavis ſermocinatione doctrinali ad multos habita, & ſæpè interciſa*, conc. maior. & reſpectivè diſt. minor. neg. conſeq. Itaque pro germana intelligentia huius ſolutionis præ oculis habendus eſt duplex modus, quo Doctor quiſpiam verba facit ad diſcipulos ſuos, alter quidem quando nimirum vnico, & longo tractu verborum oratio quædam ordinate contexitur, in qua argumentum quoddam fulciendum, & ipſorum cordibus infigendum aſſumitur, quoquidem modo paſsim cernimus in ſugeſtu Doctores, & Magiſtros ad populum mirificè declamantes. Quiquidem modus aptior eſt ad corda iam de lege inſtructa potentiſsimè continendum in lege. Alius autem eſt modus quo Doctor quiſquam volens novas ſententias, & dogmata conſtabilire ſe ſe, vt rem magis aperiat, quodammodo diſcipulis ſuis multiplici vellicandum interrogatione permittit, vt res vndique agitata, & commota firmior inde in corde ſubſidat; quod genus ſermocinandi potius collatio appellanda eſt doctrinalis, quam concio: & vtriuſque generis in noſtra ſocietate ſacer eſt vſus nimirum, & exortationis ad retinendam viam perfectionis præſtabilitam, & collationis frequentis cum ſuperiore, ad eam præſtabiliendam: quoquidem poſtremo genere potiſsimus eſt vſus in tyrocinio vbi Evangelicæ perfectionis fiat prima plantatio. Quamobrem veroſimilius cenſeo Chriſtum Dominum in monte cum diſcipulis colloquentem poſteriori modo ſe habuiſſe. Quia ſic ſuadet tùm prima doctrinæ Evangelicæ ſeminatio, quam procurabat: tùm tam varia, & diſita punctorum congeries: tùm ipſæ circumſtantiæ loci fortè occurrentis, & perſonarum accurrentium; quarum veroſimile eſt, vt vnaquæque, tàm ex Diſcipulis, quàm ex Apoſtolis ſcateret quæſitis de quibus ſatageret ſibi à Domino ſatisfieri. Quod vero Mathæus omnes interrogationes ſermonem illum interſecantes, omninò omiſiſſet, vt inſtar vnius continuæ concionis exponeret ſummam doctrinæ Chriſtianæ; id planè fecit vt bonus Evangeliſta; & bonus Apoſtolus: *Evangeliſta* quidem ſeu ſacer hiſtoricus, quia ita plane fieri deberet in quavis alia hiſtoria, quando multarum turbarum interrogata, & multa ad eas itidem reſponſa crebreſcerent. *Bonus Apoſtolus* quia, ita liquidiores, & faciliores quaſi vno hauſtu ebibendas propinabat aquas Chriſtianæ doctrinæ: maximè cum in eo veritati non deeſſet, ſed ſilentio ea, quæ momenti non erant, foret prætermiſſurus: quod paſsim in Biblijs cerni quiſque non dubitat. Igitur hac explanatione præmiſſa; tota argumentatio alias operoſa procumbit: dicimus enim, quod Div. Luc. recenſuit licet indefinitè petitionem factam à Chriſto circa orationem Dominicam per illa verba: *Dixit autem vnus ex diſcipulis eius ad eum, &c.* Quam tamen Mathæus ob fines ſupra explicatos reticuit: vnde ambo concordant. Quæquidem explanatio, quæ videtur admodum veriſimilis fulcrum ſumit, tùm ex plurimis, quæ in obiectione præcedenti dedimus ex Toleto; tùm ex ijs, quæ affert Cornelius Ianſen. Gandavenſis, *cap. 83. ſuæ Concordiæ*, vbi hæc habet: *Cum pleraque Lucas ma-*

*ximè in ſequentibus ſcribat veluti miſcellanea; non eſt laborandum, vt oſtendatur quomodo hæc cohæreant cum præcedentibus. Non enim vbique quærenda eſt conexionis ratio. Porrò quòd hic apud Lucam Dominus ſcribatur hanc precandi formam tradidiſſe; cùm à quodam diſcipulo rogatus eſſet, non debet videri contrarium ei, quod Mathæus eam commemoret traditam à Domino non rogato, in ſermone illo prolixo, qui dicitur ſermo in monte.* Tùm quia licet hic Ianſenius, & alij ſaltem diſiunctivè non reſpuant aſſerere Chriſtum propterea bis orationem Dominicam tradidiſſe; ego autem ægrè adducor vt credam: ſivè quia id manifeſtè indulgent tales Interpretes impulſi ex tortura cohærentiæ, alias id minimè conceſſuri. Sivè quia video apud Lucam relatum ingreſſum in Capharnaum immediatè poſt ſermonem in monte, prout facit Mathæus, & poſtea ſeparatim, & mixtim, cum alijs doctrinalibus orationem Dominicam traditam, cum nullo geſto Chriſti connexam atque ligatam, imò vt ſupra tetigi cum alijs ſanctis ſermonis in monte ibi donatam.

12 Obijcies 4. ex Toleto. Satis multa ſunt, quæ ſuadent hanc orationem bis traditam fuiſſe: ergo, &c. Probatur anteced. Apud ipſum primo ex interrogatione iam tacta. Secundo. Quia hic vnus diſcipulus; illic omnes Apoſtoli fuerunt inſtructi. Tertio. Hic *locus quidem* illic *mons* ſignatur. Quarto. Hic adducitur exemplum Baptiſtæ, illic mentio nulla. Quinto. Hic miſcentur calumnia de Belzebù, ſignum Ionæ; & alia quorum illic mentio fit nulla: ergo bina fuit occaſio tradendi talem orationem. Ad hoc argument. reſpond. negand. anteced. & ad eius multiplicem probationem, reſpond. primam, & ſecundam in ſuperiori obiectione fuiſſe dilutas. Ad tertiam dico: quod cum Lucas ex traditione rem accepiſſet, noluit in ſe ſuſcipere, omnia vbivis indigitare; niſi quatenus factum, & rei veritas poſtulabant. Vnde, & ad quartam probationem dicitur, rem minimè poſtulare etiam apud Mathæum propter diverſam rationem iam attactam, vt exemplum de Baptiſta recenſeretur: nam ſicut ibi reticebatur interrogatio, ita reticendum erat exemplum, cui ibat illa ſubnixa. Ad quintam reſpond. Potius firmare noſtram ſententiam cum Ianſenio, & Toleto de eo, quod D. Lucas eam doctrinam de oratione Dominica, licet traditam cum alijs in monte, tamen inſeruiſſet vbi oportuit: eam cum alijs rebus miſcendo. Quare nihil obſtat præſtabilitæ aſſertioni.

13 Obijcies 5. Licet ex circumſtantijs vtcumque poſit ſtare cohærentia, tamen ſubſtantialiter differre videtur oratio tradita apud Lucam, & apud Mathæum: ergo bis tradita fuit. Antecedens probatur primo. Quia vbi D. Mathæus dicit *panem noſtram quotidianum*, D. Luc. dicit *panem noſtrum ſuperſubſtantialem*. Secundo. Quia apud D. Math. vltra illa verba: *Sed libera nos à malo*, inveniuntur in exemplari Greco, & Syriaco hæc alia verba; *quoniam tuum eſt Regnum, & potentia, & gloria in ſæcula amen.* Sed etiam in eiſdem exemplaribus hæc verba non reperiuntur in Luc. ergo, &c. Ad hoc argum. reſpond. negand. anteced. Ad cuius probationem, reſp. cum Illuſt. Siurio. Primo: qui admodum placet, nullam diſcrepantiam niſi in vocibus intervenire: quia vox illa *ſuperſubſtantialis*, quæ reperitur apud Math. propriè ſignificat *iuxta ſubſtantialem*, ſeu *noſtræ ſubſtantię congruentem*, vnde & optime ita vertitur apud Luc. dicendo *quotidianum*, quia hæc vox Græca *Epiuſion*, ita planè ſignificat in Lexico Græco: quare nullum ſtat diſcrimen niſi in vocibus, atque cum illa vox Græca componatur ex præpoſitione *Epi*, & *vſion*, quod ſignificat ſubſtantialem, & *Epi*, qui ſignificat iuxta, pro, ad, &c. ſatis liquet ſenſus expoſitus. Reſpond. ſecundo: fortè irrepſiſſe aliquem errorem typographi, vel tranſcribentis in illam

illam vocem *superſubſtantialem*. Ratio mihi verè efficax eſt : quia me ſcrutante verſionem Græcam Pagnini vtrobique inveni idem verbum Græcum relatum converſum autem apud Luc. in *quotidianum*, apud Math. vero (attende) in *ſuperſtantialem*, & ad marginem, aſteriſco indigitante ſic dicitur, *poſt præſentem, ad verbum vertendum cenſeo, non ſine magno myſterio.* Gaviſus fateor hæc legi quorum occaſione ſic dubito. Ex vna parte mihi videtur, debere legi *ſuperſtantialem*, & non *ſuperſubſtantialem*, quia ly *ſuperſtantialis* rigoroſè dicit panem *ſuperſtantem*, hoc eſt *hodiernum*, & *reſtantem in craſtinum*, id eſt, *ſtantem ſuper cum, quo veſcor hodie*, & ita quadrat optimè non ſolum verſio Pagnini quæ dicit *poſt præſentem*, ſed etiam verbum *quotidianum* quod correſpondet in Luc. & etiam in Lexico Græco verbum *Epiuſios* exponitur per quotidianus, & craſtinus. Ex altera parte cum præpoſitio *Epi* etiam ſignificet *ſupra*, & *Vſias* plane ſignificet ſubſtantiam, negari non poteſt, quin etiam illa vox *ſuperſubſtantialem* Græco germanitus correſpondeat. Atque inſuper cum tam apta ſit ad panem Euchariſticum exprimendum perpetuoque commemorandum ac repetendum non fortuito caſu, ſed Spiritu S. inſpirante talis interpretatio credi debet inducta. Vnde reſolvo dubium: Quod nimirum ſtando ſenſui puriſsimè litterali totum explicat illa verſio Pagnini dicens *ſuperſtantialem*, quippè in illo verbo, vt vidimus quadrant omnia mirificè, & licèt illa vox *Vſias* ſignificet *ſubſtantiam* à verbo ſubſtantivo; etiam illa vox *Vſa* ab eodem verbo ſignificat *exiſtens*, vel *ſtans*, quare germaniſsimè vertitur *ſuperſtantialem.* Standovero ſenſui litterali mixto cum allegorico præferenda eſt verſio *ſuperſubſtantialem*; tùm quia ita eſt in Vulgata: tùm quia ideo forte ait Pagninus, *non ſine magno myſterio* : tùm quia in concordantijs vbi ad calcem ſunt per Franciſum Lucam Brugenſem correcta loca inſigniora Vulgatæ iuxta editionem Sixtinam; *ad cap. 6. Mathæi, verſ.* 11. ita legitur : *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie: non mutes ſubſtantialem cum quotidiano.* Ad ſecundam probat. reſp. cum Maldon. in primis eam additionem potius ritu Græco ibi inſertam; quemadmodum, & ſalutationi Angelicæ addiderunt *quia tu peperiſti ſervatorem noſtrum* : cuius addictionis argumenta movet Maldonatus ipſe : deinde quod quamvis illa periodus vltima ab altero Evangeliſta reticeretur, non videretur ſatis diſcriminis in ſubſtantia ad conſtituendas binas traditiones eiuſdem orationis dominicæ.

14 Rogabis 1. Quo tenore indictus ſit hic modus orandi? Reſpondeo 1. Quod quamquam ad Gentiles increpandos de multiloquio in orationibus ſuis plane fuiſſet inductus; non tamen propterea reprehendit Chriſtus prolixam orationem, prout delirant hæretici, & delirabat quidam Sacerdos, qui mentis impos effectus, & notus amens, fertur, quòd nolebat tractare Breviarium eò quòd Chriſtus Dominus dixiſſet : *Sic orabitis*, & ſolùm dixerat orationem dominicam; qui error eſt manifeſtus, ex ipſo etiam Chriſto qui *prolixius orabat* in horto, & *pernoctabat in oratione Dei*, & dicebat *oportet ſemper orare, & non deficere, Luc.* 6. 18. & 22. Vnde ex communi Doctorum multiloquium quod Chriſtus in oratione damnabat erat artificium loquendi apud Ethnicos vſurpatum, quaſi fiderent verbis potius, quam confiderent Deo, & potius vellent fundi verba, quam corde confundi: Quare hæretici illi, qui propterea choros, & pſalmodiam incuſant; delirant ex vitio, ſicut miſer ille Sacerdos ſolum ex egritudine delirabat. Reſp. 2. Tenorem obligationis eſſe ex præcepto divino quidem quoad ſubſtantialia orandi, quatenus nimirum ea à Deo exoranda ſunt

ſem-

ſemper, quæ in ſeptem illis petitionibus includuntur, prout eas doctiſsimi Interpretes abundè explicare conſueſcunt, *Matth.* 6. & *Luc.* 11. & de quibus videatur Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 3. *cap.* 8. Quoad orationem verò eamdem ita verbatim repetendam, & recitandam ſic præcipit Sancta Mater Eccleſia: & hoc primo lacte doctrinæ germanas omnes ſuas Catecheſes vult eſſe reſperſas; frequentia autem, tùm vocalis, tùm mentalis huius ſacratiſsimæ orationis poteſt eſſe conſilij.

15 Rogabis 2. Quomodo ſeptem petiones huius orationis generatim ſunt dividendæ. Reſp. cum verbis Cornelij Ianſenij, *cap.* 41. *Concordiæ*, vbi ad verba *ſanctificetur nomen tuum*, quæ eſt prima petitio, ſtatim ſubiungit: *Oratio hæc breviſsima, ordinatiſsima, abſolutiſsima, diviniſsima, efficaciſsima, atque inde etiam vtiliſsima, iuxta receptam diviſionem ſeptem continet petitiones ſub quibus comprehenduntur omnia quæ licite à Deo optari poſſunt, quarum petitionum hic eſt ordo, vt tribus primis petantur quæ Dei ſunt, vnde dicitur nomen tuum, regnum tuum, voluntas tua, reliquis quatuor precamur; aut deprecamur quæ noſtra ſunt, vnde dicimus panem noſtrum, debita noſtra, &c. Poteſt, & ſic convenientius oratio hæc ſecari, & petitionum eius ordo conveniens oſtendi, vt dicamus eam dividi in precationem bonorum, & deprecationem malorum. Precatio quatuor continet partes, quarum prima ad Deum ſpectat, cui ante omnia optandum eſt quod ſolum ei poteſt optari, ſcilicèt, gloriam, & honorem ab omnibus impendi; reliquę tres ad nos pertinent hoc ordine vt primò precemur nobis ſumma bona, ſcilicèt vitam æternam. Secundò. Media bona, gratiam ſcilicèt, qua Dei impleamus voluntatem, & virtutes ac bona opera. Tertiò. Infima, nempe corporis bona, ſicque impletur Chriſti doctrina dicentis primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Deprecatio vero malorum tres etiam continet partes ſimili ordine, videlicèt vt primo nobis deprecemur ſumma mala vt ſunt peccata* (deprecor ſignificat precari, ne fiat aliquid.) *Secundò. Media vt peccandi occaſiones. Tertiò. Infima vt afflictiones; aut, ſi eſt veroſimilius, in duas tantum dividitur deprecatio partes, priori deprecamur mala præterita quæ commiſimus, & quę maxima mala ſunt: poſteriori vero mala, tùm præſentia, tùm futura per quæ periculum eſt ne peccatum committamur.* Hactenus Ianſenius, qui poſtea proſequitur in explicatione petitionum copiosè graviter, & erudite. Circa vltimam vero petitionem, & *ne nos inducas in tentationem*: non prætermittenda eſt tortuoſitas Pelagiana de qua Auguſt. *Epiſt.* 94. & Hieronymus *lib.* 3. adverſus eos. Qui conſtricti per Catholicos argumento ex hac petitione deducto, quod nimirum opus eſſet gratia Dei ad vitanda peccata; lubrices interpretationem deflectunt ad dicendum ibi ſolum peti, ab humanis, & fortuitis caſibus, providente numine, liberari. Quod tametſi ibi petatur, obſerva intereà, quanto iure ſæpè damnari ſoleat aliqua propoſitio veriſsima, & catholiciſsima vſurpata ab homine nequam, quippè cum qua ſoleat errori ſuo tendere vmbraculum, & appendere tegumentum. Quæ breviuſcula obſervatio ne, quæſo excidat, quippè eſt graviſsima, & hæreſibus ſæculi elapſi, atque præſentis eſt vtiliſsima.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO QUINTA.

## TEXTUS AD ILLA VERBA.

AVDISTIS, QVIA DICTVM EST ANTIQVIS, &c. EGO autem vobis dico, &c. *Math.* 5. *v.* 21.

### ARTICULUS.

*VTRVM CHRISTVS DOMINVS IN SVA LEGE EVANGELICA solum correxerit traditiones Phariſæorum; an legis veteris interpretationem, & explicationem donaverit?*

NOTABILIA.

1 SUppono 1. In precipuo ſermone, quem Chriſtus habuit in monte ex communi traditione Eccleſiæ, & Patrum, vt diſcipulos ſuos imbueret Evangelica, & altiori doctrina, reperiri illa verba, quibus eos etiam ita commonefecit, *Math.* 5. *verſ.* 17. dicens: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* De quorum intellectu ſatis laborant non minùs in hunc locum, & in Epiſtolas Pauli Doctores expoſitivi, quam Scholaſtici ad tractatum de Legibus. Et de eis abunde nos diſſeruimus per plures quæſtiones, *tom.* 1. *noſtræ Palæſtræ Biblicæ*, cuius vltima Decas integra inſumitur in diſcutiendo tenore, & tempore, quo lex vetus per novam fuerit abrogata. Impræſentiarum autem ſummatim colligere, tradereque oportebit ea, quæ, vt hoc punctum diſcuti queat deſiderentur. Igitur ex ſolemni doctrina Theologorum cum D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 99. tota lex vetus in tres claſſes præceptorum diſſecabatur. Prima erant præcepta moralia, quæ in duabus Tabulis lapideis per Deum donata ſunt Moiſi, vt per eas, tùm erga Deum, tùm erga proximum ſuum debita quiſque iura ſervaret. Secunda erant Cœremonialia, per quæ inſtituebantur, & coordinabantur Sacri Ritus, Sacramenta, & figuræ, per quæ lex gratiæ adventura præſignaretur. Tertia denique appellantur iudicialia, quæ nimirum ad omnem rectam gubernationem politicam, & œconomicam pertinebant. Supponendo ergo, præcepta moralia, qua parte erant de iure naturæ, abrogata non fuiſſe (quidquid de veteri illa obligatione poſitiva ipſis ſuperinducta ſoleant decertare Doctores) planum eſt, Chriſtum Dominum, ea nullatenus diſſolviſſe: neque tranſgrediendo; neque abrogando; optimè autem illa adimplevit, quia tam ritè inſtitutæ legis adibuit perfectiſsimum complementum, dum ea, adiectis pretioſis monitis, communivit, vt conſtat *Mathei* 5. Quoad Cæremonialia vero, Chriſtus ea non ſolvit tranſgrediendo,

ſiquidem circumciſus eſt, & ritu Hebraico vixit, in quo quidem ſenſu, non illa ſolvit; ſed adimplevit. Et quamquam hæc lex per ipſum abrogabatur, non tamen ab eo ſolvebatur contrapoſite ad hoc, quod eſt *adimplere*; ideo enim ceſſabat, quia adveniente figurato, deficiebat figura; quod potius erat legem ſua perfectione adimplere; non vero ſolvere & deſtruere iuxta illud Pauli: *Legem deſtruimus per fidem? Abſit.* Et iuxta illud Cyrilli apud Marianam, *Luc. 6.* & Maldon. qui aiunt, primos colores ductos in tabula non deſtrui, ſed perfici, dum pictura concluditur. Quoad iudicialia vero itidem, ſi de tranſgreſſione ſit ſermo, non ea ſolvit; ſed adimplevit is, qui peccatum non fecit, & qui necdum totius erat bonitatis exemplum in Republica in qua vivebat, ſed, & ipſi Cæſari Romanorum tributa pendere non recuſabat. Si vero de abrogatione ſermo ſit iudicialium, cum ea ſtatui ſolum Reipublicæ Iudaicæ, donec Deus in filio ſuo ſe daret gentibus, fuiſſent deſtinata, & impoſita; nequeunt etiam dici ſoluta per Chriſtum contrapoſitè ad *impletionem* propter immediate dicta: de quo latius noſtro loco citato. Verum hic, vt exiſtimo, propter contextum, potius videtnr ſermo eſſe de ſolutione tranſgreſsiva legis, vt oſtenderet Chriſtus, ſe, neque dum viveret, neque poſt mortem velle leges ſanctiſsimas tranſilire, & contemnere, præſertim cum ibi ageretur potius de præceptis moralibus, quæ ſemper erant ex iure naturæ immobiliter permanſura, & quæ ipſe mirificis ſententijs expoſuit, atque dictavit.

2 Suppono 2. Alia etiam verba ſubſequi, quæ lites movent inter Interpretes, & quæ proinde more noſtro ea prius explicata eſſe oportebit, vt quantam rei, de qua agimus poſsimus lucem afferre, non prohibeamus. Verba igitur ſunt, quæ ad præcedentia ſtatim ſequuntur: *Amen quippè dico vobis, donec tranſeat Cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſolverit vnum ae mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines; minimus vocabitur in Regno Cœlorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* In quibus verbis circa duo leviuſcula, an ly *amen* ſit formula iuratoria? Et quomodo Dominus, qui Hebraice loquebatur iota dixerit; quod Græcum eſt elementum? Placet omnino Siurius, qui ad primum cum Aug. & Ambroſio aſſeverationem quidem quæ pluſquam affirmatio eſt, non vero iuramentum agnoſcit. Ad ſecundum autem iota illud poſitum in verſione erat iod Hebraicum, & minimum elementum: quoad apices vero, non defuerunt profectò ante Maſſoretas, certi quique apices, quibus, & vocales, & orationis membra in ſcriptis diſtinguerentur, imò ipſe memini me vidiſſe in antiqua membrana Hebraica, ſine punctis ſcripta, litteras quaſdam deſuper tricuſpidatas, in quo præter manus dexteritatem, nihil inſuper videbatur eſſe myſterij. Quoad verba autem, quæ ſubſequuntur, denſius certamen eſt, & quidem inter primores viros expoſitivos, dum quærunt, *quæ mandata ſint illa minima? Quid velit dicere illud ſic relativum? Et quodnam ſit Regnum Cœlorum inibi intelligendum?* Quæ quidem quæſita cuncta ſunt gravia, & ita ſibi connexa, vt reſolutio vnius ſtatim pariat perplexitatem alterius, prout docte, luculenter, & erudite, quiſquam animadvertet apud Illuſt. Siurium *tom. 1. tract. 35. cap. 4.* vbi poſtquam luſtravi primorum hominum diverſos manipulos, diverſa ſentientes, quæ mihi ſummè revereri, opus, atque fas eſt; luſtratis inſuper ſemel, & iterum textu Græco, & Latino, viſus eſt mihi ſenſus planiſsimus inter omnes, tenor explicationis mox ſequuturus; quatenus videlicèt ly *iſtis minimis*, quæ relativa ſunt, & indefinita, non niſi *ad iota*, &

*& apicem*, quæ ſunt antecedentia, & indefinita, referantur: ita vt ſenſus ſit ſub hac Paraphraſi declarandus: *Prius corruet orbis terrarum, quam quodvis mandatum de vita benè inſtituenda deficiat. Qui ergo veniáliter tranſgrediatur huiuſcemodi mandata minima, & tamen docuerit homines ſic ea ſervare, prout debent; minimus erit in iure ad capeſſendum Regnum Cœlorum, à quo propter venialia non deijcitur. Qui autem totam legem quoad apices, & præcepta illius minima, quæcumque fuerint, non ſolum docuerit, ſed etiam fecerit, hic magnus erit in iure ad poſſidendum Regnum Cœlorum.* Vel Hiſpanicè ſic: Primero faltarà el Mundo, que los Preceptos de la Ley, por mas minimos que ſean, dexen de cumplirſe. Y aſsi el que de eſſos mas minimos quebrante alguno; enſeñando no obſtante à los hombres à guardarlos, aſsi como en ellos ſe manda, de grado inſimo ſerà, aſsi en la Igleſia Militante, como en la Triumphante; mas el que aun eſſos mas menudos mandatos, no ſolamente los enſeñaſſe, ſino tambien èl los puſiere por obra, eſſe ſerà verdaderamente grande, no ſolo entre los Juſtos de la Tierra, ſino tambien entre los Corteſanos de el Cielo.

3 Hæc interpretatio fundatur. Primo. Quia planiſsimus reſultat ſenſus, atque cohærentia ſententiæ. Secundo. Quia non eſt cur determinata mandata minima perquirantur, quando locutio textus manifeſtè currit indefinita, vt cernere eſt in illa explicatione adagiali *iota vnum, aut vnus apex*, quam nos etiam 1. *tom.* inter adagialia, Mathæi ſenſu tacto iam recenſuimus. Et vero nihil eſt vſitatius in frequenti ſermone, quam dicere de re quapiam, non niſi integerrimè, completiſsimeque accipienda, & vſurpanda: *Neque vnus apex præteribit, aut remittetur ex ea*; quin propterea de vllo apice determinato ſit ſermo. Tertio. Quia congruentiſsima expoſitio eſt trahere relativa ad proximè antecedentia; & ita ſe habent illa relativa *iſtis minimis* ad *iota*, & *apicem* præcedentes: & ſimiliter illud *ſic docuerit*, quod etiam eſt relativum ad verba immediatè antecedentia *iſtis minimis*: quia profecto de iſtis minimis, tota hæc ſermocinatio procedit. Quarto. Quia mire conſona eſt ipſi contextui reprehendenti iuſtitiam Phariſæorum, qui legem quidem dicunt, ſed non faciunt. Quinto. Quia ſi luſtrentur Authores, pullulant, & ſe invicem mordent difficultates circa illud triplex quæſitum; quod tamen ni fallor in ſuperiori explicatione, licèt ſit funiculus triplex, vno ictu fæliciter diſciſus eſt. Vnus fortaſſe reſtat ſcrupulus eximendus, ſcilicèt verba illa, *donec omnia fiant*, in quibus non tàm videtur inſinuari obſervantia rei præceptæ, quàm complementum rei figuratæ, quaſi dicat *omnia præfigurata, proculdubio ſunt eventura.* Sed res profunde inſpecta, ſecus ſe habet. Nam illud verbum *omnia* non eſt adiectivum, quaſi ſubſtantivè locatum, ſed manifeſtè concordans cum mandatis iſtis minimis: deinde ly *fiant*, non minus in paſsiva, ſignificat obſervationem, quam ly *fecerit*, eam ſignificat in activa. Vnde ſenſus eſt quaſi dicere: *Donec cunta iſta legis mandata minima obſerventur.* Prout ſuprà explicuimus. Hæc ſuppoſitio, quæ aliquibus dumtaxat videbitur non importuna, Doctoribus, & qui in Interpretibus verſati ſunt, forte erit in pretio, vtpotè, quæ de loco ſalebroſo emergere videtur longè plus expedita.

4 Suppono 3. In eodem ſermone, dum Chriſtus Dominus dixerit non ſolum de vitando homicidio, ſed de ira pariter compeſcenda, ita quidem, vt videatur etiam à ſacrificio ceſſandum eſſe propter reconciliationem cum fratre; alia verba ſubiungi verè operoſa, & quæ meritò diſtrahunt Interpretes: namque immediatè poſt Chriſtus Dominus hæc verba ſubiungit:

git: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius Iudici, & Iudex tradat te Ministro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* Super quibus verbis cum viæ interpretationis hinc inde dispergantur, per quas eunt Authores, rem, tùm in se ipsa, tùm ad contextum, non ita facilè accomodantes; placuit mihi, sectanti vias disputatrices, calles sine offendiculo præparari, & pro referta eruditione multiplicis diversi modi opinandi lectorem relegare ad Interpretes, quos facilè, & presse apud Illust. Siurium lectitabit ille collectos. Nos interea pro modulo nostro rem expediamus, supponendo duo, alterum est, quod ly *adversarius*, Græcè *antidicos*, nequaquam sumi potest nisi pro adversario iudiciali, seu litigante. Alterum est, quod licet ly in via ex Græco *odos* latitudinem habeat, vt pro via, & vita, pro scopo, vel assumpto sumi queat, vnde fortè res facilius extricaretur; tamen ex D. Luca, *cap.* 12. *verf.* 58. vbi eadem habetur sententia sub his verbis: *Cum autem vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam, &c.* cogimur non nisi pro via prædictam vocem interpretari.

5 Quibus positis ordior interpretationem per paraphrasim sub hac forma: Dilectio, & pax cum fratre tuo esto tibi prior ante omnia: quare si tibi litem movet; esto cito cum eo consentiens, etiam in medio fervore itineris ad iudicem, & litigium: ne fortè te vincat in iudicio, & traditus Ministro, & carceri liber non exeas, donec novissimum quadrantem exolvas. Quæ quidem expositio fundatur. Primo: quia valdè cohæret cum præcedenti contextu, in quo, cum Christus omnes iræ impetus summovere conetur, ita vt etiam in medio sacrificio reconciliatio cum fratre præferenda sit; ita vult tollere occasionem subirascendi, quæ ex lite solita est promanare; monendo, vt etiam in medio itinere propter pacem cum fratre reliqua dimittantur. Secundo: quia ita fit optima expositio per alium textum ad regulam Aug. siquidem apud D. Lucam, loco citato Christi mens erat, vt pax Christiana sic vigeat, vt tribunalia, & iudicia (tametsi alioqui ipsis licita) inter eos tamen non essent necessaria; sed fideles ipsi secum fraterna charitate commoniti cuncta dirimerent, vt patet ex illis verbis præeuntibus, *quid autem, & à vobis ipsis non iudicatis, quod iustum est? cum autem vadis, &c.* Tertio: quia tale Christi monitum plenum est altissima perfectione. Siquidem expressio illa, valdè emphatica de eo, quod *in medio itinere ad tribunalia*, sicuti præcedens de eo, quod *in media sacrificij oblatione* statim, & cito fiat cum fratre concordia; documentum est verè altissimum de primo ordine, qui semper servandus est charitatis. Quarto: quia planè cohæret cum eiusdem capitis inferiori contextu; vbi Christianis iniungitur, quod si lis cuiquam moveatur de tunica, donet, & pallium; vel si de vna veste alteram porrigat, prout debet intelligi. Quinto: quia præterquam quod rigor Græcus apprimè observatur; in eam veniunt pacifici multi Patres, nobilesque Doctores citati apud Siurium *num.* 105. & 106. ita, vt is, qui dicitur adversarius, non sit inimicus, vt benè observat Siurius; sit tamen frater, qui litem, & iniuriam movet, in quo tamen sensu adversarius est, prout vult Caietanus. Tota vero illa deducta interpretatio ex Maldonato, & Cornelio de *diabolo adversario; Christo iudice; via hoc sæculo, &c.* Est quidem, vt opinor præclarissima allegoria supra litteram sponte cadens; secus autem littera rigorosa, siquidem iuxta illam diversus est adversarius, qui in via graditur ab eo, qui post tradet hominem iudici: deinde via pro vita sumitur, quod licet non recuset vox Græca; textus tamen Div. Lucæ aper-

apertiſsimè refragatur. Vnus fortè tibi reſtat ſcrupulus eximendus. Quomodo nimirum pœna proponitur, & intentatur ſuper conſilio altiſsimo, & apice perfectionis, cui, licèt non præſtetur, correſpondere debet pœna profectò nulla: in eo enim habent diſcrimen ſuum præcepta, & conſilia? Reſpondeo, ibi minimè proponi pœnam, quæ talis ſit, ſed clariſsima quædam ſit expoſitio conſilij, quatenùs ob oculos ponitur, id, quod allicit ad conſilium amplectendum, & valdè retrahit à recuſando, dum propter hominum duritiam eiuſmodi moleſtia, & tortura ſolita eſt de litibus promanare.

6 Suppono 4. Hæreticum eſſe dicere, Chriſtum Dominum non fuiſſe verum Legislatorem, ſed dumtaxàt veteris legis expoſitorem. Quod præterquamquod notiſsimus error eſt; conſtat Chriſtum Dominum fuiſſe verum, & rigoroſum Legislatorem, tùm ex lege veteri *Deuteron.* 18. *verſ.* 15. vbi dicitur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petijſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt*; & verſ. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos, omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* In quibus verbis, vbi planè intelligitur Chriſtus, non minus planè debet intelligi Legislator; quia comparatus cum Moyſe; quia poſtulatus à Domino in Horeb; quia verba eius futura erant præcepta, & horum tranſgreſsiones à Domino vindicandæ. Tùm in Novo Teſtamento, id conſtat *Math.* 7. *verſ.* 29. vbi dicitur de Chriſto Domino: *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ eorum, & Phariſæi.* Vbi aperte conſtat non fuiſſe merum legis Expoſitorem; ſed inſuper veram Legislatoris poteſtatem habere. Quæ quidem poteſtas nequit per verba magis deſpotica manifeſtari. Quàm prout fit in præſenti, dicens: *Dictum eſt antiquis: non occides, non mechaberis. Ego autem vobis dico*, vbi differit, quaſi propria fugens authoritate, adhuc veteri per ipſum lege commemorata. Tùm quia qui novum Regnum aperit, & de eo comparando, & fruendo ſtatuta facit, Legislator eſt. Et ita incipit Chriſtus Dominus in hoc ſermone loquens per beatitudines de Regno Cœlorum. Tùm quia niſi eſſet Legislator, & ſuprema polleret authoritate; quomodò tam amplam ligandi, atque ſolvendi Vicario ſuo poteſtatem detuliſſet? Tùm à ratione: quia munus Legislatoris eſt, dum populi conduntur, vel omninò vivunt exleges, denuo legem condere, & fabricare. Poſteà vero, tempore procedente, eodem tenore, quo leges aliquæ poſitivæ obſoleſcunt, aliæ abrogantur, aliæ ſtatus mutatione equitatem amittunt, aliæ laxantur, &c. pro menſura rei præſentis alias leges novas inducere, alias priſtinas retinere, alias pro tempore latas declarare obſoletas, alias, quæ nocumento ſint abrogare, alias denique reficere. Sed hæc omnia planum eſt Chriſtum Dominum præſtitiſſe ex tota Evangelica harmenia, & hiſtoria, ex varijs Epiſtolis Pauli, ex Actibus Apoſtolorum, vt in hoc ſermone Domini in monte, & in hac quæſtione plus patefiet: ergo, &c.

7 His poſitis duplex in hac re datur ſententia prima eſt, Chriſtum Dominum non legem veterem correxiſſe, ſed dumtaxàt traditiones Phariſæorum, & Scribarum, pro qua ſententia citatur Strabus, apud Maldonatum cum alijs ſupreſſo nomine, qui videntur ipſi in ea re minus cauti; ſed tamen graviſsimi Authores ſunt, qui eam ſententiam ſectantur, & amplectuntur, vt videre eſt, apud Illuſt. Siurium, *tom.* 1. *tract.* 35. *num.* 129. vbi ſpeciatim loquendo de dilectione inimicorum pro ea citat Gloſſam, Liram, Abulenſem, Albertum Magnum, Dio-

nyſium Cartuſianum, Hugonem Cardinalem, Ianſenium, Barradium, Cornelium à Lapide, Æſtium, & ex Scholaſticis cum Magiſtro *in* 3. *diſtinctione* 30. Div. Thomam 1. 2. *quæſt.* 107. *art.* 2. & 2. 2. cum Suario, Bañez, Valencia, Lorca, & Arriaga, item Bonaventuram, atque Durandum: necnon Auguſtinum *lib.* 19. *contra Fauſtum, cap.* 23. quem cum alijs citaverat *cap.* 5. *num.* 84. Secunda vero ſententia: aſſerit, non ſolas traditiones Phariſaicas, ſed legem ipſam veterem, præceptaque in ea contenta fuiſſe per Dominum explicata. Cuius ſententiæ Patronos, vbertim tradidit Illuſt. Siurius, qui & non modicum donat ipſe ſufragium, dum ſe ſe alijs adiungit. Tenet ergo illam Maldonatus *Math.* 5. citans pro ea Irenæum, *lib.* 4. *cap.* 27. Tertullianum, *lib. de Patient.* Clementem Alexandrinum, *lib.* 6. *Stromatum.* Baſilium, *hom. in Pſalm.* 14. Chryſoſtomum, *hom.* 16. *in Math.* Authorem imperfecti, *hom.* 11. Ambroſium *ſerm.* 5. *in Pſalm.* 118. Hieronymum *in Epiſt. ad Geruntiam.* Cromatium, Teophilactum, & Euthymium. Quibus iungitur ex Siurio. Origenes *in Math.* Auguſt. *lib.* 1. *de Sermone Domini in Monte.* Paſchaſius, *lib.* 3. *in Math.* Anſelmus, *Math.* 5. Iulianus Epiſcopus Toletanus *in quæſtionibus Novi, & Veteris Teſtamenti.* Inſuper de Interpretibus, Salmeron *tom.* 5. *tract.* 42. Serarius, *lib.* 2. Trihæreſij, *cap.* 8. Becanus *in Analogia, cap.* 4. *quæſt.* 4. & Vincentius Regius, *tom.* 1. *Elucidationum Evangelicarum, lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 147. *de Scholaſticis.* Granado *contr.* 3. *de Charitate, tract.* 6. *diſp.* 5. Coninch *de Charitate, diſ.* 24. *dub.* 6. *num.* 81. & *diſp.* 29. *dub.* 3. Petrus Hurtado *de Charitate, diſp.* 151. *ſect.* 3. Oviedo *controv.* 8. *punct.* 6. *num.* 149. *de Doctoribus in Theologia Morali.* Caſtro Palao, *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 1. *punct.* 6. *num.* 1. Gibalinus, *tom.* 1. *Scientiæ Canonicæ, lib.* 5. *cap.* 5. *quæſt.* 2. Leander *de Sanctiſsimo Sacramento, tom.* 6. *tract.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 3. Cum quibus etiam eſt mea ſententia.

8 Dico igitur: *Chriſtus Dominus legem veterem, vt verus Legislator, explicuit, atque correxit, non autem ſolum Phariſaicas traditiones.* Hæc concluſio probatur primo ex Sanctis Patribus, ſcilicèt, ex Hilario *Canone* 4. *in Math.* ibi: *Pulcherrimo ingreſſu opus legis cœpit excedere, vt non diſſolveret eam, ſed profectu potiore præcelleret, aditum Apoſtolis in Cœlum, niſi iuſtitiam Phariſæorum æquitate anteiſſent; denuncians non futurum. Propoſitis igitur his, quæ in lege præſcripta ſunt; profectu ea, non abolitione, tranſgreditur.* Secundo: Ex Ambroſio *ſermone vel Octonario* 5. *in Pſalm.* 118. *Oportet etiam, vt in præceptis Domini ambulemus, vt perveniamus ad magnum præceptum de quo legiſti: dictum eſt antiquis: non occides: ego autem dico vobis, hoc eſt, ſuper omne præceptum dico, itaque non vſurpatione dixerim; ſed vere, quia ſicut ſunt Sancta Sanctorum, ita præceptum eſt præceptorum. Sed vt iſta ſervare poſſimus, intellectum petamus à Domino.* Tertio: ex Baſilio, *homil. in Pſal.* 14. ibi: *Ego autem dico vobis: ne iuretis omninò. Quid igitur dicemus? Quod vbique Dominus, tàm in veteri, quàm in nova lege eandem habet præceptionis conſiderationem. Cupit enim peccatorum effectibus occurrere, & à primis initijs malignitatem excindere. Vt enim vetus lex ait: non mœchaberis, Dominus vero non concupiſces. Illa item non occides. Dominus perfectiora inſtituens: non iraſcaris. Sic itaque in hoc loco contentus fuit Propheta, iuramento, quod iuſtum ſit, ac rectum. Dominus vero, vel occaſionem ipſam reſecat periurij. Qui enim, vel rectè iurat, fortè, & is poſſit interdum falli: qui vero non iurat periculum vitabit periurij.* Quarto: ex D. Irenæo, *lib.* 4. *cap.* 27. „ Hæc autem non quaſi contraria legi „ docebat, ſed adimplens legem, & „ infigens iuſtificationes legis in no„ bis. Illud autem fuiſſet legi contra„ rium, ſi quodcumque lex vetaſſet „ fieri id ipſum diſcipulis ſuis iuſſiſſet „ facere. Et hoc autem, quod præce„ pit, non ſolum vetitis à lege, ſed

etiam

„ etiam à concupiſcentijs eorum abſ-
„ tinere; non contrarium eſt, quemad-
„ modum prædiximus, neque ſolven-
„ tis legem; ſed adimplentis; & dila-
„ tantis. Etenim lex, (quippè ſervis
„ poſita) per ea, quæ foris erant, cor-
„ poralia animam erudiebat; velut per
„ vinculum attrahens eam ad obedien-
„ tiam præceptorum, vti diſceret ho-
„ mo ſervire Deo. Verbum autem, li-
„ berans animam, & per ipſam, cor-
„ pus voluntariè emundare docuit:
„ quo facto neceſſe fuit, auferre qui-
„ dem vincula ſervitutis, quibus homo
„ aſſueverat, & ſine vinculis ſequi
„ Deum: ſuperextendi vero decreta
„ libertatis... Et propter hoc Dominus
„ pro eo, quod eſt *non mœchaberis*, ne-
„ que concupiſcere præcepit, & pro
„ eo, quod eſt *non occides*, nec iraſci
„ quidem, & pro eo, quod eſt *deci-*
„ *mare*, omnia, quæ ſunt, pauperibus
„ dividere: & non tantum proximos,
„ ſed etiam inimicos diligere... Quia
„ igitur naturalia omnia præcepta,
„ communia ſunt nobis, & illis: in
„ illis quidem initium, & ortum ha-
„ buerunt; in nobis augmentum, &
„ adimpletionem præceperunt. Et fu-
ſius inde proſequitur per varia capita valdè exprofeſſo: qua propter hunc Patrem cum primis veterem prolixius paulò produxi. Præter quos, videri poterunt alij ſupra citati: ergo Chriſtus Dominus non interpretationes Phariſaicas, vel non eas ſolùm; ſed ipſam legem veterem correxit, ac reformavit potius; non quod lex, vt ait Maldonatus in ſuo genere perfecta non fuerit, ſed quod minus perfecta, quam Evangelium: Pedagogus enim fuit Iudæis, tanquam ruditer erudiendis adhibitus, donec melior Magiſter Chriſtus firmioribus iam ingenijs perfectiora proponeret. Dixi autem reformavit, potius quam correxit, vt cum eodem Maldonato, Cyrillo, & etiam Hilario ſuprà, congruentiorem in hac re retineam intellectum: ſiquidem primæ lineæ, quas ſupra tabulam humani cordis in lege veteri duxit omnipotens, non fuerunt correctæ per Chriſtum; ſed rursùs formatæ, aut reformatæ: non enim linea corrigitur, niſi, quæ male ducta fuit: reformatur vero linea, quando, quæ prius ducta eſt minus altè, poſtea ductu delicatiori perficitur.

9 Probatur ſecundo concluſio. Ratione fundamentali. Chriſtum Dominum potius legem veterem reformaſſe, quàm traditiones Phariſaicas correxiſſe, conſtat tùm ex authoritate perſonæ, tùm ex tenore loquendi, tùm ex materia reformata. Atqui pro correctione traditionum potius extant argumenta contraria: ergo Chriſtus Dominus non tàm traditiones Phariſaicas, quàm legem veterem reformavit. Probo prius maior. poſtea probaturus min. Et in primis quoad poteſtatem perſonæ conſtat 4. notabili, vbi Chriſtus Dominus verus fuiſſe Legislator oſtenditur. Quoad tenorem etiam loquendi, quia illa verba, *ego autem dico vobis*, præſertim contra poſita ad priſca olim dicta, gaudent vigore legislativo. Quoad materiam autem, probatur ſic. Quoties Chriſtus Dominus, vt ſuam ſententiam ediſſerat, præmittit illa verba; *audiſtis, quia dictum eſt antiquis*, loquitur de præceptis contentis in veteri lege: ergo, &c. Probatur anteced. Nam in primis, illa, quæ memorantur, *non occides*, & *non mœchaberis* manifeſtè includuntur in lege. Item *non peierabis* invenitur *Levit. 16. verſ. 12.* Item *oculum pro oculo, dentem pro dente invenitur. Exod. 21. Levit. 24. & Deuteronom. 19.* Sed præter hæc omnia, etiam ſatis clarè reperitur in lege lex illa, ſaltem permiſsiva, *odio habebis inimicum tuum*: veluti de libello repudij permiſerat Moyſes: ergo, &c. Probo minor. Odio habere inimicum ſuum iuxta totum tenorem legis, & iuxta praxim totius Veteris Teſtamenti, non aliter intelligi poteſt, ac debet, quam vt homini, vel genti mecum inimicitias gerenti iuſtas vices inimicandi ipſi poſſem ego

quo-

quoque rependere; ſed præterquam-quod, id genus odij (quod dicitur abominationis) ſatis implicitum, & explicitum eſt in lege Talionis ſupra relata; inſuper ad hoſtiliter ſe gerendum cum inimicis indictum eſt, *Deuteron. cap.* 7. & 20. & 28. vt in ipſo textu conſtat aperte: ergo, &c. Probo mai. Quia odium permiſſum debet intelligi de eo genere odij, quod in tota lege veteri ipſo Deo conſulente, iubente, & inſpirante, videtur ad praxim eſſe deductum: non vero de odio interno, & malevolentiæ, quod nullibi conceſſum exprimitur; quin imò, vt videtur, actus purè interni non ita manifeſtè in lege, & à Domino iubebantur. Sed odium internum, & purè malevolentiæ ita ſe habuit toto tempore veteris legis, vt nuper eſt dictum: econtra vero odium abominationis, & inimicitiæ vindictæ, & hoſtilitatis paſsim invenitur in libris, legalibus, Hiſtorialibus, & Prophetalibus: ergo etiam inveniebatur in lege, de primo ad vltimum loquendo, lex illa permiſsiva *odio habebis inimicum tuum*: ſicuti de repudio permiſit Moyſes.

10 Probo iam primam minorem illam. Si Chriſtus Dominus voluiſſet reprehendere Phariſæos, primo, non dixiſſet, *quia dictum eſt antiquis*: quia Phariſæi antiqui non erant, eo quod Secta Phariſeorum paulò ante Chriſtum ſurrexiſſe videtur ex Ioſepho, vt noſter Maldonatus obſervat. Secundo. Chriſtus Dominus ibi Phariſæos, contra quos agebat non reticuiſſet, præſertim cum in re graviſsima cuiuſmodi corruptio legis eſt, eos exagitaret. Tertio. Quia vt oportunè obſervavit Siurius. Si Chriſtus Dominus ſolum ſiniſtras Phariſæorum traditiones redarguere conaretur; teſtimonijs legis, quibus eos revinceret non pepercisſet: id enim moris fuit Chriſto Domino, dum coargueret Saducæos, *Matthæi* 22. *verſ.* 31. imò & Phariſæos quoque ipſos ibidem, *verſ.* 43. & *Math.* 15. *verſ.* 3. alijſque in locis: ergo tàm ex ibi dictis; quam ex ijs, quæ ibi ſunt prætermiſſa, argumenta ſatis clara reſultant, quæ probant Chriſtum Dominum ibi non agere contra Phariſaicas interpretationes.

11 Obijcies 1. Per nos Chriſtus Dominus eatenus reformavit legem antiquam, quatenus explicuit ſigillatim difficiliora præcepta expendendo, & taxando tenorem obligationis vniuſcuiuſque. Sed hoc eſt agere expoſitorem legis, non vero legislatorem: ergo noſtra ſententia non cohæret cum ſuppoſitione iam facta de eo, quod Chriſtus Dominus verus fuit legislator. Minor probatur. Quia omnes Doctores, qui funguntur munere expoſitivo circa ius Divinum, Eccleſiaſticum, & Civile, nihil aliud faciunt, quam perpendere ſigillatim, præſertim illa iura difficiliora, quæ explicanda ſuſcipiunt, & eorum obligationem expendere, atque taxare: ergo ſi nihil aliud præſtitit Chriſtus Dominus circa legem veterem, quàm, quæ modo ſunt dicta, non exceſsit munus expoſitoris. Ad hoc argumentum reſpondeo diſt. mai. Explicatione, & interpretatione *doctrinali*, neg. mai. *authentica*, conced. mai. & diſtincta reſpectivè minori, nego conſeq. Itaque vt ſolutio huiuſmodi patefiat; præ oculis habenda eſt trita illa doctrina, quam Theologi Morales vſurpant ad Tractatum de Legibus. De qua præter alios plures conſule Patrem Caſtro Palao *tom.* 1. *tract. de Legis Interpretatione*. In qua dicitur, duplex eſſe genus interpretationis, ſcilicèt, *doctrinalis*, quæ fit à Magiſtris, & Interpretibus, & *authenticę* quæ ſolum fit ab ipſo Legislatore, vel eius poteſtatem habente. Prima eſt quæ tradi ſolet ex fine legis, ex circumſtantijs, ex materia, & coniecturis. Secunda vero quæ pendet omnino ex voluntate Legislatoris, ſic, vel aliter volente indicere legem: quo quidem poſteriori modo, Chriſtus Dominus legem veterem reformavit, id eſt novam ſuper eam formam induxit: non ve-

vero illo primo modo, quia non fecit commentaria, neque recenſuit opiniones, aut argumenta refutavit, veſtigavitque circumſtantias, aut finem; ſed potius ipſe finem ſuæ legis, iuſtificationem noſtram appoſuit, ex legeque ſervitutis legem charitatis effecit; authentica intimatione proceſſit, paſſim repetens, *ego autem vobis dico*: adiecit inſuper præcepta, & conſilia, quibus lex illa vetus ad perfectiorem ſtatum *profectu*, non *abolitione* prout Hilarius dicit, elevaretur. Tandemque idem ipſe erat Deus, qui prius ſub nube, & fulmine in monte Synaì legem dederat, nunc vero habitu inventus vt homo, eam in alio monte tempore poſtulante reformat: ergo ea legis interpretatio, & fuit authentica, & fuit legislatio, & fuit adiectio, atque perfectio, & non fuit abolitio.

12 Obijcies 2. Chriſtus Dominus, *Matthæi* 5. prius dicit ad Diſcipulos ſuos illa verba: *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum*, & ſtatim loquens de tenore obſervationis legis antiquæ, ſubdit illa, quaſi monita, & correctiones, *ego autem*, &c. Sed id videtur eſſe ſatis expreſsè notare ea, in quibus iuſtitia Phariſaica ipſi viſa eſt defectuoſa: ergo Chriſtus Dominus Phariſæorum, & Scribarum interpretationes correxit. *Confirmatur*. Nam ex probatis Authoribus, ſuffragante Ioſepho, videtur invaluiſſe apud Doctores legis errorem illum de eo, quod lex vetus, non prohibebat actus internos. Sed ea, quæ à Chriſto videntur adiecta, tendunt manifeſte ad id declarandum: ergo, &c. Conſtat maior, tùm ex D. Thom. 1.2. *quæſt.* 107. *art.* 2. tùm ex Authoribus pro prima ſententia relatis, tùm ex Ioſepho *lib.* 12. *Antiquitatum*, *cap.* 13. vbi ait: *Voluiſſe, at non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non res videtur digna ſupplicio*. Ad hoc argumentum reſpondeo primo, neg. min. Quia illa verba de iuſtitia Phariſæorum non pertinent ad ſequentia, ſed ad præcedentia, vbi ſermo erat de obſervatione, quæ debebatur præceptis, etiam minimis, quæ pretereunda non erant: cumque Chriſtus Dominus paſsim reprehendat Phariſæos, quòd dicunt, & non faciunt, itemque in Novo Teſtamento ſemper hortatio fiat, vt ſimus factores legis, & non auditores tantum; ſatius eſt per ea verba intelligere, Chriſtum Dominum in Phariſæis, non quidem in verbo, & ſententia, ſed in opere iuſtitiam deſideraſſe. Atque, vt altius diſcipulis infigeretur, totius legis quam exacta debet eſſe obſervantia; inde pergit Chriſtus expendere ſigillatim præcepta, eaque vallare alijs præceptionibus, & conſilijs, vt ſi in his forte de humana negligentia tranſgreſsio fiat; ſubſtantia illa legis maneat illæſa. Ad confirm. quæ tangit punctum implexum, fator mihi eſſe quodammodo difficile explicatu, componere Chriſtum prohibentem actus internos malos non corrigere aliquam traditionem Iudæorum, prout ait S. Thomas, & alij Doctores, eos talem opinionem habuiſſe, niſi dicendo, ipſos in hac re legem non ſiniſtrè intelligere; ſed prout lex erat, & non ſecùs, ac illa toto tempore veteri ſe dabat intelligi; atque ita Chriſtum Dominum, plenitudine perfectionis iam adveniente, legem ad actus vſque internos protendiſſe, & ita ſentire videtur D. Thom. prout dedimus verba eius *hic Decad.* 1. *queſt.* 10. *ad finem*. In qua quidem via ſolvendi melius componitur, quod Maldonatus pro ſententia contraria de correctione traditionum vix citet, niſi tacitos, & male caute Catholicos; cum tamen Phariſæis talem traditionem de actibus internis non prohibitis olim, adſcribant viri prænobiles: vnde videtur eſſe intelligendus vir alioqui doctiſsimus de traditionibus infidis, & adulterinis. Sed quidquid de hoc ſit, nego maiorem, aut eius ſuppoſitum, quatenus id dicit erroneum fuiſſe: ſi-

quidem lex vetus, vt potè temporalis, & non niſi promiſsionibus, & pœnis temporalibus vrgens (Domino tunc cum rudibus illis cordibus ſic providente) non præcepit, atque poſitivè prohibuit illis, niſi opera externa; & conſequenter illas omnes cogitationes efficaces rei effectrices, & practicè operatorias, de quibus erat opus ipſum illicò progreſſurum. Ex illo: *De corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, &c. Et non deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Cogitatio hominis in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua.* Vnde ad finem Decalogi, hæc res explicatur, dum ſimul cum opere prohibetur concupiſcentia, tùm circa vxorem alienam, tùm circa aliena bona.

13 Et hinc ſolvuntur multi textus, quos congerit Siurius, v. g. *Iſaiæ* 1. *Auferte malum cogitationum veſtrarum.* Ieremiæ 4. *Vſque quo morabantur in te cogitationes noxiæ?* & aliæ ſimiles. Nam, præterquamquod omnes textus ibi relati non ſunt de libris legalibus, in quibus neceſſario, & clare aperiendum erat, quidquid Populo rudi prohiberetur; nihil frequentius eſt, quam vſurpare ipſas cogitationes pro opere ad quod tendunt, atque feſtinant; præſertim cùm nullum opus externum peccaminoſum eſſe poſsit, ſine cogitatione, & interiori deliberatione de ipſo patrando: & quando mores ſunt magis perditi, vix intùs cor aliquid tractat, niſi nequitiam, & ex moroſa illa volutatione phantaſmatum paſsim prodeunt ſcelera; itaque à Domino paſsim, per Prophetas cogitationes huiuſmodi reprehenduntur; non autem cogitationes, quaſi ſolitariæ, & purè internæ; ſed illæ, quæ explicantur in opus, & cum opere confunduntur, atque in quibus veluti in foco quodam permanenti ſcelera confoventur. Quam ob rem licèt velle efficaciter adulterium prohibitum quidem eſſet, non tamen ſeorſim ab ipſa patratione adulterij, ita vt, niſi adulterium ſequeretur, olim mera interna volitio non foret peccatum, ſaltem contra legem poſitivam; & tunc res ex benignitate legislatoris ſe haberet quoad culpam, prout nunc ex benignitate Matris Eccleſiæ ſe habet quoad pœnam: vnde ſicut efficaciſsima intentatio abortus, vel homicidij effectu non ſequuto, evadit pœnam inflictam; & ſicuti reſervatio per Eccleſiam ſolis peccatis externis adijcitur, ita vt volitio peccaminoſa, non niſi cum opere externo coniuncta vnum faciat in ordine ad pœnam; ita in illo rudi tempore legis noluit benignitas Dei, quod ſua lege lata volitio adhuc deliberata, niſi coniuncta cum opere externo prodiret in culpam. Cuius ratio nobis eſt, quia de cogitationibus deliberatis, quę non prodirent in opus, ſed in ſolo corde intrinſecùs remanerent, nulla prohibitio in lege appoſita eſt, quando in re præciſiva, & tam rudi populo, ita fieri oportuiſſet. Deinde, quia nullibi in veteri Teſtamento increpatur, & plectitur interna huiuſmodi cogitatio: vnde, & congruum eſt intelligere, quòd Sapientiſsimus Dominus, cùm Populo ſenſuali, rudi, duro, & carnali noluiſſet, præcepta ſua ad intima vſque cogitata deſcendere; ſed quoad internas cogitationes nihil adijci per legem poſitivam, totas eas iuri naturæ voluit tunc eſſe relictas. Vnde ſalvatur, illum qui deliberatè voluiſſet homicidium, effectu non ſequuto, in ſua quidem concientia, ſi ſatis ad tale ius naturæ advertebat, non fuiſſe in fontem, tametſi contra legem veterem minimè peccaviſſet. Ex qua etiam parte paratur reſponſio textibus Sapientialibus, & Prophetalibus, in quibus ſolum cogitationes pravæ interdici, atque reprehendi videantur, quia nimirum iuri naturæ adverſentur: licèt lex vetus eas dumtaxat cum opere prodeuntes damnaverit iuxta illud, *Ieremiæ* 25. *Revertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſsimis cogitationibus veſtris.*

14 Ad hæc fulcienda fortè primo con-

conducit, si meditemur puras cogitationes internas, potius esse materiam legislationis æternæ, quam temporalis (non dico *legislatoris*, quia vtrobique fuit ille æternus) legislatio autem vetus temporalis fuit quoad promissiones, & pœnas, secus vero Evangelica legislatio. Vnde, cùm cogitationibus internis in humano corde semper absconditis, nulla pœna temporalis apponi potuisset, quia iudex temporalis, & pœna nequeunt ferri in incognita; id circo taxatio huius delicti potius attinebat ad legem Evangelicam, in qua æterna sunt præmia, & supplicia, quæ distribuenda sunt, postquam in die iudicij cogitationes humani cordis revelabuntur. Ad hæc facit secundo, quod quemadmodum lex vetus cordi, & animæ gratiam non conferebat, seu ius ad vitam æternam, nisi in fide Christi venturi; ita vicissim non oportebat quod reatus ad pœnam æternam ex illa sola manaret: cumque cogitationibus purè internis ad nullam aliam pœnam nisi æternã reatus corresponderet; inde est, quod cogitationes humanæ taxari non poterãt per solam legem veterem, sed per Evangelicam, & æternam, aut per naturalem, quæ vestigium est legis æternæ. Atque propter hæc Ecclesia Mater, vt Ecclesia est, & ex solo suo iure Ecclesiastico, præscindendo à Divino, cum temporalis sit, de internis non iudicat, nisi quando nimirum interni actus per externa opera explicentur. Ex quibus omnibus vela colligens, ad confirmationem fit plana responsio, dicens, legem veterem antea non prohibuisse actus merè internos, atque eam per Scribas, & Doctores legis sic intellectam, suscepisse authẽticam, & legislativam ampliationem à Christo: in quo sensu, tam Authores negantes, quàm asserentes, Christi legislationem ad doctrinas Pharisaicas respexisse, poterunt pacificè convenire. Et patet etiam ad verba Ioseph, qui, præterquamquod nihil merè internum supplicio temporali externo luendum esse putabat, non reputabat ille volitionem contra Templum Dianæ serio sacrilegam; sed eam potiùs, qua Antiochus in Templum Ierosolymitanum irruperat, vt ibidem statim ipse se explicuit; & hæc non fuit merè interna.

15 Obijcies 3. Saltem aliqua pars, quæ memoratur à Christo, quod *dicta est antiquis*, & per ipsum reformanda suscipitur, non reperitur in lege: ergo correctio fuit in traditiones Pharisaicas. Prob. ant. quia illa pars, *odio habebis inimicum tuum* debet esse de odio non abominationis, & hostilitatis, sed voluntatis. Sed odium voluntatis, nec præceptum fuit in lege, nec præcipi potuit, quia intrinsecè malum est: ergo, &c. Probo mai. odium debebat esse in eodem sensu, quo dictum fuit. *Diliges proximum tuum*. Sed sensus in quo præcipitur dilectio proximi, non est profecto alius, quam de affectione voluntatis: ergo similiter de odio accipiendus est. Ad hoc argument. respond. negand. anteced. & maiorem probationis; ad cuius probationem, permiss. mai. dist. min. de affectione voluntatis purè interna, neg. min. externa, & officiosa, ac deliberata, conced. min. & neg. conseq. Itaque admitto lubens, quod in eodem sensu, in quo apud legem veterem memoretur præcepta dilectio proximi; in eodem memoretur permissum legislativè odium inimici; verum consequenter ad superiores doctrinas sentio, neque dilectionem, neque odium ibi memorata esse purè interna, sed, scilicèt, externa, & officiosa, quamquam non sine deliberato consensu voluntatis. Nam in hoc, quod est hominem diligere hominem, si res funditus est aperienda, oportet ad prima iura descendere, scilicèt, ius naturæ, & ius gentium; nam in vtroque res longe aliter se habet: siquidem in primario iure naturæ, & in statu innocentiæ homini à natura insitum erat diligere hominem: & in hoc sensu semper de illo primævo iure naturæ remanet, quod

quod homo hominem debeat diligere ſibi planè innocentem. At poſtquam de corruptione peccati ius naturæ fuit deformatum, & ius gentium inductum fuit; non ſimpliciter natura dictabat, vt homo diligere deberet actu poſitivo dilectionis quemlibet hominem; ſed ſolum proximum ſuum, id eſt ſanguine, amicitia, benevolentia, imò, & natura, ſibi innocenti, coniunctum; eum verò, qui malevolentia, & officio, ſibi eſſet infenſus etiam opere, & animo averſaretur ſolùm prout opus eſſet ad ſibi conſulendum: nam miſeranda diviſio, ſecum afferebat, vt vnuſquiſque ſibi conſuleret: atque ideò inde bella ſuborta ſunt, Apoſtolo teſtante: *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Igitur cùm lex vetus fuiſſet à Domino promulgata, poſtquam homo ſic ſe habebat in hominem, & ipſa natura communis ſe ſe diſciderat in tantas naturas privatas, quo iam vnaquæque ſibi potius, quam alteri deberet proſpicere; tunc Deus cordatiſsimus Legislator non iuſsit, vt *homo* diligeretur, ſed *proximus*, quippè huic ex ipſo iure naturæ debebantur omnia benevolentiæ, atque dilectionis officia, ſicut ex ipſo iure naturæ privatæ vniuſcuiuſque (qua ſe præ alijs debebat diligere, ſicut anteà ſe cum alijs per modum vnius diligebat) homini infenſo, & inimico potius tantumdem debebatur hoſtilitatis, ſaltem illius, qua vnuſquiſque ab inimico ſuo arceret offenſam, & nocumentum ſibi illatum; vnde, & olim lex Talionis, ſeu tanti pro tanto data eſt, & etiam nunc vim vi repellere licet. Quod eatenus iuri naturæ conſonum dicitur, & eſt, quatenus ius naturæ cum iure gentium, ita promiſcuè vſurpari ſoleat, vt ægrè à Doctoribus diſcernatur. Ideò dicitur *Deuteronom. 5. diliges amicum tuum*, vel vt Chriſtus Dominus ait, *proximum tuum, ſicut te ipſum*: cumque proximus ex ore Chriſti in parabola de homine ſemivivo relicto ſit ille de quavis gente, de quavis natione, de quavis profeſsione, qui præſtat officia benevolentiæ; ideò dilectio, quæ præcipitur ad amicum, & proximum non eſt purè interna, ſed officioſa: & viciſsim ita odium conceſſum ad inimicos, prout in lege veteri conceſſum putant Salmeron, Maldonatus, & Siurius, non eſt odium purè internum, ſed odium, quod dicunt abominationis, & hoſtilitatis; quod, poſito iure gentium, bene poterat Dominus ſatis ad ius illud conformiter imperare.

16 Replicabis 1. Ergo neque erga Deum præcipiebatur dilectio purè interna. Reſpond. negand. conſeq. Quia licet ius naturæ commune poſt peccatum diviſum fuiſſet in iura privata hominis ad hominem, & gentium ad gentes; tamen quodcumque ius remaneret cuilibet creaturæ, totum erat Dei creatoris ſui. Vnde ad ipſum amandum talis obligatio ſemper vrgeret: itaque dicit Chriſtus, *diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis proximum vero ſicut te ipſum*, qui viciſsim debet ille etiam eſſe, quaſi ipſe tibi. Replicabis 2. *Levit.* 19. dicitur: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Sed publice argue eum, ne habeas ſuper eum peccatum*: ergo odium merè internum eſt prohibitum. Reſp. 1. diſting. ant. De fratre, qui talis ſit *benevolentia, & officio*, conc. anteced. *ſolum natura fratre, inimico vero in officio*, ſubdiſt. odio *abominationis*, neg. ant. odio *purè interno*, conc. ant. Nam hoc permittimus eſſe prohibitum ſaltem in vi legis naturæ: tametſi liceat non purè internum abominationis erga illum, erga quem licent hoſtilitates, quæ ſine affectu interno præſtari non poſſunt, licèt interpretatio fiat de eo quod non terminatur odium ad naturam, ſed ad propulſandam, aut reparandam offenſam. Reſp. 2. Ibi non eſſe ſermonem de odio purè interno, licèt ideò dicat *in corde*, quia de corde exeunt homicidia,

dia, & adulteria, &c. Et vocantur cogitationes malæ: quare ſenſus ibi eſt, de correctione fraterna, quæ eſt verum ſignum amoris cum fratre iniuriante, & melius, quam tacere, & ſervare vulnus in corde, non vt in odio purè interno ſiſtat; ſed vt data ocaſione vindictam pariat iuxta illud, *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Ita Lyra in Gloſſa. Et ipſe textus ſic proſequitur ſtatim: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum ſicut te ipſum.* Iam igitur de primo ad vltimum patet, quomodo, adhuc loquendo de odio inimicorum, Chriſtus non tàm Phariſęorum traditiones, quàm legem commemoravit. Replic. 3. Odium inimici eſt contra ius naturæ ex illo: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: ergo concedi non potuit vllo modo. Reſp. eſſe contra ius naturæ ſecundarium, & prout cum iure gentium confunditur: & ly *quod tibi non vis* intelligi debet *rationabiliter.* Toſtatus autem fusè explicat ea, quæ ſunt iuris naturæ primariò, & ſecundario. Et nos ſupra etiam dedimus agentes de lege naturæ.

17 Obijcies 4. In lege non invenitur illud, *qui occiderit, reus erit iudicio*: ergo ſolum in Gloſſa Phariſaica inveniebatur, proindeque eam ibi Chriſtus correxit. Ad hoc arg. quamquam non me latent ea, quæ ex Maldonat. Siurio, & alijs reſponderi poſſent; nihilominus cenſeo, in hac quæſtione, vt ſupra tetigi loquendo de actibus internis in lege non prohibitis, nos non debere, vt noſtram teneamus concluſionem, ſuſtinere, quod nihil, traditum à Doctoribus, & Magiſtris legis ibi Chriſtus commemoraſſet, quemadmodum tot, ac tanti Authores ſenſerunt. Tum quia inveriſimile eſt, quod attigendo ſummam totius legis circa quam darentur infinita gloſſemata, & opiniones ſuorum Doctorum, iuxta quas, proculdubio inſtitutus erat ille Populus ad quem Chriſtus D. verba faciebat, nihil alicubi de eis commemoraſſet. Tum quia id aſſerere non eſt deſerere noſtram theſim, ſed vtraſque partes amice componere inter Authores præclaros. Intentum enim quo à Doctoribns Catholicis acriter ſuſtinetur, Chriſtum non meras traditiones Phariſæorum; ſed legem ipſam veterem attigiſſe, & explicaſſe, eſt ad ſtabiliendam legislativam poteſtatem Chriſti contra Hæreticos. Quod autem Chriſtus ſemel totam legem percurrens hic, & illic, quæ placuerit innovando; curſim alicubi attingat hanc, vel illam traditionem, præſertim veram, qua DD. legis eam accipiebant, nihil officit, præſertim ſi fit raro, & ibi vbi exinde nonnulla claritas fulget ad legem Evangelicam melius explanandam. Tum quia præter doctrinam ipſorum de eo, quod in lege non prohibebantur actus interni, & etiam illam, qua putabant licere iuramenta facta per creaturas; de quo poſtea; datur in re præſenti fundamentum vrgens ſaltem pro tenuitate mea ad dicendum, Chriſtum D. illa verba: *Si quis iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Si quis dixerit fratri ſuo Raca, reus erit Concilio. Siquis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*; non dixiſſe à ſe ipſo, quaſi illam legem pœnalem triplicem pronuntiando.

18 Moveor, quia Chriſtus D. dum vixit cum nulla externa, & publica inter Iudæos iuriſdictione gauderet, non poterat comminari pœnas illius triplicis tribunalis, quod ex Thalmudica doctrina nobiles AA. vſurpant ad id loci explicandum. Quod quidem fundamentum fateor eſſe mihi efficaciſsimum. Vnde, quamvis Chriſtus dicat illa verba, *ego autem dico vobis*, & ſtatim ſubiungat verba relata, poſteaque ſubſequantur hæc alia: *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Putarem ego vtraque verba

fuiſſe dicta à Chriſto, ſed aliter, & aliter; priora quidem merè recitativè iuxta tunc præſentem ſtatum Republicæ Iudaicæ. Poſteriora vero adiectivè, & conſiliativè ſub eo intellectu quo infra explicabitur: non ſecus ac Sacerdos ante conſecrationem loquitur etiam, ſicut in ipſa; ſed aliter, & aliter. Nam priora verba dicit recitativè, & ex alio; poſteriora vero effectivè, Sacramentaliter, & à ſe ipſo, nomine Chriſti, quem gerit. Qui modus interpretandi commendatur, tùm quia Chriſtus nullibi ſuam legem remittit ad Tribunalia Iudæorum; tùm quia ita reſecantur plures difficultates, quæ circa illos gradus iræ pullulant inter Doctores; tùm quia ſemper ex ore Chriſti erat extricatu difficilis deſignatio pœnæ ignis, præſertim æterni pro verbo *fatue*, licèt fortaſsè illa gehenna Thalmudica foret magis proportionata.

19 Quare ſic facio paraphraſim. „Ego autem dico vobis. Iam ſcitis, „quas pœnas per gradus lex veſtra „ferat contra iraſcentes fratri ſuo. „Itaque adhuc in ipſo altari cum ſitis, „ire ad reconciliandum ſe fratri ſuo „offenſo, conſilium meum eſt, & co„ram Patre meo ſemper pretioſum. Tantopere fratrem vult, diligi à fratre. Hoc poſito. Reſp. 1. ad argumentum, conceſſ. antec. diſt. conſeq. *Ita vt Chriſtus non totam potius legem veterem innovet, ac reformet*, neg. coſeq. *Ita vt in hoc loco gubernationem Iudaicam præmiſiſſet, vt conſilium ſuum melius ſtabiliret*, conced. conſeq. Hæc dicta ſunt, vt ſi fortè cuiquam ſit placitura. Sed tamen non recedens à communi expoſitione, quæ priora quoque verba non merè recitativè, ſed legiſlativè dicit à Chriſto fuiſſe prolata; dico, & reſp. 2. Satis eſſe in lege veteri expoſitum quomodo qui occiderit ſit reus iudicio: ſiquidem in ipſa lege Talionis imbibitur, quod qui occiditur, iuſto Dei iudicio occidatur. Sicut enim dicit dentem pro dente, etiam dicit animam pro anima: ſub qua explicatione manet ſoluta obiectio, de eo, quod ibi per illa verba, *dictum eſt antiquis*, & alia nihil de lege memorabatur. Vnde pergo iam ad aliam obiectionem, ex qua cuncta ſuperiora, & tota lex Evangelica illuſtranda venit.

20 Obijcies 5. Eatenus Chriſtus Dominus in hoc ſermone intendiſſet legem veterem reformare, & novam conſtabilire, quatenus, ea, quæ tradidit, videantur in ſe habere ordinem legis. Sed quæ ibi dicuntur non ita facilè explicari queunt, vt legem condant; ſed potius, vt ad traditiones Phariſaicas corrigendas referantur: ergo talis ſermo Chriſti non fuit ad legem veterem innovandam, & perficiendam. Maior videtur certa: quia tota ſumma legis Evangelicæ ibi clauditur. Min. probat. Nam de ijs, quæ ibi dicuntur, non facilè explicantur, quæ ſint præcepta, & quidem ſuperaddita quæ ve ſint mera conſilia? Multa inſuper, ſparſim, & diſsitè., alia minus ſunt cohærentia; alia catervatim tradita Sed hæc magis proportionatè videntur obijci, & contraire ad inconſtantes, & varias traditiones Iudæorum, quibus imbutum erat vulgus inconſtans: ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. diſting. mai. Ordinem *actualem*, atque *methodicum*, neg. mai. *radicalem*, & *poteſtativum*, atque ad vnum finem rectè cuncta ducentem, conc. mai. Et diſtincta reſpectivè min. neg. conſeq. Itaque, in prima doctrinali expoſitione legis per ſententias ſingulas, quando nimirum lex incipiebat formari, non opus erat methodo partitiva, ſive actuali ordinatione ſtudioſa, quæ ſolum, dum lex traditur in vnum corpus redacta, deſiderari poteſt; ſed ſolum ea ordinatione, qua omnes ſententiæ ibi fuſæ cohærerent, & in vnum ſcopum rectiſsimè collimarent. Quod vt ita factum fuiſſe, nunc conſtet; aperiemus (Deo dante, cuius eſt opus) ſcopum, & finem legis Evangelicæ. Deinde

inde perſequemur ex ordine omnes, & ſingulas traditas ibi doctrinas, vt in ſcopum hunc referantur. Poſtremoque obſervato altiſsimi ſermonis ſtylo, tenorem vniuſcuiuſque in obligando, diſcriminabimus. Quæ ſi favente Deo, etiam mediocriter præſtiterimus, non ſolum manebit diſsipata obiectio; ſed ſumma doctrinæ Evangelicæ pluſculum clareſcet, & pateſiet.

21 Igitur quoad ſcopum legis obſervandum eſt, quod quemadmodum tota lex Decalogi tandem cingitur ad duo præcepta, de quibus reſultat vnicus finis, & ſcopus totius legis, qui eſt amor videlicet Dei, & proximi; ita etiam in lege Evangelica de omnibus eius articulis, duo alia puncta reſultare video, in quæ cuncta collimant, & ex quibus finis, & ſcopus legis reſultat, ſcilicèt. Primo. Amplecti totam legem, & obſervare non ſolum in opere, ſed etiam in corde, & ex animo. Secundo. Non ſolum obſervare totam legem charitatis Dei, & proximi ex animo etiam; ſed cum animo heroico, & liberali. In quibus duobus ſtat totus, & integer ſcopus legis gratiæ. Et ideò ſe explicat Chriſtus per voces abundantiæ in iuſtitia: *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra, &c.* Nam cum hæc veniſſet in Chriſto, vt homines vitam habeant, & abundantius habeant; & verè vivere præſertim vita ſpirituali, potius in corde ſit; ibi oportebat, quando iam lex carnis abibat; & lex ſpiritus adventabat; inſidere atque reſidere legem fideliſsimam dilectionis, tùm Dei, tùm proximi: atque etiam hæc corda, per Chriſtum omni gratiæ vbertate præventa, ita ſurſum agi, vt multis maioris, & maioris perfectionis gradibus, & calculis vſque ad ſinum Patris, vnde filius deſcenderat, homines fratres ſui traherentur: vbi, & eſſe perfecti poſſent (quoad natura ferret cum gratia) ſicut Pater cœleſtis ſuus perfectus eſt. Inſuperque per hanc reparationem gratiæ per Chriſtum inductam, natura illa, quæ ex notiſsimo aphoriſmo Patrum *ſpoliata fuerat gratuitis, & vulnerata ſimul in naturalibus*, etiam quantum fieri poſſet, innocentiam, quam perdiderat, repararet. Ad quam ſemper reparandam Plaſmator ille omnipotens, & beneficus, quantum ferebat natura illa, quæ corruerat, properabat iuxta illa verba, quæ in hoc eodem ſermone dixit Chriſtus, Math. 7. *Omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.* Vnde volebat Deus per Reparatorem ſuum, & gratiam ab eo largiſsimè comparatam, vt vbi abundabit delictum, ibi abundaret, & gratia; & Regnum naturæ humanæ, quod diviſerat Satanas, per charitatis vnitatem coadunaretur. Propterea ergo ſunt in hac lege Evangelica principaliores ſententiæ. 1. Pax cum fratre individua, perpetua; & Sacramentoſa. 2. Carnis moderatio, & regimen rationi obtemperans, & cum gratiæ robore valentiſsimum. 3. Conſors cum conſorte vna caro, ita adhærens, vt ab homine non ſeparetur. 4. Sermo, & colloquium, non alter, quam ſumma fidelitas, & ſimplicitas. 5. Amor in fratrem, etiam perſequentem, vt in ſe, & in ſua. 6. Iuvamen, & miniſterium fratris ad fratrem excedens, & ſuperabundans. 7. Pro inimico etiam beneficentia, & oratio. 8. Eleemoſina in fratrem ſine mercede. 9. Oratio ad Deum iugis in ſinceritate cordis. 10. Remiſsio debiti ſpontanea, & vltronea. 11. Ieiunium hilare ad temperantiam. 11. Victus frugalis, & fiducialis in providentia. 13. Veſtimentum illud ſolum, quod deceat, & vrgeat. 14. Cogitatus in fratrem ſimplex, & rectus. 15. Reverentia excelſorum. 16. Humilitas in rogando. 17. Diligentia in inquirendo. 18. Studioſitas in obſcuris. 19. Mortificatio ad ſectandas vias duras, & intrandum per anguſtam portam. 20. Prudentia cum Doctoribus, & doctrinis. 21. Verba legis opere complere,

&

& in profunda ſoliditate conſtabilire. Ecce omnia pretioſa dogmata perfectionis, quæ in illo ſermone montis mirifico perſonuere; & in quibus, quantum de lege gratiæ nobis ingeritur; tantumdem innocentia illa priſtina reparatur, ita vt ſi homines ad vnum in vniverſo terrarum orbe hæc alta dogmata ad amuſsim exequerentur, vix originale peccatum vnquam extitiſſe, quis crederet.

22 Poſt hæc iam ſequitur ex ordine, vt tenorem obligationis legis Evangelicæ attingamus, diſcriminando præcepta à conſilijs, ſaltem in illis punctis principalioribus, quæ de hoc ſermone Doctores ſoliti ſunt controvertere: namque pro pleniori notione totius legis Evangelicæ binas alias quæſtiones dedimus, alteram videlicet, in qua egimus de tenore orandi, & de oratione *Pater noſter*; alteram de beatitudinibus, quæ ambæ in hoc ſermone Chriſti Domini comprehenduntur. Atque, vt ex ſtylo ſermonis ipſe tenor obligationis dignoſci queat, ſciendum eſt, ſtylum Aſiaticum ſymbolicum, & Parabolicum fuiſſe, ſpeciatimque Chriſtum Dominum, myſterioſo argumento eas plus poſtulante, plurimas miſcuiſſe Parabolas ad exprimenda ſua effata, & ſententias, ita vt ferè ſine Parabolis loqueretur nihil. Cumque allegoriæ, & tropicæ loquutiones ſemiparabolicæ ſint, ſuoque gaudeant velamine, & vi ad exprimendum, & intimandum, ſentio planè cum Ioanne Driedo, *lib. 3. de Dogm. tract. 2. cap. 3. & tract. 3. cap. 4.* imò, & cum Auguſt. de quorum libris de Doctrina Chriſtiana Driedo ſua Dogmata, elaboravit, Chriſtum Dominum paſsim in hac nova reformatione veteris legis, & explicatione legis novæ multa emphaticè, & hyperbolicè vſurpaviſſe ad maiorem vim indicandum, ſicuti de more alijs in locis præſtitiſſe, notum eſt, veluti dum dicit, *non veni pacem mittere, ſed gladium*; & dum dicit, *qui non odit Patrem ſuum, & Matrem ſuam, &c.*

23 Quibus poſitis accedo ad puncta principaliora, quæ toto 5. *Math.* capite perpenduntur. Vide Claud. Guillaudum, *Math. 5.* faventem. Dico 1. In materia de ira iuxta ſpecialiorem expoſitionem, quam tetigi obiect. 4. (quæ propter ſpecimen adhibetur) ibi claudi ſolum duo conſilia, vel potius vnum, quia præceptum ſatis videbatur dari iuxta Abulenſem, *Math. 5.* aientem: *Qui vetat homicidium non permittit membrorum multilationem, aut percuſionem, quæ homicidio proxima ſunt, nec contumelium, aut iram.* Duo autem illa conſilia emphaticè, & hyperbolicè explicantur per interruptionem ſacrificij, vel reconciliationem fratris in medio altari, & conſenſum cum litigante in medio litigio, & acceſſu ad tribunal, quaſi Chriſtus ſic dicat: *Tantopere pacem veſtri diligo, & cupio, vt neque res ſacratiſsima, cuiuſmodi eſt ſacrificium, eam retardet; neque fervori litis etiam iuſtæ indulgendum eſt, ne vlla reſtet occaſio ſubiraſcendi cum fratre, cui præſtat citius de litigio cedere, quam iraſci.* Iuxta ſecundam vero expoſitionem in prædictis clauſulis, incipiendo ab illis verbis, *ſi ergo offers, &c.* recognoſco idem conſilium modo relatum, ſed in prioribus verbis agnoſco præceptum, non niſi gradatim, prout ab Expoſitoribus traditur: in primo gradu de ira purè interna, vel externa, & forinſecùs quoad geſtus, & tonum deſpumante, præceptum grave, vel leve, iuxta iræ vehementiam, & intentionis malitiam. In ſecundo gradu iam profertur vox *Raka*, quæ licet à nobilibus authoribus videatur, ſine ſignificatione fuiſſe præterita; nequeo idem facere, cum in Lexico Pentaglotto Valentini Schilderi ad radicem *Rakak* de duplicantibus (vel *Rik*, vt apud Maldonat.) inveniam illam, tùm Syriacè, prout loquebatur Chriſtus, tùm Rabbinicè oportuna ſignificatione donatam, ſcilicèt, *Sputum*, *Lutum*, quæ ſignificata fratris contemptum denotant. Vnde hoc præceptum ex tenore

ſuo

ſuo per ſe eſt gravius, quam præteritum, eo quod iam ira deſpumet in exteſſum contemptum fratris. Tranſgreſsio autem non ponitur à me definitè læthalis, benè tamen definitè ſuperior ad præcedentem, ita vt, ſi vehementia furoris, & intentio iraſcentis aſcendat ad læthalia, ſeu grave proximi nocumentum, erit læthalis hæc tranſgreſsio; ſin vero ſecùs, erit venialis tranſgreſsio, ſed longe maior quam precedens. In tertio gradu iam creſcit ille, qui ſolus contemptus fuit, ad poſitivam iniuriam per verbum, quo rationalitas ipſa homini adimitur, quare, & creſcit hic iræ motus in gravitate, & clauditur à Chriſto Domino ſub præcepto, gravi, aut levi iuxta taxationem offenſæ, prout modo Theologi diſcurrere ſolent; ſed ſemper gravius relatè ad motus precedentes. Quomodo autem, & cur Chriſtus vſurpet voces illas, *iudicium*, *concilium*, & *gehennam ignis*? Dico eam fuiſſe taxationem gradualem, & exemplificativam, non autem iuriſdictionalem, quia Chriſtus circa illa tribunalia, quæ tunc erant in vſu, nihil poterat ſtatuere; ſed ex illis tribunalibus, pro gravioribus cauſis, gradatim ſtabilitis, & notis, Populo audienti per accommodum exemplum aptavit ad aperiendum, quomodo ira iuxta ſuos gradus effervescendi abiret in peius; & graviori foret ſententia per gradus ſuos, & pœna mulctanda. Recurrere enim ad iudicium Dei, & pœnam inferni, tuta, & optima allegoria eſt; ſecus vero littera rigoroſa, quippè *concilium* interiacens male adaptatur. Dum autem dicitur, quomodo Chriſtus protulit: *O ſtulte hac nocte*, &c. & in diſcipulos propè Emmaus *ò ſtulti corde*? varia varij. Sed vel vox *ſtultus* magis amicabilis eſt, & pacifica, quam *fatuus*. Sicut Hiſpanis *bobo* amicius dicitur, quam *majadero*, cum ferè in idem recidant. Vel dicito ſi mavis, quod Chriſtus in primo nemini dixit *ſtulte*, niſi ſolum in Parabola. In ſecundo vero caſu erat increpatio doctrinalis Magiſtri in diſcipulos, quæ vacat iniuria.

24 Dico 2. Circa fornicationem habet præceptum, & conſilium. Præceptum quidem de non conſentiendo etiam interne in fornicationem. Conſilium vero (vel præceptum ſi occaſio ſit vitanda, & coniunctio ruinoſa) vbi emphaticè dicitur, vel hyperbolicè, de oculo, aut manu, &c. *membrum eſſe abſcindendum*; ait enim Driedo: *Inſuper conſiderata illic ſententiarum cohærentia per manum, & pedem poſſemus inteligere amicos, & propinquos, quorum auxilio quotidiano opus habemus; ſi ruinam animæ faciant.* Vnde ſi ruina eſt gravis, præceptum eſt ſub gravi, ſi ruina eſt levis, & ſine periculo gravi, præceptum eſt ſub levi. Si autem nulla eſſet ruina; coniunctio autem blanda eſſet, inclinatio propenſior, & nativus quidam amor ſenſim adhæreſcens; conſilium eſt reſcindere, & reſecare. Dico 3. De non dimittenda vxore in confeſſo præceptum eſt, & ex toto iure Eccleſiaſtico propter fornicationem Matrimonium diſſolvi nequit.

25 Dico 4. Quoad iuramentum Chriſtus Dominus poſtquam memoravit præcepta *de non peierando, & reddendo iuramenta ſua*, addit aliud præceptum novum de non iurando per creaturas, ita Hilarius *Canon. 4. in Math.* Cyrillus *lib. 5. in Iſaiam, cap. 65.* Chryſoſtom. *homil. 17.* Hieronym. & Theophilactus *in Commentarijs, & plures Interpretes*: quia in lege veteri nondum erat extenſa prohibitio iurandi per creaturas, ſed ne iuraretur per idola, & Deos alienos. Volebat enim Deus, vt quoties iurandum eſſet, fieret per Deum vivum, & non ſacrilege per Deos falſos; vnde explicare poſteà (quomodo fecit Chriſtus) iuramenta per creaturas etiam concernere ad ipſum Deum, ita vt neque ipſæ in vanum aſſumi queant; non eſt corrigere falſas interpretationes Doctorum, ſed ipſam legem veterem ſano modo intellectam, tempore iam poſtulante

novo alio præcepto fulcire explicare, & extendere. Quod quidem præceptum de non iurando per creaturas additum in lege nova grave eſt, aut leve in ſuo tenore obligandi iuxta Chriſtianam Doctrinam de iuramento. Quoad conſilium vero in hac re dici poterit, quòd fuit ſimpliciſsimus ille tenor affirmandi, aut negandi ibi contentus *eſt, eſt : Non, non* ita vt Chriſtiani perinde ſe habeant inter ſe, ac ſi ſtatus innocentiæ, & mutua hominum fides rediviſſet. Quomodo autem ſit *à malo*, quod ſupra hæc abundat, iam explicatum eſt infra in quæſtione de iuramento. Dico 5. Quoad legem talionis, ſcilicèt, *oculum pro oculo, &c.* aſſentio planè Illuſt. Siurio, qui non approbat in Maldonato noſtro legem talionis fuiſſe ſublatam : quippè ius eius in primis erat fundatiſsimum in iure gentium, ſeu iure naturæ ſecundario : deinde erat ius, quod pendebat ex vſu Magiſtratuum, quibus Chriſtus leges ſuas non adimebat: poſtremo quia hæc lex talionis ſano modo intellecta, & in ius Chriſtianum cooptata adhuc viget, vt conformis iuri naturæ dictanti, *quòd, ſicut par eſt, vt quod tibi non vis alteri ne feceris; ita eſt, quod, ſi alicui malum feceris; tantumdem ſit ſuſtinendum ab illo.* Vnde in omni Tribunali Chriſtiano admittitur, & protegitur iniuriatus, vt pœnam ſuam ſuo modo luat iniurians: proindeque antiquus fuit error, Chriſtianis non fuiſſe licitum recurrere ad tribunalia. Quamobrem illa verba Chriſti non *reſiſtere malo*, important conſilium multiplici expreſsione ſignificatum, ſcilicèt, melius eſſe, & conſultius *in Chriſto* cedere iniurianti, quam vicem rependere etiam iuſtam, & iudicialem : atque id quidem præſtandum eſſe ab homine Chriſtiano cum animo liberali: quod denotant expreſſiones illæ ſimul emphaticæ, & hyperbolicæ, ſcilicèt, *quod percuſſus in maxilla donet, & alteram; quod poſtulatus de tunica, ſeu veſte vna donet, & alteram; quod angarianti te mille paſſus, addas, & duo: imò, & gratis petenti, deſquidem : & mutuari à te volenti, non avertaris.* Quæ omnia eo tendunt vt, ita ſit animus noſter in fratrem, vt etiam parcendum ſit, & perſonis, & rebus, & actionibus noſtris (quoad fieri liceat) vt ei, eiuſque anguſtijs liberali animo ſubveniamus.

26 Dico 6. Quoad dilectionem inimicorum conſenſus interpretum eſt dari verum præceptum hic à Chriſto Domino promulgatum de dilectione inimicorum iuxta Scholaſticos *in 3. part. diſt. 30. & 2. 2. D. Thom. quæſt. 28. art. 8.* Tenor autem obligationis huius præcepti inter alios diſerte traditur ab Oviedo *controverſ. 8. de Charitate per hæc verba num. 133. Obligat autem hoc præceptum ad non habendum actum internum odij formalis circa inimicum; & ad actum internum amicitiæ ſeu benevolentiæ, quando hic internus actus neceſſarius eſt ad odium deponendum, quæ obligatio diſtincta non eſt ab ea, qua tenemur odio formali inimicum non proſequi. Obligat etiam ad actum internum, quando hic neceſſarius eſt ad actionem externam, qua ex præcepto charitatis tenemur inimici miſeriam ſublevare ſeu illi beneficium externum impendere, illive in neceſsitate conſtituto auxilium præſtare. Extra hos autem caſus non tenemur ex præcepto charitatis actum internum benevolentiæ ſeu amoris circa inimicum elicere; ſicuti nec circa alium hominem, qui inimicus non ſit... his omnibus hæc vna, & vniverſali regula reſpondere poſſemus. Inimico debemus per ſe loquendo ea beneficia exhibere, & ea auxilia præſtare, quæ eidem homini, inimicitia ſecluſa, deberemus impendere, & non alia.* Hucuſque Oviedo cuius expoſitio admodum placet, & ex ea infertur, ea beneficia externa, eas orationes, eas ſalutationes, eaque officia erga inimicos eſſe præcepti (gravis aut levis, prout charitas vrgeat) quæ menſuram impleant illius quod vniverſim ſecluſa inimicitia debetur in proximo; ampliora vero, & maiora, ad quæ Chriſtus

tus ſemper hortatur, eſſe ex conſilio. Quo circa collecta iam tota doctrina huius capitis quinti Mathæi, ſatis relucet, quomodo Chriſti doctrina tota tendit ad Scopum ibi præmiſſum, vt nimirum totus amor Dei, & proximi impleretur ex animo, & quidem non niſi heroico, & liberali: quæ magnanimitas iam, poſtulante tempore, poſtulata, in quibuſvis, alijs dogmatis Evangelicis paſsim reſonat, & relucet.

27 Rogabis 1. Vt nonnulla quæ obiectionis loco congeri ſolent, diluantur. Cur Chriſtus, ſi loqubatur de lege, non dixit *quia ſcriptum eſt*; ſed ſolum *dictum eſt*? Reſp. Id non eſſe momenti: nam paſsim de priſcis legibus dici poteſt, *quia olim Romanis dictum eſt*, licèt poſtea res ſcripta foret; & paſsim lex vetus promulgabatur dicendo *audi Iſrael*. Rogabis 2. Quomodo Chriſtus poteſt legem à Deo datam improbare? Reſpondeo non improbari, ſed explicari, extendi, fulciri, ad tempora, & humana corda altius efferenda adaptari, reformarique non abolitione, ſed profectu: præſertim cum iuxta D. Hieronymum, licèt tempore Chriſti taliter legem perfici oporteret; tamen pro eo tempore proquo lata eſt, fuerit etiam perfecta. Rogabis 3. Quid eſt quod in vnoquoque articulo Chriſtus adiecit ad legem? Sive reformavit in lege, præter ea quæ iam præcepta erant? Reſp. Ea in obiectione ſuperiori fuiſſe ritè perpenſa. Rorgabis 4. Cur Chriſtus homini pe contanti: *quid faciens vitam æternam poſſi debo*, reſpondit: *ſerva mandata*; ſi alia inſuper ei opus erant? Reſpondeo Chriſtum, *Luc.* 18. *verſ.* 22. pro me reſpondere ſic. *Quo audito Ieſus ait ei; adhuc vnum tibi deeſt. Omnia quæcumque habet vende, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me.* Vbi Chriſtus ſatis oſtendit; quomodo externa illa obſervatio legis, quam habebat ille princeps, non præſtabat ſecuritatem de vita æterna, niſi, reſecando divitias, cor ab iniquitate ſervaretur illæſum prout Chriſtus infra abundè ſe explicuit. Rogabis 5. Quæ perfectio maior adijci poterat, quam diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus prout in lege veteri *Deuteron.* 6. præcipiebatur? Reſp. poſſe. Tum quia iuxta Maldonatum etiam ibi locum habet comparativum *magis* diligere ex toto corde; tùm quia finis ille erat perfectiſsimus vtrobique; ſed media legis perfectiora fuerunt in lege nova, quam in veteri, licèt in veteri fuiſſent quoque perfecta, quia nimirum homo per primam legem quantum poterat ad perfectionem excultus, capacior redditus eſt vlterioris iam perfectionis. Rog. 6. Quomodo, *Math.* 23. Chriſtus carpit Phariſæos dicentes: *Qui iurat in Templo nihil eſt, qui autem iurat in auro Templi tenetur*? Reſp. Quia iurare per Templum eſt nefas; & iurare in auro Templi manifeſtat avaritiam; & ligare iurantes in auro; contemnendo iurantes in Templo Dei; & avaritia, & blasfemia, aut ſacrilegium eſt.

28 Rog. 7. Quomodo dicit Chriſtus dici in lege *odio habebis inimicum tuum*, ſi Exodi 23. dicitur: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere, non pertranſibis, ſed ſublevabis eum*, Reſp. cum Maldonato ibi ſermonem eſſe de fratre Iudæo, cum quo prohibebantur inimicitiæ: vnde *Deuter.* 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces.* Quia nimirum cum fratre, & cive non licebat vlciſci, *Lev.* 19. ſiquidem licèt ille odio haberet, aut privatam iniuriam faceret, nunquam amittebat illam confraternitatem, vi cuius non eſſet declaratus hoſtis; ſed iniurioſus: & pro eo recurri poterat ad iudicem; ſecus vero poſſet id fieri cum hoſtibus manifeſtis, & renuntiatis populis Iſraelis.

lis. Reſponderi poteſt ſecundo, quod cum in lege veteri poſſent eſſe quoque conſilia iuxta ea, quæ *in Decade* 1. dedimus de legis explicatione, potuerunt talia verba tùm Exodi, tùm Levitici 19. eſſe conſiliativa potius, quam præceptiva: præſertim cum ea magis oſtendant tenorem conſiliativum, quam præceptivum: ſiquidem levare onus aſini inimici ſui; & nec memorare iniuriam civium ſuorum nimium quid videntur, vt ſub præceptum cadant; aptiſsima vero vt caderent ſub conſilium. Reſp. 3. Quod ſi ea verba tùm Exodi, tùm Levitici fuerunt verè præceptiva (nam quod erga dilectionem inimicorum præcepta fuit charitas in lege veteri, non ſecus ac in nova, contendit probare Toſtatus *Mathæi* 5. *quæſt.* 347.) tunc caſus dictum Chriſti Domini de eo quod olim dictum eſt antiquis *odio habebis inimicum tuum* debebit intelligi de permiſsione poſt modum diſpenſativè facta circa vindictam propter duritiam populi non ſecus ac de vſuris ad alienos, & libello repudij. Et ſic videtur ſentire ipſe Toſtatus ibidem *q.* 320. vbi ait loquens de lege Talionis. *Deus non concedebat Iudæis petitionem vindictæ tanquam bonam; ſed quaſi neceſſariam propter imperfectionem ſuam, ſicut erat de libello repudij infrà* 19. *Nunc autem* (ideſt in lege gratiæ) *nihil erat permittendum, quod ſecundum ſe eſſet illicitum.*

29 Rogabis 8. Siquidem odium abominationis, & hoſtilitatis in apertos hoſtes etiam nunc ſuo modo licent; quæ maior permiſsio vindictæ erat olim, ac nunc ex verbis Chriſti dictum eſt antiquis odio habebis inimicum tuum? Reſp. quod in hoc expediendo AA. torquentur. Petrus Hur-
„ tado *de Charitate, diſp.* 151. ait: Quod
„ Chriſtianis ſolum licet tale odium
„ in hoſtes ob particulares, & ſpecia-
„ les cauſas; Iudæis vero licebat gene-
„ ratim in Nationes: quia eas nimirum
„ ſibi Deus dederat, & iuſſerat conte-
„ rendas. Siurius *tom.* 1. *tract.* 35. *num.* 131. putat Iudæis licuiſſe odium tale efficax ad inferendum mala; Chriſtianis vero ſolum inefficax diſplicentiæ in ſceleribus, & iniuſtitijs hoſtium: vnde convenit cum Hurtado. Toſtatus *Math.* 5. *quæſt.* 445. ſolum recurrit ad maiorem nunc explicationem præcepti charitatis, quàm olim. Sed verò videtur inſinuare Maldonatus *Math.* 5. *verſ.* 21. quod præter vindictam publicam, vel Iudicialem, vel Bellicoſam aliquid vindictæ privatæ erat olim ex populi duritie, & imperfectione diſpenſativè permiſſum, quod modò non eſt. Vnde ſic ait:
„ Cum autem de veris loquitur inimi-
„ cis non ſolum odio habere; verum
„ etiam delere iubet. *Delebis nomen eius*
„ *ſub Cœlo: cave ne obliviſcaris. Deute-*
„ *ronom.* 25. *verſ.* 19. In Evangelio
„ neminem omninò odiſſe licet; ne-
„ minem privata authoritate delere.
Hactenus ille: vbi nota illa verba, *privata authoritate*, quaſi per contrapoſitionem appoſita. Ecce ſemitas explicandi: perge qua malis.

30 Rogabis 9. Siquidem in lege veteri non prohibebantur actus interni; peccaret ne, qui odio purè interno alium proſequeretur? Reſpondeo cum diſtinctione nempè, quod contra legem poſitivam non peccaret, ſiquidem de eo propter ſuperiora lex non erat lata. Contra legem vero naturæ *per ſe* loquendo peccaret: quia hæc ex fraterno vinculo humanæ naturæ dictat malum eſſe, gratis odio habere individuum ſuæ ſpeciei. *Per accidens* verò loquendo ex ignorantia invincibili iuris naturæ in tali actu excuſari poſſet: ſiquidem agentes de lege naturæ iam diximus quomodo poſsint invincibiliter ignorari ea, quæ ſunt remotiores concluſiones deductæ ex primis principijs lumine naturæ notis. Cumque hoc, quod eſt *me amare eos, qui mihi bene volunt; & eos qui mihi ſunt infenſi, odio habere* appareat rudibus

ra-

rationi consentaneum, nisi alia profundiora dictamina exponantur, & revelentur; imò, & Tostatus *Matth. 5. quæst. 226.* dicat: *Quod homini aliqualiter est naturale, vindictam petere*; idcircò potuisset, præsertim in rudioribus sæculis, ignorari invincibiliter tale odium purè internum adversari iuri naturæ. Et hæc de hac quæstione gravissima, & implexissima: in qua si quæ explicatio alicubi minus rectè tradita sit: ad saniores, ac probatiores vias semper est reducenda: has enim vbivis consectari nos malumus, & delectat. Dedimus tamen operam favente Deo, vt pro commoditate studentium rem, quo magis possemus, dilutam, & explicatam haberent.

JHS.

# QUÆSTIO SEXTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

**ET IVRABIS: VIVIT DOMINVS: IN VERITATE, IN iudicio, & in iustitia.** *Ieremiæ, cap. 4. v. 2.*

### ARTICULUS.

*VTRVM IVRAMENTVM PRÆCEPTVM FVERIT; AN PERMISSVM tantum?*

1 NOTO 1. Hanc quæstionem speciatim ditimendam esse ex illis locis, quæ in Sacris Codicibus dispersa sunt; pene quæ taxanda, & appendenda venit iuramenti iusio, aut permisio: agitur enim de his, attento dumtaxat iure Divino. Vnde, licèt plura sint postmodum in iure Canonico circa ius iurandum constabilita, non tamen ex eis petenda resolutio est; quamquàm de eisdem res tota plurimum illustrabitur. Interea tamen id statim intelligendum est, quòd nimirum quæstio, & eius sensus solum trahendus est ad materiam in qua veritas, iustitia, atque necessitas inveniatur. Hæ enim sunt conditiones plane requisitæ, ne iuramentum sit criminosum.

2 Suppono 2. Multa iura Ecclesiastica circumferri posse, quæ rem non parum elucident, deprompta videlicèt ex Decreto Gratiani causa vigesima secunda, *quæst. 1. & 2.* Tùm in capite *Non est*: vbi iuratio neque prohibenda, neque appetenda proponitur, tùm in capite *Quamvis* vbi dicitur, quod iuramentum accipere non prohibemur: tùm in capite *Non est* vbi non iurare, sed peierare proponitur esse interdictum: tùm in capite *Tu malum*, & capite *Si peccatum* vbi dicitur iuramentum non esse peccarum, atque in alijs capitibus eiusdem quæstionis præsertim capite *Ita ergo* vbi dicitur iuramentum nec tamquam bonum ap-

petendum esse; nec tanquam malum fore evitandum.

3 Suppono 3. Hinc sponte nasci ipsam dubitandi rationem, quæ, præterquamquod in ipso iure Ecclesiastico satis manifesta relucet; vlterius in ipsomet iure divino fundatur. Quippe ex altera parte videtur iuramentum à Deo omnino esse interdictum tam in veteri testamento in secundo præcepto Decalogi, ad primam tabulam pertinente; quàm in testamento novo vbi apertè interdicitur per illa verba, *nolite iurare neque per Deum, neque per Cœlum: neque per terram, &c.* Ex altera vero parte non solum apparet iuramentum in Sacris Codicibus sæpè sæpius vsurpatum per primos viros atque à Domino prædilectos, v. g. iuramentum præstitum à Iosue Gabaonitis coram Eleazaro Summo Sacerdote, &c. Sed insuper in præsenti nostro textu *Ierem. 4. vers. 2.* videtur non solum præcipi iuramentum signatis verbis, sed etiam ipsa formula servanda in iureiurando, quandoquidem ibi dicitur, *& iurabis. Vivit Dominus, &c.* Quamobrem cum vtrisque textibus suus quibusque vigor, & sensus adscribendus sit: cumque rursus inter homines iuramentum laudabiliter exigatur, & etiam laudabiliter increpetur; scisscitatione dignum efficitur, quo nimirum tenore, an legis, an licentiæ, an permissionis iuramentum sit vsurpandum?

4 In hoc puncto vere gravi triplicem invenio sententiam, quarum prima est iuramentum apud Iudæos semper illicitum remansisse, adhuc data permissione iurandi: quia nimirum illa permissio non esset licencia, sed permissio minoris mali, ne rueretur in peius, quod plane foret cultus Idolorum, si per idola iusiurandum adhiberetur. Hanc sententiam sequitur D. Chrysostomus *homil. 17. in Mathæum*, D. Hieronymus, *Ieremiæ 4. & Mathæi 5.* Oecumenius, *Iacobi 5.* & Euthimius *Mathæi 5.* Secunda sententia asserit iuramentum fuisse vnum ex præceptis legalibus veteris legis, quod, ea cessante per legem Evangelicam quoque cessaverit. Huius sententiæ est Theophilactus, & apud Castrum etiam citantur Oecumenius, & Euthimius locis supra relatis: quos tamen ita citatos puto, quatenus conveniant in eo quod cessante lege veteri, lex de iuramento cessaret; non vero quatenus sentiant id Iudæis antea licuisse: siquidem supra proximè tradidere contrarium. Tertia sententia asserit olim Iudæis, neque iuramentum fuisse præceptum, neque fuisse prohibitum, sed ipsis tanquam imperfectis fuisse permissum, quousque adveniente lege Evangelica in qua decerent perfectiora præcepta, iuramentum fuit interdictum. Ita D. Hilarius *Can. 4. in Mathæum*, Ambros. *psalm. 118.* Basil. *homil. 1. psalm. 14.* Theodor. *Ieremiæ 4.* Chromatius Aquileiensis Episcopus, *Mathæi 5.* Quoad legem vero Evangelicam, ita etiam censendum esse videtur, vt iuramentum prohibitum esse credatur, licèt quandoque videretur permittendum. Sic rem videntur interpretari Origenes *tract. 35. in Mathæum*, Athanas. *serm. de Passione*, Epiphanius *hæresi 19.* Chrysost. *homil. in psalm. 5.* Naziancenus *in Ecclesiast. cap. 8.* Hieronymus *in Zachariam cap. 8.* Quarta sententia ponit aliquod præceptum affirmativum de iuramento. Ita Siurius *tom. 1. tract. 35. num. 113.* Soto, Aragon, Medina apud, & cum Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 2.*

5 Sed vt res huiusmodi, quę non parum est operosa melius dilucidetur oportune præmittenda sunt cuncta Sacri Codicis testimonia, quæ rem melius possint declarare. Atque in primis sæpè sæpius ante legem invenitur vsurpatum iuramentum per primos Patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph, vt constat ex capitibus, *Geneseos 14. 21. 22. 24. 25. 26. 31. 42. 47. & 50.* Deinde in Pentateucho, & lege sæpè de iuramento fit ser-

ſermo, præcipuaque loca ſunt, *Exodi* 20. 7. *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum: neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* II. Exodi 22. verſ. 11. ibi: *Iusiurandum erit in medio.* III. Exodi 23. verſ. 13. *Et per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro.* IV. Levitici 5. verſ. 4. *Anima quæ iuraverit, & protulerit labijs ſuis, vt vel male quid faceret, vel benè, & id ipſum iuramento, & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato.* V. Levitici 19. verſ. 12. *Non periurabis in nomine meo, neque pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* VI. Deuteronomij 6. verſ. 13. *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies ac per nomen illius iurabis.* VII. Ieremiæ 5. *verſ.* 7. *Super quo propitius tibi eſſe potero? Filij dereliquerunt me, & iurant in his qui non ſunt Dij.* VIII. Ieremiæ 12. verſ. 16. *Et erit: ſi eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo. Vivit Dominus, ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal.* IX. Oſeæ 4. verſ. 15. *Et ne aſcenderitis in Bethaven, neque iuraveritis, vivit Dominus.* X. Sophoniæ 1. verſ. 5. *Eos qui adorant ſuper tecta militiam Cœli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchon.* XI. Eccli. 23. verſ. 9. Iura„tioni non aſſueſcat os tuum, multi „enim caſus in illa. Nominatio vero „Dei non ſit aſsidua in ore tuo, & „nominibus Sanctorum non admiſ„cearis: quoniam non eris immunis „ab eis, ſicut enim ſervus interroga„tus aſsiduè à livore non minuitur: „ſic omnis iurans, & nominans in to„to à peccato non purgabitur. Vir „multum iurans implebitur iniquita„te, & non diſcedet à domo illius „plaga; & ſi fruſtraverit, delictum „illius ſuper ipſum erit: & ſi diſsimu„laverit, delinquit dupliciter: & ſi „in vacuum iuraverit non iuſtificabi„tur, replebitur enim retributione „domus illius. XII. *Math.* 5. *verſ.* 33. „Iterum audiſtis, quia dictum eſt an„tiquis non periurabis: redde autem „Domino iuramenta tua, ego autem „dico vobis non iurare omninò, ne„que per Cœlum, quia thronus Dei „eſt, neque per terram, quia ſcabel„lum eſt pedum eius, neque per Ie„roſolymam, quia Civitas eſt magni „Regis, neque per caput tuum iura„veris, quia non potes vnum capil„lum album facere, aut nigrum. Sit „autem ſermo veſter *eſt, eſt: non, non.* „Quod autem his abundantius eſt, à „malo eſt. XIII. *Ad Hebræos 6. verſ.* 16. „Homines enim per maiorem ſui iu„rant, & omnis controverſiæ eorum „finis eſt iuramentum ad confirmatio„nem. In quo abundantius volens „Deus oſtendere pollicitationis hære„dibus immobilitatem conſilij ſui in„terpoſuit iusiurandum. XIV. *Iacobi* „5. *verſ.* 12. Ante omnia autem fra„tres mei nolite iurare, neque per „Cœlum, neque per terram, neque „aliud quodcumque iuramentum. Sit „autem ſermo veſter *eſt, eſt: non, non,* „vt non ſub iudicio decidatis. Quos omnes textus præ alijs recenſere placuit, quia nimirum feraciores ſunt doctrinæ, vt punctum quod modo controvertitur dirimatur. Sunt autem præter hos adhuc alij plurimi per libros *Geneſ.* 22. & 26. *Hebr.* 6. Sacros diſperſi, vbi iam homines, iam Angelus, iam ipſe Deus etiam iurans per ſemetipſum animadvertitur. Quamobrem his ita præſtabilitis ad poſitionem noſtram firmandam deſcendimus, præmittendo, hæreticum planè eſſe dicere iuramentum, illicitum eſſe Chriſtianis: in quo errore verſati ſunt Catharistæ, Anabaptiſtæ, Vviclephiſtæ, & Pelagiani, vt videre eſt apud Prateolum, & Caſtrum de hæreſibus Maldonatum *Math.* 5. & Suarium *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 2. qui benigne interpretari conatur Hieronymum, Theophilact. Chryſoſt. Tertullian. & Orig. qui ad eumdem lapidem offendiſſe videntur.

Di-

6 Dico igitur: *Iuramentum iure naturæ primario otiosum est: iure gentium in ductum est, Deo approbante: iure divino veteri in lege cooptatum est: iure divino novo declaratum est: iure Ecclesiastico coordinatum est: iure civili vsurpatum est.* Multiceps videtur esse conclusio, sed quæ, si partibus apte enucleatis sit tradita, lucem fortè rei multùm obscuræ sit allatura. Probo illam per partes, & primo primam. Ius naturæ originaliter inspectum, & quod in rationalibus primis mentis dictaminibus, necdum vitiatis, taxandum est, nihil fert natura sua nisi quod homo homini simpliciter dicat verum, & ab homine homini fides simpliciter adhibeatur; sed hoc iure vigente locus nullus remanet iuramento, nisi superfluus penitùs, & otiosus: ergo iuramentum iure naturę primario otiosum est. Minor patet: quia iuramentum essentia sua est testificativum, & procurativum fidei de re asserta, quæ simplici affirmatione non creditur: ergo quandiu in ipso candore legis naturæ vicissim sibi promptissimè responderent verax affirmatio asserentis, & fides ingenua auscultantis; iuramentum foret otiosum. Probo secundam partem conclusionis. Ius gentium (quidquid sit de Iuristarum labore in eo discriminando à iure naturæ) illud est, quod statim ac primigenia conditio naturæ humanæ vitiata est per peccatum, iam hominibus non vnicum rationis ductum sectantibus, sed diversis in diversa abeuntibus; inter ipsas gentes subortum est, vt singulæ erga singulas pro iure sibi relicto tuendo prospicerent. Sed ex hac mutua læsione, & divisione iurium privatorum inter homines iuramentum primitus inductum est, Deo approbante: ergo iure gentium sic inductum est. Mai. videtur satis clara, nam statim ac homo rebellionem passus est per peccatum; vnusquisque ita factus est sui studiosus, vt non vereretur aliena temerare iura: vnde & manaret, quod vnusquisque ius suum connaretur asserere; indeque fierent iura gentium, sivè ius gentium, quod prius vnicum erat ius gentis humanæ, sivè ius naturæ. Min. autem, quoad priorem partem, præterquamquod etiam prima aprehensione est valdè suadibilis, constat ex non satis laudato viro Alphonso Tostato *in* „ *Exodum, cap.* 20. *quæst.* 9. ibi: Quia „ iuramentum est introductum inter „ homines propter necessitatem, quæ „ est pœna data homini, scilicèt, vt „ vnus homo non credat alteri per „ simplicem negationem, aut simpli„ cem affirmationem. Ista autem in„ credulitas, vel non facilè credere al„ teri, est quædam pœna indita nobis „ à peccato primi parentis sicut igno„ rantia, & concupiscentia: ideò ho„ mines exigunt à se invicem iuramen„ ta per maiorem suum, & sic termi„ nant lites, vt ait Apost. *ad Hebr.* 6. Quoad posteriorem vero nimirum, quod hæc introductio fuerit, approbante Deo, patet ex multis textibus, in quibus in prima ætate mundi primi Patriarchæ à Deo prædilecti, & qui ab ipso regebantur, iuramentum vsurpabant, vt fecit Abraham *Genes.* 14. *vers.* 22. dicens: *Levo manum meam ad Deum possessorem Cœli, & terræ*, & Genes. 21. vers. 24. *Ego iurabo*, & similiter de alijs Patriarchis, vt constat in ipsis textibus Geneseos iam supra indicatis. Insuper constat Deo probatum fuisse iuramentum, quando, & ipse Deus ostendit per semetipsum iuramentum vsurpasse, *Genes.* 22. ibi: *Per memet ipsum iuravi.* Quæ approbatio magis autentica, quam quod Deus ipse idem medium suadibilitatis assumat?

7 Probo tertiam partem conclusionis. Iuramentum in lege veteri cooptatum, & incorporatum esse, nihil aliud profecto est, quàm legem ipsam expresse inducere iuramentum, simul declarando quo tenore præstandum sit, & simul prohibendo quo tenore sit evitandum. Sed res ita se habet in lege veteri: ergo iure veteri divino iuramentum cooptatum est. Mai. videtur

tur certa, & clara tùm à ratione, quia lex aliqua dum librat, & taxat modum, quo res aliqua præſtanda ſit, vel ſecus; nemo eſt qui ambigat, quin res eiuſmodi materia ſit talis legis. Atqui materiam iam præexiſtentem denuò fieri materiam legis naſcentis, eſt proculdubiò eam à tali lege cooptari: ergo, &c. Tùm à pari circumciſionis: quia ideò circumciſio, quæ multis retrò annis extiterat in lege cooptata eſt, quia per hanc complexus eſt modus, & tenor huius ritus adminiſtrandi. Atqui per legem plura de iuramento inducuntur, vt obſerventur, quàm quæ de circumciſione ſtatuuntur in lege, quæ antea tradita non extitiſſent: ergo ſufficit vt cooptetur iuramentum à lege veteri, quòd in ea præſcribatur tenor præſtandi ipſius; & prohibeatur modus, quo non ſit præſtandum. Min. vero præcipua conſtat ex textibus ſupra recenſitis vbi tàm in Exodo, quàm in Levitico, & Deuteronomio, vbi tota lex traditur, expreſsè dicitur *per nomen Dei iurabis*, & expreſsè interdicitur, ne aſſumatur *nomen Dei* in vanum; neque per Deos externos iuramentum fiat: ergo traditur in lege tenor, & ritus, quo præſtandum eſt iuramentum, & quo ipſum quoque vitandum eſt. *Confirmatur.* Iuramentum in abſtracto, tùm à formula, tùm à circumſtantijs nequit eſſe res præcepti, & materia legis: ergo quando quoad formulas, & circumſtantias vſurpationis, & vitationis ipſa lege inducitur, ſatis eſt cooptatum à lege eo modo, quo cadere ſub legem poteſt. Anteced. eſt clarum: quia omnis lex eſt practica, & de rebus agendis: vnde non cadit in res abſtractas. Deinde, quia eſſentia iuramenti eſt teſtificatio per Maiorem de re non credita, vnde ſine formula, & circumſtantijs rei fidedignę præcipi nequaquam poteſt, etiam quoad ſolam ſubſtantiam iurandi. Et ideò quando *Exod. 22. verſ.* 11. videtur præcipi iuramentum quoad ſubſtantiam per ea verba *iusiurandum erit in medio* expreſsè ibi ſit mentio circumſtantiarum, ſub quibus ita iurandum eſt, ſcilicèt, quando alio modo veritas haberi non poteſt. *Confirmatur* 2. Lege veteri cooptatum eſt illud, quod, præterquamquod ita faciendum, vel non faciendum eſſe deſcribitur, pro tranſgreſſoribus in eo pœnæ inducuntur. Sed circa iuramentum lex vetus pœnas ſtatuit, tùm *Exod.* 20. tùm *Levit.* 5. tùm *Deuteronom.* 30. ergo, &c. Mai. eſt clara: quia pœna ſemper eſt gravamen quo Legislator vult cogere ſubditos ad exibendum id quod eſt materia legis.

8 Probo quartam partem concluſionis. Aliquid veteris legis in lege nova declarari, ſtat in eo, quod enucleatius aperiatur tenor traditionis antiquæ, reddendo rationem de ea: & quod deinceps res illa ſignificantius ſit tradita, atque præcepto ſuperaddantur conſilia. Sed in materia iuramenti ita proceditur in lege nova reſpectu legis antiquæ: ergo iure novo Divino iuramentum enucleatius traditum, ac declaratum eſt. Maior eſt nota: quippè res quælibet, tùm aperiendo eius cauſas, tùm ſingulari diviſione per partes manifeſta innoteſcit. Minor conſtat *Math.* 5. vbi dicitur: *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non periurabis: ego autem dico vobis: nolite iurare omninò, neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt, neque per Ieroſolymam, quia Civitas eſt Regis magni, neque per caput tuum, quia non poteſt vnum capillum facere album, aut nigrum. Sit ſermo veſter eſt, eſt: non, non. Quod autem amplius eſt à malo eſt.* Item *Iacob.* 5. adijcitur locutio diſtributiva, ſcilicèt, *nec per quodcumque aliud iuramentum*: ſed in his in primis fit diviſio per partes, reddendo rationem, ne vſurpentur variæ formulæ iurandi: deinde aperitur origo adijciendi formulas iuratorias ad ſimplicem affirmationem, & negationem: poſtremo ad legem iurandi, quando oporteat, adijcitur conſilium nullate-

nus vſurpandi levi cauſa formulas iuratorias, tametſi veritas in re iurata intercederet: ergo, &c. Minor quoad duas priores partes conſtat in ipſo textu; quoad tertiam eſt præclara expoſitio Auguſt. *lib. 1. de Sermone Domini in Monte, cap. 17. & de mendacio, cap. 15. & Epiſt. 154. ad Publicolam.* Cornelij Papæ *Epiſt. 2.* ad Rufum. Innocentij 3. capite, *& ſi Chriſtus. De iure iurando.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 86. art. 2.* Bernardi *homil. 65. in Cantica.* Bedæ *Iacob. 5.* Caſtri apud, & cum Suario loco ſupra citato. Item Maldonati *Matthæi 5.* Quia poſtremi Authores ſimul cum Abulenſi interpretantur illud Chriſti Domini, *quod autem his abundantius eſt; à malo eſt*, non de malo culpæ, ſed de malo pœnæ, quatenùs, videlicèt, ex pœna, quam incurrit natura humana vniverſa ortum duxerit incredulitas alteriùs ad alterum, exindeque neceſſitas iuramenti. Quamquam ego crederem, ſic etiam à malo culpæ intelligi poſſe hanc originem: ſiquidem tandem ex ipſa pœna relata ad malum culpæ, vnde orta eſt pœna, deſcendendum eſt. *Confirmatur* 1. Hæc pars quarta, quia *ad Hebr. 6.* ſic dicitur: *Homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum, in quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit ius iurandum.* Sed hæc verba manifeſtè explicant iuramentum, & antiquam Dei approbationem illius: ergo, &c. Probo min. Nam aperte dicitur Deus ipſe iusiurandum interpoſ. ſuiſſe, quod non feciſſet, niſi probaſſet. Deinde exponitur finis iuramenti nimirùm confirmatio aſſertionis, & medium ad id aſſumptum inter homines, id eſt invocatio alicuius maioris, qui titulo potiori ſibi fidem conciliet. *Confirmatur* 2. Lex gratiæ per Chriſtum Redemptorem eò inducta eſt, vt per viam gratiæ, & conſiliorum hominem, quoad fieri poſſet, ad ſtatum ſibi perditum revocaret: ſed in priſtino, & primigenio candore conditionis humanæ ante peccatum omnis omninò iuratio præter *eſt*, & *non* adverſaretur ſimplicitati, & innocentiæ naturæ humanæ: ergo quando Chriſtus Dominus *Math. 5.* carpit omnes formulas iuratorias quaſi non niſi *à malo* progerminatas præter ſimplicem affirmationem, & negationem, eſt, quia conſilio ſuo, & lege gratiæ vult, homines in candorem ſibi perditum aſſerere, & reparare.

9 Probatur quinta pars. Ius Eccleſiaſticum coordinare, ſtatuere, & ſtabilire iuramentum ſtat in eo, quod omni ex parte hoc explicetur, tùm quoad formulas, & diviſiones; tùm quoad obligationem inde naſcentem, vitia quibus infirmari poteſt; tùm quoad circumſtantias, in quibus adhibendum eſt, & vigorem rei inde manantem; tùm quoad interpretationem, & relaxationem ipſius; tùm quoad honeſtatem, & licentiam, ſeu prohibitionem iurandi: tùm quoad modum ſtandi iuramentis. Sed hæc omnia graviter, & luculenter traduntur in iure Eccleſiaſtico; tùm *in lib. 2. Decretalium, titulo 24. & 6. titulo 11. de Iureiurando, per totum*, & Clementina 9. *eodem titulo*; tùm in Decreto Gratiani *tota cauſa 22.* ergo iure Eccleſiaſtico iuramentum coordinatum, & conſtabilitum eſt, atque quod magis ad rem præſentem facit, ibi traditur, quando quis cogi poſſit vera lege, & cenſuris ad iuramentum, *vt in lib. 2. Decretalium, cap. Ex litteris 32. & cap. Iuramentum 36. de Iureiurando.*

10 Probo ſextam partem concluſionis. Ius Civile vſurpare in ſuis ſanctionibus iuramentum atque ſub huius auxilio iura civilia hominum temperare, ſtat in eo quod ipſum diſquirat quoad effectus, cauſas, perſonas, actiones, remedia, & vſus: ſed hæc omnia præſtantur in iure civili; tùm *lib. 12. Digeſtorum toto titulo 2. de Iureiurando*; tùm in Codice *lib. 2. titulo 59. de Iureiurando propter calumniam dando*; er-

ergo iure etiam civili iuramentum vſurpatum, inductum, & conſtabilitum eſt. Ex quibus omnibus partibus ſeorſim expenſis, & collectim ſumptis eliciendus eſt tenor ille, quo ſemper licuerit iuramentum. Nam in primis cum omnibus Catholicis Theologis Expoſitoribus, & Iuriſperitis tenendum eſt, iuramentum etiam in lege gratiæ licitum eſſe, quando nimirum comites adſint iuſtitia, veritas, & neceſsitas ad iurandum. Deinde vt magis è regione occurramus hæreticis; potius dicendum nobis eſt, iuramentum ab exordio legis plus fuiſſe præcepti quam permiſsionis. Primo. Quia verbis quaſi præceptivis exponitur, *Deuteronomij 6.* & etiam *Ieremiæ 4.* perinde ac ſervire Deo, eumque timere præcipitur. Secundo. Quia quoties à lege præſcribitur, quomodo res ſit facienda, quomodo autem vitanda; non tàm dicenda eſt de illa re permiſsio, quàm iuſsio. Tertio. Quia quoties pœna adiungitur, lex obligat, & nihil obligat dum purè permittitur. Quartò. Quia multæ circumſtantię ſunt in quibus ex præcepto queat homo cogi ad iurandum: ergo quia iuramentum in definitè ſumptum potius eſt præcepti, quam permiſsionis; quin ad hoc obſtet, quod ſæpè ſit licitum, & non ſit præceptum, quia in præceptis affirmativis, quæ obligant *ſemper*, ſed non *pro ſemper* res eadem, v. g. *audire ſacrum*, quandoque eſt licita, & non præcepta, vt in die non feſto; quandoque autem etiam præcepta eſt, vt in die feſto. Quinto. Quia omni iure tàm divino, quàm humano attento nihil eſt quod obſtet quominus iuramentum vniverſim ſumptum, vel potius indefinitè acceptum præcepti potius dicendum ſit, quàm permiſsionis: quia vel eſt in caſu, in quo ex Superiore legitime præcipiente tenetur iurare quis, & tunc ex obedientia pariter, & lege lata Eccleſiaſtica iuramenti tenebitur ad iurandum. Vel iuramentum ſit proter obligationem, ſed cum *veritate, iuſtitia, & neceſsitate*, & tunc poteſt dici, quod quantum neceſsitas cogit, tantum præcipitur iure Eccleſiaſtico iuramentum; *vel* ſi illa quæ vocatur *neceſsitas* non ſit niſi vtilitas ſupererogationis; tunc caſus iusiurandum erit actus ſupererogationis à charitate, & religione promanans, non vero actus purè, & rigoroſè permiſſus. Qui enim in toto rigore Scholaſtico purè permiſſus eſſet non foret poſitivè laudabilis, & meritorius, vt tunc eſſet huiuſmodi iuramentum. Quæ omnia, quia vberius, & fuſius ſunt argumentorum ſolutione dilucidanda, ad ea mox pergo.

11 Obijcies 1. Contra primam partem concluſionis. Nequit eſſe vitioſum ex iure naturæ id, quod eſt religio, atque cultus Dei; ſed ius iurandum ex communi Theologorum ſententia actus religionis eſt: ergo attento iure naturæ vitioſum, ſive quod idem eſt, otioſum eſſe non poteſt. Probo mai. Nunquàm poteſt habere natura condita à creatore ſuo exceſſum in colendo conditorem ſuum: ergo ex iure naturæ cultus Dei otioſus atque vitioſus eſſe non poteſt. Antecedens patet: quia tota quanta eſt natura condita, eſt modiciſsimum quidpiam, & infimum vt pro conditione ſua ſuum dominum revereatur. Ad hoc argumentum reſp. diſting. antecedens. Id quod eſt religio, & cultus Dei relatè ad ipſum Deum ſolum, & antecedenter conc. antece. quod eſt cultus Dei eſſentialiter relativus ad creaturas pro aliquo determinato ſtatu, & conſequenter ad ſuppoſitionem contingentem. Neg. antecedens, & conſeq. Itaque veriſimum eſt quod ius naturæ, & colere ipſum conditorem naturæ valde cohærent; quando nimirum ſolum Deus ipſe reſpicitur, & colitur: quia nihil magis intra viſcera totius naturæ quam vt Authorem ſuum revereatur. Quando vero cultus atque religio non eſt ſimpliciter abſoluta, & antecedens, ſed eſſentialiter reſpiciens ad creaturas,

ras, & consequens ad aliquem statum eorum, nihil mirum est, quod ille cultus atque religio ita essentialiter respectivus, & consequens, sit plane otiosus, quando desint illæ circumstantiæ, in quibus exigitur, & est opportunus: cumque iuramentum essentialiter supponat naturam rationalē mutuò sibi iam diffidentem propter corruptelam peccati, atque ideo ex essentia sua sit quidam actus religionis quasi reductivus, & reparativus huius fidei inter homines; id circo attento primo candore, & innocentia naturæ, totoque simplicissimo ipsius iure ante lapsum non poterat, non superfluere quodlibet iusiurandum; non quidem ex prædicato generico cultus, & religionis, quæ imbibita est in primævo ipso iure naturæ, sed ex ratione specifica talis religionis, & cultus, qui non nisi supra dictas circumstantias ipsam rationem religionis participaret.

12 Obijcies 2. Adversus secundam partem conclusionis. Non potest iure Gentium, & ante legem scriptam esse inductum iuramentum Deo approbante; quando tota origo iuramenti à malo est; sed ex Verbis Christi Domini, *Mathæi* 5. Origo iuramenti à malo est: ergo non potuit introduci Deo approbante. Minor patet ex Verbis ipsius, vbi ait: *Sit sermo vester est, est: non, non, quod autem ijs abundantius est à malo est.* Ad hoc argumentum respondeo primo, distinguendo maiorem quod à malo est *intrinsecè*, concedo maiorem, quod à malo est per *prohibitionem*, subdistinguo *antecedenter ad ipsam*, nego maiorem, *consequenter*, concedo maiorem, & nego consequentiam. Quæ quidem doctrina inter Doctores satis est nota: quia illa quæ sunt intrinsecè mala, vt mendacium, furtum, periurium nunquam Deo probata esse possunt; secus vero illa, quæ fiunt mala per prohibitionem: hæc enim ante prohibitionem non est cur etiam ipsi Deo improbari queant, v. g. comedere carnes in die veneris, antequam in hac die ab Ecclesia interdicerentur. Vnde cùm tam longè absit, vt iuramentum sit *intrinsecè* malum; quin potius sit actus religionis, fidei humanæ conciliativus, atque de eo ante legem nulla, neque quoad speciem, extaret prohibitio, sed potius approbationis significatio vt in locis Geneseos supra tactis; inde est, quòd toto illo tempore quam optimè potuit iuramentum vsurpari, Deo ipso approbante; licèt tandem concedendum foret postea iuramentum à malo (quod Deum ipsum dedeceret) profecturum esse: lege nimirum postea iuramentum vanum interdicente. Respondeo secundo distinguendo maiorem *à malo pœnæ*, nego mai. *à malo culpæ*, concedo maiorem, & distinguo minorem *à malo pœnæ*, concedo minorem *à malo culpæ*, neg. min. & consequentiam. Est solutio, & doctrina, quam doctissimi viri tradunt, & amplectuntur, scilicèt Abulensis Mathæi 5. Maldonatus, & Suarius, iuxta quam ea quæ sunt malum pœnæ à Deo sæpè probantur, vt patet in pœnis, tùm temporalibus, tùm æternis, quibus in mundo exercet amicos; & punit in inferno inimicos suos. Vbi solum restat exponere quomodo iuramentum sit à malo pœnæ, quod sic explicat Abulensis: *Quia provenit ex quadam infirmitate incredulitatis; & ignorantiæ eius, qui iuramentum exigit, vel qui credere non vult, nisi iuramentum præstetur.* Sic dicit August. *lib. de serm. Domini in monte, & habetur* 22. *quæst.* 1. *C. Ita ergo, & cap. Tu non malum*, scilicèt: *Si iurare cogeris, scias, de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquod suades, quæ vtique infirmitas malum est. Itaque non dicit: quod amplius est, malum est, tu enim non malum facis: quia bene vteris curatione, vt alteri persuadeas quod vtiliter persuades; sed à malo est eius, cuius infirmitate iurare cogeris.* Quare cum solum sit malum pœnæ, non est cur adeo probari non possit. Respon-

deo

deo tertio. Quod à malo est non actualiter ; sed originaliter, quatenus diabolus, & peccatum originale, vt radix, invexerunt in mundum illam infidelitatem, quæ statim oborta est inter homines ; exinque formulas fideifactorias, quæ alioquin in statu innocentiæ erant superfluæ. Verum ijs iam inductis, & iam necessarijs inter hominis, neque ipse Deus eas vsurpare recusavit propter hominum incredulitatem, & veluti in alijs humanitus se gerens.

13 Obijcies 3. contra tertiam partem conclusionis. Etenus iuramentum in lege veteri inclusum, & cooptatum esset, quatenus esset actus religionis; sed iuramentum non est actus religionis : ergo in lege veteri incorporatum non fuit. Probatur minor. Iuramentum non habet pro fine primario cultum Dei, sed confirmationem alicuius veritatis, ita vt, si deesset veritas confirmanda, non fieret propter cultum Dei tale iuramentum. Atqui actus religionis debet habere pro motivo primario cultum Dei : ergo iuramentum rigorosè inspectum, potius pertinere videtur ad virtutem veracitatis, quam religionis. Probatur, & simul roboratur propositio maior ex textu ad Hæbreos 6. *Homines per maiorem sui iurant ; & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est iuramentum.* Confirmatur obiectio ex D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 8. ad 1. ibi : *In eo distinguitur votum à iuramento, quod per primum aliquid ad reverentiam Dei ordinamus ; per secundum vero ipsam Dei reverentiam ordinamus ad aliud* : ergo nequit iuramentum esse actus religionis, siquidem cultum Dei sumit vt medium, non vero vt finem. Ad hoc argumentum respondeo cum communissima, & planè vera doctrina Theologorum *in* 3. *dist.* 39. sustinendo iuramentum verè, & propriè actum religionis. Vnde transmissa maiori (cuius sequela, est falsa quippè non solum quę ad alias virtutes pertinent præter religionem; sed etiam quæ de se indifferentia sunt sub legem cadere possunt.) Nego minor ad cuius probationem, disting. maior. Non habet pro motivo cultum Dei absolutissimè, & solitariè consideratum, concedo maiorem. Cultum Dei, vt respicientis res creatas, & tanquam primæ veritatis in testificando ; nego maiorem, & concessa minor. in sensu explicato, nego consequentiam. Itaque quoties actus aliquis habet pro motivo primario specificativum alicuius virtutis in ea proculdubio censendus est : quare cum specificativum religionis sit cultus Dei ; expendi debet quomodo hic tanquam finis primarius respiciatur per iuramentum. In cuius rei explicatione pro solita vbertate, & subtilitate sua multifariam laborat Exim. Doctor vt aperiat quo tenore cultus Dei sit finis primarius in iuramento. Nam primo fatetur, non esse motivum ad iuramentum, *quoad exercitium*; licèt sit *quoad specificationem*, quatenus cum iurandum est, non nisi religiosè est iurandum : deinde non quiescens etiam ad maturè deliberandum; num res illa sit in qua iurare poterat ; necne ; putat Dei reverentiam debere dirigere. Postremo vero neque etiam quiescens, confugit ad intentionem operis, & operantis, quasi finis respectu intentionis ipsius operis nequeat non esse cultus Dei ; licèt finis operantis non sit talis cultus. Verum ab his supersedendo, quæ de Eximio nequeunt non esse eximia; tametsi etiam varia esse non desinunt ; pergo ad terminos per me iam exhibitos, quibus fortè res, quæ implexa est, melius poterit expediri. Non ergo omnes actus qui attingunt specificativum alicuius virtutis sub eodem modo, & respectu illud attingunt : præsertim cum tale specificativum multipliciter respici queat. Vnde diversi actus quibus Deus diligatur, quia bonus, quia sapiens, quia beneficus, proculdubio omnes ad charitatem attinebunt, quia nimirum dignus amore Deus est his omnibus

bus titulis. Cumque Deus non ſolum, quia ſupremus eſt Dominus; ſed vt bonus, vt ſapiens, vt omnipotens, vt iuſtus, & vt verax ſit adorabilis, atque colendus, quia nimirum celſitudo illa diviniſsima Deitatis per hæc omnia attributalia ſeſe nobis inſinuat, & manifeſtat; id circo omnes actus, qui cuiuslibet attributi ex relatis divinitatem teſtentur, ad religionem, & cultum Dei ſunt manifeſtiſsimè revocandi. Quam ob rem cum iuramentum directè primario, & motivè reſpiciat Deum, vt primam veritatem in teſtificando, inde eſt, quod etiam quando reduplicativè, vt in confirmationem rei aſſertæ teſtis Deus inducitur, ipſiſsima invocatio Dei in teſtem eſt intranſitivè ipſe cultus primæ veritatis in teſtificando, ita vt motivum, & *finis qui*, tàm iurantis, quàm iuramenti ſit colere pro eo caſu individuo primæ veritatis infallibilitatem Divinam, licet *finis cui* iurantis ſit longe inferior. Nam debent in ipſo diſtingui quaſi duo actus, alter proſecutivus materiæ, ſcilicèt, contractus, affirmatio, aut fœdus: alter religioſus, & invocatorius Divini numinis ſupra rem præſuppoſitam, & exinde patet reſponſio, tùm ad textum ad Hebræos, tùm ad diſcrimen Divi Thomæ, quia modus attingendi reverentiam Dei in iuramento propter contractum, v. g. vt *finem cui* non deordinat religionis motivum, ſicut non deordinat motivum ſpei, quod ipſe ſim mihi *finis cui* talis actus, quo nimirum Deum deſidero, vt à me poſsidendum.

14 Obijcies 4. cum replica. Si Iumentum foret actus religionis, & quidem talis, vt incorporaretur in lege; id magis vſurpare, atque frequentare liceret. Sed hoc pronuntiatum erroneum eſt, vt de quibuſdam olim, ita ſentientibus tradunt Authores: ergo iuramentum nullatenus præceptum eſt, neque religioſum. Probatur maior. Magis, & magis ſe exercere qualibet in virtute ſemper fuit laudabile, & commendandum: ergo ſi actio iurandi eſt religioſa, & præcepta, veluti auditio Sacri frequentius poterit exerceri. Ad hoc argument. reſpond. diſting. maior. *Ex præcepto*, neg. maior. *extra præceptum*, & quaſi *ex conſilio*, ſubdiſt. *abſolute frequentare*, neg. maior. Frequentare, id eſt repetere quoties vrgeant *veritas*, *iuſtitia*, *& neceſsitas*, quæ ſunt comites iuramenti, conced. maior. & diſtincta reſpectivè minori, nego conſequentiam. Itaque quando præcipitur exercitium alicuius virtutis, ſolum poni poterit ex præcepto, quando vrgeant circumſtantiæ in quibus præcipitur; v. g. quia ieiunium iniungitur per Eccleſiam in quadrageſima, & alijs diebus determinatis, extra illos ex vi præcepti frequentari non poterit. Id ſatis eſt clarum; ſed quia difficultas rem magis promovet extra præceptum, ſcilicèt, vt eliciat, ita iuramentum frequentari poſſe, ac eleemoſinas, miſſas, & alia; dico, quod iuſiurandum, vel conſiderari poteſt quando fruſtrà interponitur, & in vanum Dei nomen aſſumitur, quo caſu, licet falſitas non interveniat, vnde fiat periurium; tamen res eſt non ſolum, non frequentanda, ſed execranda; & vt talis prohibita ſecundo præcepto Decalogi. Vel poteſt conſiderari in circumſtantijs, in quibus adſint comites, *iuſtitia*, *veritas*, *& neceſsitas*, & tunc caſus laudabiliter poteſt repeti, frequentarique iuramentum, quod eſt religionis actus ad circumſtantias eiuſmodi deſtinatus. Ratio autem cur ſemper rotundè, abſoluteque negari debeat, quod iuramentum ſit frequentandum, eſt, quia iuramenta, quæ irreligioſè fiunt ſunt frequentiſsima, atque malitia hominum paſsim ore vſurpata; iuramenta vero religioſa, & honeſta ſunt rara; quare prolata hac propoſitione *iuramentum frequentandum*, ſtatim communis aprehenſio hominum iudicat per eam dici, quod oportet ea frequentare, quæ paſsim frequentata videntur; vnde cum illa, quæ fre-

frequentantur ſint planè prohibita, ſenſus obvius illius propoſitionis eſſet erroneus, quare merito eſt inter TT. proſcripta talis propoſitio abſolutè prolata. Quod autem iuramenta, quæ religiosè fiunt rarò præſtentur, conſtat ex eo, quod caſus in quo ex præcepto exiguntur creber non eſt, & caſus in quibus extra præceptum poterunt religiosè adhiberi ſunt etiam rari, eo quod veritas, iuſtitia, & neceſsitas, quæ requiruntur ad verum actum religionis exercendum non tàm facilè temperentur. Iurare autem in ſimilibus circumſtantijs aliquando ex præcepto, aliquando vero erit opus ſupererogationis, atque conſilij iuxta materiam illius virtutis, cui iuramentum adijciebatur. Hæc intellige, ſi intendatur frequentia pro diverſis materijs. Nam, ſi in eadem; facilius reſpondetur, quod cum cultus iuramenti ſtet in advocando Deum in teſtem; & hoc ex divina ſapientia, & veracitate ſtatim ſit promptum cum ſola vnica invocatione reſpectu vnius perſonæ; ideò repetere potiùs foret iniuria Deo, quam cultus: quaſi adhuc egeret vlteriori invocatione ad teſtificandum.

15 Obijcies 5. Iuramentum in lege veteri prohibitum eſt: ergo nequit in eadem eſſe præceptum. Quis enim dicat, quod per eandem legem idem actus præcipitur, & prohibetur? Antecedens probatur primo: ex illo Exod. 20. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà*: ergo, &c. Secundo: ex illo Oſeæ 4. 15. *Et ne aſcenderitis in Bethaven, neque iuraveritis vivit Dominus*; ergo, &c. *Confirmatur* 1. Præceptum Dei de iureiurando alicubi extare deberet in Sacris Codicibus, ſi reipſa exiſteret. Atqui nullibi videtur tale præceptum eſſe admiſſum, vel de ipſo iuramento quoad ſubſtantiam, vel quoad circumſtantias, vel aſsigna: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Si iuramentum ſæpè vſurpari poteſt, vt actus religionis, tunc eſſet opus quaſi conſilij; ſed nequit eſſe conſilium id, cuius oppoſitum eſt præceptum: ergo, &c. Minoris ſuppoſitum patet ex ſuperioribus textibus adductis in argumento. Ad hoc argumentum reſpond. diſting. anteced. Iuramentum *faiſum, vanum, & per idola*, conced. anteced. Iuramentum *per Deum vivum ſub debita formula, & circumſtantijs*, nego anteced. & conſequentiam. Atque, vt hoc punctum radicitus comperiatur; in medium adduci oportet textus illos, in quibus in ipſa lege iuramentum iniungitur quoad ſubſtantiam, & circumſtantias. Quoad ſubſtantiam Deuteronom. 6. 13. *Dominum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius iurabis.* Quoad circumſtantias Exod. 22. verſ. 10. *Si quis commendaverit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit; iusiurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui, ſuſcipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.* Ecce etiam in lege textus, qui videntur contradictoriè oppoſiti ad textus nobis obiectos, quippè iuramentum præcipiunt in ipſa lege, tàm in genere, quàm in ſpecie; cumque vtrique textus ſibi certò non contradicant; ſed ſenſum ſibi ſeruent non minus Sanctum, quàm inoffenſum; ſupereſt vtroſque conciliare, & exponere iuſta regulam Auguſt. dicentis, quod expoſitio vnius textus per alterum eſt optima expoſitio. Hanc ergo prius præmittimus, & poſtea eam de Sacris Codicibus petitam eſſe monſtrabimus. Porrò in lege prohibitum eſt iuramentum vanum, eo quod nequeat non eſſe irreligioſum, de facili, ac levi maieſtatem altiſsimam inducere ad teſtificandum, ita *Exod.* 20. 7. Deinde prohibitum eſt iuramentum falſum, *Levit.* 19. *verſ.* 12. quia res execranda eſt Deum adducere in teſtem falſitatis. Poſtremo *Exod.* 23. *verſ.* 13.

pro-

prohibitum eſt iurare per Deos alienos, quia eſt manifeſtiſsima idolatria: vnde evincitur luculenter iuramentum eſſe actum religionis, quia nequit eſſe idolatricum reſpectu creaturæ, niſi quod reſpectu Dei religioſum eſt. E contra vero iusiurandum in genere, & ſeorſim à deturpationibus dictis præcipitur abſolutè. *Deuteron.* 6. 13. non ſecus ac Dei timor, & famulatus. Deindeque præcipitur in ſpecie. *Exod.* 22. 11. in favorem charitatis, atque iuſtitiæ.

16 Atque, vt hæc explicatio legis veteris, quæ recta eſt abundè fulciatur, prodeant modò ex libris Veteris Teſtamenti, textus, qui eam germanitus eſſe traditam profitentur. Primo, vt conſtet iuramentum eſſe in præcepto, ſi fiat debita formula, & circumſtantijs patet *Ieremiæ* 4. *verſ.* 2. ibi: *Et iurabis: vivit Dominus: in veritate, in iudicio, & in iuſtitia.* Et vt conſtet, ſolùm prohibitum eſſe iuramentum per Deos alienos, ipſe Ieremias id explicat, tùm *cap.* 5. *verſ.* 7. ibi: *Super quo propitius tibi eſſe potero? Filij tui dereliquerunt me, & iurant in his, qui non ſunt Dij*; tùm *cap.* 12. *verſ.* 16. ibi: *Et erit: ſi eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo. Vivit Dominus, ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal.* Quod autem iuramentum in lege interdictum, etiam quando fit in nomine Dei, ſit iuramentum ſolum, quod eſt, vel leve, vel vanum, aut infidele patet ex textu *Eccleſiaſtici* „ 23. *verſ.* 9. ibi: Iurationi non aſſueſ- „ cat os tuum: multi enim caſus in „ illa. Nominatio vero Dei non ſit „ aſsidua in ore tuo, & nominibus „ Sanctorum non admiſcearis, quo- „ niam non eris immunis ab eis. Sicut „ enim ſervus interrogatus aſsidue à „ livore non minuitur; ſic omnis iu- „ rans, & nominans in toto à peccato „ non purgabitur. Vir multum iurans „ implebitur iniquitate, & non diſce- „ det à domo illius plaga. Et ſi fruſ- „ traverit, delictum illius ſuper ipſum „ erit, & ſi diſsimulaverit; delinquit „ dupliciter: & ſi in vacuum iurave- „ rit, non iuſtificabitur, replebitur „ enim retributione domus illius. Ex quibus textibus manifeſtè reſultat genuina explicatio illius ſenſus, in quo iuramentum poterat in lege veteri eſſe prohibitum, & nihilominus poterat in ea eſſe præceptum. Ratio à priori eſt, quia ſicut in lege naturæ idem actus comedendi, & bibendi ſi ſit moderatus in præcepto eſt ad vitæ ſuſtentationem; & exceſſus, vel in quantitate ad ingluviem, vel in qualitate, vt potio veneni, ipſa lege naturæ interdicitur; ita ſimiliter poteſt in iure poſitivo etiam divino aliquid ſub debita menſura, & tenore eſſe præceptum, & ſub indebito tenore eſſe prohibitum, & ſic eſt iuramentum, prout ſupra explicuimus non ſecus ac ipſe timor Dei erat in lege præceptus, & nihilominus ſi ita excederet, vt per puſillanimitatem traheret in deſperationem; erat lege interdictus. Ex quibus omnibus abundè data eſt ad argumentum reſponſio. Ad cuius ſecundam probationem ex Oſſea dicitur, ibi manifeſtè prohiberi iuramentum per idola, veluti Sophoniæ primo prout conſtabit legenti vtrumque textum. Ad primam confirmationem etiam conſtat ex dictis. Ad ſecundam confirmationem: diſting. min. cuius oppoſitum ſtrictè tale, concedo minorem: cuius oppoſitum quoad diverſos ſtatus comparativos, vel quoad vſus diverſos, nego minor. & nego conſequent. Ratio eſt, quia quando aliquid eſt præceptum, eius ſtriſtè contradictorium, imò, & contrarium prohibitum eſt: hoc tamen, quod viget, & vrget in oppoſitione privativa, & contraria, non ita vrget in relativa, quæ verſatur inter ea, quæ dicunt inter ſe aliquam habitudinem, & comparationem, ſivè in quantitate, ſivè in qualitate, ſivè in modo, præſertin quando ſubſtantia rei de ſe eſt indifferens, vel potius honeſta, ſicut eſt in præſenti: vnde ſi lo-

loquimur dere indifferenti, v.g. *comedere*; licèt *non comedere multum* sit præceptum; tamen eius oppositum quod est comedere parum potest esse consilij, vt in viris religiosis patet: ita ergo etiam est de iuramento, quia licèt non iurare, *falso*, *nimis*, & *frustra* præceptum sit, tamen eius oppositum etiam contrarie, quod est iurare cum veritate, iustitia, & necessitate potest esse consilij. Vbi observa discrimen, quod si substantia rei est indifferens, & datur præceptum de ea quoad excessum, & modum; tunc huius oppositum poterit esse, vel non esse consilij propter rei indifferentiam, vt suprà in comedere parum; verum si sit res in se honesta, non poterit, non esse consilij, vt in iurare cum veritate, iustitia, & necessitate. Ex quibus respondeo secundo disting. minor. cuius oppositum est præceptum, si præceptum sit negativum circa modum præstandi rem salutarem, neg. minor. Si aliter præceptum sit, transeat minor, & neg. conseq. Quia quoties præceptum negativum est non deturpandi rem sacram, eius oppositum formaliter, vt tale est consilij; veluti si præceptum esset, ne sacrum audias ligatis crinibus, & amictu indecoro, tunc eius oppositum formale est, *audi sacrum solutis crinibus*, *amictu decoro*, quod quidem de se est materia consilij. *Replicabis*: moraliter melius est non iurare, quam iurare: ergo iurare non potest esse consilij. Resp. distig. antecedens: ethicè, & catecheticè loquendo, concedo antecedens. Scholasticè, nego antecedens, & conseq. Quia quando agitur de moribus imbuendis absolutè dicendum est *melius est non iurare*, ne rudis populus ansam arripiat ad frequenter iurandum, vt videmus eum passim factitare per nefas: quando vero res versatur ad limam Theologicam, propositio illa distinguenda est sic: melius est non iurare falso, & leviter, quam ita iurare: conc. non iurare quando vrgent iustitia, veritas nego: cum quibus omnibus satis explicata manet multum principalis obiectio.

17 Obijcies 6. Si in lege veteri pro aliquibus circumstantijs præceptum extitisset de iuramento, fuisset præceptum legale, aut iudiciale: sed præceptum de iuramento, quod constat in lege veteri est præceptum morale: ergo nullum præceptum datum fuit de iuramento vsurpando in aliquibus circumstantijs. Minor patet ex secundo præcepto Decalogi, quod planè recensendum est inter præcepta moralia, & est negativum de iuramento vsurpando. Ad hoc argumentum respondeo, conceſſ. mai. & min. negando conseq. Quia medium, quod assumitur in sillogismo est duplex, eo quod sit duplex præceptum de iuramento: vnde sillogismus non concludit. Dico igitur de eadem materia quoad diversum statum comparativum vt nuper philosophabar, potest dari duplex præceptum, alterum negativum de vno extremo; v. g. ne mulcomedas, alterum affirmativum, de extremo oppositio, scilicèt, parum comede, vel ieiuna, quorum primum est de iure naturæ, secundum vero est de iure Ecclesiastico. Ita ergo in lege veteri de iuramento quoad circumstantias, datum fuit duplex præceptum, alterum morale, & negativum in secundo Decalogi de non iurando falso, vel leviter: alterum vero legale, tùm *Exodi* 22. *verſ.* 11. tùm *Deuteron.* 6. seu iudiciale de vsurpando iuramento in, & pro debitis circumstantijs. Vnde nulla manet obiectio. Nota vero, quod cum iusiurandum etiam quoad substantiam, vt iam tetigimus, ex tota essentia sua, & prima origine debeat cadere supra circumstantias; idem, & eodem modo præcipitur quoad substantiam, quam quoad circumstantias, dum in his, & pro his iuramentum iam negativè, iam affirmativè præcipi pronuntiamus.

18 Obijcies 7. contra quartam

partem concluſionis de eo, quod in lege nova præceptum de iuramento aliquando vſurpando declaratum ſit, & expoſitum. Contra quam partem ſic argumentor. Eatenus in lege nova extaret tale præceptum, quatenus in ea fuiſſet impoſitum, vel de lege veteri aſſumptum, & renovatum. Sed in primis in toto Novo Teſtamento præceptum tale non eſt, vel cedo textum. Deinde de lege veteri non poteſt in nova perſeverare: ergo nullum datur. Probatur minor quoad ſecundam partem. Tota lex vetus, vt fide ſanctum eſt, abrogata fuit quoad præcepta ceræmonialia, & quoad præcepta legalia, ſeu iudicialia, imò, & quoad moralia cenſent plures Theologi nobiſcum, *tom.* 1. *Palæſtræ Biblicæ*, *Decade* 4. *quæſt.* 10. quoad illam obligationem, nimirum, quæ de lege veteri illis addebatur ſupra obligationem legis naturæ. Sed præceptum affirmativum de iuramento in aliquibus circumſtantijs vſurpando per me eſt præceptum legale: ergo in lege nova non poterat permanere. Ad hoc argumentum conceſſ. maiori, neg. min. quoad ſecundam partem, ad cuius probationem, conceſſa maiori, & min. diſting. conſeq. Non poterat perſeverare cum obligatione in vi legis veteris promanante, conc. conſeq. in vi novæ obligationis legis Evangelicæ, ſubdiſting. prout exiſtentis in littera, conc. conſequent. prout expoſitæ per Eccleſiam, neg. conſeq. Itaque priuſquam me explicem duo teſtimonia ſunt præmittenda, alterum eſt Sancti Leonis Papæ *ſerm.* 6. *de Ieiunio decimi menſis*, vbi ait: *Evangelicis Sanctionibus multum authoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam obſervantiam transferuntur.* Alterum eſt Doctoris Eximij *de Legibus*, *lib.* 9. *cap.* „ 11. vbi ait: Non teneri quem ex le„ ge Moyſis etiam ad vitandam vſu„ ram, niſi quatenus inde coligi po„teſt illud fuiſſe prohibitum, *quia* „ *malum, & iure naturali vetitum*, quod „ ex ſolis verbis præcipientibus non „ ſatis colligitur; ſed ex materia, ex „ communi interpretatione, & ſenſu „ Eccleſiæ, & ex alijs circumſtantijs, „ & diverſorum locorum collatione „ colligendum eſt. Ex quibus pronuntiatis, & longa per otium tractatione, quam nos fecimus de ceſſatione veteris legis multis diſputationibus, *tom.* 1. Reſpondeo iam ad obiecta dicendo; tùm, quod præcepta moralia quoad ea, quæ habebant ex lege naturæ iuxta indaginem à Suario nuper expenſam perſeverarunt in lege nova, & ſicut præceptum de fide, & charitate quoad abſolutum ex illa lege perſeverat; quòd autem pro hoc tempore, vel illo vrgeat, explicat Eccleſia. Et ſicut Eccleſia vniverſalis præcipit confeſſionem, & communionem, quoad tempus determinatum in quo fiat: ſic licet præceptum iurandi quaſi indefinitum, & quoad abſolutum veniat à iure diuino prout explicuimus; quoad reſpectivum circumſtantiarum, vrgentiæ ab Eccleſia taxantur. Tùm, quod aliqua præcepta legalia iuxta Sanctum Leonem, quoad materiam talium præceptorum, ſecluſa obligatione veteri poſitiva, aliam in lege nova poſitivam obligationem ſuperinduerunt, vt cernere eſt in iure Eccleſiaſtico, in quo eadem quota decimarum, & eadem impedimenta matrimonij, quæ de legalibus erant, nunc vi Eccleſiaſtica retinentur, & vrgent. Et ſic eſt planè de iuramento in quo retinendo, iniungendo, & dilucidando impenditur tota cauſa 22. in Decreto Gratiani, *& totus titulus* 24. *de Iureiurando*, *lib.* 2. *Decretalium.* Imò neque omninò extra aleam Theologicam eſſe videtur, quod etiam hac via non nihil de Cœremonialibus poſſet etiam ab Eccleſia vſurpari, prout magis ex profeſſo rem tetigit primo tomo iam citato. Quibus proinde collectis ſtatim reſumitur, quod præceptum affirmativum iuramenti licet legale manere potuit quoad materiam, excuſſa veteri obligatione;

& nova vi obligandi in lege nova per ius Ecclesiasticum super inducta.

19 Obijcies 8. contra eandem partem. Datur in lege nova, tàm expressa, & vniversalis prohibitio cuiuslibet iuramenti, vt nullum, quodcumque sit, & pro quibuslibet circumstantijs, cohonestari queat; sed quandiu cohonestari non potest, neque potest præcipi: ergo iure Divino nullum præceptum extat de iuramento præstando in lege nova. Probo maior. Ex textu Div. Mathæi *cap.* 5. vbi sic ait: „ Iterum audistis, quia dictum est an„ tiquis: non periurabis, reddes autem „ Domino iuramenta tua. Ego autem „ dico vobis non iurare omninò, ne„ que per Cœlum, quia thronus Dei „ est; neque per terram, quia sca„ bellum est pedum eius; neque per „ Hierosolymam, quia Civitas est „ magni Regis, neque per caput tuum „ iuraveris; quia non potes vnum ca„ pillum album facere, aut nigrum. „ Sit autem sermo vester *est, est: non, non*, quod autem his abundantius est „ à malo est. Ex quibus verbis probatio sic instruitur, & ponderatur. Iurare ita prohibetur, vt non solum generaliter fiat per adverbium *omninò*, quod vniversalissimè negat, sed speciatim descensus fiat etiam ad illa levissima, quibus malitiam inesse posse non videbatur; & præterea taxatur formula colloquendi, & quidquid vltra eam sit non minus, quam ex ore Christi *à malo* dicitur proficisci; sed hic tenor interdicendi prorsus ineluctabilis est: ergo, &c. Ad hoc argumentum neg. maior. ad cuius probationem, neg. minor. vel disting. sine vlla legitima interpretatione, conc. minor. cum illa, nego minor. & consequent. Itaque, vt hunc textum verè difficilem solide interpretemur, totus eius contextus susque deque colluſtrandus est. Igitur Christus Dominus in toto sermone voluit doctrinam suam ad elevatiores apices, quos habitura erat, extendere, & explicare, quomodo non solvendo, vel prætereundo vnum apicem de lege antiqua, alios in lege nova vellet apices superaddere perfectiores. Vndè incipit illud caput cum doctrina de beatitudinibus, quæ est tam alta, & excelsa. Et insuper clauditur cum doctrinis altissimis, veluti reddere pro alapa maxillam alteram: pro tunica ablata dimittere, & pallium: pro passibus mille conductis alios gratis adijcere: pro odio inimicorum preces, & beneficia rependere, ita vt huius capitis postremus versiculus sic concludat: *Estote ergo perfecti, sicut, & Pater vester Cœlestis perfectus est.* Itaque hoc posito ad explicationem mellius fundandam, sciendum est, duos scopulos in hac re esse vitandos, alterum est eorum, qui asserunt iuramentum non esse licitum in lege gratiæ; alterum est error illorum, qui è contrario censent iuramentum non solum esse licitum; sed frequentandum, vtpote actum virtutis, & religionis: inter quos medios scopulos semper nos incedentes, modò ad ratam interpretationem descendimus dicendo, Christum Dominum ibi prohibuisse levitatem, & consuetudinem iurandi, in quam facilè admodum reciditur; postquam de corruptela peccati manavit, vt fidem homo homini non haberet: vade statim atque videtur alicui, non esse habenda sibi fides; ad formulas iuratorias confugit, & sine multo examine necessitatis eas vsurpat. Quod inde cognoscitur, quia Christus memorans præceptum *Levit.* 19. *non periurabis*; non meminit ex lege precepti *Exod.* 20. non assumendi nomen Dei in vanum: quia nimirum illud de non iurando falsò satis apertum erat, & satis fuit illud commemorasse; hoc vero ita renovatione indigebat, vt etiam illæ formulæ, sub quibus iurare solebant, quasi nullum vitium admisceretur; ostenderentur esse vitiosæ. Et ideò Abulensis dum interpretatur illa verba postrema: *Quod enim his abundantius est à malo est*, dicit tandem debere intelligi *à malo*

*sul-*

*culpa*, quia Christus Dominus non loquebatur de iuramento sub debitis circumstantijs : cum reprobare non posset, tùm, quod lex ipsa dictabat, *Exodi* 21. *& Deuteron.* 6. tùm quod Deus ipse ante legem per se vsurpavit, *Genes.* 22. *&* 26. Vnde illud *omnino*, quod est vniversale, exponitur in ipso eodem textu per ipsas eadem formulas, per quas fit descensus. Quæ omnes sunt ex illis, quæ plerumque de facili atque admodum leviter vsurpantur : quando vero rationem reddit textus de formulis superadiectis ad simplicem affirmationem, vel negationem ; illa ratio contrahenda est ad formulas repertas in ipso contextu; præsertim quando ratio reddita non est vniversalis, sed solum indefinita,& in materia contingenti, quæ nimirum sub diverso tenore præcipi poterat,vel prohiberi, prout fusius supradictum est : quare æquivalet potius particulari quoad formulas sibi relatas, vel alias similes : perinde ac si Christus Dominus ita dixisset : *Quod enim de formulis à me dictis, & alijs similibus in qua sæpè inconsideratè prorrumpitis, adijcere soletis ad has simplicis affirmationes, vel negationes, à malo procedit, & culpa, qua iusiurandum frequentissimè, & levissimè temeratis.*

20 Respondeo 2. Sub eodem tenore ad argumenti formam, & postrema illa verba textus, quæ difficiliora sunt vbertatis gratia diversimodè interpretando, & dicendo cum Maldonato attento rigore Græco legi debere, *quod enim his abundantius est à maligno est.* Quo posito dico, quod licet Christus Dominus in ea ratione cuncta iuramenta, tàm debita, quàm indebita comprehendisset, stare posset simul veritas illius rationis ; & nihilominus, quod iuramentum esset habendum, vt aliquando in lege præceptum ; quia quàm verissimè dici potest de multis, quæ sunt materia legis à maligno, sivè diabolo instigante originem habuisse. Quod maximè dilucidatur ex verbis Pauli Apost. 1. *ad Timot. cap.* 1. ibi: *Sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impijs, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periurijs, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* Ex quibus verbis constat, sanctas Dei leges à Deo esse institutas ad coercendos abusus naturæ humanæ iam corruptæ in quavis materia : quæ leges superfluæ forent si homo in sua innocentia perseverasset, & malignitate diaboli instigantis in tantum malitiæ, & erroris barathrum non incidisset : in quo sensu de materia omnis legis, prout per ipsam legem coerceri, atque temperari opus habuit, dici potest, quoad excessum illum, originem habuisse à maligno, quia si malignus non fuisset, qui ab innocentia hominem deiecisset, neque talis excessus coercitione dignus superabundasset. De quibus iam noscitur simul interpretatio, & solutio, quod, scilicèt, formulæ iuratoriæ (quæcumque illæ fuerint, & sint) à maligno ortum habuerint, quatenus ipse corrumpens hominem per peccatum, humanæ fidei simplicitatem labefactavit, & ad remedium primæ veritatis, per iusiurandum necessariò fuit recurrendum. Pro quo faciunt verba supra data Abulensis hic relegenda dum dicunt per ly *à malo* intelligi *à malo pœnæ*, & vtrumque cohæret. Quæ est solutio gravium Doctorum.

21 Obijcies 9. Iuramentum si quando necessario adhibendum est in lege nova per ius Ecclesiasticum explicata, tota vis obligandi oritur ex charitate, & obedientia, aut iustitia: ergo non ex præcepto iurandi. Ad hoc argumentum respond.distinguo.antecéd. quoad iudices in ordine ad exigenda iuramenta, nego anteced. quoad personas, quæ iuramenta debent emittere, subdist. attentis circumstantijs, supra quas debet cadere iuramentum, conc.

conc. anteced. præſuppoſitis circumſtantijs in quibus remedium iuramenti ſit neceſſarium, neg. antec. & conſeq. Itaque conformiter ad ſuperiores doctrinas dico. Quod præceptum iurandi, quoties circumſtantiæ, indefinitè loquendo, ſint tales, vt exigant remedium iuramenti, directè afficit iudices, vt illud exigant, & mediatè per illos afficit perſonas, à quibus illud eſt exigendum, vt conſtat *in cap.* 32. *Ex litteris*, & *cap. Iusiurandum* 34. *de Iureiurando.* Quoad perſonas vero, quæ debent emittere iuramenta, verum eſt, quod vel ex iuſtitia, & charitate erga proximum, vel ex obedientia ad iudicem ſuperiorem iurare tenebuntur, ſed hæc non tollunt etiam obligationem tunc advenire in vi iuramenti. Nam ſicut iuſtitia, vel obedientia dictant iurandum eſſe, ſi hoc medium eſt neceſſarium; ita viciſsim lex iuramenti dictat, vt quoties illæ circumſtantiæ ſic premant; iuramentum fiat: vnde licet qui omitteret non eſſet ſacrilegus omiſsivè, quia ſacrilegus poſitivam violationem ſonat; tamen eſſet irreligioſus omiſsivè quatenus omitteret actum Religionis tunc debitum; & peccaret contra Religionem; ſed non malitia in ſpecie diſtincta. Quia quando virtus dictat actum ſuum, vt medium ad aliam, non refundit propriam ſpeciem, eò quod iuxta D. Thomam in medijs, vt medijs, non amatur niſi bonitas finis: quare dum, vrgente iuſtitia, Iudex vrget ad iuramentum, perſona iurans, vel indiviſibili actu ſe exercet per iuſtitiam, & Religionem; vel præſuppoſitivè ſe habet actus iuſtitiæ, quo vult adhibere medium ad illam, & poſtea iurando exercet actum Religionis. Vide Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 29. & 30. *num.* 10. 15. & 18. & *lib.* 3. *cap.* 1.

22 Obijcies 10. Si daretur tale præceptum de iurando in debitis circumſtantijs; D. Paulus, ſæpè ſic iurans actum obedientiæ elicuiſſet; ſed hoc nemo dixit: ergo non datur tale præceptum. Maior quoad id, quod ſupponit, patet, quia Div. Paulus, tùm *ad Roman.* 1. ibi: *Teſtis eſt mihi Deus.* Tùm 2. *ad Corinth.* 1. *Ego teſtem Deum invoco in animam meam.* Planè iuravit: ergo ſi de hac re eſſet præceptum; illi obediret. Ad hoc argumentum reſpondeo negand. maior. ad cuius probationem non me fugit, Suarium, & Abulenſem cum alijs has Pauli formulas iuratorias cenſuiſſe, atque apud Suarium, dicere Auguſtinum, non eſſe audiendos eos, qui id negent (fortè quia hi erant ex illis, qui putabant in lege nova iuramentum illicitum, proindeque illud fateri in Apoſtolo recuſabant.) Item Maldonat. vt Pelagianum taxat; ſed non eſt fortè id niſi licentia, quam inde ipſi aſſumebant, vt ibi patet. Sed Pater Chriſtophorus de Caſtro *in Ieremiam*, *cap.* 4. citans D. Baſilium pro ſe eas non reputat formulas iuratorias. Ego vero cum vtriſque incedere non recuſo: atque adeò ſi cum primis eundum eſt. Dico, illa iuramenta Pauli fuiſſe Religioſa, & ſpiritu Pauli dictante, admodùm vtilia in oportunitate, ita vt laudabiliter fierent; ſecùs vero ex ijs, quæ nobis eſſent neceſſaria tunc ex præcepto: quod ſi in aliquo eiuſmodi neceſsitas intervenit; non inficior, Paulum obediviſſe; cuius tamen obedientia prædicari non poteſt; quandiu neceſsitas in vi præcepti nota non eſſet. Si vero cum ſecundis eundum eſt, id explico pluſculum, rationem reddens, quare illæ non ſint formulæ iuratoriæ, quia vt ſit formula iuratoria debet iurans teſtificationem divinam alteri interponere, & polliceri; quia hæc ſuccedit pro fide ſua, quam vult facere ad alterum; loqui vero dicendo *Deum ſibi eſſe teſtem*, potius eſt formula ingenuiſsimæ loquutionis, quæ quaſi exhaurit fundum cordis ſui, & pandit quidquid eſt in profundo animæ ſuæ, ad quod ſolus Dei oculus poteſt pertingere, iuxta illud Prov. 24. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit; & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit.* Vnde

obſervandum eſt, quod dum D. Paulus vſurpat formulam illam *teſtem invoco Deum*, ſtatim adijcit *in animam meam*, quod proculdubiò videtur eſſe non tàm alteri, quàm ſibi teſtificationem deſtinare.

23 Obijcies 11. Si daretur præceptum de iuramento, dici etiam poſſet, in lege veteri ſaltem datum fuiſſe præceptum de libello repudij, & alijs quæ permittebantur iudæis. Sed hoc eſt falſum: ergo, & primum. Maior conſtat, quia ſimilis textus datur, tùm *Deuteron. cap.* 24. ibi: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij.* Tùm *Malach.* 2. *Cum odio habueris; dimitte dicit Dominus Iſrael*: ergo, &c. Ad hoc argum. reſp. neg. mai. & ad eius probationem præſertim ad textum Deuteronomij, qui fortior eſt vtpotè de legalibus libris aſſumptus. Dico: duo eſſe diſcrimina manifeſta, ne hic præceptum intelligatur, ſicut in textibus relatis de iuramento. Primum eſt, quia finis talium verborum potius, quam ligare, erat homines deligare, & non ipſos aliquomodo cogere, ſed eis potius præ eorum duritia indulgere: quare in re, quæ tota pendebat à liberrimo conſenſu coniugis, non erat vir præcepti vinculo conſtringendus ad dimiſsionem; ſed tantum de vinculo, iam ſibi ingrato propter diſplicentiam vxoris, potius liberatio indulgenda. Secus vero in iuramento, vbi finis eſt per id fidem reſciſam inter homines religare. Secundum diſcrimen eſt Chriſti Domini manifeſtiſsima declaratio, *Math.* 19. per hæc verba: *Ait illis quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic.* Quare cum Chriſtus Dominus dicat ita clarè, libellum fuiſſe ſolum permiſſum, & aliundè res ſuapte natura ſit talis, vt ad ſummum videatur dari à Deo poſſe indulgentia, non vero præceptum de ſolvendo vinculo, quod non niſi Authore Deo colligatum eſt; inde fit, rem longe aliter ſe habere, ac in iuramento. Quod ſi in alijs rebus, lege veteri indultis, inveniantur, tùm ſimiles textus illis, qui ſunt circa iuramentum, tùm in re ipſa conditio, & capacitas, vt honeſtè, & vtiliter ſub præceptum cadant; non erit cur nimis ſolicitè præceptum eiuſmodi refugiatur. Vnde hic oportune colliges ea omnia, quæ ſuadere videntur iuramentum potius putandum eſſe præceptum, quam pure permiſſum. Primo: quia dantur de eo leges ita abſolutiſsimæ, & declarantes, tùm actum præſtandum, & formulam, tùm circumſtantias in quibus. Secundo: quia ad maius ſulcrum dantur etiam leges Sacræ conſtituentes pœnas adverſus tranſgreſſores iurisiurandi. Tertio: quia per omnes Sacros libros iuramentum præſtitum eſt paſsim à Deo, ab Angelo, à primis Patriarchis, à Paulo, à viris huiuſmodi. Quarto: quia res eſt in ſe honeſta, religioſa, atque ſalutaris ad fractam fidem inter homines reparandam. Quinto: quia Sancta Mater Eccléſia, & totum ius Eccleſiaſticum ſpecialibus titulis iuramentum docet, firmat, exigit, explicat; & irritum fieri, cavet, & plectit: ergo poſt hæc omnia quis dicat iuramentum dumtaxàt ex permiſsione licere; cùm eius vis præceptiva, vt ſupra vidimus, tàm commodè explicari queat?

24 Obijcies 12. contra vltimam partem concluſionis. Iuramentum in ſolo iure civili, ſinihil iuris Eccleſiaſtici permiſceatur, nequit eſſe ligamen: ergo id in tali iure non eſt remedium oportunum. Prob. antecedens. Iuramentum in puro iure civili ſolum eſſe poſſet per Deos falſos, & per idola; ſed hæc vim non habent ad ligandum, vt veritas manifeſtetur: ergo, &c. Ad hoc argumentum. Reſp. 1. neg. antec. & ad probationem, neg. maior. Quia ius civile præſertim prout iam ex ſancta fide formatum eſt, non excludit quod iuramentum falſum poſsit eſſe per

Deum

Deum verum; licèt de se ferat etiam iuramenta per falsa Numina ad veritatem iudicij sui elicienda tractare. Resp. 2. neg. anteced. ad cuius probationem transmissa maiori, neg. min. *ex textu in causa 22. cap. Movet te De Iureiurando*, vbi dicitur: *Qui vtitur fide iurantis per falsos Deos non peccat; similiter, qui accipit eiusdem iuramentum, quia illi permititur tale iuramentum.* Vnde ad rei claritatem oportet ipsam distinguere. Aliud enim est falsos Deos non habere vim testificandi veritatem, quænam enim erit fides à falso? Aliud autem ex falsis Dijs non posse fieri ligamen verum ad extorquendam veritatem; & hoc est falsum, quia nimirum hoc ligamen fit intra conscientiam vniuscuiusque, qui, si interponendo Numen suum (quodcumque illud fuerit) putat divinitatem illam (à se existimatam) vlturam fore, si res iurata violetur; arctissimo vinculo vinctus ligatur, vt veritatem aperiat, quare dixit Cicero *lib. 3. Officiorum. Nullum vinculum ad restringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt.*

25 Colliges 1. In superiori quæstione, doctrinisque à nobis stabilitis id nos pro nostro modulo effecisse, vt vtrinque scopulos vitaremus in primis, ne iuramentum ex vna parte illicitum; ex altera verò parte frequentandum esse dicatur: deinde conati sumus explicatius asserere eas doctrinas, quibus primi Patres in Schola vt August. *lib. de Mend. cap. 15. & lib. 1. de Serm. D. in Monte; cap. 30.* & S. Thom. *2. 2. quæst. 89. art. 5.* & deinde celebres Magistri, vt Tostatus, *Exod. 20. quæst. 9. & Math. 5. quæst.* 225. & Maldon. *Math. 3.* Suariusque *tom. 2. de Relig. lib. 1. de Iuram. cap. 2. & 25.* rem hanc tradiderunt; componentes interea, atque vidicantes propter rationes supra tactas, iuramentum non posse esse licitum ex sola permissione, sed altiores radices pro eius licentia, & honestate donandas esse.

26 Colliges 2. pro maiori elucidatione tenoris illius, quo præstandum est iuramentum, ne sit vitiosum multum, è re nostra esse verba Philonis *in lib. de Decalog. post medium*, ibi: *Qua propter iuraturus debet omnes rei circumstantias diligenter perquirere quanta sit, quam vera, quam bene à se præcepta: tum se ipsum considerare, num purus sit anima, corpore, lingua; illa ab iniquitatibus, hoc à piaculis, hæc à maledicentia. Nefas est enim per os, quo profertur nomen sanctissimum, quidquam turpe progredi: quæ datur etiam tàm loci, quàm temporis oportunitas. Novi enim quosdam profanis, impurisque locis., vbi nec Patris, nec Matris, nec cuiuslibet honesti viri mentionem deceret fieri, deierare, & quasi conceptis verbis iusiurandum texere, multis Dei cognominibus præter omne decorum cum impietate maxima. Quod si cui hæc contemnenda videntur, sciat se primò sceleſtum esse, impurumque, deìn obnoxium diris vltricibus per occasionem exacturis inclementer pœnas debitas tantis sceleribus, quas tametsi divina iustitia non statim repræsentat sontibus; reddit tamen aliquando cum fœnore, quando maximè è republica esse iudicat.* Quæ verba satis denotant illas formulas iuramenti, quas Christus D. *Math. 5.* omnino à fidelibus extirpare contendit.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

VIDENS AVTEM IESVS TVRBAS, ASCENDIT IN montem, & cum sediſſet; acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos; dicens, &c.

*Mathæi 5.*

## ARTICULUS.

*VTRVM SERMO HABITVS IN MONTE CHRISTI AD DISCIPVlos ſuos, & relatus*, Mathæi 5. *idem ſit cum eo, qui* Lucæ 6. *refertur?*

### NOTABILIA.

1 SUppono 1. Quod cum lex Evangelica ad diſtinctionē veteris legis, vt alibi exponimus, ſit lex perfecta; & lex regalis, aut regia, quæ ducit homines ad perfectionem, & multimodis conſilijs eam docet, firmat, & fulcit; vix in tota lege hæc perfecta conſilia magis relucent, & colligantur, quam in illo celebri ſermone per Ieſum habito ad Diſcipulos in monte: quippè in quo non ſolum generatim via perfectionis iniungitur; ſed inſuper de lege nova ad veterem ſit reflexio frequentiſsima, & comparatio: nec non plura, quæ denuo adijci videntur, indigitantur, atque de fine beatitudinis in quam homo ſemper anhelat, multifariam diſſeritur. Sed quia tùm de hoc, tùm de alijs diſcrepare in ſua narratione videntur Mathæus, & Lucas, & aliunde eadem vtrobique videtur eſſe tradita ſumma doctrinæ; inde enaſcitur quæſtio: *Vtrum videlicèt idem, an diverſus fuerit hic ſermo relatus?*

2 Suppono 2. PP. & Interpretes de more ſemper eſſe copioſos, dum manus admovent ad textus elucidandos in eruendis, & non prætermittendis illis ſenſibus myſticis, tàm allegoricis, quàm moralibus, ſub quibus putant, & conſulunt, ne littera ſolum areſcat, ſed ad mores etiam, & myſteria ſuaviter difluat. Quod quidem genus interpretandi eſt optimum, & egregium; ſed quod non ad vias diſputatrices, quas in Palæſtra conſectari oporteat; ſed tantum ad commentarias, & interpretativas attinere videatur. Vnde quemadmodum noſter Maldonatus circa intelligentias allegoricas illorum verborum, *& cum ſediſſet*, quas adhibuit Hieronymus etiam

in

in vna commentarij, ſuperſedendum cenſuit; ita ego non admodum laborandum eſſe iudico circa illa alia verba, *& aperiens os ſuum*, in quibus, niſi myſteria eruant, vel inſinuent, non ſibi videntur Authores nobiles, & rei de qua agunt forè ſatisfacturi. Nam preſsè, & litteraliter loquendo, neque facilè pleonaſmon dixero, aut periſſologiam, quæ redundantiam redolent, ſed phraſim pro exordio longæ orationis peroportunam: non ſecus, ac longum quis ſermonem orſurus inſit, *aperiam vobis, quid ſentiam*, & ad calcem orationis; *dixi*, ſemper adijcitur: prima enim eſt phraſis, aut formula ligandi, atque conciliandi attentionem: ſecunda vero eſt formula eam deligandi, atque diſſolvendi; & ſicut prima valet *intentos vos cupio*, ſecunda valet: *Hactenus, & non deinceps ſit veſtra attentio.* Quam ob rem illa verba, & *aperiens os ſuum, docebat eos dicens*, tantundem valent, ac ſi Evangeliſta dixiſſet: *Et captata intentione, & attentione ad ſequturam doctrinam, incæpit ſic. Beati, &c.* Vnde correlativè ad tenorem quo dici ſolet de ijs, qui præſtant attentionem homini loquturo, quod *ora tenent*, iuxta illud Poetæ *conticuere omnes, intentique ora tenebant*, ſic de homine loquuturo, dum eandem ſibi vult captare attentionem, dicitur, *os aperire* ad loquendum: atque vt hanc formulam magis conſtet eſſe adagialem; ſic recenſetur per Patrem Andream Scotum, virum noſtræ Societatis in adagialibus Novi Teſtamenti ad hunc locum Math. vbi ait; hanc formulam ſignificare ſilentium rumpere, non ſecus ac rumpere ſonos eſt phraſis poetica, & quidem pereleganter inducta in illud diſtichon, quod propè Burgos extat in Cartuſienſi Monaſterio; ad expreſsionem elegantis ſculpturæ de Sancto Brunone, & ait: *Rumperet ore ſonos etiam; ſed ſancta ſilendi regula, compoſito, non ſinit ore loqui.* Non ab ſimiliter puto eſſe philoſophandum de elevatione oculorum, dum textus dicit, *& elevatis oculis in diſcipulos ſuos*, in quo nihil aliud ſignificatur, quam loquentem viciſsim dirigere ſermonem ſuum in illos, quos volebat attentos: quod per elevationem oculorum ſignificatur, vel quia dum in alios intendimus, opus eſt, crebro attollere palpebras, quæ paſsim ſua nativa palpitatione, & motu cadunt: ſive, quia cuiuſvis mediocriter modeſti eſt oratoris, antequam ſilentium rumpat, oculos habere demiſſos, donec exorſus conijcit in auditores oculorum aciem, ſimul, & verba. In quo plus forte Caietanus dicens, Chriſtum demiſsis oculis prædicare per Toletum excipiendus eſſet, ſi dixiſſet, id ſolum fuiſſe in Exordio; ſed cum expreſsè dicat, *demiſsis oculis Ieſus prædicabat*, non potuit, non ab illo minoris probabilitatis in hac re iuſtè taxari.

3 Suppono 3. Quod tàm apud Lucam, quàm apud Mathæum, Turbæ, quæ commemoratæ ſunt Chriſtum ſequi, interfuere concioni; quia licèt noſter Maldonat. opinetur eiuſmodi concionem ad ſolos Diſcipulos habitam fuiſſe, eo quòd ipſe, vt eliciat concordiam, duplicem ponit aſcenſum in montem, proindeque in primo aſcenſu, vbi concio habita fuit, negat aſcenſum turbarum; nihilominus prout obſervat Illuſt. Siurius, non videtur negari poſſe Turbas interfuiſſe concioni. Vnde Eminent. noſter Card. Toletus, loco infrà citando apud vtrumque Evangeliſtam, planè aſſeverat, Turbas interfuiſſe concioni per „ hæc verba. Neque obſtat vtrumque „ ſermonem Turbas fuiſſe miratas: „ namque vt Hilarius, & Chryſoſto- „ mus affirmant, vtrique ſermoni Tur- „ bæ interfuerunt. De ſermone qui- „ dem apud Lucam certa res eſt, de „ ſermone apud Mathæum id ipſum „ probabiliſsimum eſt, nam in mon- „ tem aſcendit, Turbæque ſequutæ „ ſunt: omnibus autem ibi exiſtenti- „ bus Diſcipuli acceſſerunt ei, quibus

„ incæpit prædicare bonam partem „ fermonis : de beatitudinibus , & „ collatione ſalis, & lucis ; reliqua ve„ ro Turbis communia fuere. Iuxta quorum verborum tenorem manet hæc ſuppoſitio noſtra præiacta , & ſic intellecta.

4 Quibus , poſitis accedendo ad ſententias. Prima , quæ problematica eſt habet præclarum Virum Anteſignanum, ſcilicèt Aug. qui tùm de Serm. D. in monte; tùm *lib. 2. de Conſenſ. Evangeliſtarum, cap.* 19. hanc quæſtionem ſolita ſua profunditate diſcutit problematicè (ſolent enim ingenia, quæ ſunt plena , & fœcunda ſimul , & maxima vtraſque partes in rebus difficilimis, ſua vi , & vbertate locupletare , vt Auguſt. Toſtatus, & alij, in quo, veluti Doctores Maximi, inferiores alios Doctorum manipulos etiam inter ſe diſſidentes fovere ſimul , & armare conſueſcunt. ) In quo problemate habet ſuos aſſeclas Auguſtinus , ſcilicèt Nicolaum de Lyra , *Luc. 6.* & Dioniſium Chartuſ. *Math. 5.* Secunda ſententia ait diverſos fuiſſe ſermones illos quos citatis locis Evangeliſta vterque commemoravit. Pro qua ſententia ſtant Author imperfecti , *homil. 9.* Chromatius *Math. 5.* Greg. *homil. 9. in Ezeq.* Baſ. *hom. de Bapt.* Ludolphus Carthuſ. *part. 1. cap. 32.* Caiet. *Lucę 9. 9.* Toletus *Lucæ 6.* annot. 13. Barradas *tom. 2. lib. 7. cap. 1.* Silveira *tom. 2. lib. 4. cap. 10. quæſt. 2.* Tertia ſententia eundem putat vtrobique relatum fuiſſe ſermonem : quam tuetur Tatianus *in harmonia* , Hieron. *in Commentar.* Chryſ. *homil. 5. in Math.* Origenes *tract. 24. in Math.* Euthimius , & Theophi. *in Comment.* Ianſenius , *cap. 39. Concord.* Salm. *tom. 5. tract. 2.* Baronius anno Chriſti 33. , *numer.* 10. Torniellus Hugo Cardinal. Abulenſis , Maldonat. Franciſcus Lucas. Brugenſis. Cornelio Alapid. & alij , *ad cap. 5. Math.* Marian. Stella , & Æſtius, *ad cap. 6. Lucæ* & noviſsimè , & erudite Illuſt. Don Marcellin. Siuri , Epiſcop. Corduvenſis copioſus, ſoliduſque *tractator Evangeliorum , tract. 35. cap. 1.* in quos ſemper propendet mea ſententia , licèt inter vtranque viam , qua Auguſt. etiam partes affirmantes de identitate ſermonis dilucidavit, medius ſteterim , poſtquam duplicem aſcenſum in montem , quem ſubtiliter Maldonat. induxit , non cooptavi , dum meliora affulgent ; certe cooptaturus, ſi alia via non ſupereſſet.

5 Dico igitur : *Vnus , & omninò idem fuit ſermo Chriſti in monte relatus à D. Luca, & Mathæo.* Probatur 1. Concluſio ex his, quæ rectè ponderat Illuſt. Siurius , qui vix dicenda relinquit. Quoties duo Hiſtoriographi de vno, eodemque heroe Scriptitantes factum dictum vè attingunt , quod penitus in vtriuſque relatione apparet eſſe idem quoad ſubſtantiam , & circumſtantias; idem omninò dictum , aut factum per vtrumque Scriptorem tactum fuiſſe, cenſendum eſt; niſi in oppoſitum ſit aliquid efficax ; quod è contrario rem accidiſſe convincat. Sed factum memoratum ab vtroque Evangeliſta apparet eſſe idem quoad ſubſtantiam , & circumſtantias ; & deinde nihil eſt , quod efficaciter ſuadeat oppoſitum : ergo talis ſermo Domini in monte credendus eſt vnus , & idem. Minor quoad ſecundam partem conſtabit ex ſolutione argumentorum ; quoad primam vero. Prob. quia in primis quoad ſubſtantiam idem planè fuit ſermo apud Lucam , qui apud Mathæum. Tùm quia idem fuit initium , & finis , ſcilicèt , de paupertate ſpiritus , & de ædificante domum ſupra petram : Tùm quia in corpore concionis eadem fuit ſumma doctrinæ , niſi quod ea , quæ fuſius apud Mathæum per tria capita diſtenduntur , Lucas contractius vno capite cinxit; &, ſi vtrobique varietas nonnulla interſeritur , non pertingit ad *Maximas* principaliores , ſivè ad capitalia doctrinæ , ſed ſunt veluti de eadem doctrina appendiculi , vel ſententiolæ promanantes , quarum alias

alter,

alter, alter alias Evangeliſta colligit. Quoad circumſtantias vero temporis loci, atque perſonarum apparet etiam identitas. Tùm quoad Diſcipulos, & Turbas; quia quod apud Mathæum de Galilæa, Ieroſolymis, Decapoli, & Iudæa videantur eſſe collectæ; apud Lucam vero nonnulla alia loca vnde confluxerint, memorentur; id eſt nullius momenti ad diſcriminandum: ſiquidem eo ipſo, quod Turbæ ſint, & dicantur, non ita facile debent, nec poſſunt ſingillatim, & præciſo calculo loca vnde fluxerunt, commemorari; quia quemadmodum illæ non populus dicuntur, ſed Turbæ, ita viciſsim locorum commemoratio, eò magis apta eſt, quò magis debet eſſe promiſcua. Quoad tempus vero, quia ſignanter dicitur ab vtroque Evangeliſta, Chriſtum Dominum ſtatim à prædicto ſermone introiſſe Capharnaum, & ibi Centurionis puerum ſanaviſſe. Quoad locum tandem, quia locus Campeſtris, quem memorat Lucas, erat in monte, quem Mathæus commemoravit: ergo idem fuit quoque locus ad vtroque commemoratus. Probo hoc vltimum anteced. Primo: quia Chriſtus non ſtetit, vel ſermonem habuit poſtquam deſcendiſſet penitus de monte; & in Campo, vel Valle verſaretur, quo quidem modo dicendum erat, ſi ita acciditſſet; ſed dicit, quod deſcendens *ſtetit in loco Campeſtri*, id eſt in ipſo actu deſcendendi per montem, qui non vndique erat acclivis, invento loco plano (id enim ſignificat locus Campeſtris in rigore Græco, & Latino) valde oportuno ſtetit, vt ibi concionem haberet, quam, ſedens re ipſa, habuit. Non ſecus ac ſi noſtro Hiſpano idiomatè diceremus, *y baxando por el Monte ſe parò con ſus Diſcipulos en vn buen llano, que hacia.* In quo loquendi modo nemo ambigeret, quin ſtatio illa adhuc verſaretur in monte. Probatur 2. Ex traditione peroportuna quam Illuſt. Siurius *affert ex Quareſmio, lib. 7. Peregrinat. 5. cap. 1.* vbi ait: *Non eſt multum excelſus mons iſte* (in quo ex veteri traditione talis ſermo habitus eſt) *ſi comparetur ad inferiorem circumſtantem planitiem, quæ & mons appellari poteſt, reſpectu inferioris regionis, per quam venimus.* 3. Quia loca montana vocantur Campeſtria Moab, quæ quaſi media ſunt inter Valles, & iuga, vt conſtat *Numerorum 22. verſ. 1.* Probatur 4. Quia ita certum eſt ex Patrum traditione, & Interpretum receptione ſolemni, hunc ſermonem in monte habitum fuiſſe à Chriſto, vt Eminent. Card. Toletus pronuntiet nulla probabilitate poſſe oppoſitum ſubſtineri. Atqui duplex ſermo, quem propterea nonnulli Authores comminiſcuntur, & duplex aſcenſus, quem Maldonatus excogitavit ita videntur repugnare identitati ſermonis ſupra ponderatæ, vt videantur arbitraria effugia ad concordiam Evangeliſtarum: ergo locus talis concionis in medio clivi erat planus, quo planè componi queat ſermonem fuiſſe Domini in monte, & eundem etiam fuiſſe habitum in loco campeſtri. Hoc poſito fundamento pleraque argumenta procumbunt, & complanantur.

6 Obijcies 1. Illud argumentum, quod tamen non eſt ſupra tactum, & ex ordine Evangelicæ narrationis Phariſæorum per Lucam relatus, habitus fuit poſt electionem Apoſtolorum, vt planè conſtat ex ipſo textu: ſed ille, qui relatus eſt per Mathæum fuit ante electionem prædictam, quam ipſe Mathæus poſtea 10. capite recenſet: ergo non eſt idem ſermo. *Confirmatur* 1. ex Toleto. Quia curatio leproſi fuit ante ſermonem Lucæ, *vt conſtat cap. 1.* ſed tamen fuit poſt ſermonem Mathæi, *vt conſtat cap. 8.* ergo, &c. *Confirmatur* 2. Si ponitur, quod eſt idem ſermo, coguntur inde Authores ad ponendos duos Centuriones; ſed hoc eſt longe peius quam ponere duos fuiſſe ſermones: ergo duplex fuit. Ad hoc argumentum, quod fateor fuiſſe mihi pluſquam operioſum; vt reſpondeam

præ-

præmittere oportet ex Mariana noſtro, id quod in huiuſcemodi argumentis de anticipatione apud Sacros Hiſtoricos vſurpata, non eſt importunum. Ait ergo in Diario vitæ, & actionum Chriſti, quod ad finem Evangeliorum adiecit, verba huiuſmodi: „ Operæ pretium forè putavi, ſi ad „ calcem Evangeliorum, Chriſti ac„ tiones, quo, quæque ordine, & „ tempore contigerint, brevi expli„ carem, vt quibus locis Evangeliſtæ „ diſsidere videntur, concordia eo„ rum melius intelligatur. Multa in „ eis anticipantur, multa poſtponun„ tur, quæ ſuis locis, & temporibus „ ſingula ex hoc veluti indice redden„ tur. Ea ſuſcepti novi laboris cauſa „ maioris, quam pro mole. Hactenus Mariana vir apprimè ſolidus, & doctiſsimus. Ex quibus verbis, & ex alijs Authoribus, qui circa libros Canonicos, tùm Prophetales, tùm Hiſtoricos, tùm Epiſtolares, vt in D. Paulo ſuas Chronotaxes elaborarunt, licèt colligere id, quod alias in primo Tomo meæ Palæſtræ me dixiſſe memini, cum Bonfrerio, ſcilicèt, vt in Sacro textu rite interpretando, ſemper in primis retinenda ſit res, & ſententia, quamquam hinc inde ex Authorum placitis non iret multum firma Chronologia, præſertim in illis rebus, vbi ſententia, & res non ſit Chronologica, cuius modi eſt tempus captivitatis Babilonicæ, & alia huiuſmodi. Veruntamen id ſaltem in hoc negotio actum eſſe videtur (ne ad libitum quiſquam dicat, hæc, vel illa in Sacris libris anticipata fuiſſe) quod quicumque hoc ſolutionis genere ſit vſurus, minimè id preſtet, quin ex ſe, vel ex alio probo Authore illius libri, in quo eſt quæſtio Chronotaxim bene perſpectam habeat, atque diductam. Quam ob rem cum præſens argumentum ſiat in Hiſtoria Evangelica; in mentem, & ad manum traxi, quos potui de illis Authoribus, qui geſta Chriſti Domini plus ex ordine, & Chronologia fuerint perſecuti: vt ſunt Ioannes Baptiſta Ricciolius vir noſtræ Societatis in ſua Chronologia Reformata. Garcias de Galarza in ſuis Evangelicis inſtitutionibus. Ioſephus Maria de Turre, Dominicanus in ſuis Inſtitutionibus ad Verbi Dei intelligentiam, & Ioannes Mariana in citato Diario. Ianſeniuſque in ſua Concordia. Quibus præſuppoſitis via duplici conabor argumentum diluere ſub hac forma.

7 Reſp. 1. ad argumentum ſectando veſtigia Illuſt. Siuri, qui obiectionem propoſitam ſatisſolide, & erudite diſſolvit, negando min. argum. Eo quod ſermo relatus à D. Mathæo fuerit per anticipationem ibi narratus, quamquam in re non niſi poſt electionem Apoſtolorum ijs contigiſſet (videtur tamen poſtea de oratione P. Noſter, non ſibi conſtare.) Volens enim Evangeliſta initio prædicationes ſelectiores Chriſti doctrinas illicò narrare, ita fecit, vt ab Exordio prædicationis dignoſceretur, quis eſſet Doctor, & quænam eius ſumma doctrinæ. Neque *Mathæus cap.* 10. tàm retulit Apoſtolorum electionem, quàm miſsionem illorum, vt in ipſo capite legi poteſt. Cumque Mathæus ipſe vocationem ſuam narret, *cap.* 9. ſitque inveriſimile, ante ſermonem in monte omnes duodecim Apoſtolos iam non fuiſſe vocatos, infertur manifeſta anticipatione vſum fuiſſe Mathæum. Quæ quidem anticipatio præterquamquod ſatis conſtare videtur ex Concordia Ianſenij, qui multa cohærentia, Chriſti geſta perquirit; fundata eſt in minutiſsima Chronotaxi Evangelica, quam Illuſt. Petrus Garcia de Galarza *lib.* 8. *de ſuis Inſtitutionibus Evangelicis Confecit*: quippè anno 32. Chriſti (omiſſo interèa, quot vixerit) die 31. Maij ponit matutino tempore electionem duodecim Apoſtolorum ſubiungens, *deſcendit cum eis ad campeſtria, forte ad montis colliculum* (quæ eſt noſtra ſententia) & poſtea refert eodem die in ſuas partes diviſum ſer-

sermonem Christi in monte. Ex quo ordine licet conijcere, quod si vnus, & idem sermo fuit, vt videtur clamare tota eius doctrina, & sententia; Mathæus per anticipationem posuit sermonem ante electionem Apostolorum, si etiam velis ab eo narratam, *cap.* 10. si autem secus, eam reticuit; licèt semper videatur, anticipatè retulisse sermonem, tùm propter vocationem Mathæi dictam, tùm propter leprosum post sermonem sanatum, qui ante sermonem sanatus refertur à D. Luca. Vnde patet ad primam confirmationem. Ad secundam vero plane negatur assumptum, quod non probatur, imò è conttario, apud exactos coordinatores gestorum Christi Marianam, & Galarzam vnicus dumtaxat Centurio resultat.

8 Resp. 2. Stando Chronotaxi doctissimi Viri nostræ Societatis Patris Ioannis de Mariana, qui præterquamquod nostras est, habet in se plura quæ eius placitum in hac re abunde commendant. Siquidem præterquamquod Diarium suum quadraginta, annis post Galarzam multo labore confecit, nactus est insuper multa, quibus in hac re plurimum iuvaretur. Primo exemplar Gothicum antiquissimum ante eversam Hispaniam à Mauris. Secundo. Novum Testamentum Syriacum. Tertio. Græcum Testamentum singulariſsimum, quod ex decem, & sex alijs Græcis exemplaribus fuerat castigatum per Petrum Fagiardum Marchionem de los Velez. Quarto. Notationes quasdam Lovanienses. Cum quibus tantis auxilijs vir sane tantus quantæ fidei opus est credendus elaborasse? Ex hoc ergo viro respondeo ad hoc argumentum, neg. maior. Quia licèt aliqui Apostoli vt Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, atque Philippus vocati fuissent ante concionem; tamen duodecim Apostolorum electio dicitur ab hoc Authore, per anticipationem à D. Luca fuisse narratam. Siquidem ab eo sermo habitus in monte ponitur anno 31. Christi, & post sermonem curatio Leprosi, prout Mathæus narrat: posteaque anno 32. Christi, post vocationem ipsius Mathæi, & alia, ponit electionem duodecim Apostolorum: quare ex hoc per erudito Authore negatur illa maior; & totum argumentum inde procumbit: quæ via solvendi nemo negabit, quin evadat tuta, & probabiliſsima. Ex qua etiam patet ad primam confirmationem, retinendo nimirum, Lucam anticipatè retulisse curationem leprosi, & ad secundam negando, inde cogi ad duos Centuriones, vt ex toto tenore illus Chronotaxis apertè constabit. De quibus duabus solutionibus quamvis non negem, hanc posteriorem propter ea, quæ retuli, videri mihi probabiliorem; tamen non nego similiter me quoties relego textum Lucæ ad priorem plus inclinare: videtur enim ibi Apostolorum electio tam assuta verbis, re, atque contextu cum sermone in loco campestri post subsequto, vt, si hic vnus, & idem sit cum sermone Mathæi, subsistineri re ipsa non possit electionem duodecim Apostolorum ad sermonem hunc non præcessisse; nisi narrationem, & seriem notissimam evertendo, aut per negando, quod minus oportet. Vnde præsertim in Palæstra disputratice consultius erit ad solutionem priorem se recipere.

9 Obijcies 2. Sermo relatus ab vtroque Evangelista habitus est in diversis locis: ergo non est idem. Consequentia tenet, non enim ponimus Christum Dominum bilocatum. Antecedens patet. Nam apud Mathæum 5. habitus in monte fuit iuxta illa verba, *ascendit in montem, & cum sedisset, &c.* Apud D. Lucam habitus fuit in loco campestri, seu plano. Atqui non est idem locus mons, & planities: ergo, &c. *Confirmatur.* Ex modo loquendi Evangelistarum. Nam alter dicit *cum sedisset*, alter dicit, *descendens stetit.* Sed proculdubio oppositæ

sunt, *stare*, & *sedere*: ergo, &c. Ad hoc argumentum, quod ex probatione nostræ conclusionis venit iam multum enerve. Respondeo, negando antecedens, ad cuius probationem, distinguo minorem. Idem locus quasi indivisibilis, & brevisimus, concedo minorem. Latus, & divisibilis; subdistinguo secundum eandem partem, concedo minorem, secundum diversas, nego minorem, & consequentiam: Itaque iam explicuimus illum montem, quem Turre, & Galarza Tabor esse indicant, eo situ esse, vt inter vallem, & montis verticem planities quædam clivum ipsum intersecaret, vbi descendens Christus, stetit in loco campestri, vel plano, quamquam in monte ipso verè adhuc Dominus versaretur. Qui modus conciliandi (post Augustinum) Abulensi Galarzæ, & Illust. Siurio probatior fuit, licèt subinde cum priore modo Augustini putet Iansenius, & alij, sermonem verè in monte non fuisse: quod nos sua sibi probabilitate relictum, modo non sequimur, vt communi traditioni de Sermone Domini in monte, semper, ac fieri posset, morem geramus. *Ad confirmationem*, concedo maiorem, & distinguo minorem relatè ad tempus diversum, nego minorem, relatè ad idem; subdistinguo, *stare* pro *sistere*, nego minore, *stare* iuxta rigorem *significati*, concedo minorem, & nego conseq. Quando enim quis ambulans alicubi vult sedere, prius stat, quam sedeat vnde, quod steterit in loco campestri nihil obstabat quominus statim ibi etiam sedisset. Præterquamquod stare nihil aliud significat ibi, quam sistere, & consistere in loco, quod cum propriè solius sit ambulantis, ideo dictus est Dominus stetisse, quia qui prius ambulans vult in loco consistere, per prius necesse est illum stare quam sistat.

10 Obijcies 3. Apud vtrumque Evangelistam concio habita diversa fuit: ergo non prorsus eadem. Probo antecedens. Quia nonnulla sunt apud vnum, quæ apud alterum non inveniuntur: ergo diversa fuit concio. Antecedens patet, quia apud Lucam inveniuntur exclamationes adversus divites, adversus saturos, & vanos homines per particulam *væ* geminatam, & apud Mathæum invenitur oratio *Pater noster*, quæ non invenitur in Luca: ergo, &c. Ad hoc argumentum, resp. disting. antec. fuit diversa quoad rem, neg. antec. quoad narrationem, subdist. quoad substantiam, neg. antec. quoad stylum, & alia accidentalia, conced. anteced. & nego consequent. Cum enim dicimus, eandem concionem fuisse, quam Christus reipsa fecit in monte, & quæ ab vtroque Evangelista refertur, non est in animo, vtrobique easdem omninò clausulas, eundem ordinem, easdem vtrobique sententias repertum iri; hoc enim, & foret mera transcriptio, & in disputationem prudentem cadere non posset; sed quod ex summa doctrinæ, quæ recensetur, & ex circumstantijs in probatione iam ponderatis propè violentum esset, non opinari eundem fuisse sermonem, vt videtur se explicare Iansenius *cap.* 39. *Concordiæ*. Cùm autem Mathæus testis oculatus gestorum Domini (& iuxta priorem solutionem supra datam, auditor illius) fusius eam concionem expresserit; & nonnulla inseruerit, quæ reticentur in Luca, vtpotè, qui ab alio acceperat Evangelium; mirum non est, si tamen (vt cernere est in clausulis D. Lucæ) hic presso, & laconico stylo ferè vniversos articulos claudit illius famosæ concionis. Vnde, & octo Beatitudines reducit ad 4. quæ ex Ambros. eædem sunt. Et etiam de oratione *Pater noster* sparsim documenta feruntur, vt doctrina de respiciendo Deum, *vt Patrem*; de dimittendo debitoribus nostris, vt nobis dimittat Deus debita nostra. Itemque Lucas *cap.* 12. alia habet, quæ *Math.* 6. dicuntur. Illæ vero exclamationes, quæ

quæ recenſentur in Luca, non tàm eſt pars doctrinæ (vel ſi ſunt; recidunt in Beatitudines dictas per Mathæum,) quàm Apoſtrophes ad audientes ex illa manantes, quæ proinde adijciantur; nec ne, nihil immutant de tenore doctrinæ. Quare concluditur tandem nihil roboris ſuper eſſe, quo duos convincatur diverſos fuiſſe ſermones.

11 Colliges in hac quæſtione diverſimode iuxta ſupra tactas vias ordinem Hiſtoriæ fore texendum. Vel cum Illuſt. Siurio, dicendo, Chriſtum de more cum Diſcipulis orantem, ac pernoctantem, manè, duodecim electis Diſcipulis, per declive deſcendentem cum illis in Campeſtri loco, Turbas offendiſſe, iam adventantes, ibique nactum oportunitatem loci, & audientium, conſtitiſſe, ſediſſeque, & feciſſe concionem. Vel dicendo iuxta ordinem à nobis cum Mariana inſinuatum, eum rerum geſtarum potius ordinem eſſe tenendum, quem ſervavit Mathæus, nimirum, priuſquam duodecim Apoſtolos elegiſſet, ſermonem in dicto monte, ſeu montis parte Campeſtri fuiſſe peractum.

12 Obijcies 4. Inveriſimile eſt, quod ſit idem ſermo: ergo eſt diverſus. Probo antecedens inveriſimile eſt, quod Chriſtus non repetiverit ſuam doctrinam Diſcipulis. Sed, poſita repetitione inveriſimile eſt, quod non fuerit diverſus ſermo: quando multis diſcrepant: ergo, &c. Reſp. neg. antecedens, & conceſſ. maiori probationis, nego minor. Nam, cùm omnis individuatio præſertim Vulgaris ſumatur à circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum ſimul cum materia; cum hæc ex dictis in vtroque caſu tam penitus conſentirent: potius videtur inveriſimile contrarium, etiam conceſſa in Chriſto repetione ſuæ doctrinæ.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO OCTAVA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

IESVS AVTEM INCLINANS SE DEORSVM DIGITO scribebat in terra. *Ioann. cap.* 8. *vers.* 6.

### ARTICULUS.

*V. CHRISTVS DOMINVS IN TERRA SENTENTIAM ALIQVAM scripsisset?*

1 Uppono 1. Historiam Evangelicam, de qua est quæstio, fuisse huiusce modi. Perrexerat ergo Christus de Templo ad Montem Oliveti, cui, indidem ad Templum reverso, quandam mulierem Pharisæi adulteram præsentarunt, de lapidatione secundum legem illam postulantes: quia licet lex, vt obseruat Tyrinus solùm præciperet occidendam; Iudæi tamen ex alijs criminibus sic taxatis, genus mortis determinabant. Iesus vero, ait textus, ad hæc deorsum se inclinans *digito scribebat in terra*, quod & rursus præstitit, dum ipsi tamdiu perstiterunt in accusatione, quousque dixit eis Dominus, mulierem vtique lapidandam ab eo, qui criminosus non esset. Quo audito cuncti, & seniores primum, protinus disparuerunt, relicta muliere, quam Christus, ne rursus peccaret admonitam, & absolutam dimisit. Circa cuius historiæ authoritatem multis olim disputatum est eo, quod in multis Græcis, & Latinis codicibus desideraretur, proindeque à multis Patribus non prorsus, vt canonica tractaretur. Sed cùm per Sacrosanctum Concil. Tridentinum in hac re omne dubium sublatum sit, ita vt, & esse canonicam, & esse D. Ioannis declaratum sit; iam vix in Latino aliquo codice desideratur; secùs vero est in quibusdam Græcis. Pro qua re gravius, & funditus haurienda legi poterit Maldonatus: interea tamen præterire non lubet, quod *cap.* 7. Ioannis ad hanc historiam antecedens, sic clauditur: *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat*: vbi vt patet mirè concordat cum historia adulteræ post subsequente.

2 Suppono 2. *Scribi in terra* multipliciter sumi. Primo: quasi contrapositè ad hoc quod est *scribi in Cælo*, Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis*, vel in libro viventium iuxta D. Hieronym. apud Delrio *Adagio* 849. qui ait: *Scribentur in terra: delete de libro viventium: sicut enim qui potest cum Apostolo dicere noster autem municipatus in Cœlestibus scribitur Philip. 3. sic qui relinquit Dominum, vel declinat ab eo, scribetur in terra cum his qui*

*qui terrena ſapiunt.* Secundo: proximè ad ſuperiora ſcribi in terra dicuntur potentes ſæculi, qui ſuos titulos, & inſcriptiones inſculpunt lapidibus, & columnis, poſteritas cauſa, vt Abſalom, 2. *Reg.* 18. & iuxta illud *Pſal.* 48. 12. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis, qui cito evaneſcunt.* Tertio: ſumi ſolet quaſi proverbialiter pro eo, quod eſt *ſcribere in aqua*, vel *ſcribere in pulvere*, quatenus character ibi conſiſtere, & permanere non poteſt; non ſecùs ac per Salomonem via adoleſcentis proverbialiter explicatur per tria illa difficilia, ſcilicèt, viam aquilæ in aere, viam navis in mari, & greſſum colubri ſuper ſaxum, quippè eiuſmodi ea ſunt, vt nullum ſui characterem relinquant, vel ſignaturam.

3 Suppono 3. Rationem dubitandi conſurgere in hac quæſtione, tùm ex ipſa difficultate facti, quod ſpecie tenus videtur tanto Domino alienum, & indecorum, ita vt hic Theodorus ille Beza, quem Ariſtarchum Maldonatus appellitat, ceſpitaverit, quatenus rugoſo homini id non eſſet planum. Tùm ex mira varietate Sanctorum interpretantium, & mille ſenſus, iam myſticos, iam ad contextum compoſitos fabricantium. Tùm ex eo quod difficile appareat, ſi vlla fuiſſet ibi ſcripta ſententia, non propterea ſcriptam eſſe, vt alicui innoteſceret, ſivè adulteræ, ſivè accuſantibus, ſivè Diſcipulis, & rurſus adhuc eſt difficilius, quod ſi hæc ſententia à Chriſto ſigillatim characteribus expreſſa alicui innotuiſſet; nullum ſui veſtigium relictum eſſet poſteritati. Itaque inquirimus: *An Chriſtus Dominus aliquid ſcripſerit in terra, vel potius inſtar ſcribentis ſe geſſerit?*

4 His poſitis duplex eſt oppoſita ſententia prima, eſt Chriſtum Dominum nihil ſcripſiſſe; ſed potius ſe geſſiſſe inſtar ſcribentis. Quam ſententiam tenent in hunc locum Beda, Euthimius, Rupertus, Ariaſmontanus, Caiet. Maldonat. Ribera, Ianſenius, & alij. Secunda ſententia eſt plurimorum, qui aſſerunt, aliquid ſcripſiſſe: qui poſtea ſubdividuntur iuxta diverſitatem ſententiæ, quam quiſque putat à Domino ſcriptam eſſe. Verum ante quam eos recenſeam ſtat in primis pro ſententia, iam relata, P. Martinus Delrio *in Adagijs Veteris Teſtamenti, Adag.* 849. vbi cum Chriſtus non ſemel, ſed bis perſiſtentibus Phariſæis ſe inclinaverit ad ſcribendum in terra, notat pro ſecunda vice conſentire cum relata ſententia Hieronym. 2. *contra Pelagianos, cap.* 6. & Auguſt. & Thom. in Ioannem. Iam ſecunda opinio, quæ ſubſtinet, Chriſtum aliquid ſcripſiſſe habet plures Authores, quorum alij vt Gloſſa, Haimo, Bonaventur. Gagneius dicunt, ſcripſiſſe peccata Phariſæorum: alij dicunt ſcripſiſſe aliquam ſententiam ad redarguendum Iudæos, & Phariſæos peraccommodam, ſeu de Scripturis depromptam: ita Raban. Tyrin. cum Ambroſ. *Epiſt.* 58. & 76. Alij communius cenſent Chriſtum Dominum in terra ſcripſiſſe ſententiam illam, quàm ſtatim ſe erigens Phariſæis exprobravit, quàm tenent Hugo Cardinal. Lyra, Claudius Guilliaudus, Cornelius à Lapide, Salm. & Barradas ſuper hunc locum. D. Siuri *tom.* 1. *tract.* 10. *ſap.* 2. *num.* 22.

5 Sit noſtra concluſio cum prima ſententia cum qua dicimus, Chriſtum Dominum, tàm prima, quàm ſecunda vice nihil Grammaticaliter ſignificativum in terra ſcripſiſſe, ſed dumtaxàt ſe geſſiſſe inſtar ſcribentis. Probatur hæc concluſio. Factum aliquod Chriſti, quod in ſpecie ſua oſtendit difficultatem interpretandi; litteraliter, & ſolidè explicandum eſt per germanam intelligentiam, quam habere ſoleat in Scripturis illa phraſis, qua tale factum explicatur in textu. Sed phraſis, qua Chriſtus dicitur in terra ſcripſiſſe accipitur in Scripturis frequenter pro ſua ſignificatione contemnendi, vel nihili faciendi id, quod dicitur in aures perſonæ ſic ſe gerentis:

ergo Christus solum se gessit instar scribentis in terra, non tàm vt aliquid verbis scriptis significaret, quàm vt ipsa actione scribendi, se nolle respondere significaret. Maior constat: quia iuxta nostras regulas interpretandi traditas in apparatu vtriusque tomi iam præcedentis regula est D. Augustini, quod interpretatio vnius textus per alterum est optima interpretatio. Minor probatur ex textu Ieremiæ *cap.* 17. *vers.* 13. vbi dicitur de peccatoribus: *Et recedentes à te, in terra scribentur.* Sed hic modus loquendi crebrò vsurpatur in Scripturis pro hoc quod est negligi, atque contemni: ergo, &c. Minor probatur. Iuxta P. Martinum Delrio in colligendis adagijs Veteris Testamenti facilè principem, qui veniens ad hunc locum Ieremiæ, sic se explicat: *Scribere in terra est simile adagijs: mandare folijs carmina; item scribere in pulvere, vel in aqua, hoc est pro nihilo habere, & contemnere, sumpta loquutione à gestu. Nam qui volunt ostendere se insuper habere, neque attendere ad id, quod dicitur, vel agitur, aut quia nihil ad eos attineat, aut quia indignum cui animum adijciant, solent baculo in terra impingere, aut scribere.* Atqui omnis phrasis adagialis frequens est. Ergo talis intelligentia *scribendi in terra*, pro hoc quod est nolle se immiscere in eo, quod agitur, vel auditur, in Scripturis frequens est.

6 Probatur 2. conclusio. Ea est probatior intelligentia textus, sub qua planior it tota cohærentia contextus, sed planior it cohærentia contextus, si Christus nihil significans scripsisset: ergo hæc est potior interpretatio. Maior est clara. Minor probatur primo. Nihil magis est cohærens contextui, quam id, quo Christus magis directè enervaret tentationem Pharisæorum, qui venerant tentantes eum, vt accusarent. Sed nulla erat melior via, quam prædicta: ergo, &c. Minor patet: quia vel tentabant ipsum iuxta plures Patres, & Doctores per insidiosum dilemma *de lapidanda muliere*, vt haberetur immitis contra doctrinam suam: *Discite à me, quia mitis sum. Vel de non lapidanda*, vt foret legis transgressor? Sivè tentatio erat ex Toleto, & D. Siurio, vt aliquid ex eo temerè immutativum, & correctivum legis elicerent? Sed in his insidijs nihil aptius, & connaturalius, quàm omne declinare responsum; & nihil minus aptum, quàm in terra sensum exponere: ergo, &c. Minor patet: quia, si aliquid scribere poterat declinando pressuram erat sententia illa *qui sine peccato est in eam lapidem mittat.* Atqui violentum est credere de quoquam, nedum de Christo, se cum præsentibus, & vrgentibus, respondere potius scriptura quam verbis: ergo, &c. *Confirmatur.* Et probatur secundo illa minor. Si Christus aliquid scripsisset, quod accusantibus posset esse responsum, illum non ita vrgerent prout inquit textus, neque ipse se iterum inclinasset nisi, vt aliam sententiam scriberet, quam divinatorium est comminisci. *Confirmatur* 2. Et probatur tertio illa min. Si Christus aliquid scripsisset, vt supra in notabilibus dicebamus, non poterat non innotuisse; sed si talis notitia cognita fuisset non poterat prætermitti ab Evangelista, tùm propter Authorem eius, tùm ne mutila prodiret historia: ergo, &c.

7 Obijcies 1. contra hanc conclusionem. Verba Sacræ Scripturæ iuxta regulam S. Augustini toto orbe litterario decantatam, atque receptam sunt accipienda in propria significatione quoties nullum resultet absurdum. Sed sic accidit in præsenti, quia nihil obstat quominus Christus aliquid significans scripsisset in terra: ergo ita fuit. Confirmatur ex Illustris. Siuri: quia quando aliquis sensus est dubius de originalibus elucidandus est: sed in textu Græco post illa verba, *digito scribebat in terra* subditur *non fingens, non simulans*: ergo, &c. Confirmatur 2. Ad hoc argumentum respondeo con-

conceſſa maior. negando min. Nam licèt non reſultat de tali intelligentia aliquid abſurdum, & diſſonum perſonæ Chriſti, qui certe poterat aliquid ſignificativum exprimere in terra; reſultat tamen aliquid abſurdum circa intelligentiam Scripturarum; quippè has neceſſe eſt interpretari iuxta ſuas phraſes, & idiotiſmos, & per verba Scripturæ benè intellecta definire facta: loquutiones enim metaphoricæ, & proverbiales tollendæ non ſunt, alioqui periret intellectus Scripturarum. Atque adeo, ſi quis, v. g. *cap.* 28. Eccleſiaſtici intelligat pro lingua tertia tres linguas, & non linguam ſuſurronis, perperam intelliget; non ſecus ac ſi inibi per ea verba: *Sepi aures tuas ſpinis* intelligeretur, ſpinoſum ramum auribus apponendum, & non cuſtodiam ab audiendo noxia; malè etiam intelliget: & brevitatis cauſa poteris excurrere per adagia phraſes, & idiotiſmos quos 1. *tom. in Apparatu* in vniverſam Scripturam congeſsimus, vnde dignoſces quantum ſequeretur abſurdum, ſi illa non ſervarentur, ad Scripturas intelligendas. In quod abſurdum inciderunt generatim loquendo cuncti Iudæi, & Hæretici, qui Spiritu Domini deſtituti nimis ad ſonum, & ſillabas attenderunt: Quare, & Auguſtino reſpondet cum alia regula ſua ipſe Auguſtinus 3. *de Doctrina Chriſtiana, cap.* 10. & 11. ibi: *Cavendum eſt, ne figuratam loquutionem ad litteram accipiamus, nec loquutio propria vt figurata accipienda eſt.* Item Hieronymus *in Oſſeam, cap.* 10. ibi: *Hanc habet conſuetudinem ſermo Divinus vt per Tropologiam, & metaphoram hiſtoriæ exprimat veritatem.* Ad confirmationem reſpondeo. Quod originalia malefida, & corrupta nihil poſſunt elucidare: itaque illud adiectum, & aliud quod Ribera commemorat, & ſimilia potius arguunt paraphraſes fuiſſe, quam textum, vbi paraphraſis ad mentem ſuam in margine rem prodit: & velut ait Ribera, de margine in textum irrepſit. Sed quoquo modo fidem non facit; & ſi faceret reponerem ego meum Delrium Græcè peritum ſic loquentem: *Et confirmant Græca exemplaria, quæ illic apud Ioanem verſ. 6. addunt: mè proſpoioumenos*, ideſt, *iudicium illud ſibi non vendicans: ſententiam ferre declinans.* Ex quo apparet, Doctores Catholicos debere non nimis inſiſtere in exemplaribus Græcis, aut Hebræis, niſi quando ſit in eis multa concordia, & non modica vtilitas; quia poſtquam hæretici Spiritum Domini deſerentes in litteram ſe dederunt, & linguas Sacras, ita vt editiones parent, atque multiplicent; talis recurſus poteſt eſſe periculoſus; cum illi audaces ſint, ita vt credi poſsint textui inſeruiſſe quæ cogitarunt.

8 Obijcies 2. Finis Chriſti Domini ſemel, & iterum fuit mulierem illam abſolvere, & liberare: ſed ad id potius congruebat ſcribere aliquid quod id obtineret, quam iudicium effugere, atque reſponſum: ergo in ſuis characteribus aliquid ſignificans expreſsit. Confirmatur. Nihil magis veriſimile poteſt eſſe contextui, quam, quod Chriſtus rogatus à Phariſæis, & ſe applicans ad ſcribendum in terra, id ibi pingeret, quod ſtatim eis reſpondit in verbis. Sed hoc fuit illa ſententia: *Qui ſine peccato eſt mittat lapidem in illam*: ergo, &c. Ad hoc argument. reſp. diſt. mai. Liberare illam eo modo quo ſimul ſibi conſuleret, & intentum Phariſæorum fruſtraret, conced. mai. Suſcipiendo in ſe directè iudicium illius, neg. mai. & & reſpectivè, diſting. min. neg. conſequentiam. Nam Chriſtus Dominus eo modo intendit adulteram liberare, quo illam liberavit, & quidem perfectiſsimo, quo omnia ſuaviſsimè perficiebat, nimirum fallaciam inſidiarum retundendo, & caſſando; perſonam verò ſuam, & doctrinam in ea indemnitate, quæ tunc opportebat, conſervando, & adulteram abſolvendo modo tam nobiliſsimo, vt non modo dilueret accuſa-

ſationem; ſed accuſatores accuſarent ſeipſos, & accuſatio prorſus extirparetur; ac nedum nata ſic fuiſſet, quaſi non fuiſſet: quæ omnia præſtitit. Primum pauliſper, quaſi ad ſe non attineret, declinando reſponſum; & deinde tale eis exhibens, vt quin attingeret cauſam, interrogantibus reſponderet tam ſuaviter, & fortiter, vt amplius accuſando perſeverare non poſſent. Ad confirmationem reſp. negando mai. quæ videtur clara. Nam potius credendum eſt in iudicio verbali, quod tunc agebatur, & poſtulabant, rem verbis tranſigendam eſſe, non ſcriptura præſertim in terra; is autem mos tradendi in ſcriptis ſententiam iudicis ore prolatam nunc pergat ſane feliciter in foro; ſed tunc ad rem profecto non erat.

9 Obijcies 3. ex Cardinal Toleto. Eatenus hæc interpretatio ſubſiſteret quatenus tale factum ſcribendi in terra eſſet indicativum abſtractionis cuiuſdam, vel neglectus illius, quod dicitur: ſed conſuetudo tale factum ſic accipiendi nullibi legitur: ergo nullum eſt fundamentum. Confirmatur 1. SS. PP. licèt differant in ſententia aſſignanda, tamen, aliquid ſcripſiſſe conveniunt ſignificativum vt conſtat in ſententijs, ex Hieronym. Bonaventura, Ambroſ. D. Thom. & Auguſt. *lib. 4. de Conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 10. Sed non videntur deſerendi: ergo. Confirmatur 2. Sancta Mater Eccleſia Sabbato poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ in Antiphona *Benedict.* ſic habet: *Inclinavit ſe Ieſus, & ſcribebat in terra. Si quis ſine peccato eſt mittat in eam lapidem*: ergo declarata eſt Eccleſia ſententia, quam ſcripſit Dominus. Ad hoc argum. reſp. conceſſ. maior. negando minor. Nec mirari deſino noſtrum Toletum talem morem legi deſideraſſe; cum hic paſsim occurrat ob oculos noſtros: dum ſæpiſsimè accidit, quod quis non nihil ad ſe directum obaudiens, & cui, vel propter rem, vel propter adſtantes non vult reſpondere, ſivè aliò avertit oculos, ſivè cum baculo ſcalpit in terra, vel quidpiam aliud agit, quo ſe inde alienum eſſe prætendit: neque ad id alio more opus eſt quam ipſa natura in cordatiſsimis etiam hominibus prudentiæ cauſa id poſtulante. Præter quæ vt ad adagio, & more ſatisfaciamus iam dedimus noſtrum Delrium teſtem quidem maiorem, vtpotè in eo aſſumpto ſingularem, atque Hebraicè, „ Græcè peritum. Ex quo inſuper, & „ Plutarcho, & Livio apud ipſum ad- „ dimus, tam vetuſtum eſſe per lineas „ ductas in terra coram alio alloquen- „ te, ſignificari quaſi contemptum rei „ aut prætermiſsionem; quod inde „ factum ſit, vt in Siracuſarum expug- „ natione miles domum Archimedis „ ingreſſus, cum eum inveniſſet lineas „ Mathematicas in pulvere deſcri- „ bentem, neque id intermitteret eo „ ſuperveniente, & adſtante, con- „ temni ſe ratus, ſenem interfecerit. Hactenus Delrius qui abunde ſatisfacit. Ad primam confirmationem reſp. SS. PP. eſſe quidem aliquos, ſed non omnes; nec ſentientes vnanimite; neque in re ad fidem, & mores pertinente: circa quam vnanimis ſenſus legem facit; de quo nos latè egimus *tom.* 1. *Dec.* 3. *quæſt.* 3. *& Dec.* 5. *quæſt.* 7. *& tom.* 2. *Dec.* 3. *quæſt.* 1. Nam vt obſervat Lirinenſis, & generatim Authores cum Auguſtino, in ijs quæſtiunlis, quæ in alterutram partem ſine iactura fidei definiri queunt; poteſt quis ratione, & Authoribus fultus opinari quod malit. Ad quod accedit, quod vt notavit Delrius, Hieron. Beda, & Auguſt. in ſecundo facto conſentiunt nobiſcum. Ad ſecundam confirmationem reſpond. S. M. Eccleſiam id ritè vſurpare, ideſt ſecundum Sacrum Ritum, ſe accommodando ei, quod eſt ad mores: quandoquidem non incongruit appropriare Chriſti manui, id quod ex eius ore prodivit; non tamen canonicè, & definitivè ita vt Authoribus non liceat aliter opinari.

Ad

10 Ad calcem huius quæſtionis obſervabis primo. Quomodo Hæretici hallucinentur. Nam primo Beza inde reijcit hanc hiſtoriam de adultera, quia ſolus Ieſus cum ſola adultera relictus ſit: non intelligens ibi ſolum eſſe ſermonem de toto ſtrepitu iudiciali, quatenus tota accuſatio diſparuit, & ſolum temanſit Iudex, & reus, licèt adeſſent diſcipuli, & Turbæ. Secundo. Vvicleph, & Ioannes Hus ex illis verbis: *Si quis ſine peccato eſt, &c.* Dicunt iudicem cum lethali carere poteſtate iudicandi. Quod eſt error. Nam ibi ſolum Chriſtus docet id, quod nobis cantat Paræmia, ſcilicèt, ne ſtudeamus conſuere veſtem alienam, diſciſa propria: & rurſus iudicem, coram Deo primo iudice non benè viventem indignum eſſe, qui iudiciaria poteſtate fungatur, qua tamen quandiu non exuitur, iudex eſt. Obſervabis ſecundo. Cardinalem Toletum qui affert eamdem vocem Græcam *me proſpiaſmenos* reddidiſſe ſic *non fingens aut ſimulans*; ſed tamen Delrium reddidiſſe dicendo *ſententiam declinans*, prout conſuli poteſt Lexicum Græco Latinum, vt in Adriano Iunio ego ipſe conteſtatus ſum. Obſerva tertio. Adulterum cum Adultera non præſentatum, forte armis ante, aut pecunia evaſiſſe lictores. Obſerva quarto. Pro noſtris Hiſpanicis traditionibus, quas ſervant Codices. Toletani, prout tradit D. Siurius, adulteram fuiſſe coniugem Manaſsè Ieroſolymitani nomine Suſanam, de qua Epiphanius, *hæres* 79. ait Claudiam fuiſſe fœminam Sanctam Iacobum ſecuutam in Hiſpaniam, vbi ſenio confecta migravit ad Dominum.

JHS.

# QUÆSTIO NONA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ET DEDERVNT SORTES EIS, ET CECIDIT SORS ſuper Mathiam. *Act. Apoſt. cap.* 1. *v.* 26.

## ARTICULUS.

*VTRVM RIGOROSA SORTE, AN SVFFRAGIJS ELECTVS fuerit D. Mathias?*

1 SUppono 1. Quod, licèt textus in Verſione Latina ſit ſatis elarus; tamen ex Verſione Græca roitur ratio dubitandi non contemnenda. Nam pro verbo latino *annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis*, habet Verſio Græca, *ſuffragijs adiunctus eſt*. Quare cùm tum ſorte rigoroſa, tùm rigoroſa electione res fieri potuiſſet; meritò dubitatur vtro ex his modis contigerit electio Sancti Mathiæ in Apoſtolum?

2 Suppono 2. Vſum ſortium fuiſſe pervetuſtum, tàm ex Sacra hiſtoria, quàm ex hiſtoria prophana. Ex illa quidem veluti conſtat ex 1. *Reg. cap.* 10. *verſ.* 20. vbi Saul per ſortem fuit Rex deſignatus, & *Ioſue* 7. *verſ.* 16. Acham ſorte deprehenſus eſt: & ex *Ioſue* 15. vbi terra promiſsionis fuit diviſa per ſortem. Et quidem ex hiſtoria etiam Eccleſiaſtica multa etiam patent exempla in quibus non niſi ſortitione, Dei beneplacitum etiam à Sanctis viris explorari ſolebat prout in Athanaſio, Severo Sulpitio, Gregorio Turonenſi, Bonaventura, & alijs, apud Lorinum facile eſt invenire: ac demum *Prov.* 16. expreſſa quidem ſententia à Domino olim probata eſſe cernuntur, ibi: *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Ad quod accedit illa celebris ſortitio memorata *in lib. Eſther, cap.* 1. per quam ad exitium Iudæorum menſis duodecimus elicitus fuit, vt interea Iudæi ſibi conſulerent. Ex hiſtoria prophana, quia vel chartulæ, vel teſſeræ, vel globuli, vel lapides ad aliquid ſortito eliciendum mitti ſolebant (apud Homerum, *Iliade* 7. iuxta modum ſupputandi priſcum ipſius) in galeam: apud Plautum in Caſsina mitti ſolebant in ſitulam: apud Ciceron *lib.* 4. *in Verrem* in hydriam: apud Virgilium *Æneid.* 6. in Vrnam. Ex Tacito *lib.* 10. & Sigonio *lib.* 2. *de Iudicibus cap.* 12. Romanorum dignitates diſtribuebantur per ſortes, vt offenſio quælibet tolleretur. Itidemque apud Græcos paſsim erat in vſu, vt vbertim conſtat apud Lorinum, *cap.* 1. *in Acta Apoſtolorum.*

4 Suppono 3. Similes ſortitiones de re quapiam multimodis, vt tetigi condiri ſolere, ſcilicèt vel per fabas veteres albas, & nigras, quæ adhuc in electionibus perſeverant, ſivè per litteras alphabeti, ſivè per calculos tenueſve laminellas aut teſtaceas tabellas prout refert doctiſsimus ille Iuriſconſultus Petrus Gregorius Toloſanus *in titul. de Electione, cap.* 3. Et in Syntagmatis Iuris, *lib.* 34. *cap.* 5. In quo genere ſortium duæ prohibitiones ſunt notatu digniſsimæ. Altera eſt ex iure naturali, & divino circa ſortitiones maleficas. Dœmon enim, vt de divinatione fucum faceret, daretque oracula, & præſtigias componeret, multas ſortitiones induxit, quibus malefici, & incantatores eum conſulerent, eiuſque opem implorarent. Quæ omnia, ipſa natura, & Sacra pagina reclamante, damnantur. Altera verò eſt prohibitio iuris poſitivi in iure Canonico, *cap. Eccleſia de Sortileg.* Ex ex Tridentino *ſeſſion.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* vbi indicitur, ne in paſtores, & Eccleſiaſtica beneficia electio fiat per ſortes, eò quòd ad talia munia aſſumi non debeat niſi perſona quæ omnibus inſpectis ſit dignior quod per cœcam ſortitionem præſtari non poterat. Quamobrem licèt ſortes ex ſuperſtitione, & vana obſervantia atque pro Canonico beneficio vſurpari non poſsint; tamen earum vſus vniverſim ſumptus carpi non debent ex Auguſtino varijs in locis *Epiſt.* 119. *cap.* 20. *Epiſt.* 180. *Pſalm.* 30. *concione* 2. *inlib.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 28. Ex Gregorio *cap.* 14. 1. *Reg.* Ex Origene *in Ioſue homil.* 23. Quomodo autem etiam pro Apoſtolo eligendo ſeu Paſtore magno id fuerit vſurpatum? reſpondent Auguſtinus *ſerm. de Sancto Mathia*, Chryſoſtomus, & Beda *in Acta Apoſt. cap.* 1. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. Id ab Apoſtolis factum fuiſſe ex more veteris Teſtamenti antequam Spiritum Sanctum accepiſſent; poſt illum verò acceptum, poſtea in electione Diaconorum, *cap.* 6. *Actuum* tale quid non vſurpaſſe. Cum ergo ex ſuperioribus conſtet pro ſortibus haberi fabas albas, & nigras quæ potius ſunt norma ſuffragij itemque alia ſymbola elicienda fortuitò, non incongruè *vtrum ex ijs modis hæc electio contigerit?* diſputabimus.

4 His poſitis varia in hac re Authorum placita recenſentur. Prima ſententia ſuſtinet tales ſortes potius quam

for-

ſortes debere intelligi vera ſuffragia, ita vt oratio Apoſtolorum prævia eo tenderet, vt lucem deſuper impetrarent, qua ipſi prænoſcerent in quem convenire deberent. Ita apud Cornelium Ioannes Gigneius, Alfonſus, Salmeron, & P. Gaſpar Sanchez quos tamen neſcio; an potius dubitativè, quam reſolutorie id pronuntient. Secunda ſententia intelligit per ſortem quidpiam quaſi divini muneris, & ad Mathiam fuiſſe divinitus declaratum, vel aliquo ſigno externo, vt tenent S. Antoninus 1. *part. titul. 6. cap. 2.* & Dyoniſius Cartuſianus ponentes pro ſigno radium, vel columbam. Item Dyoniſius Areopagita *de Eccleſiaſtica Hierarquia, canone 5. part. 3.* Turrianus, Baronius, qui tale ſignum non declarant. Huic ſecundæ potius quam primæ videtur noſter Sanchez accedere, *in Acta Apoſt. cap. 1.* Tertia ſententia defendit id non accidiſſe; niſi per ſortes rigoroſas, & eventus fortuiti. Ita P. Cornelius Alapide, & Pater Ioannes Lorinus *in hunc locum Act. 1.* nec diſſentit omninò P. Gaſpar Sanchez, qui & ait Magni nominis Authores id opinari. Item Ioannes Mariana apud eundem.

5 Sit mea concluſio cum hac tertia ſententia cum qua dico. Talem electionem exteriùs humana, & æqualis contingentiæ ſortitione factam fuiſſe; interiùs vero divina aſsiſtentia Spiritus Sancti, & providentia. Probatur primo concluſio: quoad vtramque partem ex Patribus, & quidem primo: ex Auguſt. *Pſalm. 30. concione 2.* ibi: *Audito nomine ſortium, non debemus ſortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam, & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Iudas tradito Domino perijt. Et ſicut de illo ſcriptum eſt. Abijt in locum ſuum, cœpit quæri, quis in locum eius ordinaretur. Electi ſunt duo iudicio humano, & electus de duobus vnus iudicio divino. De duobus conſultus eſt Deus, quemnam ipſorum eſſe vellet: & cecidit ſors ſuper Mathiam. Quid igitur eſt. In manibus ſortes meæ? Sortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam qua ſalvati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam vbi dicit ISTE FACIT, ISTE NON FACIT merita conſiderantur: & vbi conſiderantur, electio eſt; non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra invenit ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni ſumus.... Voluntas Dei in humano genere ſors eſt: ſors veniens de occulta Dei voluntate, apud quem non eſt iniquitas.* Ergo quoad electionem D. Mathiæ extrinſecus humana, & quaſi fortuita fuit facta ſortitio; intrinſecus autem erat gratioſa voluntas Dei, & providentia divina. Secundo: ex Origen. *homil. 23. in Ioſue*, ibi: *Quærens ergo de ijs invenio, & Salomonem in Proverbijs dicentem. Contradictiones cohibet ſors, & inter potentes definit, veluti ceſſare oſtendens contradictiones vbi mittitur ſors. Sed cum hæc in Teſtamento Veteri non pauca referri de ſortibus invenirem, converti me etiam ad Novum Teſtamentum, vt viderem ſi fortè, vel ibi contemnuntur ſortes. At ne ibi quidem earum vſus abijcitur: & invenio, quod aliquando cum deeſſet numero vnus Apoſtolorum, & eſſet neceſſarium loco Iudæ alium ſubrogari convenientes Apoſtoli, qui..... elegerunt duos, & ſtatuerunt in medio; nec tamen de ijs ſibimetipſis iudicium permiſerunt, vt illum facerent, quem ipſi volebant; ſed orantes miſerunt ſortem.... Præcedente namque oratione non iam caſu, ſed providentia ſors divinum iudicum deferebat.* Ergo, & veræ ibi ſortes intervenerunt, & vera divinitùs providentia præluxit. Vide etiam D. Gregor. 1. *Reg. cap. 14.* Nunc quoad primam partem.

6 Probatur ſecundo concluſio. Ex regula decantata S. Auguſtini verba Sacræ Scripturæ ſumenda ſunt in ſuo ſenſu proprio ſemper ac poſsint. Sed ea, quæ traduntur in textu propriè ſumpta ſolùm ſignificant electionem humanitus fortuitam: ergo ita ſumi de-

debent. Probatur minor. Illa verba, *& dederunt eis sortes*, tàm in sermone Græco, quàm Latino significant propriè solum sortes humanitus fortuitas. Sed insuper in eodem textu verbum aliquod similiter tale significans ad id præcisè trahi debet, licèt aliud quoque affine significet: ergo, &c. Maior constat, tum ex idiomatè Latino, vbi *sors* in sensu proprio nil aliud significat. Et vox *Cleros* Græca, quæ in textu est nil aliud propriè significat eodem modo. Minor etiam probatur. Quia quando in aliqua periodo vna vox dicit correlationem ad alteram, si prima in sensu proprio; vnico gaudet significato; & secunda gaudet illo quidem, & insuper alio; debet propter orationis cohærentiam secunda vox trahi ad significatum primæ. Sed in nostro textu prima vox clarè dicit *sortes*; & vox illa *annumeratus est*, tàm in Latino, quàm in Græco significat *alijs adiungi*, seu suffragio, seu sorte strictè tali: ergo, &c. Minor patet in Latino, & in Græco vox *Syncataphizomai*, significat *suffragijs seu calculis cooptari*. Atqui cooptatio per calculos indiferens est, vt fiat medio suffragio, aut sortitione, quia vtrique rei serviunt calculi, aut globuli: ergo, &c. *Confirmatur* 1. Quia sors ex D. Augustin. supra contraponitur electioni: ergo, &c. *Confirmatur* 2. Quia vt obseruat Lorinus, si fuisset sortitio mysterioſa per signum desuper immissum; Euangelista certè non illud prætermisisset: ergo, &c. *Confirmatur* 3. Si fuisset electio per suffragia, vel oratio, vt desuper aduenisset sortitio, aut electio Cœlestis, non statuissent duos tantum: ergo, &c. Antecedens patet quoad primum: quia ipsi inter omnes poterant eligere quem mallent. Item quoad secundum. Quia non poterant cingere, & quasi obligare Deum, vt ex illis duobus dumtaxàt vnum sibi Apostolum renuntiaret.

7 Probatur tertio eadem prima pars. Apostoli accedentes ad alterum sibi substituendum pro Iuda, credendi sunt se gessisse modo, sibi magis religioso, & Deum magis obligante ad se declarandum. Sed hic fuit per sortes humanas, atque fortuitas: ergo hunc adhibuerunt. Probo minorem, quod fuit sibi magis religiosus: postea probaturus quoad reliqua. Quia Apostoli, neque adhuc Spiritum Sanctum acceperant, qui se ipso facienda dictaret, neque de lege Christi super ea re adhuc aliquid norant; sed sub ritu veteri (nedum penitus abrogato) vsque ad diem Pentecostes vivebant. Atqui ex lege veteri, tàm iure, quàm facto probatissimus erat modus expediendi per sortes fortuitas dubitationes huiusmodi emergentes: ergo, &c. Minor constat ex dictis, tùm quoad factum ex sortitione terræ promissionis, & creatione per sortem Regis Saul, & sortitione illa celebri libri Esther adeò tali, vt transierit tanquam festum celebre ad Kalendarium Iudæorum in mense duodecimo sub nomine festi *Phurim*, vel sortium; tùm quoad ius vel sententiam, tàm ex verbis *Proverb.* 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*; quàm ex illis quas affert Origenes supra *contradictiones cohibet sors, & inter potentes definit*. Probo iam minorem, quoad scilicèt esset modus magis obligans Deum ad se declarandum: tùm quia id satis probant verba superius adducta D. Augustini ostendentis in ministerio sortium divinam voluntatem deprehendi: tùm quia, quando res omnibus pensatis est dubia, est modus humilior ad explorandum diuinum beneplacitum, quanto purior est ab omni humano interventu, qui decipi facilè admodum potest: vnde facta oratione rem totam sorti, vel potius per sortem Deo committere, nequit non esse modus sane pretiosus inuestigandi Domini voluntatem iuxta illud. 2. Par. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus hoc solum habemus reſidui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Ergo de primo ad vltimum

mum talis electio facta est per sortes extrinsecùs humanas, atque fortuitas; interius verò, & invisibiliter per assistentiam Spiritus Sancti per id medium desuper assistentis. Quæ postrema pars conclusionis, tùm supra ex PP. patuit: tùm etiam modo convincitur ex probatione nuper præiacta: siquidem iuxta leges divinæ providentiæ divinarumque promissionum non potest Deus non adesse homini recta intentione, & modo recto, probatoque in lege sua, atque in simplicitate cordis quærenti illum.

8 Obijcies 1. Ipse textus dicit expressè, quod Mathias fuit suffragijs electus: ergo non sorte tam rigorosa. Antecedens patet ex verbo Græco *Syngatepsiphisti*, id est, *suffragijs electus est*. Confirmatur: quia si sorte rigorosa Deo illa res relinqueretur; non duos tantum statuissent; sed longe plures, vel omnes septuaginta Discipulos, si fortè quem ex illis Deus ipse præeligeret: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem dico, verbum illud Græcum, pro quo Vulgata ponit *annumeratus est* habere quidem in sua origine, & lexico Græco hanc significationem strictam, scilicèt, *adiungi*, *annumerari*, *& cooptari inter alios medijs calculis*, *vel globulis*: quod notari admodum debet: nam hæc significatio, vt tetigi in probatione, vtrique rei deservit, scilicèt, tàm electioni per suffragia, quàm per sortes fortuitas. Cuius ratio est, quia tàm suffragia, quàm sortes rigorosæ solent calculis, vel globulis, similibusvè reculis exhiberi: dari enim solent ad electionem mente humana faciendam fabæ albæ, vel nigræ, quarum accessio vsque ad numerum excedentem laxè dici solet sortitio, non tàm à modo electionis, quàm ab eventu, qui appellari solet iam *sors felix*, iam *sors infausta*, quando minus respondet optatis: & in hoc sensu dicitur *fortitus est* animam bonam, quando quis de manu Dei eam accepit; & similiter bonam sortem habuisse eum, qui obtinuit Præbendam in certamine cæterorum. Verum præter hæc cum sortes fortuitæ per globulos fiant; inde est, quòd illa significatio *globulis*, *vel calculis adnumeratus est undecim Discipulis* non respuit sortes rigorosas, & fortuitas, sed vt supra notavi ad eas vox illa contrahitur ex voce illa *cleros* quæ Græcè non significat nisi fortunam, casum, aleam, fatum ex parte actionis, & munus ex parte eventus vt dixi. Ad confirmationem respondeo negando assumptum: quia Apostoli volebant præstare quantum erat in ipsis, syncere considerando, quinam apud eos eo muneri excelso apparerent aptiores, vt divinæ electioni, vel oblationi non proponerent nisi meliora omni humano respectu posthabito; neque ex multiplicitate sortitio evaderet operosior: cumque inter illos duos animi adhuc penderent; vel omnes omninò in ambo, vel alij in vnum, alij in alterum inclinantes statuerunt sanctissimè committere rem Deo per sortes.

9 Obijcies 2. Si electio tam Sacra, & Canonica in Apostolatu facta fuisset per sortem fortuitam, non benè lata fuisset lex Canonica, & Conciliaris de non promovendo ad beneficia per sortes: ergo non ita facta fuit. Antecedens probatur: quia contra ius divinum Ecclesia male decerneret. Sed si per tales sortes electio Apostoli facta fuisset; contra hoc iret decretum iubens, non promoveri ad beneficia per sortes: ergo, &c. *Confirmatur*. Error Vvicleph, & Ioannis Hus in eo erat quod putarent, electionem Cleri à solo Deo fieri debere. Sed ijs favet talis electio per sortes humanitus fortuitas: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando antecedens; ad cuius probationem distinguo maiorem *contra ius divinum abrogatum*, nego maiorem *non abrogatum*, concedo maiorem, & distincta respectivè minori, nego consequentiam. Nam ea

quæ fecerunt Apoſtoli, ſe legi veteri accommodantes ante Pentecoſtem, in quo lex vetus abrogata eſt, rectè quidem fecerunt; non tamen exinde poterat reſultare ius divinum illud novum, quod in lege gratiæ firmandum erat: id enim formari oportebat ex ijs quæ (abrogata lege veteri) iam in lege gratiæ invaleſcerent: cumque poſt Pentecoſtem aliter Apoſtoli ſe geſiſſent in electionibus, vt conſtat ex *cap. 6. Actuum Apoſt.* quando elegerunt Diaconos; ideò huic modo eligendi Eccleſia ſe ſapientiſsimè conformavit. Reſpondeo 2. Electionem Mathiæ fuiſſe ſingulariſsimam, & nunquam in Eccleſia Dei aliam ſimilem habituram: eligebant enim munus, quod ſola perſona divina, ſcilicèt, Chriſtus conſuevit eligere: quare exinde lex manare non poterat ad alia munera eligenda, quæ licet eſſent ſucceſsiva Apoſtolorum, tamen nunquam ad eorum celſitudinem poterant pervenire. Et huc veniunt Hieronymus, Beda, & Ambroſius, apud Lorinum. Ad confirmationem ex dictis patet reſponſio: errabant enim Hæretici: tùm quia non attendebant ad morem eligendi, quem habuerunt Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum; tùm quia non animadvertebant planè diſtingui debere electionem perſonæ de duodenario numero Apoſtolorum à toto Clero poſtea futuro.

10 Obijcies 3. Non eſt credibile Apoſtolos cœli doctrina mirè refertos commiſſuros fuiſſe rem ita gravem caſui, & fortunæ; ergo dum vox Græca ſupra relata dat locum, vt de electione per ſuffragia ſumatur ita debet intelligi. Confirmatur. Veriſimile eſt quod per ſortes intelligatur aliquod ſignum, & felix omen ſuper Mathiam delapſum, quod rei dubitationem declararet, magis quam, rem caſu dirimere: ergo, &c. Antecens patet, quia id evenit in electione plurium Pontificum ſcilicèt Fabiani Papæ, Nicolai, Ambroſij, Gregorij, Severi, Remigij: ergo longe credibilius eſt de Mathia. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguo antecedens, *ritu gentilico, & ignoranti*, concedo antecedens, *ritu Catholico, & fideliſſimo*, nego antecedes. Nam diſtinguere debemus fortunam, & caſum, quam Ethnici meditantur negantes ſupremi Dei omnimodam providentiam, conſtituentes fortunam Deam, & caſum fatum, vel quid ſimile. Catholici verò altè noverunt numen illud excelſum omnimoda providentia pleniſſimum, quod cuncta circumſpicit, & rectiſsimè diſponit, & tractat: noſcuntque inſuper, multa etiam quæ circa myſteriorum diſpenſationem etiam humanitus gerenda ſunt, altioris aliquando, & ſecretioris eſſe conſilij, ad quod homo niſi oratione, & ſua qua poſsit diligentia præmiſſa, pertingere non poſsit: & tunc res conſultiſsima eſt rem definire per ſortem, quæ non eſt fortuna, ſed voluntas Dei iuxta illud, Pſalmi 30. *In manibus tuis ſortes meæ.* Et Proberv. 16. *Sortes mittuntur in ſinum; ſed à Domino temperantur.* Ad confirmationem reſpondeo, diſtinguo antecedens *conſequenter ad textum*, nego antecedens, *antecedenter ad textum*, ſubdiſtinguo reſpectu noſtri permitto antecedens; *reſpectu Dei*, nego antecedens, & conſequentiam. Nam attento textu veriſimilius eſt id non eveniſſe: ſiquidem illud Evangeliſta neque ignoraſſet, nec reticeret. Secluſo vero textu debile argumentum eſt ex paritate aliorum Pontificum, qui fortè ideò tam ſenſibiliter à Deo electi ſunt; quia circumſtantiæ eſſent tales in quibus, vel populus, vel electores eo ſigno indigerent. In noſtro verò caſu vt obſervat Cornelius, Apoſtoli ex divino inſtinctu id fecerunt intrinſecus aniti à Spiritu Sancto, ſe per id medium Dei voluntatem aſſequturos, toto interea populo Chriſtiano, qui cum eis erat voluntatem Dei in tranquillitate Spiritus præſtolante. Ita etiam Leſsius

*lib. 2. de Iuſtitia, cap. 33. dub. 9.* vbi plura habet de ſortibus, quæ, & quando licitè vel illicitè vſurpari queant.

11 Ad calcem obſerva primo. Non eſſe improbabile id quod dixit Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromatum*, ſcilicèt Mathiam fuiſſe Zachæum, qui prius fuit inter Septuaginta Diſcipulos numeratus. Nam contra Tertullianum, Cyprianum, & Bedam oſtendit Hieronymus *Epiſt.* 146. potuiſſe eſſe publicanum; & nihilominus Iudæum, vt fuit Mathæus. Itaque Iudæum fuiſſe Zachæum tenent Euthim. Lyra. Montan. Ianſen. Salmer. Barrad. *Luc.* 19. Obſerva 2. tria apothegmata S. Mathiæ apud Cornel. *Act.* 1. ſcilicèt 1. Si electo vicinus peccaverit; peccavit electus: nam ſi ſe ita geſiſſet, vt iubet verbum, ſeu ratio; ita eius vitam eſſet reveritus vicinus, vt non peccaſſet. 2. Cum carne confligendum eſt, eaque ad cohibendam libinem abutendum; neque quidquam concedendum ad illius voluptatem; anima autem fidei, & cognitionis tanquam nutrimentis augenda. 3. Admirari præſentia: eum enim eſſe gradum vlterioris cognitionis. Obſerva tertio. Ex Lorino, Sanchez, & Mariana electionem Mathiæ factam fuiſſe per ſchedulas nomine Barſabæ, & Mathiæ inſcriptas, quæ vel in globulis abſconſæ ſint, ne agnoſcerentur; vel quod perinde eſt, plicatæ fuerunt inſtar globuli papiracei, & educta fuit ex vrna, quæ Mathiam referebat.

JHS.

# QUÆSTIO DECIMA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

IN DIEBVS ILLIS EFFVNDAM DE SPIRITV MEO, ET prophetabunt; & dabo prodigia in Cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum. *Actuum Apoſtolorum, cap. 2. verſ.* 18.

## ARTICULUS.

### *AD QVOD, VEL QVALE TEMPVS REFERATVR HÆC prophetia?*

1 NOTO 1. Rationem dubitandi in hac quæſtione exinde naſci, quòd ſuperiora verba ligata iuxta contextum cum antecedentibus, & ſubſequentibus prædicti capitis 2. varias poſſunt pati, ſivè accommodationes, ſivè interpretationes. Et quidem quoad accommodationem, vt videlicet ſumi poſsint in ſenſu accommodatitio paulò liberiora ſunt; quam alia plura, quæ in Teſtamento Novo ſumi ſolent de ve-

veteri, adijciendo ſimul illa verba *vt adimpleretur id quod dictum eſt per Prophetam*, vel ſimilia. Siquidem quando hæc adijciuntur non eſt liberum ea ſub ſolo ſenſu accommodatitio interpretari prout iam inſinuavi ex bonis AA. & ex diffinitione Concilij Romani ſub Vigilio Papa contra Theodorum Monſpueſtenum *in tom. 2. part. 3.* Apparatus *cap.* 6. Cum verò in hoc noſtro textu talia verba non adijciantur; non ita inhibitum apparet ad accommodationem recurrere, præſertim factam per virum afflatum Spiritu S. cuiusmodi erat D. Petrus, maximè in illa occaſione. Quoad intelligentias verò ſeu interpretationes, propheticum rigorem ſervantes, videtur ex vna parte prophetiam Ioelis, quam D. Petrus inſeruit, referri poſſe ad tempora poſtrema: ſiquidem ibi adiunguntur illa verba: *Sol convertetur in tenebras, & Luna convertetur in ſanguinem*: quæ ex Sacroſancto Evangelio non niſi de poſtremo die prædicta cenſentur. Ex alia verò parte non videtur oportunè facta à D. Petro allegatio huius textus, niſi de præſenti tempore loqueretur, quatenus nimirum Propheta Ioel ad Pentecoſtes tempora reſpexiſſet. Demum non deſunt etiam ante adventum Chriſti caſus vel circumſtantiæ, ad quos trahi videatur eiuſmodi prophetia. Quare ex his omnibus meritò reſultat articulus diſputandus: *Ad quod videlicèt tempus talis prophetia reſpexerit?*

2 Noto 2. Quod licet hic locus ex dictis paulò liberior ſit ex generali ratione iam inſinuata, vt per accommodationem explicaretur, quin exinde aliqua cenſura incurri poſſet eò quòd inibi non adijciantur illa verba: *Vt adimpleretur quod dictum eſt, &c.* nihilominus ſupponimus, hic in vero ſenſu prophetico eſſe accipiendum: tùm quia ſi ita poteſt, profectò ſic fieri debet, vt prophetias de Chriſto ſervemus illæſas, ſimul, & analogiam Novi, & Veteris Teſtamenti, quorum mutua colluſtratio mirè iuvat ad fidem vtriuſque conciliandam: tùm quia vt bene obſervat noſter P. Gaſpar Sanchez, & ego iam pridem obſervaveram, dum conciones audirem, in quibus paſsim probationes appellitant id, quod nil plus ſunt, quàm explicationes quædam; ſi talis textus Ioelis inſertus à Div. Petro fuiſſet precisè per accommodationem inductus: enervis planè fuiſſet argumentatio Petri ad Iudæos: accommodatio enim alterius loci eò advocata non adferret pluſquam rei explicationem; ſecùs probationem fortem, & efficacem, qualis eſt, ea, nimirùm propheticè pro tunc, tantò antè à Ioele fuiſſe prænuntiata.

3 Suppono 3. Quod circa collationem huius loci cum textu Ioelis, & Verſionibus nonnulla diſcrepantia obſervatur ſivè in numero verborum, ſivè in verborum genere, ſivè in ordine ea collocandi. Quoad primum enim deſunt aliqua in Hæbreo, vt verbum *prophetabunt, & meos, & meas* loquendo de ſeruis, & ancillis. Circa verbum tamen *prophetabunt* notari debet, quod hæc ſignificatio in Sacris litteris amplitudinem habet; neque ſemper pro aperienda re futura, aut occulta ſumi ſolere; ſed quoties quis cœlitus afflatus fari ſolet, vel ſanctitatem, & veritatem intonat; prophetare dicitur. Quoad ſecundum vero (ſicuti, & quoad ſuperiora) præ oculis debet haberi id, quod Interpretes nobiles adnotarunt, vt Hieronym. *Epiſt.* 101. *de Optimo genere interpretandi, & lib.* 1. *in Epiſtola ad Galatas.* Salmeron, *prolog.* 9. *quinquagene* 1. *cantic.* 27. Caſpar Sanchez, Lorinus cum alijs in hunc locum, ſcilicèt, Scriptores Novi Teſtamenti, quoties de veteri tractus aliquos deſumunt, non tàm ad verba alligari, quàm ſenſum: de quo D. Hieron. *Epiſt.* 101. plura donat exempla: & longe expeditum eſt pro nonnullis locis explicandis. Quoad tertiam itidem oportunè notat Sanchez; quando vnus Scriptor

Ca-

Canonicus verba citat alterius, non perſequi eundem verborum ordinem, imò & rerum: cùm ea, quæ prius evenerunt, narrari ſoleant poſterius; & vice verſa. Quod, & adnotavit Hieronymus *Amòs* 2. ibi enim prius narratur Amorræorum clades, quàm exitus Iſrael de Ægypto, qui tamen longè anterior extiterat, & *Pſalm.* 77. & 104. poſteriori loco referuntur ea, quæ facta ſunt prius atque ad *Hebr.* 11. viri fidei illuſtres variato vitæ ſuæ ordine recenſetur.

4 His poſitis, & ſuppoſita prophetica intelligentia verborum, repulſaque mera accommodatione, quam Rufinus, ſequutus Hebræos vltra modum propugnat apud Cornelium *Ioelis* 2. Prima ſententia ait multa ſigna in Ioele promiſſa, impleta fuiſſe ante Chriſtum in excidio Hieroſolymitano prout iliud pingit Ioſephus *de Bello Iudaico lib.7.cap.* 12. licèt hi AA. etiam admittant ſecundam ſententiam mox ſequuturam, id eſt ſecundam viam interpretationis. Secunda ergo ſententia aſſerit prodigia, & ſigna apud Ioelem, & D. Petrum commemorata eſſe illa, quæ in die iudicij ſunt eventura. Ita ſentiunt Origenes *tract.* 30. *in Matthæum.* Beda *in Marc.cap.* 13. S. Thomas *in Math. cap.* 24. Theodoretus, & Rupertus *in Ioel. cap.* 2. Caietanus *Actor.* 2. Tertia ſententia ſuſtinet, ea, quæ D. Petrus de Ioele reſumpſit, non tàm ad finem ſæculorum; quàm ad Chriſti tempora, & ad ea, quæ in naſcentis Eccleſiæ principio contigerunt, eſſe relata. Ita Cartuſianus, Hugo de Sanct. Vict. P. Gaſpar Sanchez citans pro ſe D. Hieronymum *Ioelis* 2. & Bedam atque Gagneium, *Actor.* 2. Atque, antequam accedam ad aperiendam meam ſententiam, refricare oportet verba textus, quæ ſic ſe habent. „ Sed hoc eſt, quod dictum eſt per „ Prophetam Ioel. Et erit in noviſsi„ mis diebus, dicit Dominus, effun„ dam de ſpiritu meo ſuper omnem „ carnem: & prophetabunt Filij veſ„ tri, & filiæ veſtræ: & iuvenes veſ„ tri viſiones videbunt, & ſeniores veſ„ tri ſomnia ſomniabunt. Et quidem „ ſuper ſervos meos, & ſuper ancil„ las meas in diebus illis effundam de „ ſpiritu meo, & prophetabunt: & „ dabo prodigia in Cœlo ſurſum, & „ ſigna in terra deorſum, ſanguinem, „ & ignem, & vaporem fumi. Sol „ convertetur in tenebras, & luna in „ ſanguinem antequam veniat dies „ Domini magnus, & manifeſtus. Et „ erit: omnis quicumque invocaverit „ nomen Domini ſalvus erit. In quibus verbis notare oportet, quod ly *omnem carnem* amplificatur per ſexus, per ætates, & conditiones: itemque viſiones, & ſomnia penè in idem genus reduci quarumvis immiſsionum cœleſtium.

5 Sit mea concluſio: *Hæc prophetia intelligenda eſt generatim, & in communi de toto tempore legis gratiæ vſque ad finem ſæculi; ſignatim verò, & ſpecifice intelligenda eſt partim de Pentecoſte, & partim de tempore extremi Iudicij.* Cuius concluſionis prima pars clareſcit ex Cornelio in *Ioelem* 2. ibi *ſenſus ergo eſt, quaſi dicat, ſæpe omnem hominem Chriſto credentem cuiuſcumque ætatis ſexus, & ſtatus ſit, effundam ſpiritum meum in Pentecoſte, & deinceps.* Vbi per ly *deinceps* datur intelligi, quam vbertim ab exordio legis gratiæ per mille caſus, & tempora Spiritus Domini fundendus eſſet. Itemque prima, & ſecunda pars ſimul ex Hieronymo clareſcit, *Ioel.* 2. ibi vbi aliorum ſententiam referens ait: *Alius dicit quæ generaliter in vltimo tempore repromiſſa ſunt, nunc ex parte completa. Et quia præmium futurorum in primo adventu Domini Apoſtoli ſentiebant, libamenta quædam, & primitias mirabilium memoraſſe, vt donec veniat quod perfectum eſt, id, quod ex parte præceſſerat, ſentiremus.* In quibus innuitur, tùm quod prophetia Ioelis ad omne tempus legis gratiæ ſe protendebat; tùm quod inibi aliquid de adventu primo, & de ſe-

cundo etiam aliquid ſignaretur. Qui quidem Doctor Maximus circa difficultatem præſentem bene novit, hæc poſteriora verba, quæ de Ioele, & Actibus Apoſtolorum nunc pertractamus, accommodationis, & intelligentiæ paulò difficilioris eſſe, quàm ſuperiora: quandoquidem loco ſuprà citato ante verba relata ſic ait: *Prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & reliqua. Videor mihi à principio vſque ad hunc locum, textum ſervaſſe ſermonis: laboris eſt maximi, quomodo quæ ſequuntur, his quæ differimus nunc, coaptanda ſint.*

6 Iam probatur noſtra concluſio primo, quoad primam partem ſic. In prædictis verbis fit expreſſa mentio initij legis gratiæ, progreſſus, & finis; nec non omnis ætatis, ſexus, & generis perſonarum. Sed hoc eſt illam prophetiam generaliter reſpexiſſe totum tempus legis gratiæ: ergo, &c. Minor patet. Probo mai. per partes primo de initio ex illis verbis: *Et erit quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*: ſiquidem ab initio legis gratiæ perſonuit nomen illud ſalutis noſtræ *Ieſus*, in quo oportet nos ſalvos fieri; imò, & ab incarnatione explicatum eſt. *Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Secundo de progreſſu: quia tota lex gratiæ incrementum accepit ex doctrina, & miraculis; ſed vtrumque ſatis ſignatur in textu, tùm in effuſione Spiritus Sancti vbi pietas, fortitudo, & timor Domini cum cæteris virtutibus clauduntur, tùm in ſignis, & prodigijs de Cœlo, & terra ibi promiſsis: ergo, &c. Tertio de vltimis ſæculis. Nam ibi ſermo eſt de die magno (& horribili vt ait Ioel) qui eſt dies Iudicij, & de ſignis eum immediatè anteceſſuris per hæc verba: *Sol convertetur in tenebras, & Luna converteretur in ſanguinem*: Ergo de primo ad vltimum talis prophetia complectitur totum tempus legis gratiæ. Probatur ſecundo, quoad ſecundam partem concluſionis, quæ nimirum in duas alteras ſubſecatur. Prima autem quod videlicèt, in prædicta prophetia expreſsè, & ſpecificè attingatur dies Iudicij, liquet manifeſtè ex verbis paulò ante commemoratis, quæ tam clarè diem poſtremnum indigitant; vt ſi alio trahantur; vix id fieri queat, niſi violenter. Secunda vero probatur ſic. Si ea prophetia non reſpiceret directè, & ſpecificè eam effuſionem S. Spiritus, quæ die Pentecoſtes accidit; D. Petrus perperam diluiſſet argumentum ſibi factum de ebrietate. Atqui hoc dici nequit: ergo, &c. Probo mai. Licèt Apoſtolus præmiſiſſet, quod hora diei tertia apta non eſſet ebrietati; tamen hæc erat ratio admodum debilis, niſi vlterius ex ore prophetico demonſtraſſet id non niſi cælitius eventurum. Sed ſi Prophetia Ioelis huc non reſpexiſſet, id ex ea non demonſtraſſet: ergo, &c.

7 Probatur 2. concluſio, quoad vtramque partem ſimul. Legitima interpretatio cuiuſvis propheticæ Veteris Teſtamenti ritè facienda eſt ex poſtfacto Novi Teſtamenti. Sed ipſum factum Novi Teſtamenti hic relatum *in cap. 2. Actuum Apoſtolorum.* quàm optimè quadrat cum eo, quod ibi partem de Pentecoſte, partim de Iudicio extremo ſit ſermo: itemque quòd generaliter ad totum tempus legis gratiæ prophetia reſpexerit: ergo, &c. Minor quoad omnes partes ſatis conſtat ex ipſo tractu Apoſtolico, & ex ſupra dictis. Maior probatur facilè apud DD. Catholicos. Nam nemo poteſt dubitare ex Eccleſia, & PP. quòd inter vtrumque teſtamentum detur mira proportio, & analogia de qua luculenter ſcripſit noſter P. Becanus, quia nimirum vetus fuerit figura novi, & novum veteris adimpletio. Rurſuſque certum eſt Chriſtum Dominum fuiſſe ſcopum omnium ſcripturarum vt decantatum eſt apud Interpretes, & ſpeciatim differit Ambroſ. Catherinus *in Libello de Clavibus ſcripturarum.* Ergo

mo-

modus valde legitimus interpretandi prophetiam veteris Teſtamenti ; eſt dum ex poſtfacto , quod cernitur in lege gratiæ declaratur dictum propheticum. Probo deinde contra Iudæos, quod eſt difficilius. Et eſt probatio multum adnotanda pro varijs locis controverſis cum Iudæis. Omnes prophetiæ magis arcanæ , quę erant apud Iudæos, exceptis illis, quæ de quibuſdam rebus notis,& temporalibus proſtant in Prophetis , erant in ordine ad Meſsiam , & iuſtificationem cauſæ Dei cum populo ſuo , & propterea ita velatæ, & abſconditæ , vt Iudæi *videntes non viderent , & audientes non intelligerent.* Sed hoc poſito intelligentiæ,quas Iudæi dabant , & dant ſuis prophetijs eas interpretando de rebus notis , & temporalibus,licèt pòſt evenientibus, non aſſequuntur arcanum prophetiæ, niſi ad Chriſtum , & tempora Novi teſtamenti procurrant : ergo , &c. Maior eſt conſtans in mille locis veteris Teſtamenti vbi dicitur : *Excæca cor populi huius , & aures eius aggrava , ne convertantur , & ſanem eos , &c.* Vt in pœnam fidei male ſervatæ ad Deum ſuum , qui ſibi hunc populum fecerat peculiarem ; etiam ad claras expreſſiones de ſalute ventura , & vijs eius, miſerè cæcutirent , non levantes oculos ſuos de imis , & temporalibus, vbi erant infixi , neque ad ſpiritualia introeuntes. Minor etiam patet. Quia cum præcipuum intentum Dei in Prophetis ſuis eſſet homini perdito adferre remedium iuſtificationis , & reparationis , quod ſolum erat verè tale; & hoc hominibus rudibus, & cæcis poſt peccatum vix exhiberi ; & ſignificari poſſet , niſi per fidem , quatenùs alta Dei verba , & ſenſa in ſynceritate cordis , & Domini timore perſcrutarentur , quod minimè factitabant ; inde eſt quòd ſemper ac ipſi , vel ante, vel poſt ipſos eventus traherent ſuas prophetias ad eventus merè temporales (quo paſsim confuguint vt hic ad excidium Ieroſolymitanum : alibi ad Hircanum , alibi ad Ezechiam , &c.) ab ſcopo veritatis , & dono intellectus neceſſe eſt aberrare.Nam vt inquit Auguſtinus *intellectus merces eſt fidei.* Ergo, &c.

8 Obijcies 1. contra nanc concluſ. & præſertim quoad primam partem ſic. Prophetia Ioelis reſumpta à D. Petro , *Actor.* 2. ad ſolam Gentem Iudaicam debet adligari. Sed totum tempus legis gratiæ maximè concernit Gentiles: ergo , &c. Probo mai: Textus ait loquendo cum Iudæis: *Filij veſtri , & filiæ veſtræ : iuvenes veſtri , & ſenes veſtri.* Sed hoc apertè innuit; ſermonem cingi ad gentem Iudaicam: ergo , &c. Ad hoc argumentum reſpond. neg. mai. ad cuius probationem diſt. mai. cum *excluſione* Gentium, neg.maior. *cum incluſione*,conced. maiorem, & diſtincta reſpectivè min. neg. conſequent. Quia licèt verum ſit , ibi ſatis clarè verba dari ad poſteritatem Iudaicam , præſertim illam , quæ Chriſtum , qui eſt lux mundi , reciperet; nihilominus omnis etiam Natio Gentium includitur : tùm quia præterea ſubdit textus , *& in ſervos meos , & ancillas meas* prout vertit Vulgata,amplectendo videlicèt omnem animam, quæ ad veram fidem , & veram Dei ſervitutem acceſſerit. Tùm quia id expreſſius aperitur , dum ſubditur : *Et erit quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Quaſi nempe ea dona quibuſvis , Dominum verè colentibus , Iudæis, Græcis , Parthis , Medis , &c. promitterentur. Quod clare patet ex verbis ſtatim ſequentibus in textu Ioelis vſque ad finem , ſed præcipuè in immediatis: *Et ſic in Sion, & in Hieruſalem erit ſalvatio vt ait Dominus , & in reſiduis , quos Dominus vocaverit, &c.*

9 Obijcies 2. Pars illa textus, quæ videtur per nos intellecta de Pentecoſte , non benè accommodatur: ergo interpretatio non eſt recta : probo antecedens. Quia ibi poſt effuſionem Spiritus S. ſubduntur ſigna facienda

per

per hæc verba: *Et dabo signa, & prodigia in Cœlo sursum, & in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Sed hæc non benè accommodantur ad tempora Pentecostes, & legis gratię, hactenus cognita: ergo, &c. Minor probatur: quia pro tempore legis gratiæ sanguis, præsertim instar signi, & prodigij immissus, non legitur in Sacra pagina: deinde vapor fumi miraculosus nusquam apparet. Nam quod de Cœlo igne tacta fumigare soleant non verè satisfaciunt pro speciali miraculo huius lineæ: ergo, &c. Ad hoc argum. respond. neg. anteced. ad cuius probationem concessa mai. vel disting. claritatis gratia: *facienda* quoad tales effectus *entitativè*, & determinatè sumptos, neg. maior. facienda quoad tales effectus sumptos *exemplariter*, & quoad virtutem, & potentiam talia vel similia faciendi, conced. maior. Et respectivè distincta min. neg. consequentiam. Nam prædicta verba, & prodigia præsertim de sanguine, & vapore fumi tamquam prodigiosis per se ægrè admodum poni poterant tempore Pentecostes, imò nec in passione D. quamtumvis noster Sanchez ingeniosè in eo laboret. Quare ego censeo ea prodigia sanguinis, ignis, & vaporis fumi commemorata non tàm fuisse posita à Ioele, vt in specie, & individuo facienda quàm vt longè antè iam facta, & memotata tunc ad indicandam virtutem vel eadem vel similia faciendi: quæ rudioribus Iudæis plus daretur intelligi; si prodigia, quæ futura prophetarentur symbola esse viderentur cum ijs, quæ gens Iudaica longe ante iam viderat, scilicèt aquas Ægypti versas in sanguinem, ignem de cœlo in Pentapolin, & totum Sinai à facie D. fumigantem. Quasi videlicèt Ioel dixisset: *Nedum homines cœlitus illuminabuntur; sed Deus mittet etiam in novissimis temporibus signa, & prodigia de cœlo sursum, & de terra deorsum vt puta, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Hæc mihi profecto videntur rem magis expedire. Respondeo secundo, nego antecedens ad cuius probationem, concessa maiori, nego minorem, vel distinguo, *intra Sacram paginam tantum*, concedo minorem, *attenta Historia etiam Ecclesiastica*, nego minorem, consequentiam. Nam vt constat ex Simone Maiolo *in Diebus Canicularibus, tom. 1. Colloq. 1. pag. 12.* non semel tempore legis gratiæ visus est sanguis alicubi de cœlo pluere; & ignis, tùm de cœlo, tùm etiam de montibus igni-vomis: interdum, Deo iubente, nedùm vastantibus civitates; sed etiam prodigiosis, & fumigosis cineribus instar vaporis fumi suffocantibus incolas. Quæ omnia satis sunt, vt prophetia illa etiam in specie suum complementum possit habere.

10 Obijcies 3. Intelligentia prophetiæ, qua promiscuè in ea concluditur simul tempus Pentecostes, & iudicium extremum, est illegitima, & minus salvat argumentationem D. Petri contra Iudæos: ergo respuenda est. Probo antecedens. In primis est illegitima, quia nihil videtur declarare ille qui exordia cum fine confundit. Deinde male salvat argumentum D. Petri: quia tota vis huius stat in eo quod ex Ioele adventum Spiritu S. liquido prophetatum excerpat. At hic casus non convincitur expressè, & specificè prophetatus; si illa prophetia, remotissima etiam, & postrema tempora amplectitur: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem, respondeo distinguendo sic promiscue, idest, *confusè*, nego assumptum, idest, *copulatim*, concedo. Nam aliud est quod prophetia se extendat ad varia; aliud verò est quod allegator ipsius D. Petrus hæc varia confundat. Primum est verum; secundum falsum: nam ad D. Petrum non attinebat signare completam nisi illam partem cuius complementum advenerat; &, ne truncaret prophetiam, merè

merè recitare alteram illam partem, quæ tempore complenda reſtaret. Ad ſecundam partem probationis reſpondeo ex dictis argumentationem D. Petri ſemper manere nervoſam, quoties evinceret, ex verbis Ioelis prophetatum eſſe illum exceſſum mentis, qui tunc in Apoſtolis apparebat; licèt propter reverentiam, & integritatem prophetiæ aliqua vlterius tetigiſſet: quaſi Iudæos ita redarguens: *Quid de muſto inſanitis? Iam appropinquarunt noviſſima illa tempora longè antè prophetata, & nunc vt videtis incipientia compleri; quinimò, & vſque in extremum diem adhuc vltra complenda.*

11 Obijcies 4. contra ſecundam partem concluſionis. Licèt talis prophetia reſpiceret ad totum tempus legis gratiæ non tamen ad miſsionem Spiritus S. ergo, &c. Probatur antecedens. In excidio Hieroſolymitano ea prodigia evenerunt in cœlo, & in terra teſte Ioſepho *lib. 7. de Bello Iudaico, cap.* 12. quæ nedum congrue adaptentur tali prophetiæ; verùm ſic ſentiant debere intelligi Chryſoſtomus, & Oecumenius: ſiquidem eo tempore viſa ſunt in aere ſpectra præliorum, & in terra humanus furor quidam malè præſagus: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, & ad huius probationem omninò nego, prophetiam explicari in tali excidio: nam quæ narrat Ioſephus valde diſtant à tenore prophetiæ, vt patebit legenti ipſum, quem, & ego ipſe legi: ſicuti etiam quod Chryſoſtomus *in Acta Apoſtol.* 2. non alligatur ad intelligentiam de excidio; ſed etiam de extrema die, & de ipſa Pentecoſte loquitur: quopropter dicta non infirmantur; quinimo videntur maioris roboris reſultare.

JHS.

# DECAS IV.

## QUÆSTIO PRIMA.

### TEXTUS

### AD ILLA VERBA.

VIDIT IESVS NATHANAEL VENIENTEM AD SE, ET dicit de eo, ecce verè Israelita, in quo dolus non est.
*Ioannis* 1. *versiculo* 47.

### ARTICULUS.

*V. NATHANAEL FVERIT IDEM AC S. BARTHOLOMEAVS Apostolus?*

1 SUppono 1. Circa S. Bartholomæum varias oriri dubitationes, sivè circa nomen, & sententiam quandam ipsius, sivè martyrium, sivè personam, quæ perpulchrè attingit, & cingit D. Siurius. In primisque circa nomen dubitatur: *An appellandus sic Barptolomæus quasi filius sit Ptolomæi*; seu potius Bartholomæus quia *filius* sit *Tholmai?* Clarum enim est, hanc vocem Bar esse Hebræam, aut Syram, & significare *filium*; cæterum dubium est; an habendus sit filius alicuius Ptolomæi cum id nomen sit notissimum; an autem sit filius Tholmai. Et verò præterquamquod hic sensus communior est inter Expositores, magis verisimils est ex notione ipsius vocis simul cum confirmatione Scripturarum, & notitia Geographica: (si quidem non sit idem vtrumque, vt post subnotabo) nam ex vna parte invenitur hoc nomen *Tholmai* purè Hebraicum, tùm in Scriptura, *Iosue* 14. *vers.* 15. *Iudicum* 1. *vers.* 11. 2. *Regum* 3. 3. 1. *Paralyp.* 2. 3. tùm in Charta Geographica iuxta Galilæam, vnde electi sunt Apostoli, trans Iordanem, & regionem Capharnaum, terra Gessuri ad dimidiam tribus Manasses, cuius fuit Rex appellatus Tholmai, de cuius filia genuit David Absalon; cumque ex alia parte nomen *Ptolomæus*, quod frequens fuit Ægyptijs minimè Hebræum sit, sed potius sapiat Scripturam Græcam quæ anteponit litteram P. consonantibus, v. g. *Psalmus*, *Pneuma*, *Ptolomæus*; & cum præterea vox *Tholmai*, gaudeat illa diphtongo ex a, & i, cui nostra ex *a* & *e* correspondet; videtur probandum magis quod fuerit filius alicuius Tholmai degentis in ea regione, vbi electus fuit Bartholomæus. Qui quidem

dem, si vnicus fuit Patri suo, oportunè appellaretur nomine propio filius Tholomei, seu Bartholomæus, sicuti passim alia nomina propria similiter efformata cernimus, v. g. Bar Iesu, Bardesanes, Benadad *Ioannis* 11. Bariona, *Actor.* 4. Barnabas, *Marc.* 1. Bartimæus, &c. sive quia sicuti componitur nomen *Beniamin*, & alia; componeretur hoc nomen ex radice *Thalam*, quæ significat terram inter duos sulcos monticulatam, & prominentem, quasi ipse ab studio agriculturæ dictus fuerit phrasi Hebraica, *filius terræ cultæ, & elaboratæ*: sive quia *Bar* significat *dilectum* in radicè *Barah*, & poterat inde cognosci, quia dilectus esset alicui Tholmai de stirpe Regia Gessur: sive quia inde esset notus, & commendandus, quia de tali stirpe veniret; sicuti eum facit Nepotem Regis Siriæ Petrus de Natalibus *lib.* 7. *cap.* 103. Verum post hæc opinor, vt supra insinuavi, fortè non esse hic vllam litem, quippè idem fuerit nomen *Tholmai*, ac *Ptolmeus*, nisi quod Hebraicè non suscipiat tale P. antepositum, quod tamen Græcè sæpè vsuvenit.

2 Moveor quia cum *ex lib.* 2. *Regum*, *cap.* 3. constet Tholmai fuisse Regem Gessur, quæ regio trans Iordanem mediet inter Ægyptum, & terram Israel, verisimile est, vtrosque Reges facile *Ptholomæos*, vel *Tholomæos* appellari, præsertim cum significatio radicalis iam insinuata sit de aliqua eminentia in terra; & hæc facile per Metaphoram ad personas traduceretur. Secundò. Quia in radicè Hebraica Thalam apponit Valentinus Schilderus nomen proprium Thalmai, & postea sic illum convertit *Tholomeis*, & *Ptolomeus*. Deinde inferius scribit sic integrum nomen *Bartholmai*, & convertit sic *Bartholomæus filius Ptlomæi*, & idem ipse in radicè Barah, postquam scribit Græcè *Bartholomæus*, inquit *filius Thalmai*, *Ptolomei*, Tertiò. Quia posito, vt supra, quod Rex Gessur vocatus *Thalmai*, seu *Tholomæus* aliquis, ibi succedens vsque ad tempora proxima ad Christum, habuisset nepotem (vel ex sua propagine) S. Bartholomæum, facile est creditu, quod quis intellexerit Regem Assur pro Rege Gessur, & sic illum fecerit Regem Siriæ, quemadmodum illum faciunt Authores aliqui. Quamquam, & hæc Siria non valde distet à terra Gessuri, vt etiam is Princeps Ptolomæus, vel Tholomæus posset appellari. Vel denique, vt nihil prætermittam, si vocem Hebræam *Bar*, vt potest, hic non sumamus in significatione filij: quia, licèt hæc sit regularior; tamen non est necessaria: quippè hæc vox etiam deducitur ex radicè Barar; & inde nomen *Bar* significat *purus*, *expurgatus*, *clarus*, *electus*: vnde resultat ex vtraque radice illa significatio quæ hic fortè congruat, scilicèt clara, & purgata terra in sublime separata. Quare, & pro Apostolo elicitur verè nomen proprium, & non commune, & præterea ad cognominandos Reges alicuius terræ est vox oportuna. Sed hactenus dicta eruditiores taxabunt; intereadum nos cuivis, vt malit, id nomen scribendi facimus facultatem.

3 Suppono 2. Dubitationem circa martyrium, vel potius modum martyrij inde oriri posse quod aliqui Authores veteres, vt Hypolitus, Dorothæus, Nizephorus *lib.* 2. *cap.* 36. cum P. Bartholomæo Riccio dicunt, fuisse crucifixum. Alij autem, vt Iacobus de Voragine *legenda* 118. cum Dionis. Cartusian. S. Vincentio Ferrerio, & traditione Ecclesiæ ferunt, ab Astiage excoriatum interijsse, eò quòd in maiori Armenia Fratrem suum Polymium Regem cum coniuge ad Christum traduxerit. Verum hanc dubitatiunculam eruditè dirimit Dominus Siurius, dum referens ex Lipsio *lib.* 3. *de Cruce*, *cap.* 12. Persas ad quos accedit Armenia, solitos fuisse etiam crucifixos homines excoriare, planè componit vtrumque. Quoad sententiam iam pridem

dem legeram in S. Dionisio Areopagita effatum illud altum, & plenum Emphasi D. Bartholomæi, cum dixisse refertur, *magnam esse Theologiam, & minimam, atque Evangelium amplum, & magnum, rursusque compendiosum.* Quod dictum D. Dionisius ad rem, de qua ibi erat sermo, scilicèt de ineffabilitate, & incomprehensibilitate Dei mistice, etiam traducens ait: *In ea sententia significari primum ens, & omnium primam causam æque explicari multis, aut paucis seu nullis verbis, eò quòd eius sublimitas omnem omnium notitiam, & intellectum, & notionem transcendat.* Quæ quidem explicatio appositissima est, præsertim qua parte ibi dicitur, Theologiam esse magnam, & minimam: quia cum Theologia sit sermo de Deo, & hic supra omnem humanam mentem sit altissimus; videtur quòd æquè minimus, ac maximus, & tàm nihil maximus, quàm minimus de Deo poterit definire. Quam explicationem vt verissimam ipse amplector, & ad tractatum de Incarnatione in disputatione de virtualitate decretorum, hoc ipsum assequi conatus sum ipse: & à pluribus optarem intelligi pro servanda pace inter multa castra Scholastica, quę implacabiliter dimicant, quasi nõ aliter Deus sit, quàm ipsi in sua Theologia, & sistemate Deum concipiunt; cùm tamen, vt ipse reor, licèt ita in se Deus sit prout ab vno sistemate Catholico consideratur; tamen ipsa veritas inaccessa etiam in se sit prout Catholicè consideratur ab alijs; eo quòd omnes pugnæ verborum, atque conceptuum, quibus homines de Deo loquentes sibi contradicunt, & digladiantur, longissimè maneant inferiùs hic propè nos; & maneat Deus purissimus, in se simplicissimus, & inaccessus, longissimè supra modum, quo Sol in suo Solio altus existit, & omnis Antiperistasis, & nubeculæ in infima regione dominantur, & sibi partiuntur Sphęras.

4 Cuius ratio à priori est: quia sic vel aliter Theologicè discurrere non est plusquam sic vel aliter homines loqui de Deo intra Catholicos, & nullus de Deo sermo, nisi verbum quod est in sinu Patris, potest ipsum exprimere. Quoad dictum vero, & sententiam S. Bartholomæi circa Evangelium quod sit *longum, & breve, magnum, & parvum*, etiam trahi rectè possunt verba Dionisij, qui de Theologia potius inibi differebat, quæritans terminos, vt se explicaret, iam per *superexcessus*, v. g. *superaltissimus, superæternus*, & mille huiùsmodi, iam per Theologiam negativam negando de Deo omnia hæc infima, an Deum ipsum aliqua sic ex parte declaret. At pro Evangeli non ita quadrant. Forte significavit Apostolus Evangelium esse magnum, & parvum propter illam divinam latitudinem, & contractionem, qua Deus ibi in lege nova se facit omnibus omnia, & vnicuique genti, conditioni, sexui, ætati lex sancta se accommodat, non veluti regula Lesbia, quæ erat in vitio, sed veluti funiculus charitatis, qui trahit omnes filios Adam. Item longum, & breve, quia brevissimus est quivis eo diculus Evangelij, sed grandia omnium legum volumina totius vniversi, & Solones, atque Lycurgos mirè transgreditur. Quibus prælibatis fusius excurrimus circa dubium de persona: cum enim graves Authores defendant hunc Apostolum Bartholomæum fuisse eundem cum Nathanaele, de quo dixit Christus *verum esse Israelitam*; hunc suscipimus articulum disputandum, qui propter vtramque nomenclaturam nequit non esse momenti.

5 In hac quæstione sunt variæ sententiæ. Prima sententia defendit, eumdem fuisse Bartholomæum cum Nathanaele, quam sequuntur Ariasmontanus *Ioan.* 1. P. Salmer. *tom.* 4. *tract.* 18. Cornel. Iansen. in Concordia, *cap.* 17. Ioan. Osorius *Sermone de S. Bartholomæo.* Ioannes Ferus, & Rupert. *Ioan.* 1. atquè Iuvencus Poeta Hispanus

nus in ſecundo carmine de Hiſtoria Evangelica, Æſtius Ioann. 21. *verſ.* 2. Bartholomæus Gavantus in opuſculo adiuncto ſuis operibus. Secunda ſententia aſſerit diſtinctos fuiſſe, & hanc tenet D. Auguſt. *tract.* 7. in Ioann. Toletus, Ioann 1. *annotat.* 81. Lorin. *Actor.* 1. 13. Gloſſa ordinaria, Lyra, Maldonat. Rivera, omnes *ad cap.* 1. Ioannis, P. Ioan. Fernandez *in Theſauro Sſcripturarum*, verbo *Bartholomæus*, Barradas *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 18. Perez in Ioann. *diſp.* 50. & 51. Ioan. Arboreus *in lib.* 12. *Theoſophiæ cap.* 6. Baronius *in notis Martirologij* 25. Auguſti, & in ſuis annalibus anno 31. Chriſti, *num.* 28. Demum Franc. Lucas Brugenſis, & Dioniſ. Cartuſian. Ioan. 1. noviſsimeque Illuſtriſ. Siur. *tom.* 1. *tract. Evangelicorum tract.* 34. *cap.* 8. *num.* 94. Iacobus Tirinus. Circa quas opinandi vias facile fateor mihi idem accidiſſe ac noſtro Maldonato, & Lorino, quos lego multum inclinatos, vt reſolverent, vnam, & eamdem fuiſſe perſonam, niſi authoritate potius, & defectu alicuius veteris notitiæ pro hac parte ab ea ſubſtinenda revocarentur: Dum enim coniecturas Interpretum pro ea ſententia productas video, quaſi probabiliorem ſibi aſſenſum ſolicitant; niſi hæc quæſita, potius quàm argumentatione, & ingenio, ſuopte rerum pondere, & ſtatu rei apud Eccleſiam reſolvenda eſſe videantur.

6 Sit ergo mea concluſio: *Non eſſe vnam eamdemque perſonam Bartholomæum, & Nathanaelem.* Probatur 1. concluſio. Quoties duo nomina, & diverſa facta, atque à diſtinctis Authoribus Sacris referuntur, poſſeſsio ſtat pro diſtinguendis perſonis, niſi detur argumentum convincens; ſed ita res ſe habet quoad Bartholomæum, & Nathanaelem, neque vllum datur argumentum convincens contrarium: ergo diſtincti ſunt. Mai. videtur certa, & minor quoad primam patet. Quia in primis ipſa nomina inſigniter diſcrepant: deinde apud tres Evangeliſtas, Mathæum, Lucam, & Marcum hi narrant, Bartholomæum electum in Apoſtolum; & Ioannes narrat diverſa colloquia Nathanaelis cum Ieſu; & nihil de electione. Prob. min. quoad ſecundam partem: quando circa rem de Chriſti temporibus neque datur textus aliquis Scripturæ ſaltem ad rem concernens; neque in priſcis Patribus in locis oportunis vllum reperitur veſtigium; neque vlla vetus traditio hiſtorica id firmat; nullum datur argumentum convincens, neque evertens perſonas alioqui, tàm nomine, quàm relatione diſtinctas; licèt adſint plures coniecturæ, niſi his ſuffragetur Eccleſia. Sed res ita ſe habent: ergo, &c. Min. quoad primam partem patet. Nullus enim textus vrgens producitur. Quoad ſecundam etiam, quia de Patribus vſque ad Auguſtinum qui dubitationem movit, & pro nobis ſtat, nullus alius dixit fuiſſe eandem perſonam: atque ego ipſe de vetuſtioribus, qui ſcripſerunt in Ioannem conſului Theophilum Antiochenum, Ciryllum Alexandrinum, & Origenem, qui de hac re nihil dicunt, vti neque Iſidorus *de Patribus Novi Teſtamenti*, & Hieron. *de Viris illuſtribus*. Item nec Dorothæus, & Hyppolitus in Synopſi. Denique quoad tertiam partem: nam neque Abdias Babilonicus, & Ioachinus Perionius, qui de Apoſtolis ſcripſere, ſivè Euſebius, & Nicephorus id prodiderunt: ergo, &c. Confirmat. ex D. Siurio efficaciter. Si Bartholomæus eſſet idem cum Nathanaele id Evangeliſtæ indicaſſent alicubi: ergo non fuit. Antecedens patet. Quia ſtylus illorum fuit Apoſtolos per ſua cognomina, vel adiecta quævis indicare, dicendo: *Thomas qui dicitur Dydimus, Simon Zelotes, Iudas Iacobi, Iacobus Alphæi*: ergo ſimiliter de Bartholomæo.

7 Probatur 2. concluſio. Natanael non fuit Apoſtolus: ergo neque fuit Bartholomæus. Probatur antecedens. Chriſtus D. iuxta Scripturam, & PP.

elegit in Apoſtolos rudes homines, & indoctos, vt in eis Spiritus Sanct. ſapientia plus reluceret. Sed Nathanael erat vir doctus, & in lege peritus: ergo, &c. Mai. conſtat, tùm *ex Paulo* 1. *ad Corinth.* 1. vbi ſic ait: *Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia,* Et tum quia Patres vt Gregor. *lib.* 1. *Moral cap.* 18. Auguſt. *Pſalm.* 65. Ambroſ. *Luc.* 6. & ſine numero alij Patres, Doctores, atque fideles cum Eccleſia tenent rudes homines electos fuiſſe in Apoſtolos ita vt inde forment vnum ex argumentis credibilitatis pro noſtra fide: ergo, &c. Minor præterquamquod eſt traditio, & doctrina omnium Doctorum conſtat ex Auguſt. mox ſequuturo. *Confirmatur* 1. Ex verbis clariſſimis. D. Auguſtini *tract.* 7. in Ioann. „ vbi ſic ait: *Deberet iſte Nathanael* pri„ mus eſſe in Apoſtolis, & non ſo„ lum primus non invenitur in Apoſ„ tolis, ſed nec medius nec vltimus in„ ter duodecim Nathanael, cui tan„ tum teſtimonium perhibuit filius „ Dei, dicens: *Ecce verè Iſraelita in quo* „ *dolus non eſt.* Quæritur cauſa: qua„ ntum Dominus intimat, probabi„ liter invenimus. Intelligere enim „ debemus, ipſum Nathanaelem „ eruditum, & peritum legis fuiſſe: „ propterea noluit illum Dominus in„ ter Diſcipulos ponere: quia idiotas „ elegit vnde confunderet mundum. „ Audi Apoſtolum dicendum ita, *Videte,* &c. Hucuſque D. Auguſt. in quo in primis clarè inquit Nathanaelem, nec primum, nec medium, nec vltimum inter duodecim reputari cum tamen vnus ex duodecim ſit Bartholomæus. 2. Quia patet quomodo in tempore Auguſtini, nec dubitatio erat de identitate Nathanaelis cum Bartholomæo; quam Sanctus Doctor ibi tetigiſſet. 3. Quia videtur Sanctum Doctorem ad mentem Domini exiſtimaſſe probabilem rationem, & cauſam à nobis ſupra datam propter quam Apoſtolus electus non fuiſſet: ergo, &c.

8 Obijcies 1. Contra hanc concluſionem Sacra Scriptura ſatis indicat Nathanaelem Apoſtolum fuiſſe; ſed nullus alius, quam Bartholomæus: ergo fuit idem. Probatur mai. 1. ex textu Ioannis *cap.* 21. *verſ.* 2. vbi dicitur quod quando Chriſtus reſurgens apparuit Diſcipulis piſcantibus, *erant Simon Petrus, & Thomas qui dicitur, Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & Filij Zebedei, & alij ex Diſcipulis eius duo*: vbi Nathanael inter Apoſtolos recenſetur: ergo, &c. 2. Quia Ioan. 1. *verſ.* 47. dum Chriſtus eligebat Apoſtolos, mirè commendavit Nathanaelem: ibi: *Ecce verè Iſraelita in quo dolus non eſt*, ſed tanta commendatio, & approbatio præſertim tempore quo Apoſtolos eligebat non poteſt non eſſe electio: ergo, &c. Ad hoc argument. reſpond. neg. anteced. ad cuius primam probationem conceſſ. antecedenti nego conſequent. Quia tùm ex D. Paulo 1. *Corinth.* 15. aiente: Chriſtum reſurgentem apparuiſſe necdum Apoſtolis; ſed Diſcipulis, quàm etiam ex ipſo textu obiecto conſtat, alios ibi Diſcipulos cum Apoſtolis miſceri, ac nominari: quare eſt debile argumentum. Similiter ad ſecundam probationem diſting. minor. Approbatio eius quem vocaviſſet permit. eius quem non vocaverat (nam vidit Nathanaelem venientem ad ſe) Nego min, & conſeq. itaque circa electionem Apoſtolorum, vt conſtat ex Marco *cap.* 3. *verſ.* 13. *Vocavit ad ſe ipſe quos voluit*: quare nullum elegit, quem non vocavit: & licet Philippus quodammodo ipſum vocaſſet, fuit tantum vt cognoſceret Dominum; non autem legitur vocatus à Chriſto, dicendo ipſi *ſequere me*, perinde ac Philippo, & cæteris Apoſtolis.

9 Obijcies 2. Non eſt veriſimile reliquos Evangeliſtas præter Ioannem

non

non tetigisse aliquid de Nathanaele quem tantopere Dominus commendavit, & Ioannem multa de Nathanaele loquentem, prorsus siluisse de Bartholomæo Apostolo, nisi esset idem. Sed res ita se habet: ergo quia Bartholomæus, & Nathanael erat idem, quem diversimodè Apostoli nominarunt. *Confirm.* 1. Tres Evangelistæ, Mathæus, Lucas, & Marcus, Apostolos recensentes, semper nominant Philippum, & Bartholomæum tanquam fratres aut Socios. Sed Philippus erat Apostolus, & familiaris Nathanaelis, vt constat ex familiari alloquio habito in textu: ergo, &c. *Confirm.* 2. Nathanael non invenitur inter 72. Discipulos, vt constat ex Catalogis. Neque re ipsa fuit quia hi multò post fuerunt electi quàm Nathanael veniisset ad Dominum, vt constat *Luc.* 10. ergo fuit Apostolus: quia specialis ille sermo cum Christo postulat alterutrum. Ad hoc argumentum respond. negando maiorem quoad vtramque partem: quia notum est passim apud Interpretes Divino Consilio factum esse alios Evangelistas suppleviisse quæ omiserant alij cum magna concordia. Vnde sicut Ioannes de Divinitate Christi ita disseruit, quod alij non præstarunt, ita cum vltimus scripsisset, ea potuit supplere, quæ alij non tetigerunt; & similiter propterea non attingere alia, quæ ipsi concordes scripserant, scilicet electionem, & nomina Apostolorum. Quod si Ioannes hos recenseret, & Bartholomæum prætermisisset argumentum foret validius: Cæterùm cum etiam tres reliqui nihil de Bartholomæo dicant præter electionem, non est cur in Ioanne desideretur. Neque vrget quod *Nathanael* putetur nomen proprium, & Bartholomæus quasi *cognomen*, *& nata* scilicet *filius Tholomæi*: quia in primo notabili satis dedimus quomodo id nomen posset esse satis proprium: atque reipsa ex Hieronymo de nominibus Hebraicis, & ex Isidoro nomen Syrum est non Hebræum, nisi in origine: quod dicunt ipsi significare *filium suspendentis aquas*. Vnde non est cur facile à nobis tale nomen excludatur à ratione proprij. Ad primam confirmationem disting. mai. Socios *in vocatione*, conced. Maior. (& itidem est in Missa in Litanijs) Socios *ex familiaritate*, *& cognatione*, nego maior. & concessa minor. neg. consequent. Quia ex propinquitate vocationis, aut simultate simul solent recenseri, tùm Petrus, & Andræas; tùm Iacobus, & Ioannes; tùm similiter Philippus, & Bartholomæus: Philippus vero fortè amicitiam habuit si non affinitatem aliquam cum Nathanaele. Nam quod fuerint fratres, veluti interlinealis, Hugo, & Cartusianus intendunt, non planè cohæret cum eo quod Philippus esset à Betsaida, & Nathanael à Canà Galileæ. Ad secundam confirmationem respond. negand. assumptum, tùm quia licèt Hyppolitus, & Dorothæus eum fortè in vetustis Catalogis non scripsissent; tamen sciendum est de S. Hyppolito iam ferè nihil extare præter orationem de consummatione mundi, & de Dorothæo in synopsi ait Bellarminus de „ Scriptoribus Ecclesiasticis. Et in „ summa sciat Lector ab isto numerari „ inter 72. Discipulos Christi omnes „ qui ab Apostolo Paulo nominantur „ etiam si Ethnici fuerint, vel Fœminæ, & illos omnes non solum Discipulos Domini; sed etiam Episcopos facere. Sed tamen eruditus noster Ricciolius in sua Chronologia reformata Nathanaelem collocat in Catalogo atque sic collocandum putant Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali. Bergomensis in supplemento historiarum *lib.* 8. anno Christi 32. Petrus de Natalibus *lib.* 1. *Catalogi Scriptur. cap.* 9. & Lucius Flavius Dexter. (cuius commentarijs Vivarij nec dum critici responderunt) anno 105. num. 5. ait: *Nathanael vnus de septuaginta Domini Discipulis requieuit in vrbe Treuga prope Legionem septimam geminam.* Tùm quia sicut Christus ex Dis-

cis

cipulis quos iam habebat *elegit ipse quos voluit, & Apostolos nominavit*, sic & ex Discipulis, quos habebat, nominavit postea 72. Discipulos, inter quos etiam Nathanaelem.

10 Obijcies 3. Eatenus coniecturæ pro identitate personæ nihil valerent; quatenus nulla vetus traditio suffragaretur; sed hoc est falsum: ergo erant vnus, & idem Nathanael, & Bartholomæus. Probatur min. apud Gavantum ex Græco Martyrologio iussu Basilij Imperatoris conscripto, qui subijt imperium anno 887. vbi die 22. Aprilis dicitur *Sancti Nathanael Apostoli memoria.* Sed hæc est traditio satis vetusta: ergo, &c. Confirmatur 1. Menologium Græcorum tàm die 22. Aprilis, quàm 10. Maij refer Nathanaelem eundem cum Apostolo Simone Cananæo inde forte quod Cananæus esset vterque. Sed hoc satis indicat veterem traditionem quod Nathanael Apostolus erat, tametsi necdum clarescceret quisnam; eò quòd partim propter collusionem cum Philippo videretur Bartholomæus, & partim propter Patriam videretur Simon: ergo, &c. Confirmatur 2. Baronius solemnis historicus Ecclesiæ recenset mortem Bartholomæi, & Nathanaelis anno Christi 87. ergo etiam de historicis suffragium est identitati personæ: ergo, &c. Ad hoc arg. resp. dist. mai. Traditio *firma, & constans verbo, & scripto*, conc. mai. *Infirma, & inconstans*, neg. mai. & respectivè distincta min. neg. conseq. Nam prætermittendo, fidem Græcam sæpè fidem non facere, hæc traditio allegata non est firma, & constans, siquidem in primis facit Nathanaelem eundem cum Simone, sine vllo suffragio antiquo, aut recenti. Deinde vt probat D. Siurius *tom. 1. tract. 34. cap. 8.* Græci nominant Apostolos omnes 72. discipulos, & sic poterat Nathanael Apostolus nominari, sed non ad rem. Tertiò. Nihil dicit de S. Bartholomæo. Quartò. Ab Ecclesia Latina talia non adoptantur. Propter quæ cum neque ipsi Patres Græci, aut Historici id dicant, neque constans ore sęculorum sit traditio de Apostolatu Nathanaelis; nulla esse videtur. Ex quo patet ad primam confirmationem. Ad secundam resp. Baronium potius stare pro nobis supra atque ibidem oportunè notare id non esse fundatum. Quare, & Flavius Dexter Nathanaelis mortem collocat anno 105. & Bellovacensis ait, ipsum non fuisse martyrem.

11 Ad calcem obserua 1. Quod Rupertus quamvis citari soleat pro sententia contraria, tamen solum inquit ille *fortasis*, & quidem propter illam rationem de *Nuptijs* in Cana Galilææ, & Etymologia nominis Bartholomæus, quam, & si minus efficacem, non adeo depressisset Lorinus, si inveniisset esse Ruperti *lib. 2. in Ioannem circa medium, tom. 2.* Obserua. 2. Iuvencum priscum Authorem Hispanum, qui collocare videtur vocationem Nathanaelis post vocationem Philippi sic dicens: *Ante etiam quam te vocitarent verba Philippi, vidit, & elegit comitem te spiritus alter*, ibi loqui de electione interna ad Christi gratiam, & externa in professionem discipulatus, non tamen de vocatione Apostolica. Obserua tertiò. Quod licèt ad Apostolatum electus fuisset, tùm Mathias apprimè doctus ex Antonino 2. *part. Historiæ tit. 6.* & Paulus planè doctus ex Actibus Apostolorum, qui ambo post Christum in Apostolatum successerunt; (non enim Deus ab hoc munere repulit doctos, & pios vt optimè suprà Rupertus in loco citato) nihilominus verum manet Christum Idiotas elegisse sua prima, & personali electione: vnde Augustin. *Psalm. 65.* oportunè dixit: *Non est electus Nathanael, non quia doctos non erat electurus; sed si illos primo elegisset, doctrinæ suę merito se electos putarent.* Hucusque Augustinus.

***

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ET TERTIA DIE NVPTIÆ FACTÆ SVNT IN CANA Galilææ. *Ioan. 2. verſ. 1.*

### ARTICULUS.

*VTRVM D. IOANNES EVANGELISTA FVERIT SPONSVS IN nuptijs Cana Galilææ?*

1 Upppono 1. Hanc tertiam diem, in qua factæ ſunt nuptiæ, diverſimodè ſumi ab Interpretibus, eò quòd in textu res præcisè definita non extet. Sed verò non diſcedentes ab ijs, quæ alias de hac re tetigimus, potiùs putamus ly *tertiam* ſumendum eſſe reſpectivè ad Hebdomadam; ſed adhuc eo præiacto non ceſſat diſsidium: alij enim apud Toletum annotatione 1. dixerunt, Hebdomadam incluſivè ab ipſo Sabbatho computari, quibus Ambroſius, *Pſalm.* 47. favere non deſinit, dum *ſecundam Sabbati* appellat Dominicam. Verum cum Ambroſius potius fuerit ad allegorica ibi converſus; & cœteri PP. refragentur; præſtat ſuſtinere id quod exploratiſsimum eſt, nempe primam Sabbathi, vt paſsim phraſis Hebræa recantat, eſſe diem Dominicam, ſeu iam ſumatur Sabbathum pro die ſingulari præcedenti, quia ſic dicitur prima dies poſt Sabbathum; ſive ſumatur pro tota Hebdomada, vt ſumi ſolet, v. g. *ieiuno bis in Sabbatho*, quia tunc dicitur, *prima Sabbathi*, id eſt prima Hebdomadæ: cum enim Hebdomas Græcè, & Latinè *Septimana*, nihil aliud ſit quam circulus ſeptem dierum qui Sabbatho claudebatur, in quo Deus requievit ab omni opere quod patrarat; planum eſt, primum diem Hebdomadæ ſubſequuturæ fuiſſe diem Dominicam. Vnde reſultat, quod talis dies tertia foret ea quæ nunc dicitur dies Martis. Cur autem ita confusè ſolum dicta ſit dies tertia? Reſpondetur facilè quod nimirùm quemadmodùm in Eccleſia Catholica ſatis innoteſcunt dies per numeros ordinales dicendo, v. g. feria 2. feria 3. & etiam olim apud Synagogam menſes per eoſdem numeros indicari ſolebant; ita tempore D. Ioannis, apud Chriſtianos reſpuentes nomina dierum Gentilica, per numeralia ordinalia expeditè, & commodè explicabantur, & idem ſentit D. Siurius *tom.* 1. *tract.* 29. *cap.* 1. cum noſtro P. Salazar *in Cant.* In Iſagoge *cap.* 2. §. 2. Suppono 2. Locum nuptiarum dictum fuiſſe Cana Galilææ, quia

licèt duplex Cana fuerit intra Galilæam, tamen Cana minor in Tribu Zabulon, eò quòd meditullius intra Galilæam eſſet, hoc ſibi cognomen adrogavit; & illa altera Cana ſita prope Sidonios magis nota erat pro *Cana Sidoniorum*.

2 His poſitis duplex in hac re datur ſententia, & vtraque multis atque præclaris fulta Patronis. Quarum prima aſſerit, D. Ioannem fuiſſe ſponſum in prædictis nuptijs, de quibus Dominus ad ſe ſequendum, veluti Diſcipulum revocavit, ita vt virgo perſiſteret: atque inde orram eſſe inter coniunges falcutatem ingrediendi regionem ante conſummatum matrimoniũ. Hanc tenent in primis Venerabilis Beda *tom. 7. in homil. Evang. Dixit Ieſus Petro ſequere me.* D. Thom. *quæſt. 186. in 2. 2. art. 4.* Caietanus ibidem, Silveſter *in quæſtionib. ſuper Evang. quæſt. 17.* Albertus Magnus, apud eundem, Petrus Damianus *opuſc. 41. cap. 2.* Lyra apud Pererium, Sotus *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 4.* S. Bonaventura, Simeon Metaphraſtes in vita S. Ioannis, Ludolfus Carthuſianus, Iacobus de Voragine, Petrus de Natalibus in ſuis Hiſtorijs, Ribera, *Ioannis 2.* Tirinus *in Chronico*, Vrritigoiti *diſp. 4. ſect. 14.* & probabilem iudicant Barradas *tom. 2. lib. 3. cap. 2.* Theophilus Reinaudus *tom. 8. in S. Ioanne Evangeliſta ſect. 1. part. 1.* Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit D. Ioannem non fuiſſe talem ſponſum in prædictis nuptijs. Ita ſentiunt Ioannes Maldonatus *initio Comment. in Ioan.* Cardinalis Toletus *Ioan. 2. annot. 13.* Ioannes Molanus *lib. 4. de Imag.* Pererius *in Ioannem, cap. 2. diſput. 3.* Salmeronus *tom. 6. tract. 6.* Benedictus Iuſtinianus *Præf. in Epiſtol. Ioan.* Caſtro *in Hiſtor. Deiparæ cap. 14. num. 16.* Claudius Guilliaudus, Ioannes Mariana, Franciſcus Lucas, Cornelius, Æſtius, Hugo Cardinalis omnes, *Ioan. 2.* Baronius Anno Chriſti 31. Illuſtriſsm. Siurius *tom. 1. tract. 29. cap. 2.*

3 Sit noſtra concluſio, *Sponſum in nuptijs celebratis in Cana Galilææ non fuiſſe Sanctum Ioannem Evangeliſtam.* Probatur Concluſio. Non eſt aliquid aſſerendum atque inducendum in interpretatione Sacræ Scripturæ, quoties cum Sacro textu malè componitur nec fundatur in firma traditione PP. nec conſentaneum eſt rationi, & congruentijs. Sed aſſertio de eo quod D. Ioannes Evangeliſta fuerit prædictus ſponſus eſt huiuſmodi: ergo verior aſſertio eſt talem ſponſum non fuiſſe. Maior ſatis conſtat. Minor probatur quoad partes omnes, quas implicitè continet, & in primis quoad primam. D. Ioannes prius fuerat vocatus ad Apoſtolatum, quam Chriſtus D. veniſſet ad nuptias; ſed hoc ipſo non potuit vocari in ipſis nuptijs, eum ab illis revocando: ergo, &c. Probatur minor. Ex eodem textu Ioannis conſtat, Chriſtum fuiſſe invitatum ad nuptias ſimul cum Diſcipulis ſuis. Sed Ioannem Evangeliſtam vnum fuiſſe ex primis Diſcipulis Chriſti ſatis conſtat ex Mathæo *cap. 4.* & Marco *cap. 1.* ergo, &c. Probatur iam min. quoad ſecundam partem: quia inter priſcos PP. duo tantum ſunt qui hanc rem quoddammodo tetigere, ſcilicèt D. Epiphanius *hæreſ. 51.* Venerabilis Beda *tom. 7. vbi ſuprà.* Sed Epiphanius, & dicit, Ioannem ante nuptias fuiſſe vocatum, & ſubdit, quòd ad eas non iverit, eò quòd Andræas, & qui cum ipſo erant ſeceſſerant, de quibus erat Ioannes: & aliunde venerabilis Beda ſolum dicit hæc verba. *Tradunt namque Hiſtoriæ, quòd eum de nuptijs volentem nubere vocaverit: & propterea quem à carnali voluptate retraxerit, potiri ſui amoris dulcedine donavit*, vbi nihil de nuptijs in Cana Galilææ, & traditio ibi appoſita eſt incerta ſimul, & vaga: ergo ex Sanctis PP. quantum obſervare licet, potius concluditur D. Ioan-

Ioannem talem ſponſum non fuiſſe. Probatur tertia pars : nam idem aſſumptum probat multiplex ratiocinatio, & congruentia, quam ſic depromo. Primò. Quia aſsiſtentia Chriſti ad nuptias, & quidquid in eis egiſſet conducens ad fundandam ſuam Eccleſiam, erat punctum graviſsimi momenti, vt in Sacro textu ſub eo tenore, quo fuit nullatenus poſſet præteriri ſilentio. Sed ſi D. Ioannes per Chriſtum à nuptijs, in quibus ſponſus erat, revocatus fuiſſet, minus firma doctrina relicta eſſet in Eccleſia ex hoc textu de licentia nuptiarum: ergo, &c. Maior conſtat. Tùm quia ex inde eas commendat Concilium Epheſinum. Tùm quia futuri erant hæretici veluti Marcion, Tacianus, & Manichæi qui toto niſu damnarent nuptias. Minor iam conſtat, ſiquidem ij Hæretici altius ſuum errorem infigerent pro nuptijs damnandis, ſi ad vnicas cum Chriſtus acceſſiſſet, ſponſum ab eis revocaſſet : ipſaque Eccleſia validiſsimo argumento ſuo deſtitueretur, quo nuptias coram ab ipſo Chriſto benedictas eſſe pronuntiat. Secundò. Quia ſi inde orta fuiſſet diſſolutio matrimonij rati; mirum fuiſſet, eam neque etiam tangi à Chriſto, dum de libello repudij, & de vinculo matrimonij diſſereret. Tertiò. Quia Ioannes Cananæus non erat, cuiuſmodi proculdubio fuit ſponſus ex more ducendi vxorem in Patria ſua ex eadem tribu, cognatione, & familia. Quartò. Quod minus hęc conſonant cum illa perfectiſsima virginitate ex qua PP. vniverſim eum faciunt Chriſto D. prædilectum : in cuius prærrogativæ commemoratione non poterant de re tam notabili quidpiam non attigiſſe.

4 Obijcies 1. adverſus hanc concluſionem, quæ Illuſt. Siuri eruditè congeſsit, & ſolidè diſſolvit. Arguitur primò ſic. Traditio illa, quæ à duobus Doctoribus Eccleſię, vt ab Auguſtino, & Hieronymo originem trahit, & abundè eſt poſterioribus Doctoribus fulta, ſatis firma eſt ad aſſenſum, & interea dum nihil ex Sacra pagina, aut Eccleſia eſt in contrarium. Sed tales nuptiæ D. Ioannis Evangeliſtæ conſtant ex hoc vtroque Doctore : ergo, &c. in eis ipſe fuit ſponſus. Minor conſtat ex prologo vtriuſque in Evangelium Ioannis. Nam primus ait ſic: *Iſte ſiquidem eſt Ioannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit.* Secundus vero ait: *Quem de nuptijs volentem nubere vocavit Deus.* At non de alijs nuptijs feruntur tàm coeuntia ſuffragia cuiuſmodi fulcitur ſententia illa, quam de nuptijs in Cana Galilææ: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſp. neg. min. ad cuius probationem dico, ea non eſſe verba D. Auguſt. aut Hieron. ex Cardinali Toleto *annot.* 13. ſed aut Bedæ, aut alterius cuiuſpiam, opera talium Sanctorum apparantis : ab ijs enim ſolent in Editionibus præfationes aptari. Quod ſuadet primo quòd non ſapiunt ſtylum vtriuſque Doctoris. Secundò quia diſſentiunt ab ab eis, quæ in medio operum ipſi Sancti ſenſerunt ; & quæ maiorem debent facere fidem. Nam Auguſt. *tract. vltim. in Ioannem*, ſic habet: *Sunt qui cenſuerint, & hi quidem non contemptibilis ſacri eloquij tractatores, à Chriſto Ioannem Apoſtolum plus amatum, propterea quod neque vxorem duxiſſet, & ab ineunte pueritia caſtiſsimus vixerit. Hoc quidem non in Canonicis Scripturis evidenter appareret ; verumtamen id quoque multum adiuvat congruentiam, quod illa vita per eum ſignificata eſt, vbi non erunt nuptiæ.* Item Hieronymus *lib.* 1. *contra Iovinian.* Huic obijcienti, Chriſtum non Ioanni Virgini, ſed Petro vxorato Eccleſiam demandaſſe, reſpondet, id factum, *quia ætate puerili erat Ioannes pro tali numere.* Vbi conſtat tales nuptias apud Hieronymum, & eius tempora non circumferri ; alioqui Iovinianus plus ad eius intentum repellendi virginitatem, caſum Ioannis

ſpn-

ſponſi adduxiſſet. Reſpondetur ſecundò adhuc pro noſtra Theſi præciſa ad nuptias in Cana nihil concludi, quia de eis ibi nulla fit mentio. Et quamquam poſtea de ijs ſermo invaluerit, cum non appareat quid ſolidum, vnde ortus fuerit; potius rumor vagus in origine, quæ traditio conſtans, & firma cenſeri debebit? *Replicabis ſtatim.* Potius ex Hieronymo contra Iovinianũ argumentum roboratur. Quia ibi poſt nomen *Ioannes Apoſtolus*, ſequitur *Maritus*, & *virgo*. Quid ergo clarius? Reſpondeo contextum dare ſolutionem verbis: ait ergo ſic *Petrus Apoſtolus, & Ioannes Apoſtolus. Maritus, & Virgo. Sed Petrus Apoſtolus tantum: Ioannes Apoſtolus, & Evangeliſta, & Prophetа.* Nam loquutio Hieronymi incedit per parallela: vnde ly *Maritus* de Petro eſt, non de Ioanne, vt illico patebit ſyncero lectori.

5 Obijcies 2. De eo quod B. Ioannes Apoſtolus fuerit ſponſus in talibus nuptijs datur traditio vetus, concurrit multiplex revelatio privata celebrium perſonarum, datur Doctrina Eccleſiæ in ea vocatione Ioannis fundata. Sed hæc omnia vim debent facere ad aſſentiendum: ergo D. Ioannes fuit ſponſus in prædictis nuptijs. Maior probatur per partes, & probo primam ex Abdia Babylonico Authore perantiquo aiente in vita S. Ioannis, eum iam morti proximum dixiſſe, ſe adoleſcentem ter à Domino fuiſſe revocatum ab ineundis nuptijs primo vocatione, ſecundò morbo, tertiò ſuaviori via. Probo ſecundam. Quia talem revelationem habuerunt B. Amedæus Franciſcanus *raptu* 8. *ſuæ Apocalypſis*, S. Mectildis *lib.* 1. *Spirit. Gratiæ*, *cap.* 6. S. Getrudes *lib.* 4. *Inſinuationum Divinæ pietatis*, *cap.* 4. Sed tot, & tam concordes revelationes perſonarum, quas colendas proponit Eccleſia, poſthaberi non poſſunt: ergo, &c. Probo tertiam partem. Quia Eccleſia ſolubilitatem matrimonij rati inde invexit, & ex tali caſu in corpore iuris ſui firmat reſponſa, vt videre eſt apud Rainaud. vbi ſupra adducentem reſponſum Alex III. in Iure Canonico permittentis coiungi ingreſſum in religionem exemplo Ioannis vocati à nuptijs: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando maiorem ad cuius probationem, per partes itidem exhibeo reſponſum. Atque ad primam iam pridem nota eſt eruditis exigua fides illa, quam meretur Abdias Babilonicus, tùm ex probatis AA. vt Sixto Senenſi, Baronio, Poſſevino, Labbe; tùm etiam ex Decreto Gelaſij Papæ qui talem librum recenſuit Apocrifum; nam licèt priſcus ille Chaldæus Abdias multam fidem faceret, ſi extaret purus, cæterum reſtitutor in eo plura colligit, quæ cogunt ipſi minorem fidem haberi. Neque ille adhuc admiſſus aliquit promit de nuptijs in Cana Galilææ. Cæterum quia quaſvis alias etiam reſpuimus, vt longe minus benè exceptas atque fundatas maximè à prioribus ſæculis Eccleſiæ, quàm virginitatem in Ioanne commendatiſsimam; id circo eam exinde traditionem prorſus convellimus. Ad ſecundam partem quæ delicatiorem aliquanto criſim ſubintrat, diſtinguo minorẽ *poſthaberi non poſſunt quoad aſſentiendum privatim*, permitto minorem, *quoad diſputandum, & ferendum ſententiam de re in iudicio Theologico*, nego minorem, & conſequentiam.

6 Itaque pro his duo declarari oportebit. Alterum videlicet quomodo generatim excipi debeat revelatio privata. Alterum verò ſpeciatim in hoc caſu quomodo ſit accipienda. Quoad primum ergo revelatio privata, niſi multùm commendetur, & quidem communi cenſu ex vita, perſona, & moribus ſanctis; malefidum ſignum eſt veritatis ita, vt iuxta myſticos etiam ſanctis inter

revelationes veras aliqua etiam falsa soleat obtrudi; licèt hoc in visionibus externis, & imaginarijs locum quidem possit habere; secus vero in intellectualibus, in quibus sola mens sursum acta atque delapsu Deifico delibuta, altior ascendit quam, quo veterator queat diabolus introire. Sed vero revelatio privata, non minùs tuta ex parte rei, quàm ex parte personæ, meritò quidem privatum quasi pium, & familiarem assensum comparabit; minimè verò pondus Scholasticum, vt inde res iudicio Theologico veniat ad libram. Quoniam hæc via speculatrix alia loca persequitur, in quæ ingredi, & egredi possit topica vel demonstrativa ratiocinatio cuiusquam; cuiusmodi certè non est simplex assertio de re interna in animo viri aut mulieris. Quomodo autem habitus fidei concurrat ad assensum circa has revelationes privatas, ijdem Theologi Scholastici delicatè discutiunt. Iam autem quoad nostri casus revelationes, quemadmodum negare non possum eas esse personarum, quas colo, & veneror imo cordis effectu; sic diffiteri non valeo. Primò. Id quod aliquibus ab hinc annis vidi dixisse nostrum Cornelium de Angelo Apocalypsis B. Amedæi de quo sic pronunciavit. Angelus B. Amædei proculdubio Scotista fuit. Eo nempe quod ad systema Theologicum huius Doctæ Scholæ eius Apocalypsis se accommodaret. Secundo. Hic pro nobis recenseri aliam revelationem Venerabilis Mariæ de Agreda prædictis contrariam: non secus ac de numero clavorum, quibus crucifixus est Dominus decertant in defensorio P. Papebroquij duæ revelationes, ni fallor S. Catharinæ Senensis, & S. Claræ de Monte Falco inter se oppositæ. De quibus vltra superius dicta, satis constat hisce revelationibus non esse rei definitionem adscribendam; interea tamen ego lubens vtrisque suam pietatem impertior. Namque veritas, teste Anselmo, vnica est, & nobis desuper quasi particulatim communicatur: & sub mille millibus loquendi formulis Deus potest eam nobiscum partiri, ita vt censeamus sæpè esse oppositas pro acie nostra pertenui partes illas inter se valde distantes, quas tamen intra totam vnicam veritatem cohærentes verè sibi cernit altissimus. Quamobrem, quando res est inoffensa, & calculò non fallenti vita approbata; non gravabor fateri veras revelationes oppositas, licèt quasi appareat contradictio; fatebor tamen, formulas, quibus explicantur, & inter homines circumferuntur, non ex toto posse forsitan aperire divinum veritatis illapsum. Hæc, quæ pia affectio dictavit, nulla fides accusat, & clara ex inde manat argumento responsio. Ad tertiam partem respondeo quod quamvis exemplificatio de D. Ioanne sponso in nuptijs Cana inveniatur (quam non invenit D. Siurius) nihil cogeret; cum sit non decisio, sed pura exemplificatio innixa opinione currenti: cuiusmodi passim occurrunt plures, nedum in iure Canonico, sed in Tomis Conciliorum, & de vtriusque authoritate lege, si placet Palæstram Scholasticam *in lib. 4. tract. 1.*

7 Obijcies 3. Eatenus nostra sententia esset vera quatenus Ioannes vocatus fuit ante nuptias; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor: quia ex D. Luca constat, Ioannem Evangelistam vocatum fuisse iam incarcerato Baptista: sed id fuit post nuptias: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo concessa maiori, negando minorem, & distinguo maiorem probationis, vocatus fuit *vocatione, & sequela perfecta*, concedo maiorem, *tantum inchoata, & doctrinali*, nego maiorem. Et dis-

tincta respectivè minori, nego consequentiam. Itaque ex Epiphanio, Cornelio Iansenio, & alijs Iacobus, & Ioannes prius vocati sunt inchoativè, & doctrinaliter à Christo attestante ipsi Baptista de eo *Hic est Agnus Dei*, & cum illis, & alijs Discipulis privatim Christus suam doctrinam communicavit vsque ad nuptias, in quo tempore, palam manifestatus, & iam posteà Baptista incarcerato, publicè prædicationem obivit, & Discipulis, qui de sua arte piscatoria adhuc vivebant, iniunxit, vt relictis iam retibus, & Patre, se sequerentur: vnde ait Iansenius, *exinde constantes illi adhæserunt*. Et Epiphanius, *hæresi* 51. ponit eos, *secundò vocatos vocatione perfecta*. Ad calcem rogabis quisnam fuit ille sponsus? Qui dicunt fuisse Simonem, quia Cananæum, non fundant. Qui dicit cum Domino Siurio, id minimè comperiri iam posse, prudenter loquitur, & cum eo sit noster sermo.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO TERTIA.

## TEXTUS
## AD ILLA VERBA.

QVID MIHI EST TIBI, ET MVLIER? NONDVM VENIT hora mea. *Ioannis 2.*

## ARTICULUS.

### *QVO SENSV LITTERALI, ET CATHOLICO SVPERIORA VERba ſunt vſurpanda?*

1 NOto primò. Hic nos incidere in locum ſpinis plenum, ac ſalebroſum, in quo, nimirum, Ethnici Hæretici, & Graves Catholici ceſpitarunt. Quare, ne ſine luce procedamus ignorantes, vbi nam ſint tribuli, & præcipitia; oportet ſummarim pronuntiata erronea præmittere, de quibus egerunt præclarè noſter Maldonatus, & Toletus hic, quorum poſtremus duo ſerit monita, quæ generatim præ oculis habere oportebit. Ait ergo annot. 7. *Neſciunt miſeri Hæretici medium tenere: quod quidem proprium eſt omnium à via, & veritate aberrantium. Illi nimirum deprimebant Virginem B. eius Virginitatem, eiuſque Maternitatem negantes: Hi ſupra modum efferebant, ipſi divinitatem tribuentes. Quemadmodum, & alij Chriſtum deprimebant, vt divinitatem eius negaverint; alij eum ſine modo, ſuo iudicio extollere volentes, humanitatem non recognoverint; indignum Deo rati, quod homo factus ſit. Veritas Catholica medium tenet.* Obſervatio gravis, & vtilis! Rurſus ait annotat. 10. ſic. (*Non eſt hoc Catholicis Doctoribus inſolens, qui dum Catholicos inſequuntur, & vrgent, nimio zelo, & ardore currendi tranſcendunt metas, & tunc quidem eorum non verba tantum; ſed etiam intentio, & mens conſideranda ſunt.* Cui addo monitum tertium propter infra dicenda: *Quod nimirum, aliquando probari* hoc tempore nequeunt nonnulla pronuntiata SS. Patrum eo quod ea protulerint longè antequam res ab Eccleſia eſſet definita; ſed tamen interea ab ipſis non impiè dicta ſunt, ſed pijſsimè aliqua videlicèt Sacræ Paginæ ingenti difficultate compulſi. Quibus poſitis 1. circa hunc locum Ethnici delirarunt putantes contra naturæ legem Chriſtum Matrem ſuam contemptu, & iniuria affeciſſe. Quod tàm longè abeſt, vt inibi monſtret Toletus in Commentario, quòd reſponſionis Verbum fuerit ſimul providentiæ, miſericordiæ, reverentiæ, & inſtructionis. 2. Errarunt Manichæi, Marcion, Valentinianus, indè putantes non fuiſſe Mariam Matrem Chriſti, eo quòd iuxta phraſim videretur ipſi dixiſſe:

*Nil*

*Nil mihi tecum.* Sed noctuæ ſunt, qui amant obſcura, & claritate illa textus: *Et erat Mater Ieſu ibi* perſtringuntur, vt clarè Matrem fuiſſe non videant. 3. Errarunt cum impio Neſtorio, qui aſſeruerunt Mariam B. Virginem non fuiſſe; eo quod vocabulo *mulieris*, potius corruptam ſignificantis ipſam tractaverit. Sed, & hallucinati ſunt non videntes Evam adhuc intactam ædificatam fuiſſe *in mulierem*: & in Sacris Bibliis, ac Sacris linguis nil aliud ſignificari per *mulierem*, niſi ſexum virili contrapoſitum, & quid blandum, humanum, vt in Lexicis apparevit. 4. Errarunt Priſcialianiſtæ fato adſcribentes illa verba Chriſti: *Nondum venit hora mea.* Quia providentiam Dei prorſus ignorabant, & arcanum ſcientiarum, & decretorum, modò tam patefactum, eos latebat. 5. Ceſpitarunt multi Sancti DD. in textu verè arduo, & difficili, atque putarunt, inibi aliquam veram reprehenſionem interveniſſe Chriſti D. ad B. Virginem. Quam ſic, vel aliter explicatam aſſerunt. D. Athanaſ. *Serm. 4. contra Arrianos.* Auguſt. *lib. de Symbol.* ad Cathecumenos *cap. 6.* Chryſoſt. *Homil. 20.* Irenæus *lib. 3. cap. 18.* Greg. Niſſ. orat. in illud Apoſtoli: *Tunc erit, & ipſe ſubiectus.* Vbi, & B. V. intempeſtivè acceſsiſſe, & vanagloria perculſam fortè dixerunt. Quæ tamen procul ire iam iuſſit Sanctum Tridentitnum Concilium, vbi Regina Cœli, & B. Virgo Maria cuinſvis etiam venialis peccati expers fuit pronuntiata.

2 Noto 2. Quod excluſa in Chriſto Domino nedum omni culpa; verum, & quavis imperfectione morali, alij quivis modi operandi, aut formulæ loquendi, quæ ſæpiunt imperfectionem Phyſicam infirmitatis humanæ in nobis; in Chriſto, qui eam pro nobis dignatus eſt aſſumere, evadere perfectiores altiſsimas iuxta finem præexcelſum Incarnationis. Quia cum hic finis, ſeu myſterium, nedum ſteterit in eo, vt revera Deus fieret homo; ſed vt etiam talis hominibus appareret, nempè vt hi cognoſcerent, cum fuiſſe verum hominem, & verum Deum: quemadmodum SS. PP. & per eleganter D. Auguſtinus, & S. Leo declarare conſueſcunt; debent conſiderari in Chriſto longè celſiores, & elevatiores, qnam in nobis ex divina ordinatione præiacta, illi modi operandi, aut loquendi formulæ, quæ in humanis admiſcere imperfectionem aliquam viderentur. Et quidem hoc longè vrgentius, ſi fiant paulo ante, quàm Divinitas in eo ſit aliquo inſigni opere declaranda; ne videlicèt fulgor huius ita intuentium oculos perſtringeret vt, verè hominen fuiſſe diffiterentur: quemadmodum, etiam eius vita inter homines tàm humanitus acta, non defuerunt, qui id ita cenſerent. Ex quo iam clareſcit, quomodo Chriſtus, antequam ſignum tam ſtupendum patraturus eſſet in Nuptijs, voluit ſe humanitùs gerere, excuſando ſe à vini proviſione facienda, quando ei dictum eſt. *Vinum non habent*, quaſi ad ipſum, & Matrem non attineret per illa verba: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Quod ſi propterea talia verba publicè dicta ſunt, & non ſecretò ad Matrem; poterit quis addubitare ſic. Quid ergo ſibi volunt illa verba: *Nondum venit hora mea?* Nam hæc potiùs, quam humanam viam excuſationi, præſeferunt poteſtatem in eo celſiorem divinitatis, & tempus ad talia decretum? Ad quod, vtrinque poterit reſponderi: vel *ſecretò* inter Filium, & Matrem rem actam eſſe, ne alias ſponſo rubor genitus fuiſſet, ſi defectus vini innotuiſſet; & tunc potuit conſtare excuſatio; ſed non quibus verbis fuit facta, niſi ſoli Ioanni, vel audito, vel ex ore B. Mariæ V. poſtea narrantis. Vel *publicè dicta eſſe* eo quòd à nativitate, & mirabili Ieſu doctrina inter Doctores, & hac vel illa operatione mirabili inter ſuos (inter quos videbatur eſſe convivium) fama manaſ-

naſſet de poteſtate faciendi mirabilia; & propterea ei de oportuna occaſione illud faciendi, quidquam Matrem inſinuaſſe, ad quod & humanitùs partim reſpondiſſet, dicens: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* & poteſtatem partim non inficiaretur: quo, & divinitas, & humanitas ſimul hominibus appareret. Atque ſi quis diceret, fortaſsè ab invitantibus ex induſtria defectum vini fuiſſe ſignificatum, vt occaſionem haberent alicuius rei prodigioſæ; non ibunt procul à textu illo in quo ei dicebant fratres: *Nemo in ſecreto talia opera facit manifeſta te ipſum mundo.*

3 Noto 3. Me ambabus vlnis amplecti verba noſtri Emin. Toleti *annot.* 7. ſic dicentis: *Quare autem Chriſtus mulieris vocabulo vſus ſit, exiſtimo cauſam fuiſſe conſuetudinem, & loquendi modum eo tempore communem. Abſit enim, vt ex contemptu aliquo id factum eſſe in animam inducamus noſtram; quandoquidem, & in cruce pendens, & eam præſummo amore Ioanni commendans, dixit. Mulier ecce filius tuus.* Ego enim in eamdem cogitationem incideram; atque vt eam foverem multa ſcrutatus ſum, quæ, ſicuti ſcrutari certè non piguit; ita neque hic depromere pœnitebit. Notiſsima igitur res eſt eruditis, peritiſque linguarum, Chriſtum Dominum loquutum fuiſſe ſermone Syriaco, ibi tunc temporis Vernaculo, qui quaſi dialectus Hebraica quædam eſt Chaldaico ſermone permixta: vnde ſubijt mentem inveſtigare: num verbum illud, quod in verſione noſtra eſt *mulier*; & temporibus noſtris apparet vox non affabilior, in ſermone Syriaco fortè eſſet dulcior, & genitrici compellandæ accommodatior? Pro quo, rei amore, quantum tenuitas mea potuit de Hebraicis, Syriacis, Græcis, & Latinis fontibus (quos ſaltem adire licet) ipſe obſervavi, vt res eiuſmodi elucidetur. Porro in primitivo idiomatè Hebræo duas invenio radices vnde Chriſtus D. vſurpaverit eam Syriacè quæ *mulier* vertitur ſcilicet à *Anas*, & à radice *Vs*, vel *Aves* in vtraque enim invenitur ſignificatio *mulieris*: & licet vox Syriaca, quæ modo reperitur in textu Syriaco, ſit hæc *Attho*; duo debent obſervari: aliud eſt, quod hæc vox non eſt originalis; ſed verſio facta ex originali: ſiquidem D. Ioannes ſcripſit Græcè. Aliud eſt, quod licet dicat Attho, vel Anttho, (quia Nun ſupprimitur) attamen ly Thau, tàm Hebraicum, quàm Syriacum non eſt radicale, ſed ſervile; vnde talis vox reducitur à Valentino Schildero, in ſuo Lexico Pentaglotto ad radicem *Vs*, vel *Is*, tàm in hac eadem radice, quàm in loco proprio, vbi pro voce ſignificante *mulierem* remittit ſe ad radicem prædictam.

4 Quo poſito perſequar tertiam radicem *Anas*: & dico id, quod ego ipſe non comminiſcor; ſed quod Lexica ipſa reclamant, ſcilicet per hanc vocem ſignificari, *tùm dolere in caſu extremo*, & *deſperato* vnde in Cruce pro *mulier* potuit dicere Chriſtus Syriacè vocem, cuius vis hæc eſſet: *O extremè hic doloroſa! ecce filius tuus.* Tùm etiam ſignificare omne genus humanitatis quoad vtrumque ſexum. Cumque vlterius in Vocabulario Syriaco Andrææ Maſsij in Biblijs Regijs duo inveniam in hac radice, ideſt *Anas*; aliud ſcilicet, quod hæc vox in plurali pro *Parentibus* ſumitur, vt re ipſa accidit *Luc. 3. & 2. ad Timoth. 3.* aliud verò quod apud Syros plurale, & ſingulare in elementis no diſcrepant; quis ſtatim non ſibi perſuadeat, quod, ſi ex vna parte Chriſtus loquutus fuit Matri Syriace, & ex alia, radix, quæ in Hebræo, vnde Syrus venit, ſignificat *mulierem*, pro *Parente* ſtare poteſt; quando dixit: *Quid mihi, & tibi eſt mulier*, non dixiſſet iuxta acceptionem tunc Syris communem: *Quid mihi, & tibi Parens, vel Genitrix?* Hæc profecto violenta non veniunt: neque lexica patientur me fallere.

5 Iam quoad ſecundam radicem, vel *aves* dico in primis hanc cum præcedenti ſatis communicare in ſignificato, vt patet in Lexico Schilderi, vbi in plurali pro *iſeim* dicit vſurpari *avaſcim*, quam vocem diximus iam pro *Parentibus* apud Syros ſumi ſolere. Igitur in hac radice eſt, vbi invenitur vox Syra, quam D. Ioannis Evangelium habet, & quæ redditur *mulier*, & eſt *Aitthò*, Hebræis Characteribus *Antha*. Huius autem radicis ſignificatum eſt amplum, nam vox *Isà* ſignificat *fœminam*, *mulierem*, *vxorem*: quare vox illa Syriace à Chriſto vſurpata veriſimiliter habuit, aut vim, aut vſum communem, quo *Genitrici* æquivaleret, præſertim à filio prolata. Et hoc robur accipit à voce Græca, qua ſe D. Ioannes explicuit, ſcilicèt *Gyne Gynaykos*, quæ vim aliquid ſignificandi alludens, & maternitatem habet, vt conſtat ex Lexico Græco collecto per Adrianum Iunium vbi in prepoſitione *Pros* invenitur hæc forma loquendi, id abunde declarans, ſcilicèt *Pròs anddron*, *Kai pròs Gynaycòn*, id eſt, quoad ſtirpem virilem, & quoad Maternum genus. Significat ergo vox Græca quidpiam molle, & blandum maternorum viſcerum proprium. Atque adeò Ioannis Interpres reddit *mulier*: quia iuxta Varronem, & D. Iſidorum Mulier à *mollitie* dicitur quaſi *mollier*; & inſuper, licet generale nomen ſit pro fœmina rationali (fœmina enim ad bruta ſe extendit) tamen pro ea, quæ natum edidit, frequentius ſumi videtur, in quo quaſi cum Genitrice convenit, maximè à genito eius prolata. Cur autem non dixerit Chriſtus Mater, neque hic, neque alicubi? Fortè eſt, vel quia fortè tunc temporis vſurpari non ſoleret hæc vox niſi à prole tenera: vel quia Mater nomen eſt officij, vt in Ambroſio Calepino obſervari licèt; & hoc neque in Nuptijs, neque in Cruce Domini indigebat; benè verò Ioannes cui in Cruce dixit; *Ecce Mater tua*, Vel quia tunc *Mater* apud Hebræos, & Syros ſicuti, & *Pater* multiplici acceptione gauderet, in qua vera generatio non importaretur.

6 Noto 4. Id quod obſervant in hoc loco Interpretes vniverſi, ſcilicèt hanc phraſim *quid mihi, & tibi* perinde ſumendam eſſe, ac ſi diceret *quid mihi tecum?* Nam id multa exempla confirmant. V. g. 2. *Reg.* 16. 22. *Quid mihi, & vobis filij Sarviæ?* Ideſt vobiſcum ego nil habeo. *Ioel* 3. *Quid mihi, & vobis Tyrus, & Sydon?* Cuius eſt ſimilis conſtructio. *Luc.* 8. *Quid mihi, & tibi Ieſu Fili Dei?* Math. 27. *Nihil tibi, & iuſto illi?* Cæterùm ego ſubnoto id, quod ab ipſis obſervatum non video, & ex quo in mille ſpineta ſe immittunt, ſemper ac volunt explicare, & ſuſtinere hic, aliquomodo, & in aliquo ſenſu excludi communicationem filij cum Matre. Non nego Matrem cum filio, in divinitate, & ijs, quæ ab ea ſunt, non communicare cum filio. Sed, præterquamquod dura hæc loquutio cuiuſvis filij ad quamlibet Matrem: *Quid mihi tecum?* ægrè poterit emolliri; notari oportet, eam habere vim vniverſalis negativæ *nil mihi tecum*: vnde quamquam aliquem ſenſum expiſcari queant Interpretes, in quo Mater cum filio non communicet, vt ſuprr tetigi; at Ieſum cum Maria, & Mariam cum Ieſu nil habere commune, quis proferat? Igitur admitto phraſim, & quidem eſſe reciprocam nempè *quid mihi tecum? Et quid tibi mecum?* Vel potius: *Quid tibi, & mihi? Et quid mihi, & tibi?* Verum, & poteſt intelligi indefinitè, & tunc prorſus omnis communicatio reſcinditur, & excluditur *perſona ad perſonam* ſuper re quavis; & poteſt intelligi reſtrictè ad determinatam materiam: & tunc non excluditur (attende) communicatio perſonæ ad perſonam, ſed communicatio rei, & materiæ ad vtramque perſonam, ita vt ſenſus ſit *in ea re, tàm non communicare aut habere partem vnam per-*

*ſo-*

*ſonam quam alteram* : Quaſi diceret vna ex illis : *De hac re quid mihi, & de hac re quid tibi?* Vnde rurſus, quamvis admittatur periphraſsis illa : *Quid mihi tecum?* Si ſermo eſt de determinata materia ; ( quod pendet ex circunſtantijs ) perinde eſt ac ſi diceret : *Nihil ego tecum habeo in hac re, neque tu in illa habes mecum.* Aliter : *Pares ſumus ego tecum, & tu mecum quoad hanc rem.* Imò ſi res ſubtiliter penſitatur, ipſa vtriuſque excluſio ſimilis communicationis in re eſt argumentum communicationis quoad perſonas: quaſi diceret: *Si hæc res tecum communicaret, vel tu in hac re communicares ; non poſſem ego propter communicationem noſtram non communicare* : quaſi non ſufficeret ad ſe eximendum de re, dicere : *Quid mihi in ea*, niſi vlterius adderetur : *Quid mihi, & tibi?* Et ſic paſsim in humanis propter ſtrictam communicationem, & vnionem filij, & Patris non dicet filius de re, in qua læditur Pater *quid ad me?* Licèt ipſe non lædatur ; ſi verò res impertinens eſt ad ſe, & ad dilectum; dicere, v. g. vxor Marito, Pater filio, amicus amico : *Mihi, & tibi nil de hac re*, eſt dicere : *Nos vnum ſumus, ſed hæc res extra vtrumque noſtri eſt.* Vnde conſtat de primo ad vltimum quod hæc loquutio : *Quid mihi, & tibi in hac re?* Licèt ſanò ſenſu expoſita *per quid mihi tecum*, eſt teſtificativa vnionis perſonarum, & quaſi dicens : *Nil mihi in hac re ; imò, & nihil tibi etiam in ea : quia ſi in ea tibi aliquid eſſet, itidem in ea mihi, & eſſet, & eſſe deberet* : licèt revera ſit excluſiva communicationis reſpectu vtriuſque quoad talem rem.

7 His poſitis multiplex eſt via, & ſententia circa huius loci explicationem. Prima ergo ſententia eſt illa verba : *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* denotaſſe Chriſtum cum Maria non communicare in divinitate cuius erat patratio miraculorum. Hanc tenet Auguſtinus *tract. 8. in Ioann.* & alibi Gregorius Magnus *lib. 8. Epiſt. 42.* Euſebius Emiſſenus *Dominic. 2. poſt Epiph.* Beda, Haymo, Albertus Magnus. S. Thomas *Gloſſa intelinealis*, Hugo, Lyra, Claudius Guilliaudus, Titelmanus, Franciſcus Lucas, Æſtius, Cornelius, Tirinus. Omnes Ioannis 2. Deinde Ianſenius *cap.* 18. Concord. Suarez *tom. 2. in 3. part. diſp. 4. ſect. 4.* Barradas *tom. 2. lib. 3. cap. 1.* D. Siuri *tom. 1. tract. 29. cap. 7.* Secunda ſententia valde affinis præcedenti per illa verba, non tàm intelligit excluſam cum Matre communicationem quoad eſſe *divinitatis* ; quàm quoad *ſubijci* etiam humanitatis in ordine ad patrandum miracula. Ita ſentiunt Gregorius Niſſenus Orat. in ea verba Apoſtoli : *Tunc, & ipſe erit ſubiectus.* Chryſoſtomus *Homil.* 20. Maximus *ſerm. 2. Epiph.* Rupertus *lib. 2.* in Ioan. Salmeron *tom. 6. tract. 6.* Maldonatus *Ioann. 2.* Toletus *Ioann. 2. annot. 6.* Quibus etiam ſubſcribunt Suarius, & Siurius putantes cum alijs hanc ſententiam à præcedenti vix poſſe diſtingui. Tertia ſententia aſſerit in prædictis verbis non quidem reprehenſionem, benè verò ſimulationem reprehenſionis interveniſſe alto Charitatis conſilio factam ; nè potiùs Chriſtus in ea rè carne, & ſanguine ductus fuiſſe appareret. Hæc ſententia eſt Maldonati *Ioann. 2.* Itemque Iacobi Tirini, Menochij, & aliorum. Quarta ſententia ſuſtinet omnia illa verba Chriſti ad Matrem tàm priora, quàm poſteriora nihil aliud ſignificaſſe, quàm tollere ſolicitudinem de re, eò quòd vinum ex toto adhuc non defeciſſet. Huius ſententia Patroni ſunt Emmanuel Sa, & P. Franciſcus de Rivera *Ioan. 2.* P. Gabriel Vazquez *tom. 2. in 3. part. diſp. 120. cap. 4. num. 74.* Vega *in Theologia Mariana part. 1. Paleſtra 9 Certamine 3. num. 877.* & eam Menochius probabilem iudicat. Quinta ſententia aſſerit illa verba : *Quid mihi, & tibi mulier?* etiam ſi per circumlocutionem ita explanantur: *Quid mihi tecum?* Nihil aliud ſignificare, quam

quòd

quòd defectus ille, & vrgentia vini, neque ad Filium, neque ad Matrem attineret. Ita S. Iustinus Martyr *quæst.* 136. Contra Gent. Epiphanius *Hæresi* 51. & 79. Theophilactus, Euthimius Caietanus, Gagneius, Ioannes Mariana *Ioann.* 2. Benedictus Pererius ibidem *disp.* 7. Atque vt probabilem tradunt Cardinalis Toletus, & Hugo Cardinalis. Præterea sigillatim circa illa verba: *Nondum venit hora mea.* Alij vt Iansenius, & Titelmanus putant significari tempus manifestationis Christi post Ioannem incarceratum. Alij cum Athanasio, Augustino, Beda, Gregorio, D. Thoma, & alijs apud Siurium intelligunt de hora Passionis, in qua se humanum, & ex Maria esse se ostenderet. Alij cum sententia supra attacta quòd nondum ex toto vinum defecerat. Ita sentiunt multi SS. PP. & nobiles Interpretes apud Siurium. Alij denique cum Barradas, & Escobar *tom.* 1. *in Evang. lib.* 11. *sect.* 1. censent recurri debere ad scientiam conditionatam quatenus nisi Matris oratio interveniisset, tale miraculum, vel tali tempore patratum non fuisset: quasi non adveniisset in re hora Christi independenter à Matre. Alij horam absolutè intelligunt de hora, & tempore patrandi miracula, vt Maldonatus, & alij plures.

8 Sit mea conclusio: *B. Virgo Maria in prædictis verbis nullam tulit reprehensionem, neque etiam simulatam à Christo D. Et Christus D. in prædictis verbis perfectissimè se gessit vt Deus, vt Homo, & vt Filius Mariæ.* Probatur primo conclusio ex PP. 1. Ex Iustino vbi supra sic loquente: *Illud quid mihi, & tibi rei est mulier? Non obiurgandæ Matris causa à conservatore dictum est; sed vt hoc declaret, ne nos dicant eos esse, qui nobis vinum in nuptijs consumptum polliciti simus: tamen abundantia amoris, si vis, ne eos vinum deficiat, dic Ministris, vt ea quæ iubeo faciant; tuncque experiere vinum eis non defuturum. Quod etiam factum est. Non igitur verbo Matrem obiurgavit, aut castigavit, quam re honoravit. Alijs autem in verbis non Matrem debito honore fraudat, sed docet qua, vt ita dicam, ex maternitate Virgo sit Beatissima. Si enim is qui verbum Dei, & audit, & servat, Dei est, & frater, & soror, & mater; quorum vtrumque in eius Matre inerat; perspicuum est, Matrem ipsius ex hac Matris ratione Beatam dici oportuisse. Audire enim Dei verbum, & custodire virtutis est, mundique animi, qui totus Deum intuetur. Et quoniam non quamvis mulierem Deus delegit, quæ Christi Mater fieret, sed quæ cæteras mulieres virtutibus anteiret; id circo etiam Christus ab ea virtute Matrem suam beatam dici volebat ex qua digna habita est quæ Virgo Mater fieret. Christum autem intelligi nihil fecisse vsquam per Parentum ignominiam aut negligentiam, Lucas Evangelista declarat his verbis. Descendit, & abijt Hierosolymis Christus cum Maria, & Ioseph eisque subiectus erat, & obediebat.* Hactenus Iustinus. Cuius verba tàm latè produxi, vt vniversus eius conceptus non mutilus, sed integer appareret. Quem pluribus reflexionibus explico. 1. Quod ex mente ipsius non solum quævis vera reprehensio abfuit, vt prima eius verba declarant; sed etiam nulla adfuit simulata reprehensio, vt declarant postrema: siquidem non benè cohæret etiam simulata reprehensio cum plena subiectione, & obedientia, itemque cum nulla negligentia, & ignominia, quas testatur Iustinus ibi defuisse. Secundò, quia eius finis fuit significare, neque ad se, neque ad Matrem vllo modo attinere curam de vino convivij. In quo planè se gessit humanitus, veluti quisquam convivarum etiam modò se gereret, si ad eum de vini defectu notitia manaret: quippè qui etiam diceret *ad me non attinet*; quamvis providere ipse posset; ne fortè, providendo, invitantes rubore suffunderet. 3. Quia se gessit tantæ Matris

Fi-

Filium non ſolum eam honorando, & ei proſpiciendo; ſed inſuper altiorem eius maternitatem inibi declarando quatenus, dicendo, *omnia quæcumque vobis dixerit, facite* divini verbi audiendi, & faciendi cuſtos manebat æterna. Quartò. Quia itidem in eo ſe oſtendebat Deum, ex mente huius S. Doctoris, quatenus per divini verbi cuſtodiam meruit fieri Virgo, & Mater tam mundi animi, cuius totus in Deum eſſet intuitus; & quæ reliquis virtute anteiret: quod tantum decus ei non niſi quia Deigenitrix adveniret. Quo circa ſatis Deum ſe oſtendit, qui iuxta hunc Sanctum, Matrem ſuam Deigenitricem eſſe commemorat. Quintò Quod clarè roboratur doctrina noſtri quarti notabilis, dum addit *rei* dicendo. Quid mihi, & tibi rei eſt mulier?

9 Probatur ſecundò ex D. Cyrillo Alexandrino *lib. 2. In Ioan. cap. 23.* paulò ante: *Vino autem deficiente, Mater eius, quæ vniverſa illi poſſibilia eſſe non ignorabat, hortatur, vt ſolita ſua bonitate, atque miſericordia vteretur: vinum enim ait non habent. Dixit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi mulier? Non dum venit hora mea. Non à ſe, neque non rogatus ad actionem miraculorum Dominus ſolet pervenire: neceſſitati enim, atque vſui hominum gratiam ſuam præbere ſolet, quamvis gratiora etiam ſunt quæ petuntur, ſi aliquantulum differuntur. Ad hæc quantus honor parentibus debeatur facilè oſtendit, eum ſtatim ad actum propter Matrem accedat, quem quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet. Dicit: Mater eius Miniſtris, quodcumque dixerit vobis facite. Magnam certè authoritatem dignitatemque deferri ſibi à Domino Mater non ignorabat: quæ perſuaſo, vt par erat Filio, Miniſtros præparat, hortaturque, vt omnia faciant quæ ipſe imperabat.* Hucuſque Cyrillus. Ex quo ſic primò. Non fuit ibi nec ſimulata reprehenſio; cum potius inibi oſtenderit, quantus honor parentibus debeatur; & magnam authoritatem dignitatemque deferri ſibi à Domino Mater non ignoraret. Secundò. Implicitè oſtendit, ad ſe neque ad Matrem de vino non pertinuiſſe, ſi quantum in eo erat parumper diſtuliſſet; licet gratiora ſint quæ aliquantulum differuntur. Non enim erat poſſibile, vt Chriſtus in ijs quæ ad ſe attinerent, providendis morulas necteret. Tertiò. Oſtendit ſe hominem, qui ſe tam humanum oſtendit, vt ſtatim ad actum propter Matrem accedat. Quartò. Oſtendit ſe Deum vbi innoteſcit Matri vniverſa illi poſſibilia eſſe: atque cùm non à ſe, neque non rogatus ad patrationem miraculorum Dominus veniat; Mater, perſuaſo, vt par erat, Filio; Miniſtros præparat hortaturque, vt omnia faciant quæ ipſe imperavit. Quos duos PP. ſolito prolixiores dedi, vt alijs abſtineam, tùm quia alij alias premunt vias; tùm quia ſatis abundè ſunt ſimul cum diſcurſu mox ſequuturo.

2 Probatur 2. concluſio à ratione & ante probationem præmitto, quòd licèt concluſio videatur duas partes habere, tamen prima includitur in ſecunda, quia ſi in prædictis verbis Chriſtus ſe geſſit, vt Filium tantæ Matris; quævis etiam ſimulata reprehenſio penitus diſparebit: itaque totus nucleus, & ſenſus verborum planè referabitur, ſi probemus tria illa membra nempe quod Chriſtus ibi perfectè ſe declaravit, vt Deum; perfectè ſe geſſit, vt hominem, & perfectè ibi ſuæ Matris ſe Filium oſtendit. Probo igitur primum ſcilicèt, quòd Chriſtus ibi perfectè ſe geſſit, *vt Deum.* Quia ibi talem ſe oſtendit, vbi demonſtrat ſe habere ſcientiam de occultis, & de futuris, atque omnipotentiam ad quod vis prorsùs independentem ab vllo ligamine creaturæ. Sed Chriſtus ibi ita ſe geſſit: ergo, &c. Probatur minor. Ibi ſe oſtendit ſatis conſcium de deſiderio miraculorum, quod habebant, & occultabant ſui cognati ad convivium occurrentes, & ſcire de futuro, ei circa ſimilia ſuam horam

esse adventuram: ergo ita respondens coram convivis satis ostendit, neque se occulta ignorare, neque cum latere futura. Probo deinde de omnipotentia, quia Christus per illa verba *non dum venit hora mea*, clarè dixit horam ei esse venturam, in qua eiusmodi mirabilia patraret sua divina potentia, & quidem independenti à voluntate, & ligamine cuiuslibet creaturæ. Sed hoc erat declarare suam omnipotentiam ita independentem: ergo, &c. Minor patet, & etiam maior: quia dum non obligabatur à Matre tali, & tam sibi dilecta, à nulla alia creatura ligari se posse indicabat. Confirmatur hæc probatio, nam sicut Christus expressè Iudæis ipsi dicentibus: *Magister volumus à te signum videre*, respondit: *& signum non dabitur eis*, &c. manifestando suam omnipotentiam prorsus independentem ad patranda similia; ita suis consanguineis fortè signa cupientibus iuxta illud: *Dicebant ei Fratres eius, manifesta te ipsum mundo*; aptè respondit, *nondum venit hora mea*, valde conformiter ad illa alia: *non est vestrum nosse tempora vel momenta*; declarando altiorem in eo potentiam inesse, quam quæ votis subsit humanis. Vbi nota quod licet fortè in convivis, & invitantibus subesset intentio videndi aliquod miraculum; tamen in purissima Virgine nulla siniſtra intentio fuit, sed vt inquit Cyrillus ex sola sua bonitate processit.

11 Probo iam membrum secundum scilicèt, quod ibi Christus perfectè se gesit, *vt homo*. In primis se gessit, *vt homo*; sed deinde cumulata perfectione id præstitit: ergo, &c. Probo maiorem postea probaturus minorem. Dum dixit Matri. Quid mihi, & tibi est mulier? quasi concluſit interea, occuluitque divinam eius potentiam, & veram sui humanitatem manifestavit: ergo, &c. Prima pars antecedentis constat, tùm ex notabili quarto ex significatione eius phrasis; tùm quia si in ea non se occultaret divina potentia; falsum esset, quòd ad Christum de tali provisione non attineret: quandoquidem potentia divinitatis est quæ cuncta creavit, atque dispensat. Secunda pars antecedentis probatur, quia instar hominis in convivio se gerit, qui ita vrbanè se gerit, & moderatè, vt occurrente defectu cibi vel potus, non suscipit in se id cum rubore invintantium aperire, aut providere; imò, & suggerenti cuipiam prudenter respondet *ad nos non attinet*. Sed vt constat ex notabili quartò hæc respondit Christus Matri suæ: ergo se gessit, *vt homo*. Probo iam minorem, nempe, *quod se cum perfectione ita gesserit*. Christus verus Deus, & homo nunquam perfectius poterat se gerere, vt talis, quam dum ita se gerebat, vt vix appareret, nisi homo purus, & in circumstantijs in quibus se monstrare deberet vt Deus. Sed ita accidit in nostro casu: ergo, &c. Maior patet, quia tota perfectio Christi in ostendendo se *hominem*, tunc magis relucet, quando ita se talem ostendit, vt negari nequeat; imò *purus homo* credi possit, ita, vt exinde ostensa postea divinitate, huius fulgor non ita oculos perstingeret, vt solus verus Deus appareret, & non potius simul *verus Deus*, & *verus homo*. Probo minorem, quia in primis verbis: *Quid mihi, & tibi est mulier?* planè ocultavit divinatitem; vt suprà. Deinde ad Matrem satis serio respondit; atque cum convivis se gessit civiliter, & vrbanè. Atqui hoc est se gerere humanitùs, ita vt vix credi possit, plusquam purus homo, & in circumstantijs, in quibus mox divinitas eius erat ostendenda: ergo, &c. Neque dicas per ea verba *nondum venit hora mea* simul dicta iam Deum se ostendisse. Nam hoc potius firmat nostrum intentum, quod nimirum Christus altissimè in illis verbis vtrumque coniunxerit, scilicèt, per priora verba perfectè se gerere instar hominis puri; & per posteriora statim se ostendere verum Deum, vt exinde

tan-

tanquam verus Deus, & homo haberetur à cunctis. Ergo ſolum iam reſtat probare quomodo in illis ſe geſſerit tantæ Matris dulciſsimum Filium.

12 Probo denique tertium membrum, quod ſcilicèt Chriſtus per illa verba: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Oſtenderit ſe Filium amantem. Chriſtus D. in his verbis Matrem ſuam alloquitur vocabulo blandiſono *Genitricis*, atque *Parentis*. Et inſuper, ſemel, & iterum in ipſis verbis ſe dedidit Matri ſuæ pignus amoris, & obedientiæ. Sed hoc eſt ſe gerere, vt peramantem Filium dulciſsimæ Matris: ergo. &c. Maior patet ex toto notabili tertio. Vbi ex profundo ſcrutinio *linguæ Hebrææ*, vt primitivæ cæterarum; *linguæ Syriacę*, vt quæ fuit vernacula Chriſto D. *linguæ Græcæ*, vt quæ fuit originalis in qua ſcripſit D. Ioannes hunc textum; & *linguę Latinæ*, quæ eſt propria noſtræ Vulgatæ, conſtat, illam vocem, *Mulier*, quæ noſtra ſæculo, imò, & per ſe, iuxta amplitudinem ſignificati non videtur vox conſona, & morigera Filij ad Matrem; ſignificat tamen omni idiomate attento, eam mulierem ſeu fœminam quæ aliquem edidit, ita vt à filio prolata idem ſonet, & valeat, ac *Parens*, & *Genitrix*. Quæ duo vocabula preſsius generationem ſignificant quam vox *Mater*, quæ, & potius eſt officij, & præſertim apud Orientales ad alia ſine generatione vera traducitur. Probo ſecundam partem maioris in prædictis verbis: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* ſe oſtendit multo amore obedientem, ſed etiam illis *non dum venit hora mea*, rurſus ſe præbuit obedientem, & amantem: ergo, &c. Probo maiorem; poſtea probaturus minorem. Illa verba: *Quid mihi, & tibi, vel quid mihi tecum?* Ex notabili quartò. Ita germanitus debent exponi: *Nihil mihi in hac re, imò, & nihil tibi etiam in ea: quia ſi in ea tibi aliquid eſſet, itidem in ea mihi etiam eſſet, & eſſe deberet.* Sed hoc eſt vinculum amoris ſignare inter ambo, & quidem tale, vt ſi Mater pergat, rem ſuam putare, & habere, Filius ei ſtatim auſcultet, amans pariter, & obediens: ergo, &c. Maior fundata eſt in notabili: minor verò eſt Iuſtini vbi ſuprà. *Tamen abundantia amoris, ſi vis, ne eos vinum deficiat, dic Miniſtris, vt ea quæ iubeo faciant: tuncque experiere vinum eis non defuturum.* Probo iam minorem, quam promiſi probare circa illa verba poſteriora: *non dum venit hora mea.* Pignus amoris, & obedientię eſt in tali re dicere Matri, *ex ſe non dum tale quid propter ſuas cauſas fore facturum; verum ſi inſiſtat mater, ad horam illicò rem factum ire; antevertendo rem potius ex hora matris, quam differendo propter horam ſuam.* Sed ita ſe geſsit Chriſtus cum Matre dum ei dixit, *non dum venit hora mea*: ergo, &c. Maior eſt clara, & minor conſtat ex verbis Cyrilli, ibi: *Ad hæc quantus honor Parentibus debeatur facile oſtendit, cum ſtatim ad actum propter matrem accedat: quem quantum in eo erat parum-per diſtituiſſet*: ergo de primo ad vltimum Chriſtus in illis verbis perfectè ſe geſsit *vt Deum*, perfectè ſe geſsit *vt hominem*, & perfectum ſe geſsit *Filium Mariæ* peramantem, & obedientem. Confirmatur primò concluſio. Qui non poteſt diſconformare facta cum dictis, ſi in re benefacit, etiam in verbo talis rei benefactor exiſtet; unde ait Iuſtinus: *Non verbo obiurgavit quam re honoravit*: ergo Chriſtus qui in tali miraculo auſcultavit Matri in opere, minimè defecit in verbo. Confirmatur ſecundò. Cuncta quæ ex PP. & ex ratiocinatione ſuper textum hucuſque produximus, ſaltem non minus probabilia apparent; quam quæ circa hunc textum diſcurri ſoleant. Atqui quoties interpretatio fundet, & ſervet apices perfectiores in Chriſto, & Maria; conſultior eſt: ergo, &c. Tertio, quia præſtabilita ſic tota interpretatione nulla vis remanet argumentis prout in eorum ſolutione conſtabit: ergo tenendum eſt nullum de prædictis verbis etiam ſimulatum offendiculum reſultare.

Obij-

13 Obijcies 1. Talis interpretatio Sacræ Scripturæ prout fit in noſtra concluſione, eſt præter vel contra omnem regulam interpretandi Sacras litteras: ergo eſt deſerenda. Probo antecedens. Nihil magis canonicum in ea re, quam vt vnum textum interpretemur, vt alios ſimiles; ſed plures ſimiles textus perpetuo ſuadent hunc textum aliter exponi debere: ergo, &c. Probatur minor. Plures textus ſuadent illa verba: *Quid mihi, & tibi?* Debere ſic accipi: *Quid mihi tecum commune eſt?* Sed hoc non æquivalet cum noſtra expoſitione dicente: *Quid attinet ad me, & ad te?* Ergo, &c. Maior conſtat communiter apud Interpretes ex textibus, 2. *Reg.* 16. 22. Quid mihi, & vobis filij Sarviæ? Id eſt: *Quid mihi commune vobiſcum?* Item Math. 27. *Nihil tibi, & iuſto illi*, id eſt, nihil habeas cum illo iuſto: & alijs ſupra iam traditis. Probatur minor. Quid mihi tecum? Sunt verba quæ planè excludvnt communicationem vtriuſque. Sed quid attinet ad me, & ad te, ſunt verba quæ potius indicant vtriuſque communicationem: ergo, &c. Confirmatur, quia D. Auguſtinus *lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos, cap. 5.* & Gregorius Niſſenus *Homil. Quod filius erit etiam ipſe ſubiectus*, & alij planè, & expreſsè id exponunt excludendo omnem commvnicationem, vel in in divinitate, vel in ſubiectione, cum ſui iuris eſſe cœperit: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, & minorem probationis, & huius etiam minorem ad cuius probationem diſtinguo maiorem: excludit omnem communicationem vtriuſque, *vel abſolutam, vel relativam*, concedo maiorem, *præcisè abſolutam*, nego maiorem, & diſtingo minorem: denotant aliquam communicationem vtriuſque ſimul *cum excluſione alicuius communicationis relativæ*, concedo minorem: communicationem omnimodam, *abſolutam, & relativam*, nego minorem, & conſequentiam. Itaque revocata huc tota doctrina quarti notabilis, ne eadem hic repetamus; tamen propter diluendos terminos argumenti dico; illa verba: *Quid mihi tecum?* (admitto enim hanc vim habere) poſſe eſſe excluſiva omnis communicationis tàm abſolutè, quàm relative quoad perſonas, & omnem rem, ac negotium, vt videbatur innui cum filijs Sarviæ: vel minimè quoad perſonas; benè tamen quoad aliquam rem ſeu negotium in quo ideo potius non communicet vnus, quia non communicat alter; quia, cum quoad perſonas fœdere, vel amore ſint vnum; neceſſe erat, vt in tali re aut negotio, vel vterque communicaret, vel neuter: vnde patet quod quando dicitur, *quid mihi tecum in hac re*, prout ſuprà D. Iuſtinus ſe explicat, idem omnino eſt ac dicere: *Quid attinet ad te, & ad me de hac re?* Licet adſolutè loquendo, *quid mihi tecum?* non videatur eſſe idem cum his verbis: *Nihil ad me, & ad te.* Quando verò abſolutè, quando autem relativè phraſis accipienda eſt; pendet ex contextu, & ex circumſtantijs prout contigit in illis verbis: *Nihil tibi, & iuſto illi*, id eſt, relatè ad damnationem eius, & contingit in noſtro caſu: *Quid mihi, & tibi?* Id eſt in ordine ad providendum de vino. Quare ex hac doctrina, & toto quarto notabili, vbi res fuſius expenditur, apertè conſtat, noſtrum modum interpretandi omnibus locis recenſitis benè cohærere, & accommodari.

14 Ad confirmationem reſpondo verum eſſe D. Auguſtinum, & Gregorium Niſſenum clarè per eas vias incedere, perinde ac multi recentiores Interpretes ex vi phraſis cogi videntur, vt aliquid incommunicationis ſtatuant inter Filium, & Matrem in ordine ad illud miraculum. Quę ſemita, vt inſinuavi longè aſperior eſt, & acclivis, quàm ea, quam premimus, & in quam inclinat Maldonatus, ſi in eo modo loquendi non ſe im-

implicuiſſet. Dicimus enim nos, quòd ideò potius ad neutrum attinebat, vinum ſupplere: quia Mater, & Filius inter ſe vt tales ſummè communicabant; adeoque id quod ad vnum attinebat, attineread vtrumque; & quod ad vnum non ſpectaret, ſpectaret ad neutrum. Vt ſupra latius. Quæ via mihi cum S. Iuſtino, & Cyrillo faventibus videtur eſſe longè verior, & planior. Neque propter PP. qui hic notari ſolent, quaſi de B. Virgine minus decorè loquuti, ſubnotare deſinam, me amore PP. in eis loca luſtraſſe. Et quamvis Irenæus vocat petitionem *intempeſtivam*, & *properam* cum Niſſeno; & Auguſtinus dicit à *Filio* Matrem *admonitam*; ea omnia in Deipara adhuc ex mente ipſorum, qui alias largi procedunt in commendanda Maria, ſine vllo veniali lapſu ſervari poſſunt. Ab Irenæo enim, qui plenis capitibus Mariam exaltavit, dicitur accedere *intempeſtivè*, ideſt, tempus, quod occultè præordinatum erat, ante vel abſolutè à Chriſto vt homine, vel etiam abſolutè, aut conditionatè ab ipſo vt Deo; ſed tamen illa properatio poſcendi ex pietate profecta eſt, non ex crimine. Niſſenus etiam non plus ibi notare videtur, quam ceſſaſſe ius Matris, quando iuris ſui incipiebat eſſe iam filius. Atque itidem non plus ad longum ibi vult Auguſtinus, quam in eo Matrem monitam, licet dicat admonitam: quippè admonitio de malo ſumi ſolet; ſed ibi nihil eſt pluſquam Filium, ex Auguſtino, Matrem monuiſſe; non corripuiſſe. Inſuper Athanaſius *ſerm.* 4. contra Arrianos facilius temperabitur ab eo qui legerit ſuum opuſculum de Deipara. Tandem legi Chryſoſtomum *tom.* 3. vbi agit de re ex profeſſo *Ioann.* 2. Sed tamen non inveni ea duriora, quæ adſcribi ſolent tanto Doctori. Cui, & cæteris hanc reverentiam impartiri certè oportebat. Et quia Chryſoſtomus, licèt non dicat expreſsis verbis B. Virginem vanagloria ductam fuiſſe in ea re; ſed tamen, quia ſine hac voce fortaſſe ea dicit, quæ in talem ſententiam cadere poſſe videntur; idcirco dico; quòd re ſubtiliter expenſa, nulla culpa venialis B. Mariæ adſcribitur à Chryſoſtomo per hæc verba: Optabat enim „ vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior Filij gratia effi„ ceretur, & fortaſſe aliquo humano „ afficiebatur affectu, quemadmodum, „ & Fratres eius cum dixerunt: oſtende te ipſum mundo, cupidi eius „ miraculis ſibi famam comparare; „ idcirco aſperius reſpondet: quid „ mihi, & tibi eſt mulier, &c. Ratio eſt primo: quia Matrem optare, Filium deſuper altiſsimè ornatum ſanctitate, & ſapientia, captare ſibi hominum gratiam, inordinatum non eſt. Secundò: Eamdem optare ſe gratia talis Filij plus inclareſcere, indifferens eſt vt bono, vel malo ſine fiat: Si enim ad vanamgloriam ſibi captandam; vanum eſt; ſi verò purè eſſet, moderatum Filij gratia gaudium habere; quòd tanti Filij Mater haberetur, & hoc ei donum referret ad Deum; quid ordinatum eſt. Sicut enim in Matre Filij ſcelerati honeſtum eſt, velle ignorari; ita in Matre Filij præexcelſi, honeſtum eſt, velle agnoſci, ſi moderatè id tamen fiat.

15 Cuius ratio à priori eſt, quia Deus altè providit in humanis, quod in quolibet hominum genere, ætate, conditione, & miniſterio ſint gaudia honeſta, & moderata, quæ medium ſervent, & quibus frui homines poſſint, ſi metas moderationis non tranſgrediantur. Et profecto inter hæc nullum à natura gaudium eſt honeſtius, & pulchrius, quam gaudium piæ Matris ſuper vnico Filio ſuo verè præexcelſo. Quanto ergo plus honeſtiſsimum gaudium eſſet Mariæ, tanti Filij Matrem agnoſci? Tertio. Quia humano affectu affici in gloriam ſanctam Filij honeſtiſsimi, honeſtum quoque eſt. Si verò inde arguas quod ibi fit comparatio Matris cum Fratribus, qui communiter ex affectu humano in vanum

declinaſſe cenſentur ; piè poteris ſub notare , quòd non omnis comparatio eſt *à pari* , ſed inſuper altera à maiori ad minus , & altera à minori ad maius. Dico ergo ego in gratiam huius ſancti quàm libentiſsimè , ibi interveniſſe comparationem à maiori ad minus , quatenus ab affectu Fratrum immoderato , ad moderatum Mariæ argumentatio procurrit , vt patet ex particula fortaſſe , quaſi dicerit : *Fratres Domini videntur plus iuſto miracula Domini cupiviſſe : ſed Mater , quæ erat gratia plena , fortaſsè humano affectu* ( licèt iuſtiſsimo ) *ad id acceſsit.* Vel ſi mavis à minori ad maius argumentum componito. *Fratres minori gratia ornati miracula ( fortè excedendo ) præoptabant : ergo elevatior gratia Mariæ fortè humanitùs hoc miraculum (non excedendo) præoptavit.* Quinto. Si dicit *id circo aſperius reſpondit* : Quæ aſperitas eſt hæc, ſi ſtatim ſubdit quod *Matrem revereretur* ? Quapropter poſtquam multa, quæ inibi ait Chryſoſtomus in honorem Matris à Filio ſemel , & iterum lectitavi , & legere quiſquam poterit *Homil.* 20. & 21. mihi pronum eſt dicere , hunc S. Doctorem nulla venialis culpæ labe reſperſiſſe Mariam; ſed tamen quod ſic ibi ſatis ad ſpeciem appareat; inde pendet, quòd S. Doctor plus paræneticè, quam exegeticè , & expoſitivè procedit : vndè non præciſivè , & ſcrupulosè ſibi cavit ab eis loquendi, formulis, de quibus paræneſis iret planior , & doctrina manaret vberior. Atque ideo ſe ſtatim convertit ad Filios , vt in negotio ſpirituali ipſorum ſciant , ſe non teneri ſemper Parentum petitionibus auſcultare. Quæ omnia in gratiam tanti Doctoris dicta ſunt. Neque fas eſt præterire quod ſuo tempore non tàm clarè , abunde, legitimè , & gloriosè per quatuor orbis partes , vt modo , innotuerant , & perſonuerant altiſsima privilegia Mariæ : ne hinc impij Hæretici anſam arripiant , quaſi Doctores Sancti eis ſuffragentur ; & velint tenebræ Averni medio ſibi ſedem figere in lumine.

16 Obijcies 2. Ex Illuſtriſsimo Siurio. Hæc interpretatio non ſalvat veritatem textus: ergo ſuſtineri non valet. Probo antecedens. Ea dicit, quod ad Chriſtum, & Mariam talis providentia vini non pertineret ; ſed hoc eſt falſum : ergo , &c. Probatur minor primo. Iuxtà illa verba Marci 4. *verſ.* 38. *Non ad te pertinet , quia perimus ?* ad Chriſtum D. ſemper pertinuit noſtros defectus ſupplere , & noſtri miſereri : ergo , &c. Secundò; quia non niſi abſurdè dici poteſt, quod ad Chriſtum facere non pertinuit, quod re ipſa fecit : ergo , &c. Confirmatur. Quia ſi non ex officio ſaltim ex charitate attinebat ad Virginem precatio, & ad Filium conceſsio: ergo , &c. Ad hoc argummentum reſpondeo negando antecedens , & minorem probationis , ad cuius primam probationem diſtinguo antecedens *in ſpiritualibus, & temporalibus , quando oporteat , & quomodo oporteat* , concedo antecedens ; *vniverſim* , nego antecedens, & conſequentiam; nam ad verba Marci clara eſt diſparitas : ſiquidem iam ibi Dominus ſuſceperat in ſuam curam Diſcipulos ſuos , & ipſi viciſsim in eo poteſtatem excelſam admirabantur: quare iure merito ad eum acceſſere ; in noſtro verò caſu ad neminem convivarum attinebat , officia invitantium ſibi ad rogare: licèt enim vt Deus etiam de minimis providentiam habeat , tamen ibi verſabatur vt *homo*. Et præterea ſicut in cantu pauſa conducit ad harmoniam, ita aliqui rerum defectus conducunt ad providentiam vniverſorum. Ad ſecundam prob. diſt. ant. non pertinuiſſe *ex munere, & iure aliquo*, neg. antec. non pertinuiſſe , id eſt, *in re præſtanda* exceſsiſſe , concedo antec. & nego conſequentiam. Quia quod Chriſtus fecit in re verè non fecit per exceſſum ſui iuris , & poteſtatis; benè autem fecit per exceſſum ſuæ pietatis , & bonitatis , pietatis quidem

dem in Matrem, bonitatis in cæteros: & quidem reſpectu vtrorumque verè nec tenebatur his providere, neque acquieſcere Matri; ſed tamen provtriſque placuit Domino quædam ſupererogatio ſupererogationis. Ad confirmationem dico, quod ex Charitate ad eos attinere non poſſet: nihil enim ad quemquam attinet ex Charitate, niſi quando proximus verſatur in vera miſeria, & nocumento, cui miſereri tunc proximum (ſi de facili poteſt) oporteat, & deceat. Quæ autem rogo miſeria aut nocumentum potuit eſſe defectus vini in convivio, cui ſtatim ex munere Charitatis ſuccurri deberet? Alioqui omnes ibi accumbentes pari obligatione fuiſſent conſtricti. Quod ſi propterea ad exceſſum Charitaris in Filio, & Matre confugias; multò melius vtramque ſalvabis, ſi dixeris, eos ibi ex ſua bonitate ſola largiter præſtitiſſe id, quod ad eos nullatenus attineret.

17 Obijcies 3. Non poteſt non habere aliquam ſpeciem ſaltem reprehenſionis dur, aſp era, & negativa reſponſio ad Matrem petentem. Sed ex verbis noſtris textus ita ſe geſsit Chriſtus cum Matre: ergo ſaltem interfuit aliqua ſimulata reprehenſio. Minor probatur. Chriſtus in ſuo ſermone in primis Matrem compellavit voce minus decenti nempè *mulier*. Deinde negavit interrogando: qui modus aſpernantis eſt. Poſtremo inſinuavit Matri, ipſam petere id, quod ad illam non attinebat. Sed hæc omomnia reſpectu Matris faciunt reſponſionem duram, aſperam, & negativam: ergo, &c. Confirmatur ex Maldonato reſolutè ſic proferente: *Tàm perſpicuum eſt, totam orationem ſpeciem habere reprehenſionis, vt prudenter negari non poſsit*: ergo, &c. Confirmatur ſecundò. Non alia de cauſa, nedum multi Hæretici, ſed etiam multi PP. pijſsimi quidpiam obiurgationis conceſſerunt, niſi quia ſuaptè natura eo tendit talis oratio; ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem, nego maiorem, vel diſtinguo claritatis gratia, *ex more loquendi tam noſtro, & inter perſonas immorigeras*, concedo maiorem; *ex modò tunc loquendi, & inter perſonas planè ſanctiſsimas*, nego maiorem, & reſpectivè diſtincta minori, nego conſequentiam. Atque in primis circa vocem *Mulier* cum voces, & eorum ſignificata ſurgant, cadantque paſsim; non eſt cur illicò eam putemus tunc temporis malè vſurpari: itaque inquit Maldonatus: ſunt qui exiſtiment per excellentiam *Mullerem* appellari. Et ſuffragatur radix Hebræa. Sed ex prolixo notabili 3. abundè conſtat hanc vocem honeſtè nimis potuiſſe vſurpari. Nimiſque probaret argumentum ſi vox *mulier* ſignificaret corruptam, vt tradit Ambroſius Calepinus, quia B. Virgo incorrupta fuit: atque idcirco verius eſt quod Caius, Origenes, & alij tradiderunt, *mulierem* non ſignificare corruptam, ſicuti neque vir quid tale ſignificat. Ego verò cenſerem, vt ſupra inſinuavi, ſignificare fœminam prolificam ſeu prolem habentem perinde ac ſi *Genitrix* diceretur à Filio. Nunc verò *mulier* in vſu non eſt Filij ad Matrem, tametſi alicubi de more audivi filios cum Parentibus colloqui paulò licentius. Si verò quis Matri diceret: *Domina, id nec mea, nec tua intereſt*; reverenter admodum loqueretur. Ad modum negandi interrogativum, qui inter non benè moratos, quaſi aſpernantis eſt; non ita mihi eſſe videtur in familiari colloquio Filij, & Matris ſtylo ſinceriſsimo colloquentium: nam quæ aſperitas eſt: *Quid mihi, & tibi in hac re Domina Parens?* Aut *Genitrix?* Neque in his inſinuabatur Matri, facere petitionem indebitam, & immodeſtam, ſeu modum excedentem; præſertim quando ipſa non petebat, ſed inſinuabat: quare ei ſolum dicit Ieſus, *neutrius eſſe rem talem ex munere*; quo

me-

melius mox appareat, vtriuſque fore futurum ex gratia, & ex largitate. Neque dubitari poteſt formulas loquendi non tàm ex ſono vocum capere interpretationem debere; quàm attentis moribus, more regionis, & neceſsitudine perſonarum. Hinc patet ad primam confirmationem quod in Filijs non planè morigeris prudenter ea verba prima ſpecie quaſi increpativa arguuntur; licèt in re ita non eſſent; ſed tamen pace tanti viri cum Juſtino, Cyrillo, & Euthimio, qui verba etiam ſua ſpecie inſpecta taxarunt, ſentio prudenter valdè etiam ſpeciem reprehenſionis poſſe ab illis removeri. Ad ſecundam confirmationem ex ipſo Maldonato reſpondeo: qui defendens Chryſoſtomum, Theophilactum, & Euthimium, quòd non omninò rotundè dicant B. Virginem humano affectu ductam fuiſſe, ait: *Cur illi qui eorum verbulis ita adhæſere, non potius ſequuti ſum Cyrillum, Rupertum, Ambroſium, Bernardum, qui Mariam potius de miſericordia, & Charitate laudarunt?* Itidem ego. *Cur non ſequimur potius Iuſtinum, Cyrillum, Ambroſium, & alios qui nullam inducunt etiam ſpeciem obiurgationis?*

18 Obijcies 4. Species reprehenſionis in hoc caſu valide comprobatur ſcriptura, & exemplo. Ergo verè interfuit. Antecedens patet. 1. Quoad Scripturam, tùm ex illa ſpecie reprehenſionis Chriſti ad Matrem *Luc. 2. Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Tùm ex illa ſpecie reprehenſionis Marci 12. *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei?* Deindè exemplo, quia ſæpè iudex ſimulat aſperitatem in ſermone, vt gratiam exhibeat in ſententia. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, & ambas eius probationes. Quia in primis in illis textibus nulla fuit ſimulata reprehenſio: ſi enim in primo vis interrogativa paululùm explicetur, ſic *an neſciebatis* ſtatim molleſcit plurimum; neque poterat non eſſe tunc ſuavis in Filio reſponſio Matri, tàm ſuaviter eum convenienti: *Fili quid feciſti nobis ſic?* Ex quibus verbis quemadmodum exiſtimo Mariam, & Ioſephum Filium non alloqui, niſi reverentur; ita viciſsim opinor, Chriſtum vſurpaſſe quidem cum Parentibus loquutiones maieſtatis cuiuſdam, & myſteriosè poteſtativas; increpativas autem numquàm. Et, ſi nobis aliquæ ita videntur; nobis quidem ineſt talis ſpecies; non verò ea fuit in verbis Chriſti, ſicut qui per Chryſtallum viridem putat viride obiectum. Ad hunc etiam modum ſecundus textus loquutionem claudit celſam, & poteſtativam ſupra carnem, & ſanguinem; ſecus verò increpatoriam. Quoad exemplum Iudicis eſt facilior reſponſio. Quia in primis non inde commendatur Iudex, niſi aliqua circunſtantia humana ſimulationem poſtularet; in noſtro verò caſu nulla erat circunſtantia quæ ſimulatam etiam reprehenſionem Matris poſtularet. Deindè Iudex, ſuperior cum ſit litigantis, & ex huius placito; benè vt cumque, & honeſtè ſegerit cum illo, quoties ei maturat optatam ſententiam; ſed iura Matris, & talis Matris numquam exui poterant, quominus decorè ſemper tractarentur à Filio, & à tali Filio. Ad calcem nota verba Maldonati, quæ mecum ſupra cohærent, dum ait: *nec mihi diſplicet, quod nonnulli dicunt Matrem aliqua prius privatim ab eo facta miracula vidiſſe, quibus ſublevaſſet ſuam inopiam.*.

19 Rogabis 1. An Chriſtus verbo aliquo hoc miraculum fecerit? Reſpondet Æſtius ex S. Maximo in hoc miraculo ſingulare fuiſſe, quod fieret abſque vllo verbo, vel ſigno. Cuius congruentia non deeſt: quia magis clareſcit omnipotentia, dum ab ea fiunt prodigia maxima, omnino quaſi non fiant. Rogabis 2. An vinum fuerit album, vel rubrum? Reſpondeo fuiſſe rubrum. Nam id canit Eccleſia:

*Aquæ*

*Aquæ rubescunt Hydriæ.* Idem cecinit Sedulius, *Rubuerunt pocula musto.* Idem Prudentius : *Ipse Rex sapore tinctis obstupescit poculis.* Sed fortius id est, scilicèt. Quod omne vinum Palestinæ rubrum est ex variis locis Sacræ Scripturæ vbi instar sanguinis esse describitur, *Genes.* 49. *Deuteronom.* 32. & ex Cornelio, *Proverb.* 23. Rogabis tertiò. An vspiam veræ Hydriæ ex illis asserventur ? Negat vterque Cornelius, Iansenius, & Alapide ex argumento mensuræ. Affirmat nihilominus Siurius ex viris fidedignis de quatuor, quarum altera in Canâ, duę in Hispaniâ, prima Oveti, secunda in Monasterio dicto Escoriali; altera demum est Coloniæ in Ecclesia S. Vrsulæ, in qua non sine admiratione intus obauditur sonus labentium aquarum. Tandem hic sine iactura pietatis prætermitti non possunt quæ, & ego casu inveni in D. Epiphanio, *hæresi* 15. & affert Illustrissim. Siurius. „ Post annos 30. factum est primum „ miraculum in Cana Galilæ, quan„ do aqua facta est vinum. Quapropter „ etiam in multis locis vsque in hunc „ diem hoc fit, quod tunc factum „ est divinum signum in testimonium „ incredulis, velut testantur in mul„ tis locis fontes, ac fluvij in vi„ num conversi. Cybires quidem Vr„ bis Cariæ fons, qua hora hause„ runt Ministri, & ipse dixit. *Date* „ *Architriclino.* Testatur & in Gera„ sa Arabiæ fons similiter. Nos bi„ bimus de Cybires fonte, Fratres ve„ rò nostri de eo qui est in Gerasa „ in Martyrum Templo. Sed, & „ multi in Ægypto de Nilo hoc tes„ tantur. Quare in vndecima Tybi „ apud Ægyptios omnes hauriunt „ aquam, & reponunt, tùm in ipsa „ Ægypto, tùm in multis Regioni„ bus. Hucusque D. Epiphanius ex quo videtur confirmari nuptias ipsa die sexta Ianuarij ait Siurius : quia ex Baronio anno 31. *num.* 32. talis dies vndecima Tiby correspondet die sexta Ianuarij. Sed ego licet eiusdem sententiæ sim ; tamen de hac confirmatione plusculum dubito, video enim in eodem Epiphanio clarè dici nuptias contigisse eadem die Nativitatis Christi ; & supra Epiphanius non plus dicit, quam die tali vndecima aquam de Nilo hauriri, & reponi.

2o Vnde si ex D. Epiphanio suffragium petendum est ; potius in illa *hæres.* 51. haberi videtur, in eo quòd à Baptismo Christi vsque ad nuptias hic S. Doctor non semel ; sed crebro repetit, Christum D. habuisse profectiones, collectionem Discipulorum, prædicationis initia. Quæ omnia deservire possunt, vt melius sustineatur nostra sententia de eò quòd à baptismo Christi ad nuptias integer annus elapsus est cum aliqua designatione Discipulorum : quiquidem ex Evangelistis non tam liquido elicitur ; verum ex his, quæ in hoc loco sæpè explicat D. Epiphanius, dum harmoniam Evangelicam exactè persequitur, suffulciri admodum potest. Nam licet expressè dicat, nuptias contigisse in ipsa die Nativitatis, quam putat esse quintam Ianuarij, exinde conijci potest quod aliqua minus firma traditione innitatur, præsertim, quoad Domini Natalitia in quibus à calculo Ecclesiæ multum aberrat ; quoad nuptias verò cum eo fetè videtur convenire, nam cum dicat octo Idus Ianuarij contigisse, non incongruè trahi poterit ad diem sextam Ianuarij in Ecclesia receptam, si nimirum tam hæc sexta dies, quam dies ipsa iduum computentur. Et quidem etiam in die baptismatis non parum exorbitat, dum inquit, die duodecima Novembris fuisse Dominum baptizatum : itemque in eadem hæresi nonnulla tradit non ita recepta. Cuiusmodi sunt. Primò. Iosephum primas nuptias habuis-

se, & sex filios ante desponsationem cum Maria quam fecit Octuagenarius. Secundò. Adorationem Magorum fuisse post bienium à Christi Nativitate. Tertiò. Marcum, & Lucam fuisse discipulos Domini, qui ab eo receſſerunt dum ipse carnem suam manducandam prædiceret; postea verò Marcum per Petrum, Lucam verò per Paulum fuisse conversos. Propter quæ, & alia, & fortè quia cum ipse venit ad computos de die, & mense, nimis incumbit in observanda correlatione varietatum mensium secundum Ægyptios, Hebræos, Syros, Athenienses, Macedones, potest aliquando ipse calculus claudicare; licet omnia ea, quæ interserit semel, & iterum inter baptismum D. & nuptias admodum verisimiliter probet. Ex cuius gravissimi Patris loci accurata lectione id vnum elicio monitum salutare pro hæreticis retundendis qui pro sua levitate in præiudicando, & tenacitate in adhærendo præiudicatis; statim, ac sibi confingunt scrupulum vel de Antinomia, vel de incohærentia; protinus de concordantia desperant. Contra quos reflecto sic; Ecce Epiphanius multa sibi obiecta, quasi nullo historię filo liganda ad cohærentiam trahit. Ecce similiter Augustinus *de Consensu Evangelistarum*, & inter Recentiores præter Commentarios speciatim Iansenius, Thomas de Beauxamis, Ioannes Gagneius, Lamy pio, & intenso studio Evangelistarum concordiam sibi pacificam invenerunt, in quibus ipsi non comminiscuntur Hypocentauros, sed facta, & rerum ordines verisimiles profunda scrutatione comparant, & inveniunt. Ergo possibilis est notio concordiæ Evangelicæ: ergo imprudenter, & obstinate negari potest solum ab eo qui præcise eam negat, quia ipse non invenit: testatur enim in eo se sacris eloquijs fidei nihil deferre; iudicio tamen suo deferre totum. Si enim fides postularetur de mysterio penitus arcano, v. g. Trinitate, Eucharistia, &c. vtcumque res minus esset intolerabilis; sed Legislatori suo. vel eius Prothographis, sive Evangelistis fidem in ijs, quæ multa ingenia humana, vrdimine satis cohærenti, contexunt, negare, nequit non esse animi pertinacis, & tam pleni se ipso, vt Dei sit nihil.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO QUARTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

### HAVRITE NVNC, ET FERTE ARCHITRICLINO.

*Ioann.* 2.

### ARTICULUS.

*VTRVM ARCHITRICLINVS FVERIT PRIMAS DISCVMBENtium, an Præfectus miniſterij?*

1 SUppono 1. Ex hoc loco apparere veriorem ſententiam illorum, qui vt monui, *tom.* 1. *Dec.* 4. *de Ætate S. Ioſephi opinantur*, D. Ioſephum mortuum fuiſſe ante nuptias. Cuius ſententiæ ſunt D. Bernardus. D. Hieronymus, Surius, Toletus, & alij. Non enim legimus in hoc textu invitatum fuiſſe D. Ioſephum, neque eſſe ibi prius cum Maria Matre Ieſu; qui ſi viveret tunc temporis; aliquando fuiſſet commemoratus, vel quia præſens ſimul, & invitatus; vel quia iuſto aliquo motivo abſens fuiſſet. Eum tamen hoc non obſtante fuiſſe ſupeſtitem cenſet Vrrutigoyti cum alijs, *tom.* 3. *D.* 4. *ſect.* 14. atque vixiſſe etiam aliquandiu tempore prædicationis. Alij putant poſt Chriſtum duodennem paulò plus mortuum; alij aliter vt loco citato inſinuamus.

2 Suppono 2. Id quod expreſsè ait textus, Mariam Matrem Ieſu ibi eſſe priuſquam Chriſtus invitaretur: ſive quia prius invitata fuiſſet, vt inquit D. Thomas, *Ioann.* 2. cum alijs: vel quia prius quam facta fuiſſet invitatio, ipſa verſaretur in Cana Galilææ ex familiaritate quadam aut cognatione cum illis, qui nuptias celebrabant. De diſcipulis verò qui ſupreſſo nomine referuntur in textu adveniſſe cum Chriſto, conijci poteſt eos plane fuiſſe quos D. Ioannes iam vocatos in ſuo primo capite retuliſſet. Accidit enim vt prædicante Baptiſta, & ſuis Diſcipulis oſtendente *agnum Dei*; ipſi ad eum accurrerint; & ſciſcitati de eius habitatione, cum illo manſerint modico tempore, quouſque tandem Chriſtum poſtea publice prædicantem penitus ſunt ſequuti. Hi ergo Diſcipuli fuerunt Andræas, Petrus, Philippus, Natanael, & quidam alius innominatus Baptiſtæ Diſcipulus, qui ex communi ſententia apud Siurium fuit Ioannes Evangeliſta. Quod ſi ex diverſo modo coordinandi Evangelicam harmoniam, alius inſuper vocatus antea reſultet; rei præſenti non officit. Neque etiam quod eorum aliqui piſcatum receſſerint de more: vel enim

enim Ioannes adfuit; vel ſecus? Et vtrovis modo ſtat ſententia noſtra tradita in ſuperiori quæſtione.

3 Suppono 3. In præſenti alium articulum tangi non ita operoſum, ſed cuius diſputationi anſam præbet nonnulla opinantium varietas, & ſimul ex parte ipſius textus ratio dubitandi re, & voce fundata. Inquirimus ergo an Architriclinus in his nuptijs commemoratus fuerit, quaſi caput diſcumbentium, primuſque inter ipſos; an ſolum quàſi Præfectus quidam miniſterij. Et verò in primis primum apparet verum, ſivè ex voce Architriclinos, quæ ſignificat *primus recumbens*, vel primus reclinatorij, ſivè ex illis verbis *ſponſum vocat Architriclinus* quæ actio, quaſi ad arguendum de vino, videtur authoritatem importare. Ex alia verò parte illa verba *ferte Architriclino* denotare videntur præfecturam in miniſterio. Quare vt res magis conſtet ſuppono 4. Triclinium in origine eſſe vocem Græcam inde ortam, quod antiqui ſua convivia celebrare ſolerent, tres menſas aut tria ſtrata diſponendo: vnde illa Camera vbi convivandum eſſet, ideo *Triclinium* appellabatur, quia triplex ibi foret menſa, ſeu reclinatorium. Atque teſte Ambroſio Calepino hac voce Græca in origine apud Latinos invaleſcente, à Triclinio dictus eſt Architriclinus Triclinij prefectus cui inſtruendi ornandique Triclinij cura incumbit. Imò, biclinium reperitur ſub ſignificatione proportionali, id eſt, vbi duplex menſa conſtruitur. His poſitis duplex invenitur ſententia in hac quæſtione, quæ licet non ſit magni momenti; tamen ſufficientem texit diſputationem. Et interdum leviores quæſtiunculæ, quaſi prata ſunt peramæna emergenti de ſilva: ſiquidem Lectori non diſplicet poſt loca ſalebroſa in planiori loco pluſculum recrari. Igitur prima ſententia defendit Architriclinum fuiſſe quaſi primatem, & principem convivarum. Hanc tenent D. Thomas, & Nicolaus de Lira, *Ioan.* 2. Bonaventura *cap.* 20. *Meditat. Vitæ Chriſti.* Petrus Comeſtor *cap.* 38. Ioannes Molanus *de Imaginibus, lib.* 4. *cap.* 20. Iungi poſſunt Cornelius, & Tirinus, *Ioan.* 2. cum Baronio anno Chriſti 31. *num.* 29. Quatenus iudicant de more Iudæorum Architriclinum fuiſſe Sacerdotem quendam deſtinatum pro benedictionibus, & ritu legis ſervando. D. Siuri *tom.* 1. *tract.* 29. *cap.* 1. Secunda ſententia defendit, eum fuiſſe dumtaxat præfectum in miniſterio convivij. Hanc defendunt Severus Antiochenus *in Catena Græcorum*, Chryſoſtomus, Euthimius, Claudius Guilliaudus, Caietanus, Gagneius, Titelmanus, Maldonatus, Toletus, Ribera, Franciſcus Lucas, *Ioan.* 2. Barradas, *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. Sherlogus *tom.* 2. *in Cat. veſtigatione* 6. *num.* 4.

4 Sit mea concluſio Architriclinum fuiſſe, *primam perſonam non tàm in ratione convivarum aut in ratione miniſterij, quàm in moderatione totius convivij.* Probatur primò concluſio. Omnis antiquitas tàm de Republica Hebræorum, quàm de Republica Romanorum tradit olim moris fuiſſe deſignari virum Rectorem convivij pro debito ordine ſervando, & omni inordinatione cavenda potiùs quàm ad convivandum, vel ad ſerviendum; ſed huiuſmodi fuiſſe Architriclinum eſt quod magis concordat cum noſtro textu novi Teſtamenti: & deinceps claram ſibi confirmationem aſciſcit de Veteri Teſtamento: ergo talis erat Architriclinus. Probo primò maiorem poſtea probaturus minorem, & probo illam primo quoad Republicas Orientales ex Cornelio, Eccleſiaſtici 32. verſ. 1. ſic aiente: Nota priſcos Orientales præſertim *Hebræos, Syros, Ægyptios, Græcos olim magnifica celebraſſe convivia, vt patet in convivio Abrahę pro ablactione Iſaac Gen.* 21. *& Iobi cap.* 1. *Aſueri. Eſter* 1. *Ioſephi, Geneſ.* 47. *Quare convivio præficiebant virum*

*virum gnavum, & industrium; tùm vt omnia facerent sine confusione; tùm ne cuiquam quid deesset; tùm vt is modestiæ, & temperantiæ esset arbiter. Ipsius ergo officium erat modum Cœnę legesque bibendi præscribere.* Deinde ex Tirino, Ioann. 2. aiente. *Quod inter Iudæos ferè de Sacerdotibus assumi solebat.* Deinde secundò probatur quoad Romanos, ex eodem Tirino Ecclesiastici 32. sic aiente: *Sermo enim hic est de sympositarcha qui olim teste Polluce, solebat vel suffragio, vel sorte deligi, vt ordini in conviviis servando præesset. Vnde modimperator (id est modum imperans) à Varrone vocatur; à Tacito, & Macrobio rex convivij; à Plauto Dictator, vel Strateus; ab Hortensio Arbiter, & Pater Cœnæ. Huius erat primo convivas suo quemque loco collocare. Secundo iocos, & sermones, ludos convivales moderari. Tertiò, comedendi, & bibendi leges præscribere: cuique eam cibi, & potus qualitatem, quantitatemque consignare, quæ valetudini, vel genio cuiusque congrueret.* Quæ vlterius ex Plutarcho in Sympositacis, & Iulio Cæsare Bullengero abundè poterunt confirmari. Ergo ex omni antiquitate constat mos præponendi in convivijs virum non tàm convivandi gratia, seu tenendi primum locum, & fercula; vel causa præfecturæ in ministerio mensæ, sed tanquam totius convivij Rectorem, & arbitrum. Probo iam minorem, quam promisi probare primò. Quia illa verba Christi D. *Haurite nunc, & ferte Architriclino*, planè denotant, eum hominem fuisse in toto illo cœtu dignissimum, ad quem in ipsa mensa attineret prima libatio: si enim esset solum Primas in ministrando, non erat necesse de ipsa mensa remitti ad Architriclinum; cum potius ipse deberet mittere, & iam misisset ad mensam. Secundò. Quia idem constat ex illis verbis *vocat Sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primo bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum vsque adhuc.* Si enim ille solum esset Præfectus in ministrando, neque ita sponsum vocasset, nec sic illum increpuisset de re, quæ ad eum potius attineret. Quia, si is curam gereret de providendo cibo, & potu, vinum non defeciisset: ergo magis cohæret toti contextui, quod ille primus fuerit in liberali, non in mechanica disciplina: hoc est, ad eum non tàm attineret de victu, & potu apparando; quàm de ordine, & rectis moribus in convivio servandis. Probatur secunda pars eiusdem minoris quoad vetus Testamentum; ex illis verbis, *Ecclesiast.* 32. vbi loquendo de convivio, dantur hæc verba: *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis: curam illorum habe, & sic conside: & omni cura tua explicita, recumbe. Quæ sic exponit Cornelius, rectorem, id est, præsidem, ducem, doctorem, magistrum, principem, imperatorem convivij,* de eo enim præcisè hic agi (patet ex antecedentibus, & consequentibus, qui convivio præerat, illudque regebat, & dirigibat vnde vocabatur *sympositarches*, id est sympositi princeps, & magister convivij.) Sed cura sibi significata non poterat esse quasi mechanica circa cibum, & potum, sed quasi moralis in benè ordinando, & regendo convivas: ergo, &c. Minor patet, tùm quia ly *omni* cura explicita, planè debet intelligi iuxta ritus Iudaicos iam expositos: tùm quia debebat recumbere cum convivis; quod non debebat qui præfectus erat ad ministrandum.

5 Secundò probatur nostra conclusio ex Authoritate simul, & traditione 1. ex Gaudentio Brixiano *de Temporibus, D. Ambrosij* ita loquente. *Nuptiæ apud Iudæos cum fierent, vnus (quantum ex traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem disciplinę legitimè gubernaret, pudoriisque curam gereret coniugalis, simulque etiam conviviorum apparatui ministros, atque ordinem dispensaret; & pro*

*hoc officio Architriclinus, id est Triclinij Præpositus dicebatur.* 2. Ex Prudentio qui priscas, & receptas Ecclesiæ historias cecinit eleganter. Hic in hymno cuius titulus est *pro omni hora*, sic inquit: *Nuntiat vinum Minister esse promptum ex hydria. Ipse Rex sapore tinctis obstupescit poculis.* Vbi exponitur, quomodo gustavit Architriclinus: & appellatur *Rex* vtique *convivij*, vt erat nomen receptum ex Tacito, & Macrobio. 3. D. Bonaventura, vbi suprà sic dicente. *Nota primum discretionem Domini: qua primò misit honorabili viro: secundò quod ipse sedebat longè ab eo, cum diceret: ferte illi, quasi ab eo remoto. Sed cum ille sederet in loco magis honorabili, colligere possemus, quòd Dominus noluit ibi sedere iuxta eum; imò elegit sibi humiliorem locum.* Ex quibus sic. Constat Architriclinum fuisse ex ordine Sacerdotali, fuisse accumbentem honorabiliorem, imò Regem, & Rectorem in seruando coniugali pudore, & honestate convivij. Sed hæc non quadrant alicui Præfecturæ in ministerio de Esculentis, & poculentis, vt olim *Genes.* 40. dicebatur Magister Pincernarum, & Pistorum: & nunc in Germanica videmus Principes ab eo ministerio seu potius celsa Præfectura vocatos Archidapiferos, & Pincernas. Ergo, &c. Confirmatur ex D. Siurio. Quia Cana Galilææ erat vicus, vt plane ex Iosepho constat. Sed pro exiguo populo non tàm credibilis fit Præfectus Ministerialis convivij, quàm aliquis Sacerdos de Synagoga designatus ad regimen, perinde ac si in oppidulo modò pro petulantia aut ebrietate auertenda, aliquis bonus Ecclesiasticus adhiberetur: ergo, &c.

6 Obijcies 1. contra hanc conclusionem. Si Architriclinus ita esset intelligendus; recubuisse deberet in mensa pariter cum convivis, sed ex textu Ecclesiast. prælegato constat ita non fuisse: ergo sic non debet intelligi. Probatur minor. Ibi solum dicitur, quod recumbat iam finito convivo: ergo, &c. Probo antecedens. Vtcumque explicetur munus Architriclini, semper debebat durare, quamdiu duraret convivium. Sed textus solum dicit recubuisse, expleto omni munere suo, nempe illis verbis: *Explicita omni cura tua, recumbe*: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo cum D. Siurio, negando minorem, ad cuius probationem, nego antecedens, & distinguo maiorem probationis. Et poterat præstari recumbendo in convivio, concedo maiorem, & non poterat, nego maiorem, & concessa minore, nego conseq. Nam Architriclinus varia habebat munera partialia, quæ integrum eius complebant officium, & quorum aliqua præstanda erant ante recumbendum; aliqua verò intra ipsum convivium. Primò enim ipsius erat, vt ait Cornelius convivas excipere, & salutare, secundò eos per ordinem donare sedilibus, tertiò ordinem ministrandi iniungere illis, quorum curæ erat, intendere esculentis, & poculentis. Quartò generatim dare leges circa comedendum, compotandum, & colloquendum. Et horum quidem omnium cura iam explicita, debebat recumbere, vt inquit textus, itaut esset in illis quasi vnus ex ipsis, cum quibus adhuc illi restabant officia peragenda, nimirum, distribuendi cibos, & vices potandi, sistendi vel accelerandi fercula, moderandi excessus, compescendi iocos. Vnde dicere, illum postea solitariè recubiturum, non est ex textu, sed ex ijs qui ita eum volunt interpretari, præoccupati sua opinione, quod Architriclinus veluti prior ministrantium (quasi in Religionibus solent esse Vicarij, aut Ministri) semper obeundo mensas versari deberet.

7 Obijcies 2. Ipsa verba Sacri textus clarè ostendunt Architriclinum non potuisse recumbere cum convivis: ergo forinsecus versabatur. Probatur antecedens, quia textus dicit quod

quod Architiclinus vocavit ſponſum vt eum moneret de vino optimo, prius ponendo, quam deteriori. Sed ſi accumberent in eadem menſa, non vocaret illum: quia vocare eſt voce trahere aliquem de loco vbi eſt, ad locum vocantis: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo, negando antecedens ad cuius probationem, diſt. mai. vocavit ſponſum hoc eſt, *voluit ille voce ſua trahere ſponſum ad ſe, de loco vbi erat*, nego min. vocavit, id eſt, *invocavit ſeu vocitavit ſponſum, vt inter ſtrepitum convivalem ſatis intenderet loquenti*, conc. mai. & diſt. reſpectivè min. nego conſeq. Vnde ad probationem ſubiunctã dicimus, quod vocare in rigore ſuo non eſt trahere perſonam, ſed ſolum trahere attentionem vocati, vt arrectis auribus audiat: quare fæpè contingit, quod vocemus aliquos quos nolumus ad nos progreſsivè accedere; quin potius ſolemus dicere, vt à nobis longius abeant, v. g. ſi quis dicat. *Heus Petre*: & hic auſcultans iubeatur inde abire ad mendatum aliquod peragendum. Quare de primo ad vltimum vocatio, vt talis præciſe eſt conciliatio attentionis perſonæ determinatæ. Quod verò hæc accedat vel recedat, vel ſiſtat, provenit à verbis, quibus vocatio perficitur. Neque hic probo quod dixerunt Maldonatus, atque Toletus, ſcilicèt, potuiſſe intelligi ex vi huius vocationis, quod ſponſus non recubuiſſet, benè verò Architriclinus: quia ſponſus egiſſet forinſecus diſpenſatorem, & quaſi æconomum ſui convivij. Hæc enim apparent mihi, cohærentia minus, & violenta magis, ſequi ex eorum opinione præiudicata.

8 Obijcies 3. Si tale munus Architriclini ritè exponendum eſt, debet fieri expoſitio iuxta legitimam vſurpationem vocis. Sed hæc iubet, eum ſumi pro præfecto miniſterij, quoad phyſicum ornatum, & diſpoſitionem Cameræ, menſæ, ſedilium, cibi, & potus: ergo, &c. Minor probatur, quia hæc vox Architriclinus, licet Græca in origine; tamen à priſcis Latinis, & antiquis Romanorum ita cooptata eſt, vt Ambroſius Calepinus, verbo *Triclinium*, ſic dicat *à Triclinio dictus eſt Architriclinus Triclinij perfectus, cui inſtruendi, ornandique Triclinij cura incumbit.* Vrgetur. Triclinium idem eſt ac Camara, vel Conclave in quo tres menſæ cum tribus lectis apponebantur ad accumbendum. In quo genere de Cæſare narrat Alexander ab Alexandro parata habuiſſe pro quodam convivio percelebri viginti duo millia triclinia; ſed Præfectus ſimilis Cameræ, & menſarum non poterat non eſſe quaſi *Protominiſter*: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo diſtinguendo minorem, prout cooptata recentius à latinis, conc. min. prout ex priva origine vſurpata fuit inter Orientales, nego mai. & conſeq. Itaque Latini benè vſurpant: quia verum eſt, quod omnis præfectus miniſterij ſicut Vicarius, & Miniſter in Religionibus, eſt Architriclinus, ſed per id non exhauritur tota ſignificatio vocis, præſertim in ſua primæva ſignificatione; nihil enim frequentius, quam quod voces à primæva ſignificatione ad alia ſignificata, quaſi analoga, & proxima paſsim declinent, teſte Horatio in Arte Poetica, & Caramuele in Severa Methodo. Vnde, & modo *Triclinium* appellatur id quod neque de tribus menſis, neque de triplici lecto aut culcitra accubitoria componitur, eo quod hic ſedendo, & non recumbendo convivia fiant. Et inde patet ad confirmationem.

9 Obijcies 4. Talis præfectura Architriclini erat, vt ſi benè in caſe gereret, mereretur continuationem ipſius. Atqui, ſi illa eſſet, vt nos ponimus continuari non poſſet, & poſſet ſi foret præfectura miniſterij: ergo hæc debet intelligi, & non illa. Maior conſtat ex verbis textus Eccleſiaſt. 32. vbi loquendo de præfecto convivij ait: *Et omni cura tua explicita, recumbe:*

*vt lateris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis*: ergo quia poterat corrogari in officio. Min. quoad primam partem probatur, quia ex supra dictis constat, Architriclinum sorte aut electione pro singulari convivio designandum esse. Sed si esset sorte non servirent merita: & si esse electione; dissoluto convivio, & electoribus (fortè nunquam iterum congregandis) neque haberent locum merita, neque electio: ergo, &c. Quoad secundam partem videtur clara: quia si Architriclinus fuisset præfectus in ministrando; fuisset conductus, vel electus ab ipso sponso, qui eum propter ministerium benè peractum posset in munere continuare; ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo (supponendo, quod, si per ly *coronam* intelligenda est corona quædam convivalis de more, vt multis contendit Cornelius; aliam debere esse specialiorem quæ Architriclino deferenda esset: quia non esset præmium quod commune esset cæteris) nego maiorem, quæ ex textu non convincitur: siquidem aliqua videtur æquivocatio in eo quod *corrogatio* intelligitur prorogatio ab arguente, & ita non debet intelligi: corrogare enim nihil aliud est quam *petere à multis*, v. gr. *corrogare stipem*, *corrogare suffragia*. Et in hoc sensu ibi ponitur, vel quatenus congregandorum symbola in honorem Architriclini corrogabantur ex Rabbano. Lira, & Palacios. Vel quatenus ipsi convivæ faciebant, quasi corrogationem, vel collectionem ferculorum, & cyathorum meliorum iuxta Cornel. hic, vel donorum mysticorum iuxta Salazar *in Proverb. cap.* 23. *vers.* 21. in honorem, & tributum præfecti convivij, si ritè se gereret, qui à Græcis vocari solebat. *Egumenos. Sympositarchos, Trapezopios, Basileus, Strategos, & Stiator*, ex quibus iam liquet quomodo in nostra sententia præminm posset corrogationis accipere Architriclinus, licet tantum pro ea vice fuisset electus. Quinimò exinde confirmatur nostra sententia, quia præfectus solius mechanici ministerij non erat profectò tam omnium convivarum donarijs, & calculo decorandus, neque idcirco debebat corona redimiri.

10 Ad calcem 1. observa duo, quæ poterunt deservire instar confirmationum nostræ sententiæ. Primum est Versionem Syriacam esse nobis expressè faventem: siquidem ait: *Et haurite nunc, & forte præcipuo discumbenti*, vbi pro Architriclino præcipuum discumbentem intelligit. Secundum: quia hæc interpretatio valde fundatè fieri potest per correlationem ad Archisynagogum, cuius filiam Dominus suscitavit: & de quo ait Tostatus, *Math. 9. quæst.* 85. hęc verba. *Ille autem qui pręerat huic domui, dirigendo ea, quę fieri deberent in ea, vocabatur princeps Synagogæ.* Cuius quidem ministerium non poterat esse solum in physicis, & mechanicis apparandis, sed in toto regimine, cultu, & sacris disponendis: vnde similiter Architriclinus pro re convivali venit intelligendus. Observa secundo plures interpretes intelligere ly *vinum non habent*, non quia penitus fuisset consumptum; sed quia re vera ad finem properabat, & tempestivè erat providendum: pro quo benigna Mater accessit ad pijssimum filium surgens, vt fert sententia communis, de altera mensa, vbi cum fœminis recumbebat. Licet alij aliter sentiant. Cœterum vtrũque hoc quoquomodo fuerit, satis esto commune placitum insinuasse; cum in eo distineri non lubeat. Id autem hic est quod pulsat gravius. An videlicet B. Virgo ea verba dixerit propter miraculum à Christo faciendum? Hic enim cespitavit Calvinus: nam cœci facilè cespitant. Itaque censeo, Deiparam, & noviisse alia mirabilia secretiora filij, licet in Evangelio non referantur; & in spe prodigij futuri

hæc

hæc verba dixiſſe. Quod vtrumque patet, & ex verbis poſt ſubſequutis: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Nam neque ad filium ita acceſſiſſet, niſi ille prius alia ſimilia patraſſet, neque poſt illa verba: *non dum venit hora mea* ſic loquuta eſſet, niſi quatenus norat, ſe exauditam iri à ſuo filio. Obſerva tertio, illa verba *non dum venit hora mea*, non ad paſsionem referenda eſſe, vt volunt aliqui, ſed ad patrationem publicam miraculorum. Si roges quomodo ergo fecit miraculum publicum? Reſpondeo (non myſticè, ſed litteraliter) quia licet non dum venit hora eius; venit hora Matris, ad cuius vota tale miraculum patratum fuit. Explico me Scholaſticè. Ab æterno decreverat Deus tale miraculum minimè patrandum, etiam à Chriſto inchoaturo per miracula ſuam prædicationem, niſi ad preces Mariæ (veluti alia multa ad preces alligat Deus) quo poſito litteralis expoſitio eſt, revera non dum adveniſſe horam Chriſti vt talis; adveniſſe verò horam Matris, quatenus ipſa precante tale miraculum patrandum erat. Vnde licet in hac providentia verè adveniſſet hora filij, quia filius fecit tale miraculum; tamen, quia Chriſtus in alia providentia, in qua defuiſſent preces Matris, tale quid tunc non feciſſet; ideo verè Chriſtus dixit: *Nondum venit hora mea*: & poſtea fecit ad vota Matris explenda. Hæc quæ præcogitaveram invenio apud Toletum, *annot.* 5. & 9. eſſe fundatiſsima. Ait ergo ſic. *Adde quod graves DD. ob Matris interceſsionem Chriſtum citius miraculum feciſſe, quam facturus erat, affirmant. Ita Ambroſ. ſerm.* 16. *in Pſalm.* 118. *Cyrill. lib.* 2. *cap.* 23. *Chryſoſt. hom.* 21. *Et ita exiſtimo: quod, qua ratione ſit intelligendum, in verborum ſequentium expoſitione declarabitur.* Et poſtea. *Non eſt hoc loco ſilentio prætereundum, quod graves DD. affirmarunt, nempe ob preces Matris Chriſtum citius hoc eſſe operatum miraculum. Ita Ambroſ. Chryſoſt. Cyrill. in extremo ſuperioris annotationis à nobis citati: quod etiam comprobo, & quo ſit notius explico. Non ita hoc intelligendum, quaſi velint dicere citius factum miraculum, quam æterna ſui diſpoſitione decreverit faciendum: nemo enim Catholicorum id affirmare auſus eſſet; ſed feciſſe citius, quam ſi non rogatus à Matre eſſet, feciſſet; quamquam, & hoc ſua æterna providentia diſpoſuerat. Prævidens enim futuram Matris digniſsimæ interceſsionem, decrevit, citius, quam ſi non eſſet futura interceſsio, facere: imò quia tunc facere voluit; vt à Matre rogaretur, præordinavit. Vnde cautè admodum, & doctè Ambroſius affirmans citius hoc propter Matrem factum miraculum, adiunxit, etiam oportunum fuiſſe tempus hoc quando propter Matrem fecit. Oportunum profecto non eſſet, niſi vt diximus ab æterna eſſet mente diſpoſitum.* Ecce ſenſus noſter, & noſtra ſcientia conditionatorum, quam vtilis!

JHS.

# QUÆSTIO QUINTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

VIRI AVTEM ILLI QVI COMITABANTVR CVM EO, ſtabant obſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes? *Actuum Apoſtolorum, cap. 9. verſ. 7.*

### ARTICULUS.

*QVOMODO COHÆREANT VERBA SVPERIORA CVM ALIJS, quæ Actor. 22. verſ. 9. de eodem caſu recenſentur?*

### NOTABILIA.

1 NOTO 1. Hiſtoriam illam, quæ refertur per Sanctum Lucam Evangeliſtam de D. Paulo Chriſtianos armata manu, & datis litteris admodum perſequente; cuius ardoris in medio deſuper delapſus eſt alius ardor, & fulgor, qui ipſius oculorum aciem perſtringens hominem circumfulſit, exterruit, proſtravit, voce interea illa deſuper ſonante, *Saule Saule quid me perſequeris? Qui dixit, quis eſt Domine? Et ille. Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Paulo quo tremente, & ſciſcitante; *Domine quid me vis facere?* Tandem ipſi à Domino intimatus eſt ingreſſus in Civitatem, Conſultatio Ananiæ, & inde auſpicata tanti viri Apoſtolica deſtinatio. Inter quæ omnia loquendo de ſocijs illis, quibus cum Paulus iter agebat, ſubiunxit hæc verba Lucas. *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo ſtabant obſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Quæ verba non modicam pariunt difficultatem, vt cohæreant cum alijs, *cap.* 22. ab eodem Evangeliſta mox dandis.

2 Suppono 2. Id quod notavit Venerab. P. Gaſpar Sanchez hic, *cap. 9. verſ.* 5. & quod ſæpè numero præ oculis habere oportebit, ad nonnullos textus conciliandos, qui eum diverſis in locis biblicis recenſeantur; non tamen ſub vno verborum tenore; & ordine invariato evenire conſueſcit: quare ait P. Gaſpar Sanchez ſic: Hinc „apparet, quod alio loco pluribus „dictum eſt, Apoſtolos, neque omnia „vbique, neque quo geſta ſunt ordine „commemorare. Nam infra, *cap.* 26. „ita Paulus texit hanc hiſtoriam. Saule „quid me perſequeris? durum eſt tibi „contra ſtimulum calcitrare. Deinde: „ego autem dixi: quis es Domine, &c. „Hic autem Luc. *Saule Saule*: deinde

„*quia*

„ *quis es Domine*: Et ad extremum *du-*
„ *rum eſt tibi*, &c. Hucuſque P. Gaſp. Sanchez, vbi noto duo. Alterum eſt, quod ea diſcrepantia modo recenſita non tam eſt adſcribenda Paulo loquenti, quamquam alioqui ipſe eſt qui loquitur in ipſo *cap.* 26. à D. Luca per proſopopeiam inductus; ſed adſcribenda eſt D. Lucæ Evangeliſtæ qui librum Actuum Apoſtolorum compoſuit. Sed animadverſio ſupra facta non minus etiam apta eſt pro Apoſtolis, qui Canonici ſunt Scriptores; cum apud vtroſque eadem non ſit prætereunda; ſed vbique obſervanda, vbi res ipſa poſtulare videatur. Alterum eſt quod illa loquendi formula *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare* proverbialis eſt, & vſurpata, cum quis contra maiorem potentiam obnititur ducta methaphora à bobus, qui ſtimulo aratoris perculſi gravius feriuntur, quo magis calces impingunt.

3 Suppono 3. D. Paulum induci, *cap.* 22. actuum Apoſt. propria perſona narrantem ſuperiorem hiſtoriam „ per hæc verba: *Factum eſt autem,* „ *eunte me*, & appropinquante Da„ maſco media die, ſubito de cœlo „ circumfulſit me lux copioſa, & de„ cidens in terram audivi vocem di„ centem mihi: Saule Saule quid me „ perſequeris.? Ego autem reſpondi „ quis es Domine, dixitque ad me „ Ego ſum Ieſus Nazarænus, quem tu „ perſequeris; & qui mecum erant „ lumen quidem viderunt, vocem „ autem non audierunt eius, qui lo„ quebatur mecum. Ex quibus verbis ſtatim profilit ratio dubitandi non contemnenda: ſupra enim *cap.* 9. dictum eſt à Luca de ſocijs Pauli, *audientes quidem vocem; neminem autem videntes*: ſi ergo *vocem audientes*; quomodo hic dicit *vocem autem non audierunt*. Profecto apparet hæc difficilis antilogia!

4 Suppono 4. Quod cum ex mente Auguſt. *lib.* 3. *de Doctrina Chriſtiana*, prout *tom.* 1. in noſtris regulis dictum eſt, vnius textus per alterum expoſitio ſit quidem optima; quoties textus ritè colluſtrandus eſt; in medium venire debent loca quævis locum controverſiæ tractantia, quamvis ibi non ſint verba illa determinata, vnde reſultat certamen. Igitur in Act. Apoſt. *cap.* 26. *verſ.* 12. per eundem Lucam idem Paulus inducitur ſic loquutus. *In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate, & permiſſu Principum Sacerdotum die media in via vidi, Rex, de cœlo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul erant.* „Omneſque nos cum decidiſſemus in „terram, audivi vocem loquentem mi„hi Hebraica lingua. Saule Saule quid „me perſequeris? durum eſt tibi contra „ſtimulum calcitrare. Ego autem dixi: „quis es Domine? Dominus autē dixit: „Ego ſum Dominus, quē tu perſeque„queris, ſed exurge, & ſta ſuper pe„des tuos: ad hoc enim apparui tibi, „vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem „eorum quæ vidiſti, & eorum quibus „apparebo tibi, eripiens te de populo, „& gētibus, in quas nunc ego mitto te „aperire oculos eorum, vt convertan„tur à tenebris ad lucem, & de poteſ„tate Satanæ ad Deum, vt accipiant re„miſionem omnium peccatorum, & „ſortem inter Sanctos per fidem, quæ „eſt in me. Quibus omnibus textibus expoſitis melius poterit elici concordia, quam intendimus. An autem eques an pedes tunc iret Paulus firmiter ſibi pugnant Sanctius, & Salmeronius ille, *cap.* 22. proculdubio equitem facit; hic *tract.* 29. in Act. Apoſt. peditem probat, ſubiungens cuiuſpiam nomine hos verſus: *Mentitur pictor Paulum qui pinxit equeſtrem: cum clarè conſtet quod fuit ille pedes.* His poſitis.

5 Circa modum componendi vtramque narrationem Evangeliſtæ duplex invenitur nobilibus Authoribus ſententia, quarum prima ſuſtinet: eatenus cohærere ambas ſententias quatenus capite nono audita fuit à ſocijs vox Pauli, non verò vox Chriſti,

&

& *cap.* 22. dicitur non audita vox Chriſti; vnde fit concordia. Ita Arator *lib. Carminum in Act. Apoſt.* Chryſoſt, Auguſt. Gloſſa Ordinaria, Lira Hugo, Oecumen. Caiet. & alij apud Lorin. in Act. Apoſt. *cap.* 9. *& cap.* 22. Item Sylveira ibidem. Et Bartholomæus Lintrenſis in Acta Apoſt. *cap.* 22. Secunda ſententia aſſerit. Eatenus conciliari, quatenus ſocij Pauli audierunt quidem vocem confuſam quandam, non tamen articulatè diſtinctam, & hoc poſtremum eſſe quod negatur, *cap.* 22. vnde nulla eſt diſcordia. Hanc ſententiam tenent Beda in Act. Apoſt. *cap.* 22. Eucherius *in quæſtionibus Novi Teſtamenti & Actib. Apoſt.* Salmeron *tract.* 29. Act. Apoſt. Tirinus, & Lorinus in Act. Apoſtol. *cap.* 9. & 22. Cornelius ibidem.

6 Sit concluſio cum hac ſecunda ſententia. Probo igitur in hunc modum. Illa vox quæ *cap.* 9. dicitur audita fuiſſe per comites Pauli non potuit eſſe vox Pauli, ſed Chriſti. Atqui ſi fuit vox Chriſti ſolum poteſt conciliari auditio, & non auditio, vtrobique relata, quatenus alibi de auditione confuſa; alibi verò de diſtincta, & articulata intelligi debeat: ergo ita intelligenda eſt. Min. videtur certa ex duplici via concordandi à nobis propoſita in relatione ſententiarum. Maior probatur primò. Quia videretur ab Evangeliſta referri aliquid ex vna parte ſuperfluum, & ex altera diminutum, ſi reſonante voce Cœleſti, & ſimul loquente Paulo, cum quo ibant comites; diceretur de illis, audiviſſe vocem Pauli; & non plus diceretur: ergo, &c. Patet antecedens. Quia dicere quod audiebant vocem ſui ſocij erat ſuperfluum, & nihil dicere de auditione vocis miraculoſæ reſonantis quando auditionem vocis Pauli commemorabat, erat res diminuta: ergo, &c. Probatur ſecundò. Quia ibi Evangeliſta facit contrapoſitionem de auditione, & viſione circa rem eandem; affirmando videlicèt auditionem, & negando viſionem, ibi: *Vocem quidem audientes; neminem autem videntes*, ita vt vox, quam audirent eſſet perſonæ quam non viderent. Atqui non poterat dicere D. Lucas. Quod ſocij non viderent Paulum: ergo quia non erat de voce Pauli illa auditio, quam negat. Probatur tertiò. Quia de eadem auditione vocis intelligenda ſunt verba capitis noni, & capitis vigeſimi ſecundi; ſed in capite vigeſimo ſecundo, planè fit ſermo de voce Chriſti, ibi: *Non audierunt autem vocem eius qui loquebatur mecum*: ergo ſimiliter in capite nono loquebatur de voce Chriſti non Pauli. Mai. patet primò. Quia quoties aliquis caſus Sacræ Hiſtoriæ bis narratur ab Scriptore Canonico, nõ eſt credenda aliqua varietas in re ſubſtantiali, præſertim in affirmando, & negando, licet dari poſſet in reticendo propter altos fines. Atqui in relatione de modo quo innotuit ſocijs Pauli caſus ille miraculoſus ſubſtantialis vaietas eſſet, iam loqui de audita voce Pauli, iam de voce Chriſti: ergo, &c. Minor patet, quia teſtificatio ſotiorum erat nimis de ſubſtantia rei. Patet ſecundò illa maior. Quia cum alibi rem ex proprio ore narraret Paulus, *cap.* 22. & alibi *cap.* 9. narraret eandem Evangeliſta; de eiuſdem vocis auditione aut non auditione oportebat habere ſermonem. Ergo de primo ad vltimum potius concordia elicienda eſt, quatenus alibi confuſam; alibi vero non articulatam obaudiviſſent, ſivè quod idem eſt, ab eis ſonum quidem non vero ſenſum, & ſententiam audita fuiſſe. Confirmatur primò. Nil frequentius eſt in Cœleſtibus apparitionibus, quam, quemdam veluti tonitrum concrepare, & terrere, qui aures ita percellat, vt quamvis eas auditione compleat multa, tamen nulla alijs ſit percepta ſententia. Et ſic creditur fuiſſe viſio illa Danielis. „ Vidi ego autem Daniel ſolus viſio-„ nem: porrò viri, qui erant mecum „ non viderunt; ſed terror nimius „ irruit

„ irruit ſuper eos, & fugerunt in abſ-
„ conditum. Ergo à comitibus Pauli auditus fuit fragor, ſonus, & echo vocis miraculoſæ; ſecùs verò Chriſti ſententia. Confirmatur ſecundò. Ex Beda *tom. 6. in quæſt. ad Acta Apoſt. cap.* „ 22. ſic aiente. Vnde colligitur eos „ ſonum confuſæ vocis; non autem diſ-„ crimen audiſſe verborum.

7 Obijcies 1. Vox illa, de qua dictum, *cap.* 32. non fuiſſe auditam, non ideo ſalvari poteſt non audita, quia non audita *articulatè*, & diſtinctè ergo non conſtat interpretatio. Probatur antecedens. Quia vox illa terrifica, obſtupefaciens, toto ſaltem Angelico organi miniſterio *articulata* certè tam exilis eſſe non poterat, vt non clarè à cunctis Pauli comitibus audiretur: ergo, &c. Confirmatur. Paulus cum ipſis intra idem aeris ſpatium, & ambitum verſabatur. Sed ille articulatè eam audivit: ergo dici non poteſt niſi voluntarlè ab alijs articulate audita non fuiſſe. Ad hoc argumentum Lorinus rem attingens more commentarij ait dici poſſe, audiviſſe quidem vocem Chriſti, ſed non, eſſe Chriſti, quo videtur concedere percepiſſe articulatè ſententiam; non autem diſtinxiſſe cuiuſnam perſonæ fuiſſet: præſertim, cum ibi diceret: *Ego ſum Ieſus Nazarenus*, quæ verba, quid ſibi vellent ipſi ignoraſſent. Hæc tamen puto ab hoc Authore diſcurrendi, vt paſsim currente commentario fit, & fieri ſæpè prodeſt, non tamen reſpondendi cauſa dicta eſſe: tùm, quia iam deſerit dictum de eo quod vocem Chriſti *articulatè* non intellexerint: tùm, quia difficilius eſt, quod ipſi qui Paulum comitabantur, vt Sectatores Ieſu Nazareni paulò ante noti, & occiſi, eum ignorarent. Quare potius vt ipſe ibi facit, in re ſtupenda more miraculoſo philoſophandum eſt, ita vt, quemadmodum placuit Chriſto ſui præſentiam comitibus ibi ſubducere, ita voluiſſet quoque eos celare ſententiam. Vnde negato antec. ad probat. diſt. ant. naturaliter loquendo, conc. antec. dum ſupernaturaliter ad menſuram divini placiti vox formabatur, nego antec. & conſeq. Itaque etiam rigoroſè philoſophando, captui noſtro perceptibilis fit modus aliquis, quo ille qui ſubtiliſsimus, & potentiſsimus eſſet tractator ſpecierum audibilium, poſſet in multorum, conſeſſu quidpiam audibile per directiſsimam aeris viam ſine vlla expanſione earum ſpecierum in vnum immittere, quin alij obaudirent. Imò adoleſcentes grandiuſculis buccinis papyraceis quandoque ſe feſtive delectant, dum verba in longum mittunt, quæ tamen illi qui propius interiacent non percipiunt. Quare in eo loco, hac doctrina ſuffragante, & textu in alio loco reclamante, non violenta fit, ſed appoſita interpretatio huiuſcemodi. Ex qua patet ad confirmationem.

8 Obijcies 2. ex Oecumenio propoſitionem illam, quæ tamen ex nuper dictis proſtrata venit. Si comites Pauli, *cap.* 9. vocem Chriſti D. audiviſſent, credidiſſent; atqui id non fecerunt: ergo non fuit Chriſti; ſed Pauli. Minor videtur clara ex Ambroſio, Chryſoſtom. & Lorin. *cap.* 9. *Actuum Apoſt.* Maior probatur; quia quomodo credi valeat, quod tanto fulgore perculſi, tantaque rei demonſtratione convocati, obduruiſſent? Ad hoc argumentum reſpondeo diſting. mai. ex ſuprà dictis: ſi articulate eam non percepiſſent, nego maior. ſi articulate percepiſſent tranſeat mai. quia negat Chriſoſt. cum quo negari etiam poteſt: quatenus ibi eis noluit Deus impartiri vocationem efficacem, vt fideliores agerent teſtes, ſi rem deponerent. Ne ſi fortè omnes credentes id vna referrent, ex condicto eos Iudæi putaſſent fuiſſe loquutos, pro, indeque falſo, & ſimulatè.

9 Obijcies 3. Planior occurrit via ad concordiam vtriuſque textus: ergo noſtra hæc, quam ſequimur deſerenda eſt. Probo antecedens. Veroſimilius, & facilius vtrobique res tota

cohærebit, ſi de pluribus comitibus Pauli alij vocem audirent; alij verò lumen viderint, & vocem non audierint eius qui cum Paulo loquebatur: ſed hæc apparet via planior, quam vocis articulationem nos metiri, & taxare: ergo, &c. Maior probatur in primis eſt veroſimilius: quia nihil veroſimilius in iter agentibus, qui, cogente via, paſsim ſeiunguntur, quam vt de alijs antrorſus, alijs medijs, alijs poſtremis euntibus, alij videant, quæ alij non vident, alij vero audiant quæ alij non audiunt. Sed hoc poſito facilius eſt aliquos propè Paulum vocem audiviſſe, & neminem vidiſſe, licet fulgorem viderint; alios autem remotiores ab illo vidiſſe fulgorem, qui brevi latè porrigitur, & tamen verba non audiviſſe: ergo &c. Confirmatur ex illo, Evang. Ioann. 12. v. 29. vbi dicitur. Alij dicebant tonitruum eſſe factum: alij quod Angelus loquutus eſt ei: ergo ſimiliter cum varietate inter alios, & alios hic diſcurri poteſt. Ad hoc argumentum, quod ſanè ipſa via eſt, quam ego præcogitaveram reſpondeo, re ipſa melius inſpecta, ſuſtineri non ita facilè poſſe propter verba quæ *cap.* 26. *Actuum Apoſt.* retuli in Notabilibus, vbi Paulus ita ait: *Omneſque nos cum decidiſſemus in terram, &c.* Vbi fit manifeſtum; quomodo vna omnes fuere perculſi ſtupore: vnde diſt. anteced, illud quod aſſerit de hoc modo componendi *verimilius eſt*, & *facilius* ſecluſa colluſtratione textuum concedo, attenta omnis textus, & contextus veritate, nego antecedens, & conſequentiam. Quia quamquam non me fugit poſſe ſubinde Biblico more ly *omnes* trahi ſuavius; puto tamen id eſſe præter interpretis debitam ſynceritatem: quare ſatius eſt credere Paulum de omnibus itidem fuiſſe loquutum. Ad confirmationem reſpondeo. Potius exinde confirmari noſtrum modum ſentiendi: quia tunc ſolum quando vox aliqua ingens auditur ſine diſtinctione, & articulatione percepta, eſt quando alij poſſunt dicere raucum fragorem detonuiſſe; alij autem vocem, & verbum ſibi comminiſcantur.

10 Obijcies 4. Adhuc alia reſtat via quæ nullo textu, aut contextu ex relatis intercluditur ad Concordiam. Sed eſt facilior: ergo tenenda. Probo mai. poſtea probaturus min. Primò. Vel quia omnes audierunt priora illa verba, *Saule Saule quid me perſequeris?* Et poſtea ſtupefacti cætera non audierunt. Vel ſecundò. Quia aliqui tantum hæc priora audierunt; alij autem vel potius omnes non audierunt cætera: ergo, &c. Probatur iam min. Quia hoc videtur connaturalius, quam reſolvere, quo gradu vox audita fuerit, & non audita. Ad hoc arg. reſp. hanc viam, quam ipſe quoque aperui articulum cogitando, viſam mihi eſſe non omnino improbabilem; niſi quod videatur in ea non penitus ſervari veritatem hiſtoriæ: quippè, ſi omnes audierunt ſaltem illa verba priora, *Saule Soule quid me perſequeris?* ægre dici poſſet poſtea: *Non audierunt vocem eius, qui loquebatur mecum.* Quamobrem lubet potius ſtare viæ illi interpretandi, quam toto decurſu quæſtionis ſumus hactenus perſequuti, præſertim cum præter ſuperiora eam foveat vlterius Verſio illa Ægyptiaca quæ *cap.* 9. *Act. Apoſt.* invenitur apud Silveiram dicens: *Lucem viderunt, vocem verò prolatam non audierunt*, vbi vt vides *prolatam*, & *articulatam* in idem recidunt. Quare ad formam Arg. neg. mai. ad cuius probationem diſt. antecedens. Salva veritate loquutionis vtriuſque textus, neg. antecedens, non ritè accomodata veritate omnimoda loquutionum. Concedo antecedens, propter rationem ſupra inſinuatam. Ad ſecundam probationem reſpondeo. Neque ſecundo modo poſſe rem ſine offendiculo excogitari: licet enim ibi intentum ſit, quod audientibus aliquibus ſaltem

illa

illa priora verba ; aliquibus autem nulla verba audientibus , vera evadat vtraque loquutio, prima ſcilicèt *vocem quidem audientes* , propter primos , qui audierunt verba priora ; & ſecunda ſcilicèt *vocem autem non audierunt , eius qui loquebatur mecum* propter ſecundos , qui dicuntur nulla audiviſſe ; nihilominus hæc ita , quoquomodo compoſita ſint, *in cap.* 26. offendiculum parant : nam cum ibi dicat Paulus , *omnes nos cum decidiſſemus in terram* , genuina interpretatio debet circa omnes in caſu relato ſub eodem tenore philoſophari ; niſi malis alicui dialecticationi plus iuſto inſervire. Quod in re Biblica non probo quoties planiori via iter confici queat. Verum ſi ſpecimen huius obiectionis , vt eſt varietas ingeniorum cuiquam arriſerit ; tutius id priori modo poterit ſubſtinere , & eluere obiectionem de defectu veritatis omnimodæ , dicendo , non niſi integram vtrobique ſervari , caſu , quo omnes ad priora illa verba protinus , & penitùs obſtupuiſſent. Nam in primo textu vbi dicitur , *vocem quidem audientes* ſalvatur veritas integra *per audiviſſe verba priora.* In ſecundo verò vbi dicitur, *vocem non audierunt eius qui loquebatur mecum* , ſolum dicitur ab eis non auditum fuiſſe colloquium ; de quo lege Cornel. & & Silveir. ad loca relata. Si autem omnes , prioribus dumtaxat illis verbis ſemiauditis, *Saule Saule quid me perſequeris ?* illico ſteterunt obſtupefacti ; proculdubio non audivere colloquium , integra ergo, & illæſa vtrobique veritas remanebit. Id vero in noſtra recidit.

11 Hinc colliges immerito mirari Bartholomæum Lintrenſem Doctorem Duacenum , quod ad hanc antilogiam elucidandam aliqui præter ea, quæ ipſe cum alijs ſequutus eſt , pluſculum rem perſcrutentur , atque in ea adlaborent. Tùm quia ea , quam ipſe ſequitur ſententia , non ita elicitur ex ipſo contextu , & colluſtratione , vt non relinquat in adverſas partes non infimas admodum coniecturas. Tùm quia nullibi minus nocet opinionum ac ſententiarum varietas, quam in cuiuſpiam antilogiæ concordia : ſiquidem quo plures per ingenia eliciuntur ſenſus pacifici ; eo plus ſtudium inibi commendatur ; & eo plures aperiuntur aditus ad veritatem capeſſendam, ſedandaſque plurium minus eruditorum mentes : quorum alij ( quæ humanæ mentis conditio eſt) hac via; alij vero alia facilius conquieſcunt.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SEXTA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

QVONIAM NISI VENERIT DISCESSIO PRIMVM, ET revelatus fuerit homo peccati. *Pauli 2. ad Theſſalon. cap. 2. verſ. 3.*

### ARTICULUS.

*VTRVM HÆC POSTREMA DISCESSIO INTELLIGENDA ſit ab Imperio Romano?*

1 SUPPono 1. argumentum D. Pali in hac Epiſtola ſua 2. ad Theſſalonicenſes eſſe in primis eos animo erigere, & confortare ad æquanimiter ſuſtinendas eas perſecutiones, quas Chriſtiano nomine patiebantur: videbat enim eos acriter vexari, & vrgeri, quos in prima ſua Epiſtola commendaverat, tùm de fervore converſionis, tùm de progreſſu in fide; atque eos roboraverat cum ſpe futuri adventus Domini, in quo recepturi eſſent de tanto agone ſuo amplam retributionem atque mercedem. Sivè ergo, quia hac bona ſpe erant allecti, & in eam quatocius complendam in tribulatione poſiti ſuſpirabant, diemque illam quaſi iam inſtantem circumferebant: ſivè quia nonnulli falſi DD. id diſſeminaverant, quaſi inſtaret dies Domini, aut ſiniſtro dœmonis aſtu permoti, vt eos in fide infirmarent, dum diem Domini non inſtare, ſed elongari cernerent, aut verbis Pauli minus ritè intellectis, dum dixit: *Nos qui vivimus qui relinquimur ſimul rapiemur cum ipſis obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus*: quæ verba nos abunde diſcuſsimus. Propter hæc ergo D. Paulus *in Epiſt. 2.* nedum laudat eorum conſtantiam in ſuſtinendo, exponens ipſis gloriam, quam ſunt accepturi; ſed & in 2. *cap.* eos præmunit à deceptione, ne putent extremum diem ſtatim venturum, ſed præceſſuram fore ante eum eam, quam vocat diſceſsionem, revellationemque AntiChriſti ſeu filij perditionis. De qua quidem diſceſsione noſtra quæſtio procedit.

2 Suppono 2. Talem *diſceſsionem* de cuius legitimo ſignificato pendebit reſolutio, correſpondere in Græco huic voci *Apoſtaſia*, & in Syriaco quod de Hebraico fonte manat, correſpondere huic voci *defectio*, aut *rebellio*. Atque cum ea, qualiſcumque ſit, data ſit à D. Paulo, vt futura ſit in re, tàm ſolemne ſignum

ca-

casus, tàm stupendi, nimirum, finis orbis, & sæculorum, iudicisque venturi; non potest intelligi, fore aliquam defectionem multum insignem sivè à fide humana, sivè à Fide Divina: vnde inter vtramque ratio dubitandi discinditur. Nam ex vna parte tùm ex multis Patribus, & Interpretibus videtur ibi significari discessionem fore futuram à fide humana præstita Romano Imperio: tùm à ratione, & quasi cohærentia totius prophetiæ Novi Testamenti, quæ vniversim de tota Ecclesia vsque ad finem, clausa esse videtur, & sigillata in mysterioso libro Apocalypsis. Nam cum hic planè describatur casus, & ruina Imperij Romani, Regnorumque multa divisio, post quæ omnia postrema sæculorum consummatio describitur; videtur esse quandam connexionem propheticam ruinæ Imperij Romani cum fine sæculorum, & adventu tàm AntiChristi, tum Iudicis supremi, eum Spiritu sui oris interfecturi. Ex alia verò parte videtur quod illa discessio non nisi à fide intelligenda est; quandoquidem non refertur neque offertur in signum nisi connexa cum manifestatione AntiChristi, videlicet illius hominis singularis, qui solemnem illam apostasiam à Christi fide suscitabit. Vnde merito hic inducitur huiusmodi articulus disputandus.

3 Suppono 3. Quod ex eadem connexione, quæ apparet inter excidium Romani Imperij, & mundi finem, adventumque AntiChristi Hæretici male confuunt suos errores, atque blasphemias in Sacrosanctam Matrem Romanam Ecclesiam, effutientes pro suo odio in Christi Vicarium, hunc esse AntiChristum, hinc inde suas nænias congerentes, vt id incautis hominibus facile obtrudant. Constat verò quod non ex sola occupatione vrbis Romæ pendet Romanum Imperium: vndè quamvis ea transierit in ditionem Pontificiam; perseverare potest Imperium Romanum, vt i in Honorio, Arcadio, Theodosio, aliisque Roma carentibus, Imperium perseverabat: sicuti, & nomen etiam Romani Pontificis habuit. S. Leo, & alij, dum Roma non potiebantur. Quæquidem Sancta Vrbs, vt nonnulli dicere videntur PP. & TT. *Apocalypsis* 17. vastanda est, quando diviso Imperio in decem Reges AntiChristus cum illis conflicturus sit; eiusque sedes seu Thronus futura est Hierosolyma, non Roma. Ex quo apparet, nedum siniströ, sed truncatim, ac cæsim solere Hæreticos suas malè sartas eruditiones converrere. Cum autem, etiam attentis Patribus, non omnino compertum sit, discessionem à Romano Imperio, potius quam à fide Christi præcursuram esse Supremi Iudicis adventum; præstat nunc præsentis textus litteram severè indagare, adhibitis ad id oportunis subsidijs, nempè versionibus, contextu, argumento Epistolæ, salvis semper Vulgata versione, consensu Patrum, & sensu quo dogmata exinde tradi solita retineantur. Et licèt ex Patribus apud Cornelium conveniri videatur, Romam extremis temporibus à fidei capite recessuram; tamen facilis eo in verba nostri Doctissimi Iustiniani, aientis: *Nescio, quo fundamento affirmare possimus, eam à suo Pontifice receſſuram idolorum cultui fore obnoxiam, iustos infectaturam, aliaque id genus scelera patraturam; demum eius Imperium dissolvendum. Sed quid in Apocalypsi significet Ioannes, mitto in præsentia quærere; quæ de vrbe Roma dicuntur, fateor me non posse facile sine Authore sine certa ratione admittere.* Et revera, licèt contingens admodum sit, vt nobilis hæc Civitas in fine quoque deficiat, prout aliæ plurimæ defecerunt; nihilominus, quandiu id penè Canonicè firmum non fuerit, præstantius, & magis pium est, sensa retinere contraria, & hac etiam ex parte obturare ora Hæreticorum: licet enim dicatur, quod fides non sit defectura; tamen

pro indoctis ſemper male audit Romam defecturam à fide. Vide Suarez *tom. 2. in 3. part. diſt. 56. ſect. 2.*

4 His poſitis circa hanc quæſtionem triplex venit recenſenda ſententia, quarum prima aſſerit per *diſceſſionem* debere intelligi defectionem ab Imperio Romano, eo quod, cùm tale Imperium vniverſim credatur futurum eſſe poſtremum; ſtatim à ruina ipſius finis immineat. Hanc ſententiam tenent Ambroſius, Sedulius, Primaſius, Anſelmus, apud Benedictum Iuſtinianum, Cornelius 2. *ad Theſalonicenſes* 2. cum alijs plurimis Recentioribus, inter quos Maluenda *de Anti-Chriſto lib. 4. cap. 8.* qui videtur dicere pro ea ſtare vniverſalem PP. conſenſum; tametſi id non ſit ita certum, vt poſtea conſtabit: vnde, & refert pro ea ſententia Bedam, Haimonem, Strabum, D. Thomam, Lyram 2. *ad Theſalonicenſ.* 2. Dominicum Soto *in 4. diſtinct. 49. quæſt. 1. art. 2.* Ioann. Driedo *lib. 3. de Eccleſiaſt. Scrip. cap. 5. part. 2.* Cantapetrenſem *lib. 3. Hypotipos, cap. 2.* Pererium *lib. 14.* in Daniel. Bellarminum *lib. 3. de Romano Pontifice cap. 5.* Riberam *Apocalip. 17 & alios.* Secunda ſententia ſuſtinet talem diſceſſionem intelligi de ipſomet AntiChriſto, & apoſtaſia, quam ipſe inducturus eſt. Quam ſententiam videntur amplecti ſatis clarè Chryſoſtomus, Theodoretus cum alijs Græcis necnon Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei cap. 19.* necnon Tertullianus, quatenus diſceſſionem intelligit Regni Chriſti, quo regnat in terris, vt teſtis eſt noſter Benedictus Iuſtinianus in hunc locum, qui, & ipſe ſequitur hanc ſecundam ſententiam, de prima hæc verba ſubiungens: *Non deſunt, qui defectionem à Romano Imperio ſignificari putent, ſed parum vt arbitror ad rem: quàm pridem enim Romanum Imperium in eas anguſtias redactum eſt, vt vix tenuem quandam vmbram Imperij retineat.* Et verò nonnulli PP. qui ſtare videntur pro ruina Romani Imperij, quando inſtet finis non tàm id eliciunt ex verbo *diſceſſio* quæ quaſi præcurſura eſt ſecundum Chriſti adventum; ſed ex illis verbis: *Et nunc qui tenet teneat, donec è medio fiat*; quaſi ibi ſignificetur, quòd ſtabit Imperium Romanum prout nunc ſtat, & tenet, donec ſurgat AntiChriſtus. Tertiam verò ſententiam, qua vtrumque ſenſum primo ſumptum amplectitur, videtur tenere Illuſtr. Siuri cum Cornelio hic, & Engelberto, atque Auguſtino Triumpho, *in ſuo tom. de Noviſſimis.*

5 Sit noſtra concluſio: *Illa diſceſſio, quam ponit D. Paulus præcurſuram eſſe ſecundum Chriſti adventum eſt diſceſſio à Fide, quam inducturus eſt Anti-Chriſtus.* Probatur concluſio ex ipſo Sacro Textu ſic. Quoties in Vulgata verſione occurrit vox ambigua, quæ de idiomatè originali certam notionem parat; iuxta eam debet explicari, atque retineri. Sed hæc vox diſceſsio in Originali Græco eſt *Apoſtaſia*, quæ prout nunc, dicit defectionem à Religione, & fide; non verò à dominio temporali: nemo enim qui à ſuo Principe temporali deficit, apoſtata dicitur: ergo per diſceſsionem intelligitur defectio à fide. Probatur 2. concluſio ex Patribus 1. ex Irenæo *lib. 5. Adverſus Hæreſes, cap. 25.* vbi tractans de hoc loco, & hac diſceſsione ait: *Ille enim omnem ſuſcipiens diaboli virtutem, veniet non quaſi Rex iuſtus, nec quaſi in ſubiectione Dei legitimus; ſed impius, & iniuſtus, & ſine lege, quaſi apoſtata, & iniquus, & homicida quaſi latro diabolicam apoſtaſiam in ſe recapitulans.* In quibus verbis, & ſequentibus circa hunc locum maximè ibi: *Manifeſtè igitur Apoſtolus oſtendit apoſtaſiam* adventum eius clarè intelligit de apoſtaſia, quæ eſt diſceſsio à fide. 2. Ex Auguſtino vbi ſupra ſic locum attingente: *Quoniam niſi venerit refuga primum, & revelatus fuerit homo peccati .... nulli dubium eſt, cum de AntiChriſto iſta dixiſſe, dieque in-*

*iudicij.* Hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, vtique à Domino Deo: vbi pro discessione, vt vides intelligit *refugam à Domino Deo.* 3. Ex Chrisostomo *tom.* 4. *Homil.* 3. *in Epist.* 2. *ad Thessalon.* vbi attacto hoc loco, pergit, & inquit: *De AntiChristo hic differit, magna aperit mysteria. Quid est discessio? Eam ergo vocat discessionem, vt qui multos sit perditurus, & vt deficiant inducturus.* 4. Ex Theodoreto in hunc locum, ibi: *Defectionem ipsum vocavit AntiChristum, à re ipsa ei nomine imposito, conatur enim à veritate abducere, & efficere, vt deficiant.* 5. Ex Tertulliano apud Benedictum Iustinianum in hunc locum aientem: *Hanc discessionem esse abscessionem Regni Christi quo Regnat in terris.* Sed hæc omnia testimonia plura sunt, prisca, & clara. Ergo pro eis standum esse videtur. Probatur 3. conclusio. Legitima interpretatio alicuius textus postulat, vt, si in longo tractu, & sensu verborum invenitur vnum verbulum in versione ambiguum; sed quod in originali est clarum, & insuper cohærens cum toto illo tractu, & sensu verborum, iuxta hunc sensum exponatur. Sed ita se habet in hoc nostro loco illud verbum *discessio*, vt magis cohæreat cum Originali, & contextu, si sumatur de discessione in fide: ergo ita debet intelligi. Mai. videtur de se clara, & min. etiam quia totum *caput* 2. agit *de Spirituali ruina*, deceptione, & errorum immissione ventura cum AntiChristo. Sed vnicum verbulum illud *discessio* in Originali correspondet apostasiæ à verò Deo: quæ apertè congruit cum tota illa ruina spirituali eventura per AntiChristum: ergo, &c.

6 Confirmatur 1. Inverisimile est quod Paulus volens dare signum aliquod de fine mundi per Monarchiam temporalem, vsus fuisset in Originali verbo significante aliquid commune, & obscurum, alludens ad defectionem spiritualem, aut temporalem; & quod, texendo postea longum sermonem de defectione spirituali eventura, nihil aliud de temporali subiungeretur, per quod tale signum sub, obscure appositum valeret intelligi. Sed nihil in toto capite subiungitur circa Romanum Imperium: ergo, &c. Confirm. 2. Illa interpretatio huius loci eligi debet, quæ minorem ansam præbet hæreticis in ea re delirandi. Sed ita se habet interpretatio nostra: ergo, &c. Probatur min. Intelligendo tanquam signum extremi iudicij datum à Deo defectionem ab Imperio Romano, tùm hæretici statim delirant, hoc iam defeciisse; cum tot Nationes ab eo iam se subduxerint; imò, & blasphemant, Anti-Christum esse Papam, qui in Throno Romano successit: tùm aliqui Catholici, dum vident Imperium Romanum vetus iam ita discisum, iam divinari non desinunt, diem iudicij ad tale, vel tale tempus esse venturum, ita vt ex supputatione, quam faciunt plures, quasi vix anni tercenti de hoc mundo supersesse videantur. Sed in nostra intelligentia cuncta hæc procul absunt: & illa dies Domini, quam tantopere ipse voluit occultam, occultissima remanet; licet in confesso anteà venturus sit Anti-Christus, & persecutio illa tam ingens, vt in errorem si fieri possit inducantur etiam electi: ergo talis discessio non ab Imperio Romano, sed à fide debet intelligi.

7 Obijcies 1. Ipse sacer textus per magis legitimam, & tutam explicationem expositus clarè dicit, quod sub finem imperij Romani, revelandus est Anti-Christus. Sed hoc posito magis cohærens est tali textui, quod illa discessio prius ventura intelligatur de defectione ab Imperio Romano: ergo sic debet intelligi. Prob. mai. Statim ac describitur præcessura discessio, & revelandus homo peccati, subditur: *Mysterium enim iam operatur iniquitatis: tantum qui nunc tenet teneat, donec è me-*

*medio fiat, & tunc revelabitur ille impius, &c.* Sed hæc verba tùm per ſe ſatis, tùm per magis legitimam, & tutam expoſitionem SS. PP. dicunt quod ſub finem Imperij Romani revelabitur Anti-Chriſtus: ergo, &c. Minor quoad primam partē de ipſo textu videtur patere: nam cunctus ille ſic traditus ordo verborum perinde eſt, „ ac dicere; nequaquam venturus eſt „ iudex ille poſtremus donec prius fiat „ quædam magna defectio in orbe à „ ſuo Principe, & duce; reveletur„que, & appareat in publico homo „ ille pietatis, Deique adverſarius: cu„ius molimina iniquitatis quaſi in oc„culto iam pergunt: tantum reſtat „vt qui modo dominatur, & impe„rat clavum teneat, quoadvſque in „medio, & in publico appareat ille „impius quem Chriſtus interficiet „ſpiritu oris ſui. Sed hæc vix cuipiam alij poſſunt melius aptari, quam Romano Imperio: tùm quia tunc vigebat, quando hæc ſcripta ſunt: tùm quia etiam nunc ſatis viget: tùm quia vniverſim inter imperia celebriora mundi reponitur poſtremo loco poſt Aſſyrios, Chaldæos, Perſas, & Græcos, & vltra quod nullum alterius imperij veſtigium proſtat: ergo, &c. Probatur ſecunda pars minoris producendo in ſpecie plures Patres qui talia verba intelligunt de Imperio Romano duraturo vſque ad Anti-Chriſtum. Primò Tertullianus in Apolog. cap. 23. deſcribens Anti-Chriſtum inquit: *Acerbitates horrendas comminante clauſulam ſæculi Romani Imperij commeatu, ſcimus retardari.* Secundò. Lactantius lib. 7. cap. 15. & 16. loquens de eodem: *Cuius vaſtitatis*, ait, *& confuſionis hæc erit cauſa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra, & Imperium in Aſiam revertetur, ac rurſus oriens dominabitur, atque occidens ſervlet.* Tertiò. S. Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum ſic ait. *Sic enim docet B. Apoſtolus Paulus. Rogate pro Regibus, & poteſtatibus vt quietam, & tranquillam vitam cum ipſis agamus. Non enim reſpublica eſt in Eccleſia; ſed Eccleſia in republica, id eſt, in Imperio Romano, quod Libanum appellat Chriſtus in Cant. Cantic. cum dixit. Veni Sponſa mea inventa de Libano, id eſt, de Imperio Romano.* Quartò S. Cyrillus Ieroſolymitanus, Catecheſi 15. *Veniet prædictus Anti-Chriſtus cum impleta fuerint tempora Imperij Romani.* Quintò. Author nomine Ambroſij in hunc locum, ibi: *Non prius Dominus veniet, quam Regni Romani defectio fiat, & appareat Anti-Chriſtus.* Sextò. D. Hieronymus, quæſt. 11. ad Algaſiam, ibi: *Niſi inquit, venerit diſceſſio primum quod Græcè dicitur apoſtaſia, vt omnes Gentes, quæ Imperio Romano ſubiacent, recedant ab eo; & revelatus fuerit, id eſt, oſtenſus, quem omnium Prophetarum verba prænuntiant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum eſt.* Septimò. Theophilactus 2. ad Theſalon. 2. ibi: *Romanum Imperium, quando ſublatum fuerit è medio, tunc ille veniet ſcilicèt Anti-Chriſtus.* Sed his conſentiunt Beda, Oecumenius, Anſelmus, D. Thomas, &c. Ergo intelligentia Patrum quæ magis legitima, & tuta eſt potius exponit diſceſſionem à Romano Imperio, quam à fide.

8 Ad hoc argumentum reſpondeo negando maiorem, & ad eius probationem, negando min. quoad vtramqua partem: ad cuius probationem primæ, diſting. mai ita vt ly *tenet*, & *teneat* ſumatur in ſignificatione *detinendi*, conc. mai. in ſignificatione *moderandi*, & *gubernandi*, neg. mai. & reſpectivè diſtinct. min. neg. conſeq. Itaque vt hic locus verè obſcurus dilucidetur ſummopere convenit, in medium adducere textum Græcum: quippèqui tunc debet maximè ſuffragari, quando germanus ſenſus penitùs de„liteſcit. Ait textus Græcus ſic. Ne „quis vos ſeducat ſecundum vllum „modum: quoniam ſi non venerit „apoſtaſia primum, & revelatus fue„rit homo peccati filius perditionis:

„ illa

„ille appoſitus, & elatus ſupra om-
„nem dictum Deum, aut numen, vt
„eum in templum Dei tanquam Deum
„ſedere, oſtendentem ſe ipſum quod
„ſit Deus. Non meminiſtis, quod ad-
„huc exiſtens apud vos hæc dicebam
„vobis? Et nunc obſtaculum (in mar-
„gine ait *quid detineat*) ſcitis, ad re-
„relari eum in ſuo ipſius tempore:
„(nam myſterium iam operatur ini-
„quitatis, ſolum tenens, *id eſt de-*
„*tinens: quia eſt idem verbum ac*
„*ſupra ſcilicèt catechon*, nunc, donec
„è medio fiat) & tunc revelabitur
„ille excelex, &c. In quo quidem originali ſatis patet quomodo ly *tenet* aut *teneat* ſumi debet in ſignificatione detinendi, obſtandi, impediendi: tùm quia iuxta verbum Græcum nulla eſt de hac re dubitatio; tùm quia in latino ſermone verbum *teneo* non ſignificat gubernare: niſi per accuſativum appoſitum, v. g. tenere clavum, tenere habenas, gubernaculum, aut moderamen, &c. Quare ſolitarie poſitum potius ſignificat quaſi tenacitatem, & inſolubilitatem rei: vnde etiam legendo cum Vulgata, *qui tenet, teneat* debet intelligi ex contextu, & verbis: *Quod detinet modo, detineat vtique donec è medio fiat, &c.* Sub qua intelligentia quæ tam litteralis eſt, & rigoroſè petita, ſtatim procumbit illa meditatio de Imperio Romano tenendo; & hac ruente, ruit quoque illa intelligentia de defectione ab Imperio Romano potius quam de diſceſſione à fide per Anti-Chriſtum orbi eventura.

9 Ad ſecundam probationem de Patribus, quæ ſemper graviſsima cenſeri debet itidem non non niſi graviſſimè, ac ſolidiſsimè reſpondendum eſt. Atque vt id Deo dante cum omni perſpicuitate fiat præmittendum eſt 1. Quod licet ex Patribus relatis videatur elici quaſi conſenſus vnanimis adverſus concluſionem noſtram, nihilominus ita non eſt: neque enim datur talis conſenſus Patrum in eo quod in hoc noſtro textu ſermo ſit de defectione Romani Imperij. Nam 1. D. Auguſtinus *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 19. referens illa verba: *Tantum qui modo tenet, teneat*, ſic inquit. *Ego prorſus quid dixerim me fateor ignorare. Suſpiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui non tacebo... illud tamen quod ait Apoſtolus: tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat: non abſurde de ipſo Romano Imperio creditur dictum.* Vbi vt vides ſuſpiciones vocat Auguſtinus huiuſmodi cogitationes, & tantum eas vocat non abſurdas: qui modus temperatiſsimæ locutionis male cohæret cum vnanimi Patrum conſenſu. 2. P. Benedictus Iuſtinianus egregius ſi quis alius Commentator Pauli, dum id placitum recenſet, ſcribens in hunc locum, ſic ait: *Non deſunt qui defectionem à Romano Imperio ſignificari putent, ſed parum vt vt arbitror ad rem: quam pridem enim Romanum Impeaium in eas anguſtias redactum eſt, vt vix tenuem quandam vmbram imperij retineat?* Qui modus loquendi etiam firmat non eſſe talem conſenſum. 3. Eximius Doctor Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 56. *ſect.* 2. agens de noſtro textu, & noſtro quæſito, poſtquam citavit aliquos PP. textum intelligentes de everſione Romani Imperij, ita proſequitur: *Hoc vero nullius momenti eſſe videtur: primo quia vt ſæpè dictum eſt, hic locus melius intelligitur de ſpirituali diſceſsione, & apoſtaſia à fide, & ab ſpirituali Imperio Romani Pontificis, in quod temporale Imperium mutatum eſt, vt elegantèr dixit Leo Papa Sermone* 1. *de Apoſtolis Petro, & Paulo, & ita exponunt Chriſoſtomus, & Græci qui ipſum Anti-Chriſtum per diſceſsionem ſignificari intelligunt. Idem fere Auguſtinus* 20. *de Civitat. Dei, cap.* 19. 4. Thomas de Maluenda inſignis Scriptor de Anti Chriſto *lib.* 4. *cap.* 22. ex profeſſo tractans hunc locum inquit: *Plerique nomine apoſtaſiæ deſignatum putant ipſummet Anti-Chriſtum qui emphatice*

*appellatus sit à Paulo illa apostasia*: citatque ibi Chrysostomum, Augustinum, Theophilactum, Oecumenium, Authorem, qui nomine Hieronymi circumfertur, Bedam, Strabum, Gagneium, Guillaudum, Emanuelem Sa, Bellarminum, & alios: quos plerosque esse ipse iam dixerat. Male ergo ex illa conglobatione Patrum nobis obiectorum elici poterit consensus aut traditio nobis adversa.

10 Præmitto 2. Debere discerni in hoc puncto duo quæ sunt valde diversa, & quorum discrimen oportune poterit, tùm Patres obiectos, tùm pro nobis allatos optime conciliare. Aliud enim est quod Anti-Christus appariturus sit circumcirca eversionem, & excidium Romani Imperij: aliud vero quod ex hoc loco Pauli ad Thessalonicenses id comprobetur. Circa primum magis indubitata currit traditio Patrum à primis sæculis orta, & traducta ferè sub vno tractu, & consensu: propterea quod dantur in Sacra Pagina tàm in veteri, quàm in Novo Testamento, v. g. *Daniel.* 7. & 11. & *Apocalyps.* 12. & 17. loca de fine mundi satis insignia, & quæ expressè agunt de sciſura Regnorum, & Regum numero, qui extremis illis temporibus sunt regnaturi: in quibus locis cum res vndique quasi diluta veniat, vt indicet Romanum Imperium tunc forè excindendum; surrecturumque regnum, quod militet adversus Deum, & Sanctos; concors sententia Patrum est, & cum ipsis etiam nostra, videlicet, sub excidium Romani Imperij futurum esse adventum Anti Christi. Sed quia hoc dupliciter intelligi potest. Primò. Veluti prius deficiat omninò Imperium, quàm Anti-Christus appareat. Et secundò. Veluti cadere incipiat; & Anti-Christus adveniens perficiat eversionem; Patres quodammodo dividuntur: quorum aliqui censent prius omninò ruiturum Imperium, quam Anti-Christus adveniat: & ad id sibi adaptant hunc locum Pauli propter illa verba tam accommoda: *Nisi primum discessio venerit: tantum qui nunc tenet teneat.* His ergo testimonijs ait Suarez: *Fit probabilis hæc sententia. Quod vero illa non sit certa; atque aute alterum modum esse probabilem, constat primò ex Augustino, &c.* Vbi iam obseruare debes discrimen attactum; quòd nimirum Anti Christus venturus sit sub finem Romani Imperij ex vnanimi consensu Patrum, & traditione fortè Apostolica: (siquidem ex Sacra, solum pagina, vt examinat Suarez, non videtur saltem quoad modum res esse penitus explorata.) Aliud vero esse, talem ruinam Imperij Romani deduci ex nostro textu, quam, licet aliqui Patres inde videantur elicere, præoccupati videlicèt excidio regnorum alibi memorato; nos tamen cum multis Patribus supra datis id inficiamur, existimantes tum *discessionem*, ibi intelligi *ipsum Anti Christum Archiapostatam*; tùm illas voces. *Qui tenet teneat*: potius detentionem significare.

11 Quapropter ex his præmissis videtur radicitus, & vniversim diluta, & deleta obiectio ex Patrum syllabo nobis facta. Verum vbertatis causa accedo ad singulos. Et in primis Lactantius, qui multum in ea re clarus non est, bis errat sive quia Imperium Romanum à Roma non separat, sivè quia proferre non dubitavit, *lib.* 1. *cap.* 29. sæculi finem à suo tempore non amplius ducentis annis posse esse distantem. Tertullianus etiam pro nobis supra allegatus est. Et licet cum ipso Lactantio, & Optato Milevitano insistat in preces fundendas pro Romano Imperio, quasi retardatore Anti-Christi; id solum probat ruinam Imperij, & Anti-Christum quasi excludens, & excluſum se simul esse habitura: ad idemque trahendus est Cyrillus Ierosolymitanus. D. autem Hieronymus, & qui nominatur Ambrosius clariores sunt, vt putent defectionem futuram esse ab Imperio Romano; sed ipsis reponimus plu-

plures iam datos. Chriſoſtomus vero, vt ſupra dedimus, cum ſuo Theophilacto noſtras eſt apertiſsimè, vt ſuprà conſtitit: quando vero ad Romanum Imperium recurrit, ne reveletur Anti Chriſtus; id in primis dicit comparativè ad ſpiritus gratiam, quam aliqui *detentionem* eſſe putabāt; deinde in illud tantū conſentit, vti & nos, nempè quòd Imperium Romanum cadens, & Anti Chriſtus veniens copulabuntur; non tamen quod per *diſceſsionem* tale quid exponatur. Ad cuius argumenti finem, & ex illo colliges quod quando D. Hieronymus ſuper Danielem ait, cap. 7. *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt: in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe dividant, & vndecimum ſurrecturum regem parvulum, id eſt Anti-Chriſtum, &c.* Nobis non opponi, qui eidem traditioni ſubſcribimus; licet loco Pauli non conficiatur.

12 Obijcies 2. cum replica. Licet illa verba noſtri textus, *tantum qui modo tenet, teneat* accipiantur in ſignificatione detinendi, conficitur ex eodem textu, non venturum eſſe Anti Chriſtum, quouſque Imperium Romanum defecerit: ergo perperam inferimus ex textu concluſionem noſtram. Probatur antecedens ex illis verbis, vbi idem textus ait: *Et nunc quid detineat ſcitis, vt reveletur in ſuo tempore.* In his verbis ſignificatur quaſi ænigmaticè, id, quod detinet ne reveletur Anti Chriſtus eſſe Imperium Romanum vigens: ergo, &c. Antecedens probatur: tùm ex verbis Hieronymi *quæſt.* 11. *ad Algaſiam*, ea verba ſic exponente: *Hoc eſt, quæ cauſa ſit vt Anti-Chriſtus impræſentiarum non veniat, optimè noſtis. Nec vult aperte dicere Romanum Imperium deſtruendum quod ipſi qui imperant æternum putant... Sic nim aperte, audacterque dixiſſet, non veniet Anti-Chriſtus, niſi prius Romanum deleatur imperium; iuſta cauſa in orientem tunc Eccleſiam perſequutiones conſurgere videbatur.* Tùm ex Tertulliano in Apologetico, cap. 32. & 39. ibi: *Dum clauſulam ſæculi precamur differri; Romanæ diuturnitati favemus.., orare nos pro Imperatoribus pro ſtatu ſæculi, & mora finis.* Ergo incolumitas Imperij Romani eſt, quæ finem ſæculi remoratur. Idem affert de Reſurrectione carnis, *cap.* 24. & ad Scapulam, *cap.* 2. Tùm ex Auguſtino 20. *de Civit. cap.* 19. aiente ibi Paulum Apoſtol. non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicèt incurreret, quod Romano Imperio male optaverit; cum ſperaretur æternum: vbi hoc dixit: *Iam enim myſterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta verba Anti-Chriſti videbantur.* Ergo, &c.

13 Ad hoc argumentum reſpondeo negando anteced. ad cuius probat. ſimiliter, neg. antec. ad cuius triplicem probationem ab authoritate congeſtam dico quoad Hieronymum, hunc S. Doctorem ita verè ſenſiſſe, quatenus, cum ex alijs locis Danielis, & Apocalyſis firmiter haberet ſibi perſuaſum, & ex communi traditione, non venturum Anti-Chriſtum niſi poſt defectionem Imperij Romani; cumque vlterius videret in hoc loco Pauli verba eidem rei tam accomoda; ſic ea interpretatus eſt explicatione, vt nos ſemper fatemur, valde probabili: quare vt videre eſt in ipſo Hieronymo in medio eorundem verborum ſe remittit ad locum Apocalypſis. Quoad Tertullianum etiam modo non abſimili reſpondemus: ſiquidem in libro de Reſurrectione, *cap.* 24. ſe remittit ad illos decem Reges memoratos apud Danielem: cum eo tamen diſcrimine quod Tertullianus non definiens præceſſuram eſſe defectionem Imperij ad adventum Anti-Chriſti, non intelligit diſceſsionem ab Imperio Romano, cuius deſtructio vna cum Anti Chriſto eventura eſſe videtur; ſed ſolum diſceſsionem à fide, & regno Chriſti.

Hiero-

Hieronymus vero, & diſceſsionem à Romano Imperio, & præcurſuram eſſe Anti-Chriſtum reſolvit. Denique ad Auguſtinum reſponſio eſt facilis: nam ea ſunt verba non ſua, ſed quorundam quos ita recitat opinantes, & ibi ita proſequitur de Nerone: *Vnde nonnulli ipſum reſurrecturum, & futurum Anti Chriſtum ſuſpicantur. Alij verò nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potius, vt putaretur occiſus: & vivum occultari in vigore ipſius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec ſuo tempore reveletur, & reſtituatur in regnum. Sed multum mihi mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio.* Ecce quomodo Auguſtinus loquitur, & ex aliena ſententia, quam parvipendit. Itaque pro germana reſponſione ad hunc locum, & interpretatione eorum verborum, & *nunc quid detineat ſcitis*: in quibus nonnulli ſtatim hærent; ego contemplatus, Paulum non ſemel ad ſuos fideles vſurpaturum fuiſſe, & prædicaturum illa verba *Matthæi* 24. vbi loquens de fine mundi ait: *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in vniverſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*, non puto illis commemoraſſe quidpiam aliud, quam id ipſis publicum, & ſæpè notum, nimirum, prædicationem Evangelij, adhuc neceſſario futuram, eſſe id, quod detinebat, vt Anti-Chriſtus revelaretur in ſuo tempore. Quam cogitationem certe oportunam nihilominus non facile inveniebam apud Interpretes quouſque eam expreſsè reperi in Theodoreto in hunc locum ſic aiente: „Exiſtimo autem etiam aliam habere „intelligentiam id quod dicitur. Cum „enim didiciſſet Divinus Apoſtolus „dixiſſe Dominum oportere Evan„gelium prædicari in omnibus Gen„tibus, & tunc finem futurum: vide„ret autem adhuc vigere cultum ido„lorum; dixit ſequens doctrinam Do„mini, fore, vt prius evertatur ſu„perſtitio, & impius dæmonum cul„tus, & vbique fulgeat divina „prædicatio, & tunc appareat veri„tatis adverſarius. Atque etiam Suarius qui nihil relinquit intactum id tetigiſſe reperio. Quoad verba illa: *Iam enim myſterium operatur iniquitatis.* Theodoretus hæreſes tunc graſſantes, & etiam malos moreshominumP. Iuſtinianus intelligit, quibus aſſentio, ſimul obſervans quod ly *operatur* eſt idem *ac agitur* in paſsiva, prout in Græco invenitur: itaque illa clauſula vult dicere, myſterium hoc, verè tale de homine tandem publice, & ſolemniter ſedente in mundo, & in eo imperante contra Deum, & Sanctos, & in ipſo Dei Templo (ſicuti, & myſterium, & Sacramentum mulieris in Apocalyſi) iam tunc incæpiſſe in ſuis ſeminibus hæreſum, & vitiorum, quæ diabolus, poſtquam per ſuos Ieſu Chriſti Domini Noſtri crucifixionem perfecit, non deſinit quotidie velut hoſtiles machinas iacere in Eccleſiam Chriſti, vt eam ſi poſſet ille deſtruat. Atque ſuccreſcente malitia, & corruptione in orbe terrarum, hominem intrudet, cui ſpeciatim aſsiſtet, vt cunctos decipiat: quem tamen finaliter interficiet Chriſtus Dominus adveniens ſpiritu, oris ſui, & diabolus cum ſuis in tartara funeſtiſsima relegabitur non amplius in Deum, & Sanctos prælia moturus.

14 Obijcies 3. Per nos alia ſunt verba, *Daniel.* 7. & 11. & *Apocalypſis* 12. & 17. quæ ex traditione Patrum vnanimi tradunt, Romanum Imperium defecturum eſſe cum venerit Anti Chriſtus, ſed hoc poſito noſter textus debet intelligi de diſceſsione à Romano Imperio: ergo, &c. Probatur minor: quia quando vnus textus circa idem aſſumptum valde colludit cum altero; ſi prior ex firma traditione in aliquo ſenſu ſuſcipitur, qui reſpui non poſsit, ſimiliter debet accipi poſterior. Ergo poſita intelligentia vnanimi textuum Danielis, & Apocalypſis reſpui non poterit idem ſen-

ſenſus à loco Pauli. Ad hoc argumentum reſpondeo negando minorem ad cuius probationem diſtinguo maiorem, *quoad argumentum generaliter ſumptum*, conced. maior. *quoad ſpecialem expreſsionem*, ſubdiſtinguo; *ſi à toto cœtu PP. vnanimiter fiat correſpondentia de textu ad textum*, conc. mai. Si multi refragentur quoad aliquem tractum, neg. maior. & conceſſa min. neg. conſequent. Namque, vt vidimus in diſcurſu quæſtionis, ſunt multi, qui non intelligunt diſceſsionem à Romano Imperio, ſed à fide, & per apoſtaſiam AntiChriſti: vnde, licet aliqui ad aliqua verba in noſtro textu ſubiecta trahant defectionem Imperij Romani; id potius fit per ſenſum accommodum aliunde ſumptum, & peritum ex alijs locis ſacris, quàm per ſpecialem diſcuſsionem verborum loci præſentis D. Pauli, de quo nos diſſerimus ſpeciatim. Vnde Lactantius Firmianus *lib. 7. cap. 15. & 16.* Cyrillus Ieroſolymitanus, Victorinus Martyr, Hypolitus, Gregorius, & alij prout afferuntur à Maluenda *lib. 4. cap. 15.* non videntur inducere locum Pauli nunc diſputatum ad firmandam illam vnanimem traditionem de ruina Romani Imperij, dum venerit AntiChriſtus talem ruinam effecturus: vt probabilius putat Maluenda cum plurimis quos citat *lib. 4. de AntiChriſto cap. 21. ſect. 3.*

15 Sed vt enucleatius cuncta tradantur, & vnaquæque res apud Doctos in loculamento debito reponatur; do gratis, atque libenter quod vnanimis traditio PP. de non venturo AntiChriſto, niſi corruente Imperio Romano, eodem vniverſali conſenſu pergat firmare idem aſſumptum ex loco Pauli nunc agitato. Quid igitur inde? Licebitne tunc eum ſenſum à tali loco reſpuere? Nequaquam profecto: ſiquidem vt aliàs in multis locis de littera controverſis evenire ſolet, non poteſt negari verè deliteſcere in textu eum ſenſum, quem indidem vniverſim PP. eliciunt: quiquidem, vel allegoricus erit, & ex tanta authoritate aptiſsimus ad arguendum: vel ſi mavis, erit ſenſus ſecundo literalis (& ad hunc ſenſum venit D. Siuri in tom. *de Noviſsimis*) à Spiritu Sancto intentus licèt non ab Scriptore Canonico prout paſsim ſuſtineri eſt pervium in varijs locis, vbi aliorſum ire videtur mens Scriptoris Canonici, & aliorſum interpretatur Eccleſia, & cœtus Patrum vt vbertim nos explicuimus in quæſtione de pereuntibus in Diluvio, & de Sanctificatione Ieremiæ, & alibi. Cum ergo primum munus tractatoris Scripturarum, qui ad limam vndique rigoroſam vult eas appendere, ſit mentem Scriptoris, & ſenſum primo litteralem, & germanum excerpere, ſalvos interim relinquendo omnes quotquot Eccleſia, & cœtus Patrum adiunxerit; ideircò optimè componitur, quòd in vi noſtræ diſputationis, & ſola ſcrutatione, & analyſi verborum eius, non detur intelligi in ſenſu primario aliquid de diſceſsione Romani Imperij præcurſura AntiChriſtum; & nihilominus ex cœtu Patrum per alia loca huc advocata, & locupletantia ſenſum, tale quid ſaltem in ſecundo litterali ſenſu etiam ibi veniat intelligendum.

16 Replicabis promptè, & ſubtiliter: ergo incedendo per hanc viam ſolutionis dici poterit quod vnanimis conſenſus Patrum non ita benè aſſequutus eſt germaniorem, & primarium ſenſum litteralem noſtri textus, quam nos, & Authores noſtræ ſententiæ: quod niſi temerè dici non poteſt. Reſpondeo diſtinguo conſequens: quando data opera, & ſtudio omnes illi primum ſenſum litteralem veſtigare, & ſtabilire conantur, neg. conſequent, & ſuppoſitum de tali vnanimi perſcrutatione. Quando vnanimitèr ſolum veniunt, atque conve-

niunt in eliciendo ex textu ſenſum aliquem cohærentem cum alijs locis, & doctrinæ Catholicæ famulantem, non curantes ſpeciatim de ſtrictiſsimo, & primævo ſenſu literali textus, *permitto conſequens* : ſiquidem nihil abſurdi eſt in eo, quod alij Authores aliquid inveniant de re, quam veſtigant; & alij, qui de ea nihil veſtigant, rem tunc non inveniant : ſi autem æquè aliqui Authores ex vna parte, & Patrum cœtus ex alia rem veſtigarent; quis dubitet ſtandum eſſe Patrum ſententiæ? Hæc diximus ſtando liberali conceſsioni aut potius hypotheſi, quam fecimus de eo quod eodem modo quo Patres vnanimiter ſentiunt ruiturum imperium Romanum cùm venerit Anti-Chriſtus; ita etiam vnanimiter procedant ad id ſtabiliendum ex loco Pauli. Quod tamen ſi ad ſuperiora reflectimus falſum eſt : nam multi PP. quos dedimus per diſceſsionem non intelligunt ab Imperio Romano : deinde ſi aliqui ex ipſis ſuper illa verba *tantum qui modo tenet teneat* ; inclinare videntur ad Romanum ſceptrum ; id minimè fit vniverſim firmiter, & vnanimitèr ; ſed fatendo ea verba eſſe obſcura intellectu, *comparativè* etiam ad aliam intelligentiam minus apparentem ac denique *formidoloſe*, *& conjecturaliter*, prout in Auguſtino, & quaſi accomodativè, & relativè ad alia loca Danielis, & Apocalypſis, vt patet in Irenæo, Tertulliano Optato, Victorino, & alijs. Quæ omnia ſic ſum vndelibet perſequutus, vt quoad poſſem pietati, ac reventiæ maximæ erga Patres ſemper conſulerem. Verum ſatis notum eſt, tùm ex Concilio Tridentino, tùm ex celebri pronuntiato Vincentij Lyrinenſij, quod etiam vnanimis conſenſus SS. PP. ſolum in ijs quæſtionibus, quæ ad fidem, & mores pertinent debet legem dare; in alijs verò quæſtiunculis, quæ citra fidei morumque diſcrimen ſolent agitari, poſſunt in partem vtramlibet concertare Doctores.

QUÆS-

JHS.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## TEXTUS
## AD ILLA VERBA.

CVM MICHAEL ARCHANGELVS CVM DIABOLO disputans alte, caretur de corpore Moysis, &c.
*super Epistolæ Iudæ vers. 6.*

### ARTICULUS.

*QVODNAM SIT PRÆLIVM MICHAELIS CVM DIABOLO super corpore Moysis?*

1 SUppono 1. Archangelum Michaelem olim habitum fuisse, vt protectorem, & principem Synagogæ: quare varia loca sunt Veteris Testamenti, in quibus, & attingitur, & supremi huius Archangeli excellentia maxima commendatur. Primus ergo locus habetur Danielis 1. quando initus fuit conflictus Gabrielis Archangeli cum Principe Persarum, de quo nos iam disputavimus, vbi subditur: *Et ecce Michuel vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum, ego remansi ibi iuxta Regem Persarum.* Super quem locum ait D. Gregorius *hæc Grabielis defensio adversus Angelum Persarum ad Michaelem verè pertinebat: quippè qui erat Hebræi populi Præpositus.* Quomodo autem Gabriel, etiam Archangelus, fuerit indigus ope Michaelis ex inde constat: quia licèt Dionysius Areopagita de Cœlesti Monarchia *cap.* 9. videatur collocare Michaelem in infima Hierarchia, quæ claudit Angelos, & Archangelos, & Principatus; nihilominus altius viderur collocandus, & quidem intra ordinem seraphicum, tum ex Danielis 10. & 12. vbi dicitur: *Princeps magnus, & vnus de Principibus primis*: tum quia *Tobiæ* 12. Raphael dicitur *vnus ex septem* qui Apocalypsis 1. Septem Spiritus principales sunt, & ex Clemente Alexandrino *lib. 6. Stromatum: Primogeniti Angelorum principes nuncupantur.* De quorum numero fuisse Grabielem putat Gregorius *Homil* 34. *in Evang.* & D. Bernardus *Homil.* 1. super *Missus est.* Igitur cum Michael non minora præstiterit; relinquitur vt illi tres Seraphim esse videantur: quia nomen Archangeli solum innuit esse *primores Legatos Dei*; cum ex Paulo ad Hebræos 1. *Omnes sint administratorij Spiritus.* Quo circa cum Michael sit supremi Ordinis, & intra eum ordinem quasi ad prælia Dei signatus, tùm ex nomine tùm ex certamine cum Dracone; potuit quàmoptimè venire Michael in adiutorium Gabrielis, causam non nisi

ex

ex iuſſu Domini peragentis. Verumtamen ſi quis malit propter nomen *Archangelus*; propter Dionyſium Areopagitam totius ordinis Angelici cognitorem; propter communem Theologorum ipſi inhærentem, ſuſtinere Michaelem duntaxat Archangelum; pergat vt malit, & de hic appoſitis problema conficiat.

2 Suppono 2. Præter plures apparitiones etiam priſcas, quas huc oportune congerit Viegas *Apocalyp.* 12. *Comment.* 1. *ſect.* 17. duplicem locum inſuper dari, in quo Michael myſterioſa prælia traditur peregiſſe: alterum videlicet *Daniel* 12. vbi dicitur: *In tempore illo conſurget Michael Princeps Magnus, qui ſtat pro filijs populi tui.* Alter verò *Apocalyp.* 12. vbi dicitur: *Et factum eſt prelium magnum in Bœlo Micahel, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius.* De quo quidem loco ſpeciatim poſtea diſſeram: magis tamen ille alludit ad prælium quod hic cum diabolo geſiſſe narratur. Fuit ergo Michael, quaſi antonomaſticè dux belli, & Imperator exercituum Dei. Ex quo quidem munere imprimis dimicavit ab exordio mundi cum lucifero Angelo ſuperbiente: de quo, non ſupremum totius ordinis Angelici fuiſſe, videtur tenere Auguſtinus 3. *de Geneſ.* ad litteram 10. & 11. 19. cum Damaſceno *lib.* 2. *de Fide cap.* 4. contra communiorem ſententiam Tertulliani, Origenis, Hieronymi, Gregorij, Iſidori, Bernardi, D. Thomæ, & Mag. ſententiarum. Qui Lucifer poſtea vocatus eſt *Cherub. Ezechiel* 28. Quia ſeraphicam charitatem amiſit, & inflatus ſcientia remanſit. Deinde hic idem Michael in hoc noſtro textu refertur cum diabolo diſputaſſe ſuper corpore Moyſis. Quænam verò de eo inter vtrumque veterrimum certatorem diſputatio eſſe poſsit? non omnino inclareſcit: cumque aliunde res videatur curioſitate digna, & momento; ſufficientem inducit dubitandi rationem.

3 His poſitis in re perobſcura duplicem poſſumus partiri ſententiam, quarum 1. ſuſtinet Michaelem propterea cum diabolo diſceptaſſe; quod ille videlicet ſatageret, viro tanto cum deferri honorem funeris, qui par erat; diabolus verò è contra obniteretur, quatenus propter necem Ægyptij illatam à Moyſe, eo honore dignum non eſſe pronuntiaret. Hanc ſententiam tenent aliqui quos ſuppreſſo nomine citat P. Benedictus Iuſtinianus; ſed expreſſe eam tuetur Oecumenius apud eundem. 2. Verò ſententia aſſerit è contra potius diabolum inſtitiſſe, vt corpus Moyſis valdè ſolemniter reponeretur, vt occaſionem haberent Iudæi, Gentiles imitari, ad idolatrandum; Michaelem verò potius ſatagere vt arcano Dei iuſſu Moyſis corpus, & ſepulchrum nullibi compararet. Quam ſententiam ab alijs ſuppreſſo nomine defenſatam complectitur Benedictus Iuſtinianus in hunc locum *verſ.* 9. Igitur cum hac ſecunda ſententia ſit noſtra codcluſio aſſerens, *diſputationem inter vtrumque inde ortam eſſe, quòd Michael corpus Moyſis arcana Dei diſpoſitione ſepelire voluiſſet; è contra verò diabolus id corpus tam celebre voluiſſet ſuæ notitiæ ſuoque vſui non ſubtrahi.* Probatur hæc concluſio in hunc modum. Plura ſunt, quæ hanc aſſertionem veriſimillimam faciunt, & nihil eſt contra. Ergo tenenda eſt. Secunda pars antecedentis conſtabit ex ſolutione argumentorum. Probo igitur primam primò. Nam veriſimile eſt ex parte Dei. Quia *Deuteronom.* 34. mortuus eſt Moyſes ſpecialibus circunſtantijs ſub quibus videbatur Deum velle mori Moyſem; & neque mortuum, neque aliàs moriturum apparere: ſiquidem ibi refertur, tùm quod mortuus fuerit quando membris, & viribus erat integer; tùm quod præcepto Domini indiguerit ad morienduin, ibi: *Mortuus eſt Moyſes iubente Domino.* Tùm ſepulchrum

chrum eius fuiſſe ab hominibus hactenus ignoratum, vt ibidem dicitur. Secundò. Eſt veriſimile reſpectu Archangeli. Quia hic erat ſpecialis dux, & protector totius Synagogæ. Sed totus honor, & cura ſepulchri Primi legislatoris Synagogæ pertinet ad ſupremum Angelum protectorem ipſius: ergo hic debebat ſpeciatim in ſe ſuſcipere corpus Moyſis ad iuſſa Domini deportandum. Min. patet, quia ideo Pater Æternus protector corporis Filij ſui diſpoſuit ei ſepulchrum glorioſum, & Sanctum ſuum non videre corruptionem. Tertiò. Eſt veriſimile ex parte dœmonis. Nam multum intererat diaboli, poſſe abuti corpore Moyſis: ſive illud, quoquò vellet, cum deportando, & præſtigijs adhibitis, rara operando, quibus ſub hac larva adorandum ſe mentiretur; vel potius econtra ita cum eo indigna patrando, vt de ignominia Legislatoris conaretur infirmare legem Domini ſcriptam. Quartò. Ex parte ipſius rei, & populi Iudaici: quia hic erat pronus ad idolatriam: cumque Moyſes vivus ſuo ſermone inculcaret, nullam creaturam, ſed ſolum Deum adorari debere; oportebat mortuum ipſis non proſpectari; alioqui vehemens amor ipſius, & lingua eius iam obmutescens idolatriæ faciſſent eos obnoxios. Confirmatur. Corpora Sanctorum in lege gratiæ ſpecialem Dei curam manifeſtant in incorruptione, & alijs ſignis: ergo tale corpus tam primi hominis tunc in mundo, & familiariſsimi amici Dei ad eam curam ſpeciatim ſpectabat vt ſuo adverſario nullatenus ſubiaceret; ſed Principi ſuæ militiæ commendaretur. Atqui ad id magis oporteret, vel potius oportuit Moyſem ſecretiſsime tumulari: ergo, &c. Minor patet ex Ioſepho *lib.* 4. *Antiq.* ibi: *Deus ipſe in prælta quadam valle Moyſis corpus humari voluit.* Ergo, &c.

4 Obijcies 1. Verba Oecumenij ſic loquentis: *Michael Angelus Moyſis ſepulturæ præfuiſſe dicitur, cumque diabolus id non pateretur; ſed crimen inferret, quod Ægyptium interfeciſſet, quaſi ob id ad ſe pertineret Moyſes, ac propterea honorata ſepultura eum affici non permitteret, & reſpondiſſet, &c.* Ex quo ſic. Hæc altercatio hic ab Authore gravi, & ex traditione dicitur fuiſſe ſuper Ægypti morte. Atqui aliunde alia expreſſa cauſa non conſtat: ergo ei ſtandum eſt. Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Ex traditione *authentica, & firmu*, neg. mai. *infirma, & Rabbinica*, tranſeat maior, & permiſſa minori, nego conſequentiam. Nam licet Oecumenius ſit gravis Interpres; nihilominus in his Iudæorum antiquitatibus ſolitum credi poterat ei cum alijs, vbi Sacra pagina nihil habebat; cooptare ex Rabbinis ea, quæ alioqui falſa eſſe non apparebat. Quare longe vetuſtior, & firmior habenda eſt ſententia Ioſephi ſupra pronuntiantis ſecretam Moyſis ſepulturam, & nihil de tali cauſa altercationis loquentis. Valet ergo multo magis veriſimilitudo quævis ex ſacro fonte diducta, quam plura expreſſa quæ tamen de turbida Rabbinorum Scaturigine manare potuiſſent.

5 Obijcies 2. Altercatio inter duos, quæ conſtat fuiſſe de re aliqua, aptius exponitur, cum vtrinque titulus datur, vt eam alteruter referre poſsit in ſua. Sed ita procedit ſententia, cauſans pro diabolo necem Ægyptij; pro Michaele vero notam Synagogæ protectionem; ſecus vero noſtra ſententia, quæ tota abit in coniecturas: ergo hæc ſuſtineri non valet. Maior patet: quia altercatio de re aliqua fit, quatenus alteruter clamat ad ſe pertinere. Ad hoc argumentum diſtinguo maiorem titulus ſolide fundatus, concedo maiorem apocryphus, nego mai. & diſtincta reſpectivè minori, neg. conſequentiam. Itaque ad eundem lapidem trahitur hæc obiectio cum prima. Verum enim eſt quod veroſimilius narratur certamen

quando vtrinque cauſa, & motivum, vnde ortum eſt, aperitur: ſi nimirum fida relatione conſtet; ſecus verò ſi vaga, & inconſtanti tota res fama verſetur: tunc enim cordati erit hominis plus aliunde indicia appendere; quam enuntiationes expreſſas, vndeliber abſque fide plena comparatas.

6 Obijcies 3. Si traditio allata ab Oecumenio apocrypha eſt; apocrhypha quoque erit talis pugna. Sed hoc dici nequit: ergo neque dicere oportet primum. Probatur maior. Si aliquid referens talem pugnam eſt apocriphum; & verba Oecumenij non ſunt declarata, vt talia; potiùs haberi debebit, vt apocrypha hæc pugna, quam narratio Oecumenij. Sed primum conſtat, ex Origene *lib. 3. Periarchon, cap. 2.* vbi ait hanc pugnam de corpore Moyſi eſſe in libro, cui titulus eſt *Aſcenſio Moyſis*, & ex Gelaſio hunc librum apocryphum decernente. Et quoad ſecundum verba Oecumenij non ſunt apocrypha. Ergo, &c. Confirmatur. Quia Paulus ſententias Arati, Menandri Gentilium vſurpat. Ergo licet talis pugna eſſet apocrypha; citari ibi poſſet, & multo magis declarari poſteà ex Authore non apocrypho, vt Oecumenio. Ad hoc argumentum reſpondeo negando maiorem, ad cuius probationem, diſtinguo maiorem, dum ea non refertur in Sacra pagina, conc. mai. dum in ea refertur, nego ſuppoſitum, & permiſſa minori, neg. conſeq. Itaque permitto librum *Aſcenſionis Moyſis* apocryphum eſſe; ſed tamen hiſtoria illa non inde deducta creditur; ſed ſemper cum Hieronymo apud Iuſtinianum hic defenditur, quod aliud eſt, vnam vel alteram ſententiam ex aliquo Authore proferre; aliud ex narratione, & hiſtoria argumentum ducere: qui enim de ea ſic ducit, de ea nihil dubitat. Vnde talis pugnæ fides maneat illæſa; de cauſa verò hic diſputatur: nos argumenta noſtra putamus eſſe benè deducta; & verba Oecumenij ex ſua ſola narratione apochypha ſatis eſſe; cum nullibi ſolidum fundamentum parent. Quare talis pugna ſemel aſſertivè, & per modum exempli inducta ad deducendam inde doctrinam, non poteſt in Sacra pagina non eſſe Canonica, & infallibili authoritate donata conſequenter ad talem cooptationem.

7 Vbi illico notandum venit, quod dupliciter conſiderari poteſt aliquid è rebus non Canonicis cooptari, inſerique in libros Canonicos, ſcilicet, vel quoad rem aſſertam, vel quoad aſſertionem, prout hæc vel illa eſt quæ ad tunc oportunam doctrinam ſtabiliendam conducit. Quando enim D. Paulus dicit citando Poetas Gentiles, *ipſius enim, & Genus ſumus*; tunc cooptat rem aſſertam, vtpote quam reſumit dicens: *Genus ergo cum ſimus Dei, &c.* Et cum ad Titum 1. citat Cretenſes appellari *mendaces, ventres pingues, &c.* ſubdens: *Teſtimonium hoc verum eſt.* Dum verò Luc. 17. dicitur: *Venient dies, quando deſideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: ecce hic, & ecce illic.* Tunc ſolum eſt Canonica aſſertio, id eſt, aliquos dicturos eſſe *ecce hic: ecce illic*, non verò res aſſerta Quando vero res ipſa aſſerta eſt, quę cooptatur; ea, licet antea certa non eſſet; tamen vt ſic cooptata, & firmata, nequit non eſſe vera. Atque cum rem eſſe apocrypham nil aliud ſit, quam nulla authoritate, & firmitate gaudere: quoties aliquid ſumitur à Sacro Scriptore de Scripto apocrypho in Canonicum; ſtatim infallibili authoritate donatur. Et ex his patet ad confirmationem: in qua diſtincto antecedenti iuxta has doctrinas, diſtinguo conſequens declarari ex Authore non apocrypho tàm *in ſe*, quàm in origine, conc. non apocrypho præciſe in ſe; apocrypho autem *in origine*, vnde ſumpſit, neg. conſeq. Itaque cum nulla alia origo appareat, vnde Oecumenius ſumpſerit talem hiſtoriam de obiectione dia-

diaboli facta de nece Ægyptij, quam de turbidis traditionibus Rabbinorum; fide digna non eſt; vel ad ſummum eſſet probabilis, quod nobis non obſtat. Replicabis. Ergo altercatio Michaelis cum diabolo quoque erit ſolum probabilis. Quia interdum Sacri Scriptores, vt tradit Montefrigido, & alij vſurpant argumenta merè probabilia. Reſpondeo negando aſſumptum. Quia in hoc loco non videtur id debere concedi; ſed cum ſit de re, tam myſterioſa, tam aſſerta, imò & tam per ſuppoſitionem præfundata ſatius eſt eam dicere, vel de revelatione, vel de inſpiratione infallibili proceſiſſe.

***

(** ** ** ** ** JHS. ** ** ** ** **)

# QUÆSTIO OCTAVA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ET CVM APERVISSET SIGILLVM SEPTIMVM, FACTVM eſt ſilentium in Cœlo quaſi dimidia hora. *Apocalypſis* 8.

### ARTICULUS.

*AN SEPTIMVM SIGILLVM CONSISTAT IN HOC SILENTIO duntaxat, an etiam in plagis poſtea ſubſequutis?*

1 SUppono 1. Quod poſtquam apertum eſt ſigillum ſeptimum, & refertur ſilentium ſupradictum, ſtatim Ioannes enarrat, ſe vidiſſe ſeptem Angelos, quorum cuilibet data fuit tuba, qua caneret in ruinam, excidiumque impiorum. Itaque ſtatim ac primus cecinit factus fuit grando, & ignis talis ac tantus, qui tertiam partem terræ conſumeret: dum ſecundus canit, mons quidam ignis tertiam partem maris abſorbet, ibique piſces enecat, & naves amburit: rurſuſque canente tertio, cecidit ſtella quædam in flumina, eorumque aquas quoad tertiam partem amaricavit. Cecinit poſtea quartus, & tertia pars ſolis, Lunæ, & Stellarum obſcurata eſt; perſonuit deinde quinta tuba, & Stella cecidit quæ aperiens puteum abyſsi, inde elicuit funeſta, & myſterioſa agmina locuſtarum, quæ homines diſcruciarent. Sexta verò tuba canente, deligati ſunt quatuor Angeli in Euphrate, exercitumque terribilem colligentes, tertiam partem hominum perdunt. Poſtremò ſeptima tuba reſonuit, qua reprobis nulla exitialior, licet fuerit ad manifeſtandum regnum Chriſti in ſæcula ſæculorum.

2 Suppono 2. Rationem dubitan-

tandi in hac quæſtione naſci ex iuxta poſitione verborum ſimul cum gravi multiplicitate interpretationum, ac ſententiarum. Nam cum ſtatim ab apertione cuiuslibet ex ſigillis id, quod ſtatim reponitur, habeatur quaſi directè pertinens ad ſigillum; conſequi etiam videtur, vt in hoc loco ſilentium factum in cœlo, quaſi dimidia hora pertineat ad ſigillum ſeptimum, cuius apertioni illicò continuatur: præſertim cum graves DD. multa inibi arcana ſignificata adinveniant, vti Primaſius, & Victorinus intelligunt illud ſilentium pro initio quietis æternæ. Haimo, & Ansbertus pro brevibus morulis quietis contemplativæ; Lyra, & Aureolus pro ſilentio impoſito Chriſtianis à Iuliano Apoſtata; Rupertus pro ſilentio ſtuporis in iudicio Dei. Alcazar pro patientia Chriſtiana, &c. Sed cum alia ex parte videatur, ea, quæ de vnoquoque ſigillo protrudebantur, fore res, verba, & actiones terrificas, veluti quæ per ſubſequutas tubas perſonuerunt; congruentius apparet, credere myſterium ſigilli potius in ſeptem Angelis ſubſequutis, quam in ſolo ſilentio conſtitiſſe.

3 His poſitis duplex apparet in hoc puncto eſſe oppoſita ſententia. Altera videlicet aſſerens ſeptimum ſigillum myſterioſum in hoc ſolo ſilentio conſiſtere, pro qua ſtare ſanè videntur multi, & graves DD. vt ſunt V. Beda, Ioachimus Abbas, Aureolus, Cœlius Pannonius, Benedictus Pererius, qui citat pro eadem ſententia Primaſium, Tichonium, Victorinum, Anſelmum, & Richardum. Secunda vero ſententia per oppoſitum aſſerit, ſeptem plagas tubarum ſubſequutas clarè, & propriè pertinere ad ſeptimum ſigillum, quaſi ſubſtantiam in eo contentam; ſilentium verò eſſe quaſi circumſtantiam talis ſigilli. Hanc tenet Andræas Cæſarienſis, Aretas, Franciſcus Ribera, Blaſius Viegas, Benedictus Arias Montanus, Ludovicus Alcazar omnes in Apocalypſim, & alij, &c.

4 Sit noſtra concluſio cum ſecunda ſententia ſcilicèt, *tale ſeptimum ſigillum fuiſſe quoad ſubſtantiam ſeptem illas plagas ibidem expoſitas; ſilentium verò circumſtantiam talis ſigilli.* Probatur concluſio primò. Nam expoſitio ſeptimi ſigilli facienda eſt conformiter, & correlativè ad ſextum ſigillum ſi inter vtrumque datur proportionata connexio. Sed ſi tale ſigillum ſeptimum exponitur de ſeptem Angelis cum tubis, exponitur conformiter, & relativè ad ſigillum ſextum: ergo, &c. Probatur min. Sigillum ſextum claudebat ſignaculum imprimendum fronti iuſtorum, vt in capitibus præcedentibus conſtat. Sed ad id maximè conforme, & correlativum eſt, ſupplicium ſequuturum impiorum cum creaturis Dei, quibus abuſi ſunt, vt in ſeptem Angelis poſtea ſubſequitur: ergo, &c. Minor patet: quia ideo congruum erat iuſtorum ſignaturam præceſſiſſe; ne Angeli vindictæ eos læderent, ſicuti vaſtator Angelus Ægyptiorum ſignatas Hebræorum domos tranſilibat.

5 Probatur 2. concluſio, & nova, ac ſolida interpretatione donatur illud ſilentium ſic. Tale ſilentium in hoc capite præpoſitum relativè ad emiſsionem ſeptem Angelorum cum tubis eſt litteraliſsima expoſitio, & traditio temporis illius, quod duravit viſio apertionis ſigilli eos ſeptem Angelos detegentis: ergo ſilentium ſolum fuit circumſtantia. Probo antecedens. Congruentiſsimum eſt à ratione, & ex textu; quod in apertione huius ſigilli ſpeciatim aliquod ſilentium Cœli præmitteretur in narratione pro apertione ſigilli benè noſcenda: ergo, &c. Probo antec. quoad primam partem; poſtea probaturus quoad ſecundam. Nam ipſa ratio dictat quod, quoties aliquid attentione digniſsimum perſonandum eſt, ſilentium fiat prius, vt res clara circumſonet.

net. Sed tota apertio ſigilli, vel ſeptem Angeli mox ſequuturi tubis ſuis habebant clangere ſuper vniverſum: ergo ratio ipſa poſtulabat prævium ſilentium fieri. Probo ſecundam partem, corroborando primam. Nam textus Apocalypſis totus eſt in antecedentibus in deſcribendo Cœlum vndique perſtrepens vocibus animalium, & ſenìorum, vocibus cytharædorum, fragoreque fulgurum, & tonitruum. Sed his in antecedentibus prænarraris, oportebat, & fieri, & dici ſilentium pro audiendis ſingulis tubarum clangoribus poſt ſequutis: ergo, &c. Itaque intelligentia, & explicatio eſt, Ioannem dicere. Cœlum antèà tam vario, & prodigioſo murmure reſonans, pauliſper quaſi ad dimidiam horam ſibiſſe viſum eſt, quandiu videlicet ſeptimum ſigillum referabatur ſeptemplici tubarum crepitu detegendum. Confirmatur primò. Quia talis ſilentij myſterium aptius eſſet pro clauſura ſervanda ſigilli, quam pro apertione, ſi nimirum ſolitàriè ſine alia re de ſigillo prodeunte, proponeretur. Secundò. Quia tam continuata ſubiunctio ſeptem Angelorum cum tubis ad apertionem factam ſigilli, nullo alio, præter ſilentium, interpoſito, præſeferet eos Angelos eſſe eiuſdem ſigilli myſterium. Tertiò. Quia in reliquis ſigillis non aliquid pure negativum, ſed multa operoſa, rara, & harmonioſa portendebantur. Atqui iuxta hoc ſeptimum quoque inveniuntur ſimilia reliquis in tali emiſsione ſeptem Angelorum: ergo hi ſub eo ſigillo claudebantur.

6 Obijcies 1. Si tale ſilentium præciſe ſic narrativè ſumendum eſſet; nihil in eo myſterij reluceret. Sed communis PP. expoſitio inibi myſterium agnoſcit: ergo noſtra expoſitio recta non eſt. Minor conſtat ex notabilius, vbi plures dedimus, qui licet per diverſas vias illud tradant; tamen omnes aliquod myſterium ibi ſignificatum agnoſcunt. Ad hoc argumentum reſpondeo 1. Diſting. mai. *In eo præciſe litteraliter ſumpto*, permitto mai. *tàm litteraliter, quàm allegoricè ſumpto*, nego mai. & diſtinct. min. *præcisè litteraliter* neg. min. *inibi litteraliter, vel allegoricè*, ſubdiſt. *vnanimiter* neg. minorem; *valde diſcrepanter*, conced. min. & nego conſequent. Quia non eſt neceſſe, quod in omnibus libris etiam ænigmaticis, & propheticis cuncta verbula, etiam quæ narrationi deſerviunt, ſint gravidata myſterijs, & multo minus illa, quæ ſunt quaſi præambula, & indicativa temporis, loci, aut perſonæ, quæ poſſunt conducere ad viſionis ænigmatiſque intelligentiam: atque ita ſe habent illa verba: *Factum eſt ſilentium in Cœlo quaſi dimidia hora*: in quibus duratio illius viſionis exponitur. Neque quod PP. & Expoſitores inde eliciant allegoricos ſenſus, poteſt convincere: tùm quia vt ſupra conſtitit id non faciunt vnanimiter; ſed valde diſcrepanter: tùm quia nullibi Scripturarum impedit; ſed potius promovet quasliber allegorias, præſtabilire prius ſenſum literalem. Reſpondeo 2. Negando maiorem: quia ſilentium Cœli, quod non niſi metaphoricè ſilentium eſt, ſumi poteſt pro ingenti ſtupore de rebus tam prodigioſis. Vnde ait Cornelius in hunc locum. Silentium ergo hoc fuit periſtaſis ſive circumſtantia prævia, aut potius comitans tubas, & plagas: atque ſignificat (ecce ſenſum myſticum) tacitam expectationem, & conſiderationem tubarum, & plagarum, quaſi rerum magnarum, inſolitarum, ac ſtupendarum indeque conſequentem admirationem, & ad ſilentium vſque, ſtuporem Cœlitum, ſtupentium, nimirum, & admirantium, tùm gloriam Sanctorum ſignatorum viſam ſexto ſigillo, tùm pœnas impiorum ſeptimo ſigillo contentas.

7 Obijcies 2. ex Pererio in Apocalyp. *lib.* 8. *diſput.* 3. In omnibus alijs ſigillis myſterium apertionis cu-

iuslibet eorum in eo positum esse cernimus, quod post apertionem illius sigilli immediate vel dictum, vel ostensum est B. Ioanni. Sed in apertione sigilli septimi, quod immediatè ostensum est B. Ioanni, fuit silentium factum in Cœlo: ergo mysterium septimi sigilli in eo silentio consistebat. Maior patet in cæteris sigillis, v. gr. in primo, ibi. *Cum aperuisset vnum de septem sigillis: audivi vnum de quatuor animalibus dicens: veni, & vide; & vidi, &c.* Item cum aperuisset sigillum quintum, *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Item, ibi: *Cum aperuisset sigillum sextum ecce terremotus magnus factus est.* Et similiter de reliquis, vbi censentur mysteria vniuscuiusque sigilli ea, quæ statim ad apertioue accidisse dicuntur. Ergo, &c. An hoc argum. distint. maior. tanquam res, casus, vel mysterium, conced. mai. tanquam pura circumstantia præambula, & oportuna, nego mai. & concessa minor. vel distincta respectivè, nego consequentiam. Neque reapse puto hoc argumentum validum esse: statim enim concedimus, quod ea, quæ sequuntur ad apertionem sigilli immediatè quidem, tanquam res mysterioſa ibi prius occulta, hæc habenda sit pro mysterio; secus verò circumstantia vlla temporis, loci, aut personæ licet immediatiùs prænarrata ad melius visionem intelligendam: cumque ea omnia, quæ statim post aperta reliqua sigilla subijciuntur sint planè res, casusque mysterioſi; nihil mirum, quod ea sint, quæ in vnoquoque eorum præcontenta censentur: secùs verò in nostro casu, vbi ante ipsam rem visam oportunè præmittitur silentium relatum, vel tanquam circumstantia; vel si malis tanquam pars minus principalis illius visionis, vt dispositio prævia cæterorum.

8 Obijcies 3. ex eodem aliquod mysterium adfuit in sigillo septimo. Sed non in Angelis cum tubis, & phialis postmodùm subsequutis: ergo præcisè in eo silentio. Probatur minor. Plagæ illæ ibi per septenos, & septenos Angelos renuntiatæ ibi sunt per recapitulationem appositæ, & ad anteriora ad tale sigillum referuntur: ergo non potuerunt esse mysterium talis sigilli. Antecedens probatur: tùm quia ea omnino coincidunt, & congruunt cum ijs plagis, quæ in apertione sexti sigilli interminatæ sunt super improbos: tùm quia ita sentiunt Victorinus, Tichonius, Primasius, Beda, Haimo, Anselmus, Rupertus, Richardus, Thomas Anglus, Dionysius Carthusianus, cum Pererio, &c. Ad hoc argumentum respondeo ex docto Ribera, itemque ex regulis ipsius Pererij aientis, *disputat. 9. in Apocalyps.* ibi: Quinta „regula est illud quoque in hac pro„phetia Ioannis curiosè obseruatè„que animaduertendum est, easdem „res per plures, & diuersas visio„nes præfigurari. Id vero duabus ex „causis esse factum existimare con„uenit. Talis enim frequentatio vi„sionum ad idem significandum fac„ta valet ad maiorem rei confirma„tionem, & persuasionem, quemad„modum cernere licet in gemina „illa visione quæ facta est Pharaoni „spicatum, & boum: per vtramque „enim visionem idem significari, in„terpretatus est B. Ioseph scilicèt „Ægypti sterilitatem atque vberta„tem. Est altera quoque eius rei „causa huiusmodi: sæpè vna, & ea„dem res diuersas habet proprieta„tes, & rationes præcipuè obser„uandas, & varias circumstantias „memorabiles: & quia hæc omnia „vna duntaxat visione commode sig„nificari non poterant, ea per mul„tas, & varias significantur visiones. Hactenus Pererius. Ex quo ad agumentum respondeo negando minorem, & antecedens probationes, ad cuius vlteriores probationis binas, dico ex superiori doctrina ad primam,

mam, quòd, licet idem argumentum gratis permittamus esse vtrobique in vtroque sigillo in ordine ad terrificè delineandam impiorum perditionem; nihil obstat quod idem argumentum in vtraque visione repetatur, præsertim cum sit historicè aut propheticè comminatorium ad impios; & sæpè ex Dei amore minæ ad improbos repetantur. Ad secundam probationem de Authoribus eam recapitulationem inducentibus, satis sit reponere cum nostris Assertis verba perdocti Riberæ sic aientis. *Quare nescio cur Beda, & Rupertus, & quidam ex iunioribus librum, & visionem finiant in hoc silentio, quod factum est in Cœlo quasi media hora; quasi iterum quæ hactenus dicta sunt, repetat, ab initio verborum sequentium. Et vidi septem Angelos, &c. multo melius fecerunt qui caput ab apertione sigilli incipi voluerunt, vt in omnibus Codicibus latinis habemus: quoniam quod de septem Angelis, & septem tubis subijcitur, id septimo sigillo continebatur, & eo aperto visum est.*

9 Ad calcem obserua primò per tale silentium non significari prout nonnulli volunt illos quadraginta, & quinque dies, qui attenta prophetia Daniel. 12. *Beatus qui expectat ad dies mille, & trecentos, & triginta quinque* supersse videntur vltra triennium cum dimidio, quo regnaturus est Anti-Christus: sed potius placent verba Hieronymi in eo quod illos quadraginta quinque dies soli diuinæ scientiæ reservat; quam Pererius qui ad se trahit Hieronymum ex eo duntaxat quod ibi *silentium* nominat, alludens ad interfectionem Anti-Christi, quæ præcessit, & cuius blasphemia siluit. Si enim Hieronymus ad sigillum septimum voluisset alludere; saltem aliquod verbum de eo non recusasset. Obserua secundò. Circa significationes allegoricas ab Authoribus inde petitas, quod si aliqua tibi obijcitur, quæ sensum à te traditum seruet incolumem, poterit vltro admitti, secus verò si eiusmodi sit quæ talem sensum evertere videatur: sunt enim, vt vidimus Authores in hac re satis diuisi.

JHS.

# QUÆSTIO NONA.

## TEXTUS

## AD ILLA VERBA.

ET DABO DVOBVS TESTIBVS MEIS, ET PROPHETABUNT. *Apocalyp.* 11.

### ARTICULUS.

*VTRVM HI DVO TESTES SINT ELIAS, ET ENOCH IN FINE mundi venturi?*

1 Suppono 1. Enoch ab initio à Domino translatum fuisse, vt constat *Genes.* 5. vbi dicitur: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quæ quidem translatio longè plus inclarescit ex alijs locis, vt Sapient. 4. vers. 10. ibi: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est: raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Ecclesiast. 44. vers. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Et ex Paulo ad Hebr. 11. vers. 5. *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem.* Præter quæ testimonia satis expressa suffragantur non solum graviores Hebræi, vt Philo, Iosephus, Onchelos, & vtrumque Thargum Babilonicum, & Hierosolymitanum; sed cætus Patrum etiam, quos congerit eruditus Maluenda *lib.* 9. vbi cordatè exarmat, tùm nonnullos Rabbinos non ignobiles, nempe Abenezra, & Rabbi Salomon opinantes Enoch mortuum fuisse, & quorum placitum non omnino displicuit Augustino Steucho, Vatablo, & Marino; immerito tamen: tùm Procopium Gazæum, à quo non longe abest Oleaster, sentientem Enoch primò improbum fuisse; postea vero de commissis oportune resipiscentem. Cum ergo ex saniori placito tam concordi reservatus sit Enoch, & quidem vt det gentibus pœnitentiam; inquirimus an futurus ille sit alter de duobus testibus supra tactis?

2 Suppono 2. Eliam quoque adhuc esse superstitem, licet nonnulli Genuenses aliter opinati sint, Anti-Christi tempore suscitandum, vt prædicet. Nam expressus est textus 4. Reg. 2. vers. 11. asserens sic. *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in Cœlum.* Et Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.* Item Mathæus 17. *Elias quidem venturus est, &c.* Sed tamen duos hos textus oportunius dabi-

dabimus in probatione concluſionem. Nunc autem duntaxat præmittimus de Elia ſicut de Enoch, vtrumque eſſe ſuperſtitem, & numquam obijſſe. Cuius quidem rei eſt traditio pervetuſta de primis Patribus orta, & ad reliquos ſine variatione traducta. Itaque S. Clemens Romanus diſcipulus S. Petri *lib.* 5. *conſtitut. cap.* 8. ait: *Si voluiſſet Deus homines immortales manere, quod facere potuit oſtendit in* Enoch, *&* Elia, *quos mortem experiri non permiſit.* Ex Iuſtino *quæſt.* 85. *ad Ortodoxos*, ibi: *Enoch, & Elias nondum obierunt, ſed manent in immortalitate in paradyſo expectantes æternam vitam.* Tertulliano lib. de Anima cap. 50. *Translatus eſt* Enoch, *&* Elias *nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Caterum morituri reſervantur vt Anti-Chriſtum ſuo ſanguine extinguant.* Et præter Cyprianum, Irenæum, & Epiphanium idem tenent omnes Doctores Eccleſiæ ſcilicèt Græci Athanaſius de recipienda Synodo Nicæna. Baſilius *Homil.* 11. in Exameron, Nacianzenus *orat.* 2. *de de Theolog.* S. Chryſoſtom. *Homil.* 21. *in Geneſ.* & 22. *ad Hebr.* De Latinis verò Hieronymus *Epiſt.* 61. Ambroſius in Exameron, Auguſtinus *lib.* 2. *de Peccat. Originali cap.* 23. & 9. *de Geneſi ad litteram cap.* 6. Gregorius *lib.* 9. *in Iob cap.* 4. Cum ergo ex perpetua, & vniverſali traditione, atque vnanimi conſenſu Patrum conſtet ambo adhuc eſſe ſuperſtites; inquiritur nunc: *An ex vi textus, qui in fine mundi binos teſtes futuros eſſe prædicit; hi ſoli ſint tempore AntiChriſti venturi ad prædicandum?*

3 His poſitis non deſinunt eſſe circa hanc prædicationem poſtremam tempore AntiChriſti præſtandam opiniones diverſæ atque ſententiæ, quarum prima eſt Ieremiam necdum mortuum fuiſſe, & in fine mundi venturum eſſe Prophetam in Gentibus. Quam ſententiam commemoravit Hilarius *Canon* 20. in Mathæum, & eam ſequitur Ioſephus Gorionides *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 17. & S. Victorinus Martyr *in Apocalyp.* Secunda ſententia tenet Moyſem necdum mortuum; proindeque in fine mundi venturum defendit propter illa verba, quæ in noſtro capite recitantur: *Et poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* Hanc ſententiam videtur amplecti Hilarius *Canon.* 20. in Math. Iſidorus Clarius 4. *in Zachar.* Ambroſius Catherinus *in cap.* 3. *Geneſ.* Ioannes Arboreus *lib.* 11. *Theoſophiæ cap.* 11. Gagneius *in Apocalyp.* 11. Janſenius *Matth.* 17. & ibidem Ioannes Maldonatus, qui loquens de transfiguratione Domini reſolutiſsimè ſtat pro hac ſententia. Et nos etiam ibi idem permiſsivè tetigimus. Tertia ſententia opinatur D. Ioannem Evangeliſtam eſſe ſuperſtitem, & in fine mundi venturum. Ita Hyppolitus Martyr *Orat. de Conſumat. mundi* S. Ambroſius *in cap. Lucæ*, Andræas Cæſarienſis, & Arethas, & Ioannes Dominici Cardinalis apud S. Antonium 4. *part. tit.* 13. *cap.* 4. §. 3. Abbas Ioachim *Apocalyp.* 10. Freculphus in Chronico *tom.* 2. *lib.* 2. *cap* 9. Sabellicus *lib.* 1. *de Dictis, & factis memorabilibus cap.* 8. Georgius Trapezuntius ſuper illa verba: *Sic eum volo manere*, Catherinus *in* 2. *Geneſ.* Vielmius *de Opere ſex dierum lect.* 20. Pineda *in Eccleſiaſtica Monarchia lib.* 10. *cap.* & alij quos retulimus in ſpeciali quæſtione, quam de hac re dedimus hoc opere noſtro. Quarta ſententia aſſerit ex vi huius textus, quem ad præſens diſcutimus, venturos eſſe in fine mundi Enoch, & Eliam ad prædicandum tempore AntiChriſti. Ita Tertullianus *de Anima cap.* 50. S. Ephren Syrus *Serm. de AntiChriſto.* Ambroſius 1. *ad Corinth.* 4. Hieronymus *Epiſt.* 148. Auguſtinus *lib.* 9. *de Geneſ. ad litteram cop.* 6. S. Proſper *in dimidio temporis cap.* 13. S. Gregorius Papa in Iob. *lib.* 9. *cap.* 4. Damaſcenus *de Fide Orthodoxa lib.* 4. *cap.* 27. Ansber-

tus *Apocalyp.* 11. Alcuinus *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 19. Atque Strabus, Haimo, Rupertus, Anſelmus, & D Thomas *in cap.* 11. *Apocalyp.*

4 Sit noſtra concluſio : *Attento hoc textu in capite propoſito, ſolus Elias, & Enoch venturi ſunt in fine mundi ad prædicandum contra AntiChriſtum.* Probatur 1. concluſio ex Scriptura in hunc modum. Illi duo teſtes, ac duæ Olivæ, & duo candelabra intelligendi ſunt in hoc textu, qui multis locis ante diſignati ſunt in Sacra pagina, atque ad id ſuperſtites reſervati. Sed huiuſmodi dumtaxat ſunt Enoch, & Elias: ergo ſoli ipſi ſunt in eo loco intelligendi. Mai. ſatis clara eſt. Min. quoad ſecundam partem ex notabilibus conſtat, & ſimul ex textibus dandis in probatione prioris partis, quam ſic probo prius de Enoch ex illo textu Eccleſiaſtici 44. *verſ.* 16. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradyſum, vt det Gentibus pœnitentiam* : ex quo ſic. Enoch hactenus non dedit gentibus pœnitentiam, quam vt daret, ſervatur adhuc vivus. Sed in fine mundi contra AntiChriſtum ex hoc textu duo venturi ſunt prædicatores, & teſtes, qui dent gentibus pœnitentiam: ergo Enoch futurus eſt alter eorum. Maior conſtat ex notabilibus, & min. ex præſenti textu diſputationis. Quoad Eliam verò probatur 1. *ex cap.* 4. *Malach.* ibi : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* 2. Ex Eccleſiaſtic. 48. qui de Elia ait : *Qui ſcriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filios, & reſtituere Tribus Iacob.* 3. Ex textu Matth. 17. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire? At ille reſpondens ait eis: Elias quidem venturus eſt primum, & reſtituet omnia.* Sed ex his textibus planè conſtat in poſtremis temporibus Eliam venturum, & quidem ad reconciliationem, & pœnitentiam : ergo ſi hic, veluti conſtitit, vivus permanet cum Enoch, hi potius intelligendi ſunt in noſtro textu per duos teſtes, duas olivas, & duo candelabra ibi deſignata.

5 Probatur 2. concluſio ex Patribus 1. Ex Tertulliano vbi ſupra: *Tranſlatus eſt Enoch atque Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſervantur vt AntiChriſtum ſanguine ſuo extinguant.* 2. Ex S. Ephren *ſerm. de AntiChriſto*, ibi: *Mittet miſericors Deus etiam Thesbiten, & Enoch, qui palam populo prædicent; ne illi AntiChriſto credant.* 3. Ex Ambroſio vbi ſupra : *Neceſſitates, & preſuras paſſuri ſunt Enoch, & Elias, qui vltimo tempore futuri ſunt Apoſtoli. Mitti enim habent ante Chriſtum ad præparandum populum Dei, & munienda omnes Eccleſias, ad reſiſtendum AntiChriſto, quos, & perſequutiones pati, & occidi lectio Apocalypſis teſtatur.* 4. Ex S. Hieronymo *Epiſt.* 148. *ad Marcellam*, ibi : *De Enoch autem, & alio, quos venturos Apocalypſis refert, & eſſe morituros, non eſt iſtius temporis diſputatio.* 5. Ex Auguſtino 9. de Geneſ. ad litteram cap. 6. *Nam ſi Enoch, & Elias in Adam, mortiſque propaginem in carne geſtantes, quod debitum, vt ſolvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, &, quod tandiu dilatum eſt, morituri.* &c. 6. Ex D. Gregorio vbi ſupra per hæc verba : *Duo illi prædicatores eximij, dilata morte, ſubſtracti ſunt, vt ad prædicationis vſum in fine revocentur. De quibus per Ioannem dicitur: hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Quorum vnum in* Evangelio *per ſemetipſum veritas pollicetur, dicens. Elias venturus eſt, & reſtituet omnia.* Qui Sanctus Doctor ſimul cum Elia intelligit Enoch, vt ſe explicuit *lib.* 15. *in Iob cap.* 36. inquiens : *In exprobrationem AntiChriſti Elias, & Enoch in medium ſeducuntur.* Sed hæc teſtimonia primorum Doctorum Eccleſiæ tàm clara ſunt, vt commen-

mentario non egeant : ergo hi duo soli sunt, qui in hoc præsenti textu veniunt intelligendi. Confirmatur. Traditio perantiqua est, hos duos in fine sæculorum fore venturos, morituroſque. Sed textus Sacer ex perpetua traditione Ecclesiæ germanissimè exponitur : ergo, &c. Maior elucidatur apud AA. præclaros vt Sixtum Senensem *lib.* 2. in Enoch, & Elia Cantapetrensem *lib.* 3. *cap.* 1. Iansenium *in Concordia cap.* 67. Pererium *lib.* 7. *in Genes.* & 15. in Danielem, Bellarminum *lib.* 3. *de Roman. Pontifice cap.* 6. Riberam *Apocalyp.* 11. Suarium *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 55. & Maluendam *toto lib.* 9. de hac re locupletem. Confirmatur 2. Per duos testes in fine mundi venturos ad prædicandum potius debemus intelligere illos duos Prophetas, qui constant certissimè à Domino reservari sub occultò mysterio antequam moriantur, quàm alios, qui certissime, vel probabilissimè iam sunt defuncti : sed Elias, & Enoch prioris sunt conditionis; posterioris verò Moyses, Ieremias, & Ioannes. Nam Moyses inquit Scriptura *mortuus est iubente Domino* ad finem Deuteronomij ; Ieremias, teste Epiphanio, lapidibus obrutus est; & Ioannes teste Hieronymo cum pluribus etiam mortem operijt : ergo potius in hoc textu Elias, & Enoch sunt intelligendi.

6 Obijcies 1. Textus probantes Eliam esse venturum ex eadem Sacra pagina explicandi sunt, non de adventu personali Eliæ ; sed de Ministerio, & Officio : ergo saltem Elias non est vnus de illis duobus testibus. Probatur antecedens. Ipsa Sacra pagina temporibus Christi testificatur, Eliam iam venisse ex illo Matth. 17. *Dico autem vobis, quod* Elias *iam venit*: Ergo, &c. Confirmatur ex textu Math. 11. *Et si vultis recipere ; ipse est Elias qui venturus est.* Nam in his verbis clarius exponitur, quomodo ille idem ipse, qui venturus dicitur, est qui iam venit, & de quo ait : *Si vultis recipere*: nempè Ioannes Baptista *Luc.* 1. dicitur venire in spiritu Eliæ. Ad hoc argumentum respondeo, negando antecedens ; & ad probation. disting. anteced. venisse in Spiritu, conced. anteced. in persona, neg. anteced. & consequent. Itaque finita transfiguratione, cum Discipuli interrogarent, viso antè Elia in monte ; cur Scribæ dicerent, Eliam primum esse venturum ; statim contestatus est Christus, & dixit. *Elias venturus est, & restituet omnia* : Sed inde occasionem sumens ad exponendam suam doctrinam Christus Dominus adidit eis dicens: *Dico autem vobis quia Elias iam venit ; & non cognoverunt eum ; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic, & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Ex quibus verbis videtur satis clarum, Christum Dominum, assumpta occasione, vocavisse Eliam Ioannem Baptistam ex similitudine muneris Præcursoris, & sequuturæ necis : præsertim cùm id ipsum in se, quod in suo Præcursore fecerant, & facturi sunt in Elia, iam propinquaret. Atque hinc ad confirmationem penè eadem doctrina resumitur : siquidem Christus loquens de Ioanne, & eum commendans, eiusque doctrinam de Regno Cœlorum ; cùm videret turbas de adventu Eliæ futuro sibi persuasas ante adventum Messiæ; invitat eas ad receptionem doctrinæ, dicens : *Si vultis recipere ; ipse est Elias qui venturus est* : quasi diceret in ordine ad tradenda vobis, & constantissimè vsque ad martyrium prædicanda, tàm Elias est hic Ioannes meus modò Præcursor; quàm ille, qui venturus est ante secundum meum adventum.

7 Obijcies 2. Ipse textus, de quo disputamus clarè exponit alterum testem ex illis duobus futurum esse Moysem. Ergo non præcisè Enoch, & Elias. Antecedens probatur ex verbis ipsius textus, vbi sic ait : *Et dabo duobus*

*bus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*, & statim subdit signa evidentia de Elia, & Moyse: ergo de illis loquitur textus. Probatur antecedens. Nam statim ait: *Hi habent potestatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere, terram omni plaga quotiescumque voluerint.* Sed hi sunt proprijssimi characteres Eliæ, & Moysis: ergo, &c. Confirmatur. Illi sunt intelligendi testes pro Iesu, & eius finali gloria ventura, quos Canonicè constat, Iesum, dum viveret, in suæ gloriæ testimonium advocasse. Sed ex historia transfigurationis constat, Eliam, & Moysem fuisse testes adhibitos in Thabor: ergo, &c. Ad hoc argumentum in primis premi me fateor, & nisi iugis, ac plena traditio Patrum me revocaret, irem facilis cum argumento, & cum Maldonato, qui rem hanc adeo claram esse pronuntiat, vt vix posse dubitari videatur: neque sucurrit via, qua citatis equis fugere conatur Maluenda, firmans Moysem verè mortuum fuisse. Nam si ad transfigurationem resurrexit; potuit, vt nos ibidem permittebamus, exinde vivus cum Elia servari, cum quo pariter in nube lucida de Tabor ipse discesit. Quo circa, postquàm argumento, & multam venerationem impendo, & multam probabilitatem impertior; tamen sequutus cætum Patrum, & traditionem, ad argumentum respondeo, negando antecedens, & antecedens probationis: & distinguo minorem probationis *sunt Characteres propijssimi, si textus loqueretur de præterito*, concedo anteced. *dum loquitur de futuro*, nego anteced. Nam licet in retroactis sæculis non fuerit alia concessio aut suspensio pluviæ celebrior, quam quæ facta fuit per Eliam, & similiter conversio aquæ in sanguinem, & plagarum percussio celebrior, quàm quæ fuit facta per Moysem; nihilominus habere potestatem suspendendi, & emittendi imbres, multis à Deo datum est in lege gratiæ, prout Ecclesiastica declarabit Historia: atque insuper ex eadem gratia gratis data vberrimè in lege Evangelij potestas est covertendi aquam in sanguinem, quoties id fuerit necesse; immo, & aliquando fortè præstitum est. Replicabis 1. ibi signum de pluvia notat Eliam: ergo, & signum sanguinis Moysem. Respondeo notari vtrumque prophetice memorativè, & quatenus potestas testium alterum, qui venturi sunt explicetur per celebriora facta, & signa olim data: cum eo discrimine, quod in Elia ea potestas, & fuerit, futura sit; ideoque quoad Eliam prophetice quoque est accipienda. Quod si quis severus rem vrgeat, & fortasse videat in libra bilancem solutionis longe leviorem argumenti bilancee; reponat, quæso, in illa totum cætum Patrum à primitiva Ecclesia ita expresse tradentem de Enoch, & Elia, & vix vllum de Moyse: statimque videbit æquilibrium; nisi fortè plus ponderis exinde accrescat nostræ bilanci.

8 Obijcies 3. Ioannes Evangelista venturus est in fine mundi prædicaturus. Sed si ita testificaturus est, non potest, non computari inter illos testes in Apocalypsi designatos: ergo non præcise Enoch, & Elias sibi intelligendi sunt. Probo maior. primò. Tùm ad hominem contra nos: quia id opinamur, & sustinemus *tom. 2. Decade 4. quæst. 4.* ideoque cum varijs AA. eum superstitem defensamus. Tum quia Apocalypsis 10. verso vltimo, & proximè ante designationem duorum testium, dicitur de Ioanne. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, &c.* Sed hoc testimonium de Christo exhibendum, & positum iuxta indicationem testium, indicat, ab aliquo eorum testium tale testimonium præstitum iri: ergo, &c. Probatur 2. Prima propositio maior. Inverisimile est

quod

quod pro teſtificando extremè, & vniverſim Evangelio deſumantur teſtificaturi illi, qui nullatenus profeſsi ſunt Evangelium, & nullus eorum qui ad illud plantandum, & diſſeminandum electi ſunt, ad id deſtinetur. Atqui Enoch, & Elias nullatenus profeſsi ſunt Evangelium; ſed prior Legem naturæ, & poſterior legem veterem: ergo de illis duobus teſtibus aliquis ad legem gratiæ ſpectare debebit. Sed non alius quam Ioannes, de quo iterum prophetaturo, & ſuperſtite tot ſunt teſtimonia: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſp. permiſſa maiori, negando min. quæ licet non probetur ſignatè, probatur tamen exercite in probationibus pro maiori adhibitis. Itaque ad primam dico, aliud eſſe, Ioannem venturum eſſe ad prædicandum, quod ex illa opinione probabili de eo quod adhuc vivat, nos in gloriam S. Apoſtoli ſuſtinuimus, in partes adverſas fortè plusculum inclitati; aliud verò, hunc futurum eſſe vnum ex duobus teſtibus ſignatis. Et licet primum ſit verum; non convincitur ex ea probatione ſecundum: quando enim ſignatur, & ponitur cum teſtimonio exhibendo perſona quæ eſt teſtificatura; non ea intelligitur claudi in alijs teſtibus poſtea deſignatis, præſertim, quando, & ſua quoque his teſtificatio ibidem adſcribitur; vti fit in noſtro caſu ibi: *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt mille ducentis, & ſexaginta diebus, &c.* Poterit ergo in fine advenire Ioannes, licet hi duo teſtes ſoli ſint Enoch, & Elias. Ad ſecundam probationem in primis tota concedi poteſt inoffensè à nobis ſuſtinentibus, ex vi verborum capitis antecedentis, Ioannem quoque venturum. Cœterum ſi intentum ibi eſt, quod Ioannes propterea futurus ſit alter eorum teſtium capitis 11. hoc repellimus præciſivè diſtinguentes duo teſtimoniorum genera: alterum eſt mere relativum ſeu oculare, ſeu teſtificans de perſona, vita, & doctrina, prout Ioannes teſtificari ſolebat in Epiſtolis. *Quod vidimus, quod perſpeximus, quod teſtamur de verbo vitæ, &c.* Aliud probativum, & præter meram relationem argumentativum, & corroborativum: & in hoc genere vocat ſuos teſtes Henoch, & Eliam, vt nimirum à lege naturæ, & lege Scripta Evangelium corroborationem acciperet: quemadmodum nos paſsim, licet in materia facti oculatos teſtes adducamus; tamen in materia iuris, & doctrinę teſtimonia damus, quæ quo magis priſca, & à præſentibus diſtantia ſunt, eo teſtimonia aptiora exiſtimantur: & in hoc genere Chriſtus ait in Evangelio *vt teſtimonium perhibeam veritati*; & in Apocalypſi *fidelis teſtis, & verax*; imò ipſe Deus æternus teſtis eſt, & vt talis invocatur per iuramenta. Quare datur locus vt Enoch, & Elias ſint illi duo teſtes ab exordio corroborativi Evangelij tunc prædicandi, licet ambo illi, & Ioannes vltrà, teſtes enuntiativi ſint Evangelicæ veritatis: hanc enim tunc Enoch, & Elias Spiritu Dei pleniſsimi perſonabunt. Ab opinantibus verò Ioannē mortuum fuiſſe facilè dicetur, quoad legem gratiæ tunc temporis futuros eſſe viros Spiritu Dei pleniſsimos ad eam prædicandam; eos verò binos teſtes præciſe ad id reſervari, vt conteſtationem, & corroborationem ſupra tactam exhibeant.

9 Obijcies 4. Alter eorum teſtium futurus eſt Ieremias: ergo non præciſe Enoch, & Elias. Prob. ant. 1. ex textu Evangelij; vbi interroganti Chriſto. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Alij dixerunt eſſe Eliam; alij verò Ieremiam aut vnum ex Prophetis.* Sed id probat non minus eſſe famam inter Hebræos de Ieremia vivente, & in fine venturo, ac de Elia: ergo hi duo ſunt tales teſtes. Probatur 2. Ex argumento S. Victorini arguentis ſic. De Ieremia dictum eſt, *& Prophetam in Gentibus dedi te.* Sed neque legitur eum mortuum fuiſſe, neque Gentibus prophetaſſe; tota enim eius prophe-

tia ad Hebræos facta est: ergo, &c. Ad hoc argumentum respondeo negando antecedens, cuius prima probatio infirma est: nam ibi disiunctivè fit sermo de omnibus Prophetis. Vnde non signatur determinatè Ieremias per textum, licèt per illos, qui ita sentiebant, Christus fuisset creditus Ieremias. Sed non propterea superstes necessario credebatur: nam sciebant Samuelem Prophetam verè mortuum tamen de limbo ascendisse, vt Sauli vera nuntiasset. Ad secundam probationem dico S. Victorinum in hac re deseri reverenter à Ribera, & alijs, cum quibus, & nos quoque ire cogimur à tàm denso Petrum agmine, tradente Eliam, & Enoch esse venturos. Neque probatio illa vrget: nam, licet mortuus non legatur Ieremias in Sacra Pagina; hoc est argumentum ab authoritate negativè, quod non vrget, presertim cum priscus Epiphanius ex professo agens de obitu Patriarcharum, & Prophetarum asserat lapidibus obrutum fuisse. Ad secundum quod addit de adimpletione Prophetiæ, *vt Gentibus prophetaret* satis id probat impletum noster Sanchez in Ieremiam, *cap.* 1. vbi ait talem prophetiam Ieremiæ impletam inveniri dum esset in Ægypto *cap.* 44. & contra Gentes *à cap.* 46. *vsque ad finem.* Immo sub metaphora *Catenarum* prophetavit, & sub allegoria *calicis* contra Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Tyrios, & Sidonios. Procumbit ergo penitus ea opinio, & obiectio.

10 Ad calcem huius quæstionis observa, hunc S. Victorinum Martyrem perantiquum Scriptorem, & Patrem dicere suis temporibus alios putasse venturum Eliam, alios quidem Moysem. Cumque illi ita censentes non possint, non esse PP. admodum vetusti, siquidem S. Victorinus fuit de sæculo tertio ferè æqualis Cypriano, Dorothæo, Arnobio, & alijs, sequitur, illam traditionem Patrum de Enoch, & Elia rursus venturis non tam vniversalem, & vnanimem esse: cumque item quod hi potius quam alij intelligantur in loco Apocalysis, non sit aliquid necessario pertinens ad fidem, & mores; poterit hæc traditio non obesse ex Tridentino, & Lyrinensi; qnominus quis problematicè defendat cum probabilitate opinionem Maldonati tenentis ex argumento supra facto, duos illos testes esse eosdem, ac in Transfiguratione, scilicèt Moysem, & Eliam, prout in eodem textu satis clarè indicari videntur. Existimoque ego ipse hanc sententiam, & nostram posse à quoquam problematice sustineri: neque ad standum pro Moyse plura alia opus erunt quam quæ tetigimus: prævalet enim semper multis dictis PP. textus Sacræ Paginæ tam apertus. Perge qua malis. Observa secundò. Circa illos mille ducentos, & sexaginta dies quibus duo illi testes prophetare debebunt, quod Victorinus Martyr, Arætas, Rabbanus cum aliis apud Maluenda, putant, eos includi in spatio trium annorum cum dimidio, quos regnabit Anti-Christus, idemque notat Strabus, *Apocalyps.* 11. desunt enim aliquot dies, vt tres anni Solares cum dimidio compleantur. Hos tamen dies salvat Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 55. cum Anselmo quatenus totidem iam præcesserint de regno Anti-Christi, quando ipsi suam prophetiam ordientur. Maluenda vero *lib.* 9. *cap.* 16. cum Ribera nostro censet hoc dies demendos esse ad finem prædicationis, quatenus totidem dies ante interitum Anti-Christi, ipsi sunt ab eo interficiendi. Observa tertiò. Pro ijs quæ sura diximus de signis talium testium seu miraculis ab eis faciendis, Lactantium Firmianum, *lib.* 7. *cap.* 17. dicere sic: *Imminente iam temporum conclusione Propheta magnus mittetur à Deo qui convertat homines ad Dei agnitionem, & accipiat potestatem mirabilia faciendi: vbicumque non audierint eum homines, claudat Cœlum,*

&

*& abſtinebit imbres, & aquam convertet in ſanguinem, & cruciabit illos ſiti ac fame: & quicumque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore eius atque amburet illum.* Circa quæ verba occurrunt duo: alterum eſt conceſsionem, & ſuſpenſionem pluviæ, converſionemque aquarum in ſanguinem eſſe ibi appoſitas, vt diximus tanquam prodigia de futuro exercenda, & poteſtatem ad ea ipſis concedendam. Alterum eſt quod ſcrupulosè Maluenda hunc Patrem ſugillat ſolum ex eo quod vnum Prophetam tantum ibi recenſeat. Nam Lactantius fuit alter Cicero pereloquens, & figuratus: vnde loquitur ſingulatim pro quolibet Propheta tunc ad id venturo, ſivè vnus, ſivè plures venturi eſſent. Quod genus loquendi apud dialecticos, & Scholaſticos dicit ſolet *per diſtributionem accommodam.*

***

JHS.

# QUÆSTIO DECIMA.

## TEXTUS AD ILLA VERBA.

FACTVM EST PRÆLIVM MAGNVM IN COELO: Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone.

*Apocalypſ.* 12.

## ARTICULUS.

*VTRVM HÆC PVGNA FVTVRA SIT PRO TEMPORIBVS ANTI-Chriſti?*

SUppono 1. Satis commune eſſe, & receptum inter Theologos, tùm Scholaſticos, tùm poſitivos, Archangelum Michaelem tutelarem fuiſſe ſuæ dilectæque protectorem populi Dei; eumque hic populus Domino peculiaris fuerit olim Synagoga Iudæorum; pro hac olim ſemper Archangelus Michael militabat: vnde ex ore ipſius Gabrielis id firmatur, tùm Daniel. 10. ibi: *Michael Princeps veſter:* tùm Daniel. 12. ibi: *Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui.* Rurſuſque cum ad Synagogam Eccleſia ſucceſſerit; hæc tam ſpeciatim ſub eadem Michaelis tutela remanſit, vt de ea multis miraculis confirmata totus Catholicorum cœtus ſit alte perſuaſus. Hic ergo cum tutor Eccleſiæ ſit, eam tueri non deſinit; quinimo de ſuo pro nobis certamine contra hoſtes noſtros duo extant loca inſigniora in Sacra pagina: alterum Daniel. 12. ibi: *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi*

*puli tui, & veniet tempus, quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud.* Alterum paulò productus Apocal. 12. per hæc verba. *Factum est prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & non prœvaluerunt: neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo. Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniversum orbem: & proiectus est in terra, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in Cœlo dicentem. Nunc facta est salus, & virtus, et Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui: & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis: væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Et postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persequutus est mulierem, quæ peperit masculum, & datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.*

2 Suppono 2. Circa hoc postremum certamen Michaelis cum dracone occurrere dubium non contemnendum: nempe, quodnam prælium sit ibi descriptum? an quod ad mundi primordia gestum est; an vero quod ad extrema mundi tempora sit ab ipso gerendum? Nam ex vna parte fides Christiana non dubitat priscum certamen illud, quod inter bonos, & malos Angelos initum est, quando, nimirum Luciferum cum suis apostatis contra Dominum superbissimè rebellantem Angelus Michael cum reliquis agminibus Angelorum fortissimè debellavit, & ad ima detrusit: quod ibi apparet graphicè descriptum in verbis relatis Apocalypsis, vbi draco ad infima proiectus esse refertur. Ex altera verò parte magis proclive videtur credere Ioannem Evangelistam afflatum spiritu prophetico non ad anteriora, sed ad posteriora tempora se extendere, in quibus per Anti-Christum, & draconem antiquum movenda est adversus fideles illa persequutio maior, quam hactenus tulit Ecclesia iuxta illa verba Danielis. *Et veniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud.* Verum cum D. Ioannes fuerit desuper illustratus initio nascentis Ecclesiæ, atque in sua Apocalypsi vniversim credatur tetigisse graviores ac celebriores eventus per sæcula ipsi Ecclesiæ eventuros; merito etiam dubitari potest: num per hoc prælium à D. Ioanne prædictum fuerit illud bellum iuge, quod cum Ecclesia Christianorum trahit à suis exordijs teterrimus Satanas in omni tentatione fidelium, & multimodis persequutionibus Ecclesiæ, quas movit; an verò loquatur de aliqua sola, & definita persequutione maiori imò, & maxima, quæ cum Anti-Christo sub mundi finem Ecclesiæ dicitur eventura. De quibus articulis expediendis nostra texitur disputatio.

3 His positis 1. Sententia speciatim procedit, quasi declinando quæstionem: siquidem non sumit Michaelem historicè, & in propria persona; sed per Michaelem mysticè intelligit Christum, & per eius Angelos Apostolos, & ministros qui bonum Evangelij nuntium disseminarunt eversa gentilica superstitione, & idololatria, vicissimque per angelos diaboli intelligit solemniores persequutores Ecclesiæ, vt Neronem, Simonem Magum, Apollonium Tyanæum, & alios. Quam sententiam tenet Ludovicus Alcazar in Apocalypsim, licet loquens de loco Danielis intelligat de prælio inito cum Antiocho Epiphane per Matathiam. Secunda sententia tenet tale prælium in Apocalypsi memoratum esse illud priscum quod inter bonos, & malos Angelos commissum fuit. Ita sentiunt multi communiter; & est sententia quã

vltro

vltro complecti ſolent cum alijs literalibus illi præſertim Scripturarum expoſitores qui ſenſus allegoricos, & myſticos ſunt perſequuti: quippèqui eo teſtimonio valenter vtuntur ad perorandum contra ingratitudinem creaturæ, & eius ſuperbiam, & ponderandam grauitatem peccati, & alia quam plura: itemque Theologi Scholaſtici, qui etiam multum momenti ſibi faciunt in hoc caſu diaboli diſcutiendo proſua ſerie decretoria melius ſtabilienda: demum Theologi Dogmatici qui ex inde etiam multa eliciunt dogmata ſaluberrima contra errores hæreticorum. Vnde de hac ſententia dixit Maluenda *lib.* 8. *cap.* 15. *Prælium iſtud magnum, & acre tam accurate deſcriptum à Ioanne vulgus Authorum, ac præſertim Scholæ Theologi idem eſſe putant quod initio mundi, & creationis Angelorum factum eſt.* Tertia ſententia eſt, tale prælium ibi deſcriptum fuiſſe illud, quod tempore Anti-Chriſti ſpecialiter geſturus eſt Michael cum dracone: atque ita ſentire videntur S. Gregorius *homil.* 34. *in Euang.* S. Victorinus Martyr, Beda, Aretas, Strabus, Anſelmus Laudunenſis, Ribera, Melus, Sa in Apocalypſim *cap.* 12. Quarta ſententia tenet ibi deſcribi tàm primum prælium inter Angelos, quàm poſtremum tempore Anti-Chriſti eventurum. Hanc videntur amplecti Maluenda *de Anti-Chriſto lib.* 8. *cap.* 15. & expreſsè eam tenet Haimo, Cornelius, *Apocalypſ.* 12. *verſ.* 7.

4 Sit noſtra concluſio. *Tale prælium Michaelis cum dracone literaliter reſpicere ad vtrumque prælium ſcilicèt olim commiſſum inter Angelos bonos, & malos; & in fine mundi committendam contra Anti-Chriſtum, & ſectatores.* Probatur concluſio. Hæc noſtra aſſertio eſt magis cohærens cum fidei dogmatis, Scriptura, & Patribus. Deinde veriſimilior eſt pro toto contextu: poſtremoque multa authoritate ſuffulta: ergo verior eſt, atque ſuſtinenda. Probo antecedens per partes, & in primis primam ſic; ex Scriptura, Patribus, & traditione fidei conſtat, tùm quod Angeli ſtatim à ſua creatione inter ſe dimicarunt, itaut mali cum Lucifero contra Deum ſuperbiente ad tartara detruſi ſint: tùm quod poſtremis temporibus, AntiChriſto rebellante, futura ſit ingens pugna pro Eccleſia Dei adverſus aſſeclas AntiChriſti. Sed hoc eſt vtrumque prælium Michaelis cum draeone: ergo vtrumque ibi attactum eſt, etiam quoad litteram. Maior patet tum quoad Scripturas: quia de prælio Angelorum conſtat iam ex illis verbis Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer qui mane oriebaris... qui dicebas in corde tuo ſuper aſtra exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti... verumtamen ad infernum detraberis, & in profundum laci.* Quæ verba vniverſim ab Eccleſia, & Patribus de Angelo ſuperbiente accipiuntur. Iam ex illis verbis Iob 4. *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* Iam ex illis D. Petri Epiſt. 2. cap. 2. *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum rudentibus inferni detractos in æternum tradidit cruciandos.* Iam quoad ſecundum prælium ex illo Danielis 12. *Et in illo tempore conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ex quo Gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud*: prout ex Hieronymo, Theodoreto, Cyrillo Ieroſolimitano *Catecheſi* 15. & ore omnium Interpretum, vt affert Maluenda, de prælio cum AntiChriſto intelliguntur: & ſimiliter locus præſens qui nihil magis ſignare videtur. Tùm de Patribus quia vt refert ipſe Maluenda *lib.* 8. *cap.* 15. eſt communis Patrum, ac Theologorum huius prælij, Apocalypſeos expoſitio, & intelligentia de prælio Luciferi: & præterea conſtat ex multis Patribus vt Gregorio, S. Victorino, Beda, Haimone, & Areta Patrum Collectore, quod tale prælium fuit poſtremum. Atqui ſi ex alijs, & alijs PP. vtrumque prælium ibi tangitur; fiet Patrum con-

cors vnanimisque sententia: ergo, &c. Tùm quoad articulos fidei quia tàm de fide est in fine mundi venturum esse AntiChristum cum apostatis sectatoribus suis, eumque per Christi Angelos ac Ministros esse vincendum, & in tartara proijciendum; ac fuit de fide, & est Luciferum ab initio creaturæ superbijsse contra Deum cum multis assectis, & in diabolum fuisse conversum, simul cum illis: ergo ex Scriptura Patribus, & dogmatis nostra assertio firmatur.

5 Probo iam secundam partem de verisimilitudine. Nam longe verisimilius est, quod in textu Novi Testamenti ad totius Ecclesiæ elucidationem destinato, attingatur simul circa Ecclesiam Militantem prima origo belli; & belli finis postremus, si verbis signatissimis, & penè evidenter de ea re loquentibus relata inveniuntur; & nihil est quod obstet huic expositioni. Sed in præsenri textu Apolypsis verbis signatissimis traditur primum prælium Angelicum, scilicet inter Angelos bonos, & malos, quatenus draco traxit post se tertiam partem stellarum, & ipse cum suis proiectus in terram non habuit amplius locum in Cœlo. Deinde signanter traditur prælium postremum tempore AntiChristi: nam huius victoria futura est per sanguinem agni, & persequutio contra omnes habentes testimonium Iesu, & cum ira magna, quia draco modicum tempus habet. Postremoque nihil huic expositioni adversatur: ergo, &c. Probo denique quod hæc sententia est gravibus Authoribus fulta. Nam præterquamquod sic expositahinc,& illinc Patres colligit, & conconcordat; tamen dantur vlterius graves Authores qui loquuti de sensu literali vtrumque prælium complexi „ sunt. Primus Haimo sic fatur. Non „ tunc solummodo factum est præ„ lium, quando in initio temporis „ diabolus per superbiam deiectus est „ de Cælo, sed, & quando à Domini „ Passione eiectus de cordibus fide„ lium cœpit amplius sævire contra „ omnes, & hæc pugna perseverat vs„ que ad finem sæculi: quando fuerit „ solutus consummabitur. Secundus „ est Pater Cornelius *Apocalyp.* 12. „ *vers.* 7. ait: Dico, Historice hic „ alludi ad prælium Luciferi cum suis „ gestum cum Michaele, eiusque asse„ clis in Cœlo: illud enim hic clarissi„ mè perstringitur: tunc enim Lucifer „ cum suis Cœlo deiectus ex Angelo „ factus est diabolus. Sed per hoc „ prælium symbolice significatur bel„ lum, quod Lucifer in dies gerit con„ tra fideles in Ecclesia, eorumque „ tutelares Angelos; propheticè verò, „ & genuinè ad litteram, significatur „ prælium quod ipse geret acerri„ mum, & vltimum in fine mundi „ contra Sanctos. *Tertius* est Maluenda „ vbi supra inquiens. Cæterum rationi „ magis consentaneum arbitramur, vt „ quamvis propter honorem Patrum „ ac Theologorum dixerimus Ioannem „ præfatis verbis casum Luciferi, & „ Sanctorum Angelorum initio mun„ di adversus defectores Spiritus des„ cripsisse; nihilominus tamen potis„ simum loquutum de prælio quod „ pro Ecclesia militante Michael su„ premus Archangelorum suscipit „ contra Principatus, & potestates „ spirituales nequitiæ, contra mundi „ rectores, & tenebrarum harum ni„ mirum sceleratos Cacodæmones, qui „ totis viribus nituntur Ecclesiam sub„ ruere ac demoliri Michaele cum „ beatis suis Angelis contendentibus „ eandem asserere,& conservare. Quod „ sanè bellum simile cum primis est il„ lli quod in exordio rerum magnis „ animis viribusque vtrinque est ges„ tum. Ergo de primo ad vltimum ex Scriptura P. AA. & ratiocinio videtur verius quod in tali textu vtrumque prælium attactum est litteraliter; si nihil fortius adversetur, prout non adversari constabit ex solutioue argumentorum. Confirmatur in prædicto

tex-

textu manifestissimè ponuntur duo prælia Michaelis, videlicet, alterum inter Angelos, alterum etiam cum hominibus transigendum. Sed primum fuit cum Lucifero; secundum erit cum AntiChristo: ergo, &c. Maior patet: quia alterum in Cœlo, & inter solos Angelos factum est: alterum verò factum in terra describitur, & quidem cum toto semine mulieris per illa verba: *Et iratus est draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu-Christi*: ergo, &c.

6 Obijcies 1. Ex communi Interpretum expositio litteralis Apocalypsis planè est accipienda de statu Ecclesiæ per Christum, & Apostolos eius fundatæ. Sed nostra expositio cum his non cohæret: ergo recta non est. Minor probatur. Quia prælium Michaelis ab exordio mundi cum Lucifero, & Angelis eius ad Ecclesiam per Christum fundatam plane non pertinet: ergo qua parte de eo fit nostra expositio, non videtur cohærere. Confirmatur 1. Ecclesia ibi describitur vt mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat; & ante eam stetit draco, vt filium eius devoraret. Sed hæc persequutio clarè est de Ecclesia Militante: ergo minimè hic attingitur litteraliter prælium cum Lucifero. Confirmatur 2. Postquam talis mulier peperit filium; hic raptus est ad Thronum Dei, & ipsa fugit in solitudinem, vt pasceretur mille ducentis sexaginta diebus. Sed hæc Solis postremis temporibus adaptari possunt: ergo nullatenus ad prælium antiquum Luciferi. Ad hoc argumentum, vt expeditius respondeam aliqua ex Pererio nostro præmittere oportebit quæ sternant viam interpretandi: in qua, quemadmodum per mille vias distrahantur Authores, veluti notissimum est; ita plane excusant eum, qui, adprecatus Numen, & sacris semper consulens, suam quoque semitam vestigare conatur. Igitur ex Pererio 1. Tota prophetia, tùm præteritis, tùm futuris non tamen anxie, & scrupulosè aptanda est. 2. Notat inibi anticipationes, & recapitulationes misceri; imò, & eandem visionem interdum abrumpi, & post diversa rediri in eandem. 3. Easdem res plures, & diversas visiones præfigurari. 4. Has visiones Ioannis relationem dicere cum ijs quæ sunt Danielis 7. & 10. Ezechieli 1. & 10. & Zachariæ 6. Denique 5. Ex meo iudicio totam Apocalysim, vel fere totam referri ad statum Ecclesiæ futurum in postremis temporibus. Quibus prælibatis ad argumentum respondeo negando minor. & ad eius probationem distinguendo min. vel potius eam absolutè negando: quia tale prælium primitivum diaboli cum Michaele est quid non solum pertinentissimum ad Ecclesiam, vt Militantem, & Triumfantem, & Prophetiam S. Ioannis; sed etiam aliquid essentiale, & fundamentale ad Ecclesiam à Christo fundatam intelligendam: quæ omnia sic patent. Nam in primis pro Ecclesia Militante quid vtilius fidelibus in Domino congregatis, quàm habere benè perspectam originem belli iugis, quod trahunt cum spiritibus Creatori suo obstinatissime rebellatis? Pro Ecclesia verò triumphanti quid etiam vtilius, quàm nosse ex sententia PP. & TT. quæ sedes ac Throni maneant fidelibus occupandi pro præmio, postquam in idem Angeli apostatæ cecidere? Deinde pro Ioannis prophetia, & notitia persequutionis extremæ quid magis conducens, quam vt coram repræsentetur primævum illud prælium, quod initum est inter Michaelem Aachangelum, & draconem? Postremo quid magis essentiale, & fundamentale pro Ecclesia noscenda, quam illud noscere, sine quo Ecclesia præsens à Christo fundata, futura

non

non fuiſſet? Liquet ergo vndequaque tale primitivum prælium ſatis ad rem eſſe pro deſcribendo progreſſu Eccleſiæ à Chriſto fundatæ.

7 Ad 1. confirmationem ex ſuperioribus videtur iam data ſolutio; ſed expeditionis cauſa non renuo explicare quid in ea viſione poſsit intelligi, ſcilicèt nova Eccleſia à Chriſto fundata: ſiquidem in capite antecedenti finivit cum Synagoga, & Arca Teſtamenti, quare ſuccedit Eccleſia ſub typo mulieris ſole divinitatis perfuſæ, & humanum quid parturientis, ſcilicèt Chriſti humanitatem, & ſtellis duodecim, id eſt Apoſtolis coronatæ: quæ parturitio, & cruciatus, vt pareret non alia erant quam molimina draconis, ne hunc ſexum maſculum haberent fideles, quo ſeipſos redimerent, atque draconem devincerent atque depugnarent. Vnde ſatagebat hunc devorare, & pro his omnibus antiquum illud prælium non poterat, non eſſe oportunum. Ad ſecundam confirmation. eriam patet reſponſio quoad conducentiam primi prælij. Quod verò filius, id eſt Chriſtus raptus fuiſſet in ſua reſurrectione ad Thronum Dei; & mulier volatu aquilino omnem peſtiferum afflatum ſerpentis tam altè tranſcendat, vt propterea in ſolitudinem abire dicatur, quia ipſa ſola ſit à dracone huiuſmodi tam immunis; non videtur incongrue explicari (de more prophetico in quo multa cæſim mixta traduntur) vt inibi, & refulgeat Eccleſia, & B. Virgo Mater Chriſti, atque Apoſtoli. Sed ſi mavis reſpondere cohærentius ad ſuperiora; dic, quod hæc ſolitudo fuit, quam habitura eſt Eccleſia latitans in cavernis per mille ducentos, & ſexaginta dies dominante Anti-Chriſto: per quos totidem dies paſcetur verbo Dei à duobus Teſtibus, tot dies prædicaturis, vt conſtat *cap.* 11. Quare ſicut trahitur prælium Luciferi; ita etiam fundatio Eccleſiæ, & rabies draconis in eam, vt tandem ex ordine poſtrema perſequutio apte exponatur, & ſignificetur.

8 Obijcies 2. In hoc textu non deſcribitur vltima perſequutio Anti-Chriſti, & prælium Michaelis cum eo: ergo ſaltem ex hac parte non conſtat. Probatur antecedens. Nam poſt hoc prælium refertur, *cap.* 20. quod draco ligandus eſt mille annos, & poſtea modico tempore ſolvendus: ergo quia ibi ea, quæ refertur non eſt pugna, & perſequutio poſtrema. Ad hoc argumentum reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem, diſting. anteced. Interveniente figura anticipationis, conced. anteced. ſine ea, nego anteced. & conſequent. cum noſtro Ribera, qui ita ſentit: atque inſuper ad *caput* 20. ſequutus Victorinum, Auguſtinum, Gregorium, Andræam Cæſarienſem, & alios plurimos ait, *mille annis ſine dubio vniverſum tempus complectitur à Beata Chriſti morte vſque ad tempus Anti-Chriſti.* Itaque regrediendo ad ea quæ præmiſſa ſunt, vt in rebus tàm altis poſsimus quoquo modo obviam ire argumentis; dico, percurrenti totam Apocalypſim vix liberum eſſe eam prophetiam non itelligere de poſtremis temporibus, & de certamine valentiſsimo, atque poſtremo quo draco expugnare velit Eccleſiam: vnde cum ex vna parte res futura ſit potiſsima totius mundi, & omnium ſæculorum; itemque viſiones prophepheticæ mille vijs, & immiſsionibus, iam ex toto, iam ex parte rem referentibus eandem, evenire contingant; pronum eſt intelligere, D. Ioannem ſæpè, & multifariam ſine humano ordine cunctas figuras, quæ ad taxatam à Deo tanti myſterij delineationem ſpectarent, tetigiſſe modo, quo tota res indicata ſimul, & abſtruiſsima remaneret. Quamborem expeditum eſt dicere D. Ioannem in noſtro capite anticipato delibaſſe non tàm more hiſtorico, quàm prophetico poſtremam illam pugnam Michaelis

pro

pro Eccleſia cum dracone ineundam. Itaque D. Gregorius *Homil.* 34. in „ Evang. ait : Vnde, & ille antiquus „ hoſtis qui Deo eſſe per ſuperbiam „ ſimilis concupivit, dum in fine mun- „ di in ſua virtute relinquetur extre- „ mo ſupplicio perimendus, cum Mi- „ chaele Archangelo præliaturus eſſe „ perhibetur : ſicut per Ioannem di- „ citur: *factum eſt prælium cum Michaele* „ *Archangelo* Deinde adhuc ſunt clario- „ ra Aretæ verba vtrumque prælium „ ex tali textu reſpicientia : ait enim. „ Cum itaque Michael dux exercitus „ non tulerit diaboli ſuperbiam; & bel- „ lica virtute illum à ſua in Cœlo „ converſatione iam olim abiecerit (ec- „ ce primum prælium cum Lucifero) „ rurſum in adventu Anti-Chriſti „ vnà cum Iudæis, & Angelis ſibi „ miniſtrantibus per tentationes ad- „ verſus fideles, & Sanctos, perfec- „ tius excidet diabolus, nempè ig- „ nominioſus redditus ab illius ſer- „ vis, qui ipſum deiecerat. Patet er- go, quomodo ex tali textu literaliter tacto appareat tum prælium cum Lucifero, tùm prælium cum Anti-Chriſto : neque mille anni obiecti poſſunt impedire, quin ex placito penè vniverſo Doctorum à Chriſti reſurrectione ſint computandi ; non tamen Mathematicè, ſed loquutione vulgari, quatenus per mille intelligantur multæ, & indefinitæ annorum Centuriæ : non ſecus ac ita debet intelligi cum dicitur de Chriſto regnaturo mille annis cum ſuis ; id eſt indefinitas, & infinitas annorum centurias. Replicabis. Quomodo Ioannes intendens deſcribere poſtremam pugnam, regreditur ad repetendam originem primæ pugnæ Angelicæ, & nihil tangit de perſequutione draconis cum Synagoga : ſiquidem in lege veteri certabat etiam draco cum iuſtis, veluti tempore Iob ? Reſpondeo quod licet apud Alcazar aliqui ſuppreſſo nomine Ioannem in ſua prophetia de Synagoga loquentem inducant ; tamen veriſimilius eſt, quod in prima plantatione Eccleſiæ, quæ ſuccedebat ruenti tunc Synagogæ, vellet Apoſtolus conferre poſtremam pugnam cum pugna illa originali; vnde ortus eſt draco ; omittens interea certamina Synagogæ : tùm quia iam erant præterita, & non ita fundamentalia infuturum ſicuti prælium illud originale, quod expoſcebat, draconis ortum cum huius interitu referri, atque copulari : tùm quia prælia cum Synagoga ſatis erant deſcripta in Prophetis, & alijs libris hiſtorialibus : tùm quia cum Synagoga ita fuerit obſcurata, vt Chriſtum interficeret ; non ita prævaluit in ea Michael, quemadmodum prævaluit, ſivè initio dum deiecit Luciferum, ſive in noviſsimis, dum draco mittendus eſt in abyſſum æternum ignis, & ſulphuris, Chriſto cum Angelis ſuis, & ſanctis per ſæcula regnaturo.

9 Obijcies 3. Multa ſunt in eo textu ad noſtram expoſitionem minus cohærentia : ergo claudicat expoſitio. Probatur antecedens 1. Quia draco iuxta textum trahens tertiam partem ſtellarum, miſit eas in terram, & ipſe manſit in Cœlo, vt ſtaret ante mulierem ; Lucifer autem cecidit prior. 2. Mulier dicitur fuiſſe in ſolitudine ad dies mille ducentos, & ſexaginta, in quibus circunſcribitur tempus AntiChriſti ; & tamen poſt hæc ponitur prælium Angelicum ; quando proiectus eſt draco, & non eſt inventus locus eius in Cœlo. 3. Quia draco dicitur proiectus in poteſtate Chriſti ; & tamen de Cœlo ceciderat ante Chriſtum. 4. Dicitur proiectus accuſator fratrum ; & tamen quandiu fuit in Cœlo nondum erant tales fratres, ſcilicet homines. 5. Quia dicitur diabolus deſcendiſſe in terram cum ira magna; quia modicum tempus haberet ; & tamen à caſu diaboli vſque in finem mundi multa tempora cucurrerunt: ergo, &c. Ad hoc argumentum reſpondeo ne-

gando antecedens. Ad cuius probationes diluendas generatim dico, quod in eo loco multa intercisè, & ænigmaticè ita ſunt tradita, vt omnes Interpretes multum laborent, nedum in accommodandis ſignificationibus figurarum; ſed etiam in rerum narratarum coordinatione: quare, ſicut in libris hiſtoricis commentarius ſolet eſſe facilior, & quæſtiones arduæ; ita viciſsim hic, commentarius eſt arduus; noſtra verò quæſtio facilior dum videlicet ſignatiſsima referuntur ea quæ vtrique prælio Michaelis primo, & noviſsimo convenire notum eſt ex iis, quæ nobis fide, & traditionè conſtant. Itaque ad primam dico, draconem ſimul cum tertia parte ſtellarum cecidiſſe: nam illa verba *miſit eas in terram* eſt dicere *dimiſit eas ſecum*: quod anticipate ibi dicitur: nam poſtea ſubditur quod in Cœlo draco pugnabat, & Angeli eius; & tamen in terra non pugnarunt Angeli ſine dracone. Ad 2. conſequenter dico, ea relata eſſe per anticipationem, vel ex menſura, & correſpondentia ad illapſus, notioneſque propheticas, quas Deus temperat, & communicat modo nobis alto, & arcano. Ad 3. dico id facile componi ex doctrina Scholaſticorum ponentium rebellionem Luciferi ex ſuperbia contra vnionem hypoſtaticam: & ideò ab initijs inſidiatur ſemini mulieris, & in noviſsimis etiam prælium gerit cum ſemine eius. Ad quartum dico quod ly *proiectus* idem eſt ac *reiectus* talis accuſator fratrum eo ſenſu, quo Chriſtus dicitur à Paulo delere quod adverſum nos erat Chyrographum decreti, virtute cuius draco volebat nos eſſe ſuos; quouſque Chriſtus Dominus fecit nos Deo noſtro Regnum: itaque illa proiectio eſt reiectio in munere accuſandi. Ad 5. dico ly *modicum tempus*, vel dici reſpectivè ad multa ſæcula, quæ præceſſerant; vel quia homines ex lege Evangelica, & Chriſti gratia in ſuperna frequentius intenti, minus temporis relinquerent diaboli poteſtati, & inſidijs: vel quia cum ipſe æternum arſurus ſit; quodvis finitum tempus, præſertim pro ſatianda invidia ſua, modicum reputat. De quibus omnibus expediri, vt cumque poterit ſolutio in re in qua firmare multa non expedit; ſed in tàm abſtruſi profunditate ſermonis cunctos apices revereri, & profiteri humiliter, ratiocinium Scholæ non poſſe pertingere ad hauriendum puteum tam altum. Sufficiunt verò ea quæ diximus, vt quemadmodum in Apocalypſi dicitur: *Ego ſum Alpha, & Omega principium, & finis*, & hoc dicit qui eſt fidelis; & verax; ita viciſsim ex traditione Patrum teneatur hic principium, & finis de truculento illo dracone Authore mendacij.

APPEN-

JHS.

# APPENDIX PRIMA.
## TOT IUS OPERIS.

### PARS PRIOR.

### *DE AUTHORE CLARISSIMO.*

Ecce iam typi noſtri ad finem huius quarti tomi, atque totius qualiſcumque noſtri operis properabant; cùm felici admodùm ſorte ad manus noſtras pervenerunt egregia opera doctiſsimi viri Benedictini, D. Aug. Calmet, cuius Dictionarium locuples iam pridem videram; ſed cum libri exterorum Authorum rari ſint ſemper, ac lenti; non ea mihi fuerat oportunitas hunc Authorem ita omninò luſtrandi, vt ex eius theſauro refertiſsimo mea opella diteſceret: prout inde facilè potuiſſet; quin ego, & alij quoque plures ſimul haurientes tanto mari crearemus inopiam. Quare, cum huius ſapientiſsimi Authoris meo *tom.* 1. *pag.* 120. notitiam ſtudioſis non denegaſſem, accidit, vt Typographus, nunquam verius, elementa mutaret, dum, videlicet, ibi pro Dictionario, *Doctrinarium* repoſuit: verè enim tale opus mirificè cumulatum eſt omnigeno apparatu, eruditione, & doctrina, ita vt nihil me pœniteat huius Authoris opera, non niſi Emporium Biblicum inibi compellaſſe: prout ipſius lectorihus ſatis eſt pervium. Propterea tamen ingenuè fateor, me operis vaſtitatem intuitum, animo cecidiſſe, quaſi erubeſcentem; ne videlicet per Doctorum manus permitterentur excurrere opuſcula mea tàm infima, per quas nuper volitaverat in hac re omne genus pretioſitatis. Erexit me tamen ipſa rei humilitas qua probè noſco, obolos tuliſſe in gazophilacium, & pilos caprarum in Sancta, veriùs quàm de me hactenus dictum eſſe de nemine. Sed, & hoc etiam quod timeo, me ducit in campum: nempè tanto Magiſtro gloriari, cuius quidem ſi non merui præ me ferre tutelam in fronte; licuit tamen nunc ex eo, Deo dante, colophonem hunc ad calcem adijcere.

Verum enim verò, typis me vrgentibus, & properantibus, decrevi ſaltem duos tomos diſſertationum fugitiva manu perſequi, in quo genere moroſius ac plenius quam in Commentarijs inſculpitur character Authoris; eo præſertim quo nos etiam in eodem diſſertationum genere verſaremur. Ad eas ergo prout licebat raptim accedens, ſtatim vidi, meam inopiam vix poſſe ad earum vbertatem pleniſsimam comparari, ibi quoque iactis multum didacticè in vniverſos Sacræ paginæ libros doctiſsimis prolegomenis. Nihilominus, ne exſuccus omnino appareat, & inutilis hic noſter labor, præſertim hic Gentium, vbi verſamur; excuſationes paro tenuitatis noſtræ. I. Quod perdoctus hic Author in linguis Orientalibus eruditus, & Rabbinorum Scriptis ſatis verſatus horum multa pronuntiata re-

refert, & impugnat: ibi enim ſcribit, vbi horum hominum ſenſa liberiùs, tametſi refutentur, audiuntur. Nos verò hic, vbi ipſi coguntur ſilere, aut mori, præter receptos illos Philonem, & Ioſephum, & vnum, vel alterum cordatiorem, vt Hakados, Ezra, Kimki, vix niſi generatim hos homines computamus in cenſum AA. & tunc videlicet, quando de more ſervitutis ipſorum videmus eos alicubi Catholicorum placitis famulantes; alioquin ipſorum nugas multa manu reſpuimus. Circa linguas verò characteres hic deſunt; licet quando difficultas expoſcit ad veſtiganda Hebraica præſertim, & Græca, quæ originalia ſunt, venire non piget. II. Nobilis hic Author tanquam qui in omnibus dexter eſt, Palæſtram non cingit; ſed cum Polemicis agit Polemicum, cum Philologis agit Philologum, cum criticis criticum; itaque iam expendit Grotium, Poſtellum, iam Muſterum Tremellium, Iunium, &c. & pro mira ſua vbertate omnibus ſatisfacit, omnes exarmat: itemque moderatum ſe exhibet inter criticos. De quibus omnibus latus ipſi campus eſt percurrendus. Noſtra verò Palæſtra pro more Regionis ad Scholam, & ad certamina inter Catholicos cingitur; & rarò ad Polemica vertitur: quoniam hic loci minus res agitur cum Hæreticis, neque eos excitare oportet, vbi ſepulti ſint, vel ſunt nondum nati. Criticorum autem agmen, quod vix novit etiam in ſacris niſi incedere Sceptice, & quod apparet male cautũ eſſe, etiam cum ijs, qui aliàs ſunt Socij ſui itineris, vix vnquam citando, niſi Pſeudo Cyprianos, Pſeudo Dionyſios, Ambroſiaſtros, & mille huiuſmodi, nobis pro parte hac Diſputatrice, quam pro tyronibus dedimus, ad rem non erat: quippè ingenia, niſi multum matura, & concocta eruditione referta, periculose eo immittuntur, vnde potius norint de cunctis dubitare, quàm diſcere. Idcirco nos hic noſtra Critica, quæ tuta eſt, ſumus contenti: ea enim alia non eſt quàm ſeveriſsima via Scholaſtica, & preſſa Dialectica: quæ ſanè cunctorum Criticorum legitima Criſis eſſe debet. Nam quid eſt Criſis huius, vel illius viri perdocti, niſi iudicium rationis eiuſdem de ſententia aliqua, ſuper qua alij aliter iudicant? Hæc ergo iudicia, vt recta eſſe probentur alia præ alijs; niſi venerint ad amuſsim Scholaſticam, vbi preſſe diducta oſtendant, ſe non niſi ritè, ac de per ſe notis, & veriſsimis proficiſci, minimè obtinebunt; quàmtumvis de homine multùm critico plurimaque eruditione circumſepto naſcaſcantur. III. Clariſsimus inſuper hic Author totius Hiſtoriæ Prophanæ vaſtum æquor enavigat, vt vere in admirationem lectorem inducat. Nos vero in primis, huiuſcemodi inopiam vltrò fatentes, lubenter addimus, hocce æquor ampliſsimum vix trahi poſſe ad freta Scholaſtica. Sed, & ex ijs, quæ ſaltem odorari ac legere licuit, Hiſtoria Prophana Protheus eſt, aut Regula Lesbia, & ſatis obſcura Natalibus, ſivè ad Dynaſtias Ægyptiorum, ſivè ad Græcorum origines, ſivè ad Chaldæorum fragmenta, ſivè ad Authores inter ſe viciſsim taxatos oculos convertamus. IV. Demùm verior, ac legitima excuſatio eſt, ingenuè fateri, nobiſcum non ita largiter actum eſſe per Superos, nec nos vlla ex parte poſſe cum viro tanto comparari, cui tàm præſtantiſsimum in hac re datum eſt donum; neque proinde puſilla noſtra opuſcula cum opere Gigantæo.

Ea propter gloriæ noſtræ detrahere non poſſumus ſaltem hoc decus quod eſt citare hunc Virum, vbi nobiſcum viderimus vnà ſentientem; vbi verò ſecus; ſaltem illum obſervare, vt multò magis revereamur oppoſita. Itaque nonnulla inter alia ſunt, in quibus admodum placuit nobis hunc Doctorem Patronum habere: nimirum

rum, circa votum Iehptè, & ſacrificium rei humanæ, de quo nobiſcum ſentit in ſua diſſertatione in Iudices. Deinde in reditu decem Tribuum: atque in collocanda morte Chriſti die tertia Aprilis; licet in anno vitæ ipſius variet Æram Vulgarem in eius Chronologia: quæ in ætate mundi vſque ad Chriſtum cum Tirino conſentit. Alia verò in quibus magis ſolemniter diſcrepat, veluti de vltimo Paſchate, & de Hebdomadibus Danielis, Latinè veniunt temperatiora ad mentem ſapientiſsimi Authoris. Circa apparitionem Samuelis, Magorum prodigia, Tobiæ ſanitatem, Dæmonum vires, imus ſatis vna gradientes; licet in poſtratione Naaman coram Remmon paulò procedat ſcrupuloſius, quàm Nos; & de ſtatione Solis, & Lunæ ille polemicè, nos verò Philoſophicè potius rem attingamus. Quoad effectus Circumciſionis ferè ad eundem modum incedimus; inſuper erga Iob de Regno, patria, & perſona non diſſociati; tametſi de Davide vnico Authore Pſalmorum diverſa eſt opinio, quàm verè ipſe promit graviter fultam; non ſecus ac dum negat Ioannem in vita ſuperſtitem. Quoad metamorphoſim Nabuchi, & religionem decem Tribuum mihi ab eo admodùm diſcrepare non videor. De Genealogia Salvatoris, Cainanum videtur expungere, quem ego retineo, eamque de Davide per Salomonem ego; ipſe verò per Nathan ducimus admodum probabiliter. Electio per ſortes, reprehenſioque Pauli in Petrum vtrique videtur explicatu non diſpar: vti in ſudore ſanguineo, in quo ſe diffundit crudentiſsimè. Secus autem accidit circa plures Marias, quas ſuſtinet; veluti & Zelotypiam Ioſephi de coniuge; itemque reſurgentes cum Chriſto iterum mortuos. De Anti-Chriſto verò non videmur ire procul; ſed in teſtibus in fine venturis prorſus convenio, vti, & Aram Ignoti Dei explico cum ipſo non abſimiliter. In quo iucundè legi, illos Pantheren, & Barpantheren in genealogiam Domini inductos fortè fuiſſe cognomina; ſed adhuc longè plus placet, quod tres illos Reges Magos ambo ſimul non niſi de Meſopotamia conduximus. In diſſertatione de prædeſtinatione, & reprobatione, quam Hiſtoricè repetit à prima origine, ſivè à primo, vt ipſe ait, Origene; quamvis duo doleam alterum, videlicèt, quod tantus Author videtur omninò nolle opinari nobiſcum; alterum, quòd hiſtoriam de auxilijs fortè hauſit de Actis proſcriptis, quam haurire potuiſſet ex noſtro Livino Meyer, ſivè Eleuterio magis propitiam, & non minus veram; tamen gaudeo virum hunc à nobis non reipſa diſcedere, dum id tantum ſe complecti teſtatur, quod amplectitur Auguſtinus. Cum enim nos pro hoc S. D. tam ſtrenui ſtemus, & militemus; ſubinde iucundiſsimi gratulabimur, tantum de tanto Doctore aſſeclam amparaſſe. Hæc tetigi de tàm præclaro Authore ſivè vt teſter, quam maximi faciam eius docta volumina, verè digniſsima; & quam minimi pendam coram ipſo noſtra fruſtula Quodlibetica: ſivè vt ſimul profitear, me nedum in eo plura iam didiciſſe, verum etiam, & alia plura mihi ſupereſſe diſcenda. Ergo qui ad eum venerit, inveniet Commētaria pleniſsima, Dictionaria ampla, & locupletata, Diſſertationes graves, Chronologias, Geographias, Iconographias, Harmonias, Iſagoges, Prolegomena Onomaſtica, Monetaria apparatus, ac denique harum nobilium mertium nūndinas generales.

JHS.

# PARS POSTERIOR
## ADAGIALIA N.T.P. ANDRÆÆ
## Scoti Societatis Ieſu.
## PROOEMIUM.

LIBERAMVS TANDEM FIDEM NOSTRAM DATAM Tomo 1. in proteſtatione Authoris: accepimus enim hæc poſtquam noſtra, ibi à pag. 120. erant recuſa, & in ſtudentium gratiam hæc adagia tanti viri labore noſtro contraximus, & ſucco expreſſa digeſsimus.

### EX MATHÆO.

1 CAP. 3. verſ. 10. Iam ſecuris ad radicem arboris poſita, *ideſt*. Noxæ præſto adeſt pœna, vel excidium impendens.

2 Verſ. 2. Ventilabrum in manu eius, *ideſt*. Bonos ſeparabit à malis.

3 Cap. 4. verſ. 4. Non in ſolo pane vivit homo, *ideſt*. Vltra cibos, & veſtes plura poſtulat vita.

4 Verſ. 4. Non tentabis Dominum Deum tuum, *ideſt*. Conatus temerarij provocatio ad potentem.

5 Cap. 5. verſ. 2. Aperiens os ſuum docebat eos, *ideſt*. Silentium rumpere.

6 Verſ. 3. Beati pauperes ſpiritu, *ideſt*. Viri Religioſi.

7 Verſ. 8. Beati mundo corde, *ideſt*. Puri ab ſcelere.

8 Verſ. 9. Beati Pacifici, *ideſt*. Qui remittunt iniurias.

9 Verſ. 14. Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita, *ideſt*. Exemplum manans de vertice.

10 Verſ. 15. Lucernam ponunt ſuper candelabrum, *ideſt*. Talentum pro meritis collocatum.

11 Verſ. 17. Non veni ſolvere legem, ſed adimplere, *ideſt*. Qui impugnatur pro benefactis.

12 Verſ. 16. Iota vnum aut vnus apex non præteribit, *ideſt*. Cuncta ad amuſsim.

13 Verſ. 29. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, *ideſt*. Ne rei quidem cariſsimæ cauſa peccandum.

14 Verſ. 30. Expedit vt pereat vnum membrorum, *ideſt*. Minus damnum eligito.

15 Verſ. 37. Eſt, eſt; non, non *ideſt*. Teſtimonium purum.

16 Verſ. 38. Oculum pro oculo dentem pro dente, *ideſt*. Pœna talionis.

17 Verſ. 39. Nonne reſiſtere malo, ſed præbere percutienti alteram maxillam, *ideſt*. Heroica manſuetudo.

18 Verſ. 43. Diliges proximum, *ideſt*. Cum propinquitas vincit humanitatem, & amicitia verecundiam.

19 Verſ. 19. Non ne publicani hoc faciunt? *ideſt*. Odioſi populo.

20 Cap. 6. verſ. 2. Noli tuba canere ante te, *ideſt*. Hypocrita oſtentatio.

21 Verſ. 2. Receperunt mercedem ſuam, *ideſt*. Mundanam.

22 Verſ. 3. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, *ideſt*. Occulta elemoſyna.

23 Verſ. 7. Multum loqui, *ideſt*. Multa cura verborum.

24 Verſ. 16. Exterminant facies ſuas, *ideſt*. Artificioſe oppaleſcunt.

25 Verſ. 21. Vbi theſaurus, ibi, & cor, *ideſt*. Vbi res amata, ibi amor, & cogitatio.

26 Verſ. 24. Non potes duobus Dominis ſervire, *ideſt*. Amor nequit dividi.

27 Verſ. 27. Craſtinus dies ſolicitus erit ſibi ipſi, & ſufficit diei malitia ſua, *ideſt*. In dies ſuos curæ, & ſolicitudines dividantur.

28 Cap. 7. verſ. 2. Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, *ideſt*. Studium æqualitatis, atque Iuſtitiæ.

29 Verſ. 5. Eijce primum trabem de oculo tuo, *ideſt*. Qui minora carpit gravioribus preſſus.

30 Verſ. 6. Nolite dare ſanctum canibus; nec demittatis margaritas ante porcos, *ideſt*. Quæ Sacra ſunt impuris, ac maledicis non permittuntur.

31 Verſ. 7. Date, & dabitur vobis, *ideſt*. Mutua ſint charitatis officia.

32 Verſ. 14. Quam anguſta porta, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, *ideſt*. Labore ſummo comparantur excelſa.

33 Verſ. 15. Veſtimenta ovium, *ideſt*. Hæretici verſipelles, & hypocritæ.

34 Verſ. 16. Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? non poteſt arbor mala bonos fructus facere, *ideſt*. E malis mala progerminant.

35 Verſ. 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, *ideſt*. Potius opere, quam verbo innoteſcit affectus orantis.

36 Verſ. 26. Super arenam ædificare, *ideſt*. Sine ſolido fundamento ſuper terram ædificare, *ideſt*. Solidiſsimè quidpiam moliri.

37 Cap. 8. verſ. 10. Non inveni tantam fidem in Iſrael, *ideſt*. Inſperata fidelitas.

38 Verſ. 20. Vulpes foveas habent, *ideſt*. Homo fallax agit cuniculos.

39 Verſ. 20. Non habet vbi caput reclinet, *ideſt*. Inopia ſumma.

40 Verſ. 22. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, *ideſt*. Qui ſæculo ſe conformant, perinde ſunt ac vita functi.

41 Cap. 9. verſ. 12. Non eſt opus Medico valentibus, ſed male habentibus, *ideſt* Peccatores ægri; Iuſti autem ſunt ſani.

42 Verſ. 15. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? *ideſt*. In adventu ſuperioris aut amici lætandum.

43 Verſ. 16. Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, *ideſt*, nova veteribus vel rurſus vetera novis quandoque non congruunt.

44 Verſ. 17. Non mittunt vinum novum in vtres veteres, *ideſt*. Oportet ad nova retinenda, novitatem induere.

45 Verſ. 37. Meſsis multa; operarij verò pauci, *ideſt*. Multi credentes, & Doctores pauci.

46 Cap. 10. verſ. 8. Gratis accepiſtis, gratis date, *ideſt*. Spiritualia dona gratis communicentur.

47 Verſ. 10. Dignus eſt operarius cibo ſuo, *ideſt*. Sacerdos de altari alendus.

48 Verſ. 14. Excutite pulverem de pedibus, *ideſt*. In nihilo communicare.

49 Verſ. 16. Sicut oves in medio luporum, *ideſt*. Innocens inter malevolos.

50 Verſ. 16. Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, *ideſt*. Prudentia, & ſimplicitas inter ſe temperentur.

Verſ.

51 Verſ. 20. Non vos eſtis qui loquimini, *ideſt*. Sententia ſupra loquentem.

52 Verſ. 22. Qui perſeveraverit vſque in finem, hic ſalvus erit, *ideſt*. bona opera coronentur.

53 Verſ. 24. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, *ideſt*. Quandiu diſcipulus eſt.

54 Verſ. 4. Non eſt ſervus ſupra Dominum, *ideſt*. Servus patiatur cum Domino ſuo.

55 Verſ. 26. Nihil eſt opertum quod non reveletur, *ideſt*. Tempus omnia pandit.

56 Verſ. 27. Prædicate ſuper tecta, *ideſt*. Palam, & publicè.

57 Verſ. 29. Vnus paſſer non cadet ſuper terram, *ideſt*. Datur providentia de minimis.

58 Verſ. 35. Non veni mittere pacem, ſed gladium, *ideſt*. Pernicioſa eſt quandoque concordia.

59 Verſ. 34. Inimici eius, Domeſtici eius, *ideſt*. Quo quis proximior, magis eſt hoſtis in odio.

60 Verſ. 39. Qui perdiderit animam ſuam propter me, *ideſt*. Vitam ſuam.

61 Cap. 11. verſ. 7. Arundo vento agitata, *ideſt*. Homo mutabilis, & inconſtans.

62 Verſ. 8. Homo mollibus veſtitus, *ideſt*. Aulicus, & voluptuoſus.

63 Verſ. 12. Regnum Cœlorum vim patitur, *ideſt*. Comparatur multa virtute.

64 Verſ. 15. Qui habet aures audiendi audiat, *ideſt*. Rem ſummi momenti, & graviſsimam.

65 Verſ. 17. Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis, *ideſt*. Ad terrores, & illecebras obſtinati.

66 Verſ. 18. Dœmonium habet, *ideſt*. Improbi etiam bona improbant.

67 Verſ. 19. Iuſtificata eſt ſapientia filijs ſuis, *ideſt*. Sapientia Dei juſta oſtenditur in cultoribus eius.

68 Verſ. 29. Tollite iugum, *ideſt*. Legi flecte cervices.

69 Cap. 12. verſ. 20. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, *ideſt*. Silentium, & quies.

70 Verſ. 25. Omne Regnum contra ſe diviſum deſolabitur, *ideſt*. Diſcordia res maximæ delabuntur.

71 Verſ. 30. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum ſpargit, *ideſt*. Fides Chriſtiana non habet neutros.

72 Verſ. 34. Progenies viperarum, *ideſt*. Occiſores Patrum ſuorum.

73 Verſ. 34. Quomodo poteſtis bona loqui; cum ſitis mali, *ideſt*. Oratio animum indicat.

74 Verſ. 34. Ex abundantia cordis os loquitur, *ideſt*. Impurus impura.

75 Verſ. 34. Bonus homo de bono theſauro profert bona, *ideſt*. A Viro probo nihil improbum.

76 Verſ. 34. Malus homo de malo theſauro profert mala, *ideſt*. A peſsimo nihil boni.

77 Verſ. 43. Spiritus immundus revertitur in domum, vnde exivit, *ideſt*. Fugit baptiſmate, & redit peccato.

78 Cap. 13. verſ. 5. Semen in petroſa cecidit, *ideſt*. Beneficium ingrato.

79 Verſ. 12. Qui habet dabitur ei, & abundabit, *ideſt*. Dona Spiritus Sancti augentur in pijs.

80 Verſ. 12. Qui non habet, & quod habet auferetur ab eo, *ideſt* pauper facile eſt in ſpolium.

81 Verſ. 13. Videntes non vident, audientes non audiunt, *ideſt*. quæ non placent diſsimulantes.

82 Verſ. 15. Incraſſatum eſt cor populi, *ideſt*. Ad ſuperbiendum, & calcitrandum.

83 Verſ. 25. Seminare zizania, *ideſt*. Diſcordias.

84 Verſ. 33. Fermentum in farinæ abſconditum ſatis tribus, *ideſt*.

Inſi-

Inſinuatio in alios, vt adducantur ad ſe.

85 Verſ. 44. Theſaurus abſconditus, *ideſt*. Res non obvia, ſed multo labore comparanda.

86 Verſ. 47. Sagena ex omni genere piſcium congregans, *ideſt*. Ordo multa turba deformis.

87 Verſ. 52. Scriba doctus profert de Theſauro ſuo nova, & vetera, *ideſt*. Doctores, & ſapientes de profundo doctrinæ depromentes.

88 Verſ. 57. Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, *ideſt*. Quævis artes, & vitæ inſtituta etiam ſcriptorum, ac magiſtrorum.

89 Cap. 14. Verſ. 31. Modicæ fidei quare dubitaſti? *ideſt*. Qui poſt Chriſtum ſeiactat in aquas, non ſe iactet.

90 Cap. 15. verſ. 28. Honorare labijs tantum, *ideſt*. Ficte blandiri.

91 Verſ. 11. Quod intrat in os non coinquinat hominem, *ideſt*. Animus Eccleſiæ inobediens inquinat, & non victus.

92 Verſ. 14. Cæcus cæcum ducit, *ideſt*. Hæreticus erraticum.

93 Verſ. 20. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem, *ideſt*. Potius purganda mens eſt, quam manus.

94 Verſ. 24. Non ſum miſſus niſi ad oves perditas ex Iſrael, *ideſt*. Antequam Patriæ, & parentibus, non eſt cæteris proſpiciendum.

95 Verſ. 29. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, *ideſt*. Proprijs quam exteris prius conſulito.

96 Cap. 16. verſ. 17. Caro, & ſanguis non revelavit, *ideſt*. Non humanitus.

97 Verſ. 23. Vade poſt me Satanana, *ideſt*. Ne mihi adverſeris in bono.

98 Cap. 17. verſ. 4. Bonum eſt nos hic eſſe, *ideſt*. Placet locus, & incolatus.

99 Cap. 18. verſ. 6. Expedit eis vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, *ideſt*. Ponderi alligatus mergatur, ne mergat.

100 Verſ. 7. Væ homini per quem ſcandalum venit, *ideſt*. Malo Rectori.

101 Verſ. 16. In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, *ideſt*. Vnus quiſquis ille ſit, pro tota veritate non fideiubet.

102 Cap. 19. verſ. 26. Quod Deus coniunxerit homo non ſeparet, *ideſt*. Quoad vinculum.

103 Verſ. 11. Non omnes capiunt verbum hoc, *ideſt*. Rem hanc.

104 Verſ. 16. Apud Deum omnia poſsibilia, *ideſt*. Omnipotens Deus eſt.

105 Verſ. 24. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam, &c. *ideſt*. Prius fiet aliquod impoſsibile, quam, &c.

106 Verſ. 30. Multi erunt primi noviſsimi, & noviſsimi primi, *ideſt*. Alij de gradu deijcientur, & alij aſcendent.

107 Cap. 20. ver 12. Portavimus pondus diei, & æſtus, *ideſt*. Plus cæteris laboravimus.

108 Verſ. 16. Multi ſunt vocati, pauci vero electi, *ideſt*. Pauci prædeſtinati inter plures vocatos ad regnum.

109 Verſ. 22. Bibere Calicem, *ideſt*. Subire mortem.

110 Cap. 21. verſ. 13. Domus mea domus orationis vocabitur, *ideſt*. Templa decent devotio, & ſilentium.

111 Verſ. 16. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, *ideſt*. Tandem bona cauſa triumphat.

112 Verſ. 41. Malos male perdet, *ideſt*. Improbus pœnas luet.

113 Cap. 22. verſ. 12. Amice quomodo huc intraſti? *ideſt*. Indignus altiora ſe petens.

114 Verſ. 11. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, *ideſt*. Nemo ſuo iure fraudandus.

115 Cap. 23. verſ. 3. Dicunt, &

non faciunt, *ideſt*. Concionator hypocrita.

116 Verſ. 4. Imponere in humeros hominum onera gravia, *ideſt*. Qui imponunt, vt deponant, officij ſui admonitione indigentes.

117 Verſ. 5. Dilatant philacteria, *ideſt*. Superſtiosè legem oſtentant.

118 Verſ. 6. Primos amare accubitus, *ideſt*. Ambitione corrodi.

119 Verſ. 11. Qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit, exaltabitur, *ideſt*. Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit, & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi eſt ſapientia. Vel cum Sacratiſsima Deipara: de poſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

120 Verſ. 14. Domos comedere viduarum, *ideſt*. Herædítatum expilatores.

121 Verſ. 24. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, *ideſt*. Minora poſt maiora, vtraque tandem præſtanda.

122 Verſ. 24. Excolare culicem, camelum autem deglutire, *ideſt*. Scrupuloſi ad levia, & temerarij ad gravia.

123 Verſ. 37. Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, *ideſt*. Patris ac Principis contutatio, & protectio.

124 Cap. 24. verſ. 8. Hæc ſunt initia dolorum, *ideſt*. Res non proſpera indicans triſtia.

125 Verſ. 20. Ne fiat fuga veſtra hyeme, neque in Sabbato, *ideſt*. Non erit optatus exitus.

126 Verſ. 28. vbicumque fuerit cadaver, ibi, & aquilæ, *ideſt*. Vbi ſenes, ibi, & hæredipetæ.

127 Verſ. 40. Duo in agro: vnus aſſumetur, *ideſt*. Pares, qui evadunt diſpares.

128 Verſ. 51. Partem cum hypocritis ponet, *ideſt*. Conditionem.

129 Cap. 25. verſ. 8. Date nobis de oleo veſtro, *ideſt*. Opem veſtram ne ſimus vacuæ ab operibus.

130 Verſ. 12. Neſcio vos, *ideſt*, Nihili facio.

131 Verſ. 12. Vigilate quia neſcitis diem, neque horam, *ideſt*. Ignota dies extrema.

132 Verſ. 21. Super pauca fuiſti fidelis; ſupra multa te conſtituam, *ideſt*. Modicis benè functus, dignus eſt maximis.

133 Verſ. 24. Metis vbi non ſeminaſti, *ideſt*. Avarus tranſilit terminos.

134 Verſ. 32. Segregare oves ab hædis, *ideſt*. Iuſtos ab iniquis.

135 Cap. 21. verſ. 5. Non in die feſto, *ideſt*. Res irreligioſa.

136 Verſ. 8. Vt quid perditio hæc? *ideſt*. Sumptus ſuperflui.

137 Verſ. 31. Percutiam Paſtores, & diſpergentur oves, *ideſt*. Amicitia in diſcrimine comprobatur.

138 Verſ. 41. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, *ideſt*. lucta interna carnis, & ſpiritus.

139 Verſ. 49. Oſculatus eſt Ieſum Iudas, *ideſt*. Proditor ſimulatus.

140 Verſ. 50. Amice ad quid veniſti? *ideſt*. Per ſpeciem benevolentiæ inſidiaris.

141 Verſ. 52. Qui gladium acceperit, gladio peribit, *ideſt*. Tenebitur lege Talionis.

142 Verſ. 65. Scidit veſtimenta ſua, *ideſt*. Actio luctuoſa.

143 Verſ. 73. Et tu ex illis es? *ideſt*. Eiuſdem furfuris, ordinis, aut ſectæ.

143 Verſ. 73. Loquela tua manifeſtum te facit, *ideſt*. Te prodit accentus vel idioma.

144 Cap. 27. verſ. 3. Pœnitentia ductus retulit argenteos, *ideſt*. Falſo pœnitens, & deſperans.

145 Verſ. 24. Pilatus lavit manus coram populo, *ideſt*. Innocentiam affectabat.

146 Verſ. 26. Dimiſit illis Barabbam, & Chriſtum tradidit, *ideſt*. Qui iuſtum damnat; impium abſolvit.

147 Verſ. 30. Spuere in faciem, *ideſt*, Magna ignominia.

Verſ.

148 Verſ. 35. Super veſtem meam miſerunt ſortem, *ideſt.* Longa certamina ſors tandem dirimit.

149 Verſ. 64. Noviſsimus error peior priore, *ideſt.* Scelus ſcelere cumulatum.

## EX MARCO.

150 CAP. 6. verſ. 39. Tace, obmuteſce, *ideſt.* Imperioſa indictio ſilentij.

151 Cap. 7. verſ. 34. Oves non habentes Paſtorem, *ideſt.* Qui caret regimine.

152 Verſ. 52. Cor obcæcatum, *ideſt.* Error diuturnus.

153 Cap. 8. verſ. 24. Video homines velut arbores, *ideſt.* Res parum nota.

153 Cap. 9. verſ. 3. Candida velut nix, *ideſt.* ſummus candor.

154 Verſ. 40. Qui non eſt adverſum vos, pro vobis eſt, *ideſt.* Putetur amicus, qui non eſt inimicus.

155 Verſ. 84. Omnis igne ſalietur, *ideſt.* Probabitur.

156 Verſ. 84. Omnis victima ſale ſalietur, *ideſt.* Nihil offeratur inſipidum.

157 Verſ. 49. Bonum eſt ſal, id eſt prudentia. Et ibi habete in vobis ſal, *ideſt.* Sapientiam.

158 Cap. 13. verſ. 2. Non relinquetur lapis ſuper lapidem, *ideſt.* Ruina maxima.

159 Verſ. 29. In oſtijs, *ideſt,* quod imminet.

160 Verſ. 37. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate, *ideſt.* Somnus, & torpor removendus. Reliqua ex Marco ſunt ſupra apud Mathæum.

## EX LVCA.

161 CAP. 1. verſ. 3. Diligenter ex ordine ſcribere, *ideſt,* non promiſcue, nec parce.

162 Verſ. 37. Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum, *ideſt.* Quidpiam.

163 Verſ. 43. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me, *ideſt.* Tali viſitatione digna non ſum.

164 Cap. 2. verſ. 49. In his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe, *ideſt.* Me ſerio occupare.

165 Cap. 3. verſ. 9. Iam ſecuris ad radicem, vt ſuprà in Mathæo, adagio 1.

166 Verſ. 14. Contenti eſtote ſtipendijs veſtris, *ideſt.* Iuſti ac moderati.

167 Verſ. 16. Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum, *ideſt.* Magna inferioritas.

168 Cap. 4. verſ. 23. Medice curate ipſum, *ideſt.* Proprius morbus prior ſit, quam alienus.

169 Verſ. 24. Nemo Propheta acceptus eſt in patria. Vt in Mathæo cap. 13. v. 57.

170 Cap. 5. verſ. 39. Vetus melius eſt vinum, *ideſt.* Fidus amicus.

271 Cap. 6. verſ. 31. Prout vultis, vt faciant vobis homines, ſic facite illis, *ideſt.* Par pari ſemper eſt referendum.

172 Verſ. 35. Mutuum date, nihil inde ſperantes, *ideſt.* Gratis eſto beneficus.

173 Verſ. 38. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dare, *ideſt.* Actione planè, & plenè liberaliter ſolutiva.

174 Verſ. 39. Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Suprà Mathæi 15. 14.

175 Verſ. 44. Arbor de fructu ſuo cognoſcitur, *ideſt.* Res præclara ſe ipſam commendat.

176 Cap. 7. verſ. 47. Cui minus dimittitur, minus diligit, *ideſt.* Multi amici muneris magis, quam perſonæ,

177 Cap. 9. verſ. 62. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei, *ideſt.* Labor, & officium conſtantia peragunrur.

178 Cap. 11. verſ. 11. Lapidem dare pro pane: pro piſce ſerpentem,

pro

pro ovo ſcorpionem, *ideſt*. Pro vtilibus noxia.

179 Verſ. 17. & 23. Omne regnum in ſe diviſum. Et qui non eſt mecum contra me eſt. Mathæi 12. verſ. 25. & 30.

180 Verſ. 31. Ecce pluſquam Salomon, *ideſt*. Ingens magnificentia, & ſapientia.

181 Cap. 12. verſ. 15. Non in abundantia, cuiuſpiam vita eius eſt, *ideſt*. Non in opibus, ſed in Dei benedictione.

182 Verſ. 19. Requieſce, comede, bibe, epulare, *ideſt*. Beſtiarum mores.

183 Verſ. 35. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, *ideſt*, parati ad iter, & ad Dominum ſuum.

184 Verſ. 48. Cui multum datum eſt multum quæretur ab eo, *ideſt*. Ditior non eſt fælicior, ſed ſolicitior.

185 Cap. 14. verſ. 10. Amice aſcende ſuperius, *ideſt*. Honor fugientis eſt.

186 Verſ. 30. Hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare, *ideſt*. Conatus temerarij, vel defectio exprobranda.

187 Cap. 15. verſ. 32. Hic mortuus erat, & revixit, *ideſt*. Qui repenti comparet.

188 Cap. 16. verſ. 3. Fodere non valeo, *ideſt* Nequeo dare operam pro mercede.

189 Verſ. 8. Filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua, *ideſt*. Perſpicatiores illi ad ſua negotia, quam iſti ad ſua.

190 Verſ. 10. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori eſt, *ideſt*. Non ſolum in œconomicis, ſed in politicis dignus ad maiora.

191 Verſ. 10. Qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt, *ideſt*. Citò creſcit iniquitas.

192 Cap. 17. verſ. 32. Memores eſtote vxoris Loth, *ideſt*. Alieno ſupplicio ſapite.

193 Verſ. 37. Vbicumque fuerit corpus. Mathæi 24. verſ. 28.

194 Cap. 18. verſ. 12. Ieiuno bis in Sabbato, *ideſt*. In hebdomada ſecunda, & quinta die. Vel gloriatur ſuperbus.

195 Cap. 19. verſ. 21. Tollis quod non poſuiſti: ſupra Mathæi 25. verſ. 24.

196 Verſ. 22. De ore tuo te iudico, *ideſt*. Tuis te argumentis convinco.

197 Cap. 21. verſ. 22. Vidua mittens æra minuta duo, *ideſt*. Munuſculum, ſed liberaliſsimè donatum.

198 Verſ. 18. Capillus de capite veſtro non peribit, *ideſt*. Bona opera cuncta ſalvant.

199 Verſ. 24. Cadent in ore gladij, *ideſt*. Acie gladiorum occumbent.

200 Cap. 23. verſ. 12. Facti ſunt amici Pilatus, & Herodes, *ideſt*. Improbi contra iuſtum coire non recuſant.

201 Verſ. 21. Crucifige, crucige, *ideſt*. Præceps, & iniqua proclamatio ſupplicij?

203 Verſ. 31. Si in viridi ligno hæc faciunt; in arido quid fiet, *ideſt*. Quid de iniquitate, dum ſic plectitur innocentia?

204 Cap. 24. verſ. 18. Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, *ideſt*. Ignoras notiſsima.

205 Verſ. 25. O ſtulti, & tardi corde, *ideſt*. Moroſi ad fidem.

206 Verſ. 28. Finxit ſe longius ire, *ideſt*. Simulatione induſtrioſa, & non ficta.

## EX IOANNE EVANGELISTA.

207 CAP. 1. verſ. 15. Lux in tenebris lucet, *ideſt*: Inter idiotas doctus, & contraria contrarijs magis eluceſcunt,

208 Verſ. 27. Non ſum dignus, vt ſolvam eius corrigiam calceamenti, *ideſt*. Demiſsio profunda.

209 Verſ. 6. A Nazareth aliquid boni, *ideſt*. De exiguo magna.

Verſ.

210 Verſ. 47. Veni, & vide, *ideſt*. Proba experimento.

211 Cap. 3. verſ. 6. Ex carne caro, *ideſt*. Carnalis carnalia ſapit.

212 Verſ. 8. Spiritus vbi vult ſpirat, *ideſt*. Aer pugno non cogitur.

213 Verſ. 10. Tu magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? *ideſt*. Qui non callet ea, quæ profitetur.

214 Verſ. 20. Omnis qui male agit odit lucem, *ideſt*. Crimen nudum conſpici ſemper cavetur.

215 Verſ. 21. Qui facit veritatem venit ad lucem, *ideſt*. Bona opera palam fiunt.

216 Verſ. 31. Qui de terra eſt de terra loquitur, *ideſt*. Abiectus abiecta.

217 Verſ. 34. Non ad menſuram dat Deus ſpiritum, *ideſt*. Non æqualiter omnibus.

217 Cap. 4. verſ. 9. Non coutuntur Iudæi Samaritanis, *ideſt*. Odia perpetua Nationum.

218 Verſ. 19. Propheta es tu, *ideſt*. Occulta pandis, & noſcis.

219 Verſ. 32. Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis, *ideſt* Negotium iucundum, & myſterioſum.

220 Verſ. 37. Alius ſeminat, alius metit, vt ſuprà Math. 25. v. 24.

221 Cap. 6. verſ. 12. Colligite, quæ ſuperaverint fragmenta, *ideſt*. Etiam vetuſtatis, & eruditionis.

222 Cap. 7. verſ. 24. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicum iudicate, *ideſt*. Cenſor iniquus.

223 Cap. 8. verſ. 32. Veritas liberabit, *ideſt*. Innocentia.

224 Cap. 9. verſ. 23. Ætatem habet, *ideſt*. Suo iure gaudet, & verbo.

223 Cap. 10. verſ. 1. Qui non intrat per oſtium fur eſt, & latro, *ideſt*. Qui incedit per devia.

224 Verſ. 7. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus. Mercenarius fugit, quia mercenarius eſt, *ideſt*. Qui impenſe officium ſuum peragit. Et qui plus ſtudet pretio, quam officio.

225 Verſ. 14. Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ, *ideſt*. Quæ ad me attinent.

226 Verſ. 16. Vnus Paſtor, & vnum ovile, *ideſt*. Pax multa ſub vno Rectore.

227 Verſ. 38. Operibus credite, *ideſt*. Facta loquuntur.

228 Cap. 11. verſ. 9. Non ne duodecim ſunt horæ diei? *ideſt*. Proſpera, & adverſa per horas variant.

229 Verſ. 10. Si quis ambulaverit in nocte offendit, *ideſt*. Nihi obſcure tentandum.

230 Cap. 12. verſ. 24. Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum offert, *ideſt*. Electi in Chriſto morientes propter ipſum valde fructificant.

231 Verſ. 35. Qui ambulat in tenebris neſcit, quo vadat, *ideſt*. Qui temere tractat ignota.

232 Cap. 15. verſ. 15. Servus neſcit quid faciat Dominus eius, *ideſt*. Arcana non ſervis, ſed amicis.

233 Verſ. 25. Oderunt gratis, *ideſt*. Per ſummam malitiam.

234 Cap. 16. verſ. 20. Triſtitia veſtra vertetur in gaudum, *ideſt*. Ex preſſura ſolatium.

235 Verſ. 21. Mulier cum parit triſtitiam habet, *ideſt*. Dolor incipiens in gaudium deſinens.

236 Cap. 9. verſ. 22. Quod ſcripſi ſcripſi, *ideſt*. Firma ſententia.

237 Verſ. 24. Non ſcindamus eam, *ideſt*. Sacram Scripturam, vel Eccleſiam.

238 Cap. 20. verſ. 17. Noli me tangere, *ideſt*. Nondum oportet.

239 Verſ. 29. Beati, qui non viderunt, & crediderunt, *ideſt*. Curioſitas temeraria eſſe ſolet, fides vero tuta.

## EX ACTIS APOSTOLORVM.

240 CAP. 1. verſ. 17. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, *ideſt*. Futura anxiè ne quæras.

241 Cap. 5. verſ. 29. Obedire oportet Deo, magis, quam hominibus, *ideſt*. Dum placita non conveniunt.

242 Cap. 7. verſ. 57. Continere aures, *ideſt*. In exorabilem eſſe.

243 Cap. 9. verſ. 5. Durum eſt contra ſtimulum calcitrare, *ideſt*. Deo, & potentibus cum damno reſiſtitur.

244 Cap. 13. verſ. 22. Vir ſecundum cor, *ideſt*. Animus cum animo, concors, & placens.

245 Cap. 18. verſ. 21. Deo volente, *ideſt*. Nil ſine Deo.

246 Cap. 20. verſ. 35. Beatius eſt magis dare, quam accipere, *ideſt*. Plus valet liberalitas, quam copia.

247 Cap. 23. verſ. 3. Paries dealbatus, *ideſt*. Hypocrita.

## EX EPISTOLA PAVLI AD Romanos.

248 CAP. 1. verſ. 14. Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum, *ideſt*. Habeo officium ad omnes.

249 Cap. 2. verſ. 11. Non eſt acceptio perſonarum apud Deum, *ideſt*. Iuſtitia Dei æqualis eſt omnibus.

250 Verſ. 12. Sine lege peccantes ſine lege peribunt, *ideſt* Homines diſſoluti.

251 Verſ. 21. Alium doces, te ipſum non doces, *ideſt* in his, quæ dicis, ipſe deficis.

252 Cap. 3. verſ. 8. Non ſunt facienda mala vnde veniant bona, *ideſt*. Mala perpetuo arcenda, & vitanda.

253 Verſ. 19. Obſtruere os, *ideſt*. Pudore obmuteſcere.

254 Cap. 7. verſ. 19. Non quod volo, bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago, *ideſt*. Pugnant caro, & ſpiritus.

255 Cap. 8. verſ. 28. Diligentibus Deum omnia in bonum, *ideſt*. Semper charitati adeſt Deus.

256 Verſ. 31. Si Deus pro nobis, qui contra nos? *ideſt*, qui cum Deo eſt timet neminem.

257 Cap. 9. verſ. 12. Maior ſerviat Minori, *ideſt*. Omnis maior eſt iuxta placitum Maximi.

258 Verſ. 21. Aliud vas in honorem, aliud in ignominiam, *ideſt*. Nobiles, & ignobiles ex eodem figulo, & luto.

259 Verſ. 27. Tanquam arena maris, *ideſt*. res penè infiniti laboris.

260 Verſ. 29. Sicut Sodoma, & Gomorra ſimiles fuiſſemus, *ideſt*. Horrendum iræ divinæ exemplum.

261 Cap. 12. verſ. 15. Gaudere cum gaudentibus, *ideſt*. Charitate alijs vniri.

262 Cap. 13. verſ. 1. Non eſt poteſtas, niſi à Deo, *ideſt*. Superioribus parendum eſt.

263 Cap. 14. verſ. 5. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet *ideſt*. In ſua ſententia, dum licet.

264 Cap. 15. verſ. 6. Vno ore, *ideſt*. Summa concordia.

## EX 1. AD CORINTHIOS.

265 CAP. 3. verſ. 13. Dies declarabit, *ideſt*. Tempus.

266 Verſ. 19. Sapientia huius mundi ſtutitia eſt apud Deum, *ideſt*. Aſtutos Deus improbat.

267 Cap. 4. verſ. 4. Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum, *ideſt*. Pura conſcientia, ſed humilis.

268 Verſ. 9. Spectaculum facti ſumus, *ideſt*. Omnes in nos intendunt.

269 Verſ. 13. Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, *ideſt*. Abiectiſsimi.

270 Verſ. 17. Si Dominus voluerit, *ideſt*. Nihil ſine Deo.

271 Cap. 5. verſ. 6. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, *ideſt*. Vna hæreſis totam legem.

272 Cap. 6. verſ. 12. Omnia li-

licent, ſed non omnia expediunt, *ideſt*. Quandoque à licitis temperandum.

273 Cap. 7. verſ. 20. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt in ea permaneat, *ideſt*. Quiſque ſit ſua ſorte contentus.

274 Cap. 8. verſ. 1. Scientia inflat, *ideſt*. Superbit. Charitas ædificat, *ideſt*. Promovet in pietate.

275 Cap. 9. verſ. 7. Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gegrẽ, & de lacte gregis non manducat? *ideſt*. Eccleſiæ Doctores, & operarij alendi ſunt de ea.

276 Verſ. 9. Non ligabis os bovi trituranti, *ideſt*. In labore ſuo eſt pars vnicuique.

277 Verſ. 26. Et aerem verberare, *ideſt*. Opus inane.

278 Cap. 10. verſ. 12. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat, *ideſt*. Neque ſit in ipſa virtute iactantia.

279 Cap. 13. verſ. 1. Æs ſonans, aut cimbalum tinniens, *ideſt*. Sermo vacuus, & garrulus.

280 Verſ. 2. Montes transferre, *ideſt*. Ardua vincere.

281 Verſ. 11. Cum eſſem parvulus, *ideſt*. Infans, & inſcius.

282 Verſ. 12. Videre facie ad faciem, *ideſt*. ſine ſpeculo, aut phantaſmate.

283 Cap. 14. verſ. 9. In Aera loquentes, *ideſt*. Lingua ignota.

284 Verſ. 38. Si quis ignorat, ignorabitur, *ideſt*. A Deo improbabitur qui hæc ignorat.

285 Cap. 15. verſ. 8. Tanquam abortivo, *ideſt*. Abiecto, & contempto.

286 Verſ. 10. Gratia Dei ſum id quod ſum, *ideſt*. Nihil mihi attribuo.

287 Verſ. 32. Ad beſtias pugnare, *ideſt*. Pati tormenta beſtiarum.

288 Verſ. 32. Edamus, & bibamus, cras enim moriemur, *ideſt*. Epicurea, Atheiſtaque conclamatio.

289 Verſ. 33. Corrumpunt mores bonos colloquia mala, *ideſt*. Sermo, & Societas mala male fructificant.

290 Cap. 16. verſ. 9. Oſtium mihi apertum eſt magnum, *ideſt*. Occaſio præclara.

## EX 2. AD CORINTHIOS.

291 CAP. 1. verſ. 7. Socij paſsionum etiam conſolationis, *ideſt*. Collaborans mercedis eſt particeps.

292 Cap. 2. verſ. 17. Adulterantes verbum Dei, *ideſt*. Corrumpentes, & infideliter tradentes.

293 Cap. 4. verſ. 7. Theſaurus in vaſis fictilibus, *ideſt*. Anima in corpore.

294 Cap. 6. verſ. 10. Nihil habentes, & omnia poſsidentes, *ideſt*. Paupertas voluntaria.

295 Verſ. 14. Quæ ſocietas lucis ad tenebras? *ideſt*. Inter diſsimilia, & contraria.

296 Verſ. 14. Quæ conventio Chriſti ad Belial? *ideſt*. Iuſtitiæ ad improbos.

297 Cap. 9. verſ. 6. Qui parce ſeminat, parce, & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus, & metet, *ideſt*. De copioſiori eleemoſyna fruges ampliores.

298 Verſ. 7. Hilarem datorem diligit Deus, *ideſt*. Munus vltro dandum.

299 Cap. 10. verſ. 18. Non qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt, *ideſt*. Nos fallit laudis noſtræ cupiditas.

300 Cap. 12. verſ. 2. Deus ſcit, *ideſt*. Quod dico eſt veriſsimum.

301 Verſ. 9. Virtus infirmitate perficitur, *ideſt*. Virtus Dei, dum roborat infirmitatem.

## AD GALATAS.

302 CAP. 1. verſ. 10. Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem, *ideſt*. Non raro quod

quod placet homini; displicet Christo.

303 Cap. 2. Vers. 2. In vacuum currere, *idest*. Temere aggredi, & ingredi.

304 Vers. 11. Resistere in faciem, *idest*. Coram, & aperto Marte.

305 Vers. 14. Recte ambulare, *idest*. Via plana, & regia, procul insidiis.

306 Cap. 4. Vers. 14. Sicut Angelum Dei, *idest*. præstantissimum.

307 Cap. 6. Vers. 2. Alter alterius onera portate, *idest*. Infirmioribus compatiendum.

308 Vers. 4. Opus suum probet vnusquisque, *idest*. Exploret, vt merito se approbet.

309 Vers. 7. Qui seminaverit homo hæc metet, *idest*. Prout egerit, reportabit.

310 Vers. 7. Deus non irridetur, *idest*. Deceptor fallit se ipsum.

311 Vers. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum, *idest*. Tempus benè impendendum.

## AD EPHÆSIOS.

312 EPhesiæ litteræ, *idest*. Prodigiosæ.

313 Cap. 4. Vers. 16. Irascimini, & nolite peccare, *idest*. Irascibili vtendum est vsque ad aras.

314 Vers. Sol non occidat supra iracundiam vestram, *idest*. Ira ne foveatur, & duret.

315 Cap. 5. Vers. 16. Dies mali sunt, *idest*. Pleni incommodis.

## AD PHILIPPENSES.

316 CAP. 2. Vers. 21. Omnes quæ sua sunt quærunt, *idest*. Student sibi potius quam Christo.

317 Sicut Patri servit filius, *idest*. Obsequitur, & auscultat.

318 Cap. 3. Vers. 18. Inimici Crucis Christi, *idest*. Osores mortificationis vitiorum.

## 1. AD THESSALONICENSES.

319 CAP. 2. Vers. 7. Tanquam si nutrix foveat filios suos, *idest*. Doctor ad filios Ecclesiæ.

320 Cap. 4. Vers. Sciat Vnusquisque vas suum possidere, *idest*. Corpus suum in honestate.

321 Cap. 5. Vers. 2. Sicut in nocte, *id est*. Repentinum malum.

322 Vers. 21. Omnia probate, quod bonum est tenete, *idest*. Cuncta noscite, & meliora segilite.

## 2. AD THESSALONICENSES.

323 CCAP. 3. Vers. 10. Si quis non vult operari nec manducet, *idest*, fuci amandandi.

## 1. AD TIMOTHEVM.

324 CAP. 5. Vers. 6. Vivens mortua est, *id est*. Propter luxuriam.

325 Ver. Non infrænabis os bovi trituranti, *idest*. Dignus est operarius mercede sua. Vt supra.

326 Cap. 3. Vers. 1. Si quis Episcopatum desiderat; bonum opus desiderat, *idest*. Propter officium, & conscientiam, non commodo, & ambitione metiendum.

327 Cap. 6. Vers. 7. Nihil in mundum, *idest*. In mundo relinquenda sunt, quæ in mundo possidemus.

328 Vers. 8. Habentes alimenta, & quibus tegamur, *idest*. Domum, victum, & vestem.

329 Vers. 10. Cupiditas omnium malorum radix, *idest*. Avaro nihil est Sceleſtius.

2. AD TIMOTHEVM.

330 CAP. 2. Verſ. 5. Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit, *ideſt.* Cum Diabolo, Carne, & Mundo, eos ſuperando.

331 Verſ. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus, accipere, *ideſt.* Ante omnia de fructibus operarijs merces ſolvenda.

332 Verſ. 20. In Magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argenta, ſed, & lignea, & fictilia, *id eſt*, in Eccleſia, multi ſunt ordines hominum.

333 Cap. 3. Verſ. 8. Iannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, *id eſt.* Vani, & loquaces.

334 Verſ. 12. Omnes qui pie volunt vivere, perſecutionem patientur *id eſt.* Iuſti afficiuntur iniurijs.

335 Verſ. 4. Ad fabulas convertentur, *id eſt.* Ad Doctrinas ſubtiles, & res vaniſsimas.

AD TITVM.

336 CAP. Verſ. 12. Cretenſes ſemper mendaces, ventres pigri, *ideſt.* Fallaces, & edaces.

337 Verſ. 15. Omnia mundis *ideſt.* Cunctæ res bonæ ad vſum vitæ dati ſunt Chriſtianis.

AD HEBRÆOS.

338 CAP. 4. Verſ. 13. Omnia nuda, & aperta oculis Dei, *id eſt.* Cunctis Deus præſentiſsimus adeſt.

339 Cap. 8. Verſ. 13. Quod antiquatur, & ſeneſcit prope interitum eſt, *ideſt.* Vetus teſtamentum quando adveniebat novum.

340 Cap. 9. Verſ. 22. Sine ſanguinis effuſione non fit remiſsio, *ideſt*, culpæ adhuc remiſſæ ſua pœna congruit.

341 Cap. 10. Verſ. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, *id eſt.* Qui excutiens leges, & pœnas temporales incidit in æternas.

342 Verſ. 36. Patientia vobis neceſſaria eſt, *ideſt.* Aut pereundum ſtulte, aut patiendum conſtanter.

343 Cap. 11. Verſ. 38. Quibus dignus non erat mundus, *ideſt.* Maiores noſtri plane glorioſi.

344 Cap. 12. Verſ. 6. Quem diligit Dominus caſtigat, *ideſt.* Legitimè etiam pungit ipſa dilectio.

345 Cap. 13. Verſ. 14. Non habemus hic manentem Civitatem, ſed futuram inquirimus, *ideſt.* Poſtremo moriendum eſt nobis.

EPISTOLA IACOBI.

346 CAP. 1. Verſ. 12. Beatus vir qui ſuffert tentationem, *ideſt.* Conſtantia, & fortitudo beatitudo etiam eſt.

347 Verſ. 17. Omne donum perfectum de ſurſum eſt, *ideſt.* Omnia infima infirma ſunt.

384 Cap. 3. Verſ. 5. Exiguus ignis quantam ſylvam incendit, *ideſt.* initia modica ingens parant excidium.

349 Cap. 4. Verſ. 6. Deus ſuperbis reſiſtit, *ideſt.* Eos conterit, & comminuit.

350 Verſ. 15. Si Dominus voluerit, *ideſt.* Nihil ſine Deo.

1. PETRI.

351 CAP. 1. Verſ. 12. Non ſibi ipſis vobis autem miniſtrabant, *ideſt.* Vos in labores eorum introiſtis.

352 Cap. 2. Verſ. 16. Velamen malitiæ libertas, *ideſt.* Prætextu libertatis conſcientię iniquitas tegitur.

## 2. PETRI.

353 CAP. 2. Verſ. 14. Oculos plenos adulterij habente, *ideſt.* Levitatis atque impudicitiæ.

354 Verſ. 17. Fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, *ideſt.* Prophetæ falſi verbis pleni, re vacui.

355 Cap. 2. Verſ. 22. Canis reverſus ad vomitum, *ideſt.* Religioſi Apoſtatæ, & peccatores recidivi.

356 Verſ. 22. Sus lota ad voluntabrum cœni, *ideſt.* Falſa dogmata quæ fovent, & foventur in immunditia.

357 Cap. 3. Verſ. 1. Sicut fur in nocte, *ideſt.* In media tranquillitate repentinus eventus.

## 1. IOANNIS.

358 CAP. 4. Verſ. 18. Charitas perfecta foras mittit timorem, *ideſt.* Servilem; ſecus filialem.

359 Cap. 5. Verſ. 19. Totus mundus in maligno poſitus, *ideſt.* Vbi vis manet, & ſerpit iniquitas.

## 2. IOANNIS.

360 VERS. 12. Os ad os loqui, *ideſt.* Præſens præſenti.

## EPISTOLA IUDÆ.

361 VERS. 12. Nubes ſine aqua arbores autumnales, & infructuoſæ, *ideſt.* Homines inflati, ſed infrugiferi.

## EX APOCALYPSI.

362 CAP. 15. Verſ. Neque frigidus, neque calidus, *ideſt.* Hypocrita.

363 Cap. 21. Verſ. 5. Ecce nova facio omnia, *ideſt.* Chriſto cuncta innovante atque reparante.

364 Cap. 22. Verſ. 12. Reddet vnicuique ſecundum opera ſua, *ideſt.* Iuſtiſsimus erit Iudex, & vindex.

565 Verſ. 13. Ego ſum Alpha, & Omega, *ideſt.* Æternus in me, & principium, & finis cæterorum.

JHS.

# APPENDIX SECUNDA,
## PARS PRIOR

### MEMORIALE BIBLICUM METRICE DISPOSITUM AD vſum Theologorum incipientium.

### *PROOEMIUM.*

CUM metrica ligatura ſit iuvamen non modicum ad aliquid memoriter retinendum, præſertim vbi res ipſæ multæ ſunt, & variæ; placuit admodum pro tota Sacra pagina commemoranda opus illud, quod olim Metro Heroiço concinnavit Alexander de Villa Dei, Doctor Sorbonicus, qui in verſibus ſupra ducentos nucleum totius Sacræ paginæ indicavit, ea arte, vt ſingula verba ſingula capita etiam notata Arithmetice recenſerent. Sed cum hic ſemel, & iterum ſit iam recuſus in Biblijs Ioannis de la Haye, & Ioſephi de Turre Inſtitutionibus; conſultius viſum eſt aliam, huiuſmodi opellulam, necdum recuſam, ſuaviori metro Elegiaco incedentem, neque obſcuriorem hic tradere. Igitur eam à Nicolao Tauſano Noruegio Viro Catholico primùm compoſitam, & poſtmodum à nobis magis ordinatam, & varijs locis correctam ſubijcimus: notantes duo alterum eſt, quod interdum non ſit ſcrupulus metricus in hac, vel illa ſyllaba natura longa aut brevi contrahere, aut protrahere; cum ibi non tàm intendatur lex metrica, quàm memoriæ promptum ſubſidium, & excitatio conciſior. Alterum eſt, quod numeratio Pſalmorum facta eſt more Hebraico, qui videlicèt Pſalmum decimum apud Latinos, ſecat in duos, quare vndecimus apud Hebræos, adhuc decimus eſt apud Latinos: & ita currit deinceps Pſalterium vſque ad Pſalm. 147. & 148. qui ab Hebræis rurſus vniuntur, quo fit vt 150. Pſalmos numerent, vt Latini. At inde naſcitur, quod qui per numeros ſupra poſitos memorare velit aliquem Pſalmum de Verſione Latina, vno debeat numero anteire, v. g. Si vult memorare Pſalm. 10. inter Latinos, excitet ſibi de memoriali noſtro Pſalm. 11. & ſic pergat vſque ad 147. vbi hæc diſcrepantia Hebræorum, & Latinorum reſtituitur.

# VETUS TESTAMENTUM.

## GENESIS HABET. *CAP.* 50.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 5. | MUndus. | Lex fertur. | Peccatur. | Abelus. | Enochus. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10. | Arca fit. | Intrat. | Ales. | Fœdera. | Noachidæ. |

Sura

11 12 13 14 15
15 Turris. It Abramus. Paſtores. Pugna. Fidelis.
16 17 18 19 20
20 Agar Mas. Pulvis. Verſa Gomorra. Soror.
21 22 23 24 25
25 Sara parit. Mactat. Moritur Sara. Nubit. Eſau.
26 27 28 29 30
30 Falſa Soror. Palpat. Scala. Rachel. Baculi.
31 32 33 34 35
35 Labanus. Phanuel. Soccoth. Dina. Beniaminus.
36 37 38 39 40
40 Eſauidæ. Vendunt. Her. Pudor. Eloquitur.
41 42 43 44 45
45 Somnia. Vas Simeon. Prandent. Inventio. Notus
46 47 48 49 50
50 It. Pecudes. Æger. Vaticinatur. Obit.

## EXODUS HABET. *CAP.* 40.

1 2 3 4 5
5 Infantes. Moyſes. Ardens. Sephora. Premantur.
6 7 8 9 10
10 Icova. Cruor. Rana. Peſtilitas. Tenebræ.
11 12 13 14 15
15 Primi. Paſcha. Doce Sobolem. Submerſio. Cantus.
16 17 18 19 20
20 Manna. Amalech. Iethro. Sinaque. Iuſſa Decem.
21 22 23 24 25
25 Talio Furta. Dies Feſti. Eſt in monte. Cherubim.
26 27 28 29 30
30 Velum. Altare. Aaron. Victima. Sanctum Oleum.
31 32 33 34 35
35 Beſeleel. Vitulus. Faciem. Lex Saxea. Dona.
36 37 38 39 40
40 Nemo plus. Arca. Ac Ara. Togæque. Locant.

## LEVITICVS HABET. *CAP.* 27.

1 2 3 4 5
5 Quando holocauſta. Molam. Grates. Pro Crimine. Turtur.
6 7 8 9 10
10 Lex. Sacra. Tunc Aaron. Flamma profana. Foci.
11 12 13 14 15
15 Munda. Puerperium. Lepra. Et mundatio. Fluxus.
16 17 18 19 20
20 Hircus. Ne Sanguis. Turpia. Sancta. Moloch
21 22 23 24 25
25 Pontifices. Vltro. Feſta. Et Blaſphemia. Iobel.
26 27
27 Præmia cum pœnis. Votaque cum decimis.

## NVMERI HABENT. *CAPITA* 36.

1 2 3 4 5
5. Summa. Et Caſtra. Aron. Sacra munia. Zelotypuſque.
6 7 8 9 10
10 Sic benedic. Princeps. Fit Levi. Paſcha. Tubæ.
11 12 13 14 15
15 Carnes. Mariæ lepra. Mittito. Fletus. Odores.
16 17 18 19 20
20 Datan. Virga. Levi. Ruffa iuvenca. Petra.
21 22 23 24 25
25 Serpens. Vox Aſina. Balaam. Benedicito. Scorta.
26 27 28 29 30
30 Summa Videt Terram. Victima. Feſta. Vovens.
31 32 33 34 35
35 Madian Gad Ruben. Stationes. Fines. Aſyla.
36
36 Sit diſtincta Tribus, ſic volo ſic Iubeo.

## DEVTERONOMIVM HABET. *CAPITA* 34.

1 2 3 4 5
5 Commemorat. Sehon. Ogus. Fac iuſſa Decemque
6 7 8 9 10
10 Inſtitues. Statuæ. Pane. Memento. Duæ.
11 12 13 14 15
15 Proemia. Iura. Planus. Ne veſcere. Paſcito Egenum.
16 17 18 19 20
20 Feſta. Volo Regem En dabo. Teſtis. Adeſt.
21 22 23 24 25
25 Suſpenſus Virgo Fœnus. Divortia. Pondus.
26 27 28 29 30
30 Primitiæ. Diræ. Tum bene. Paſcha. Prope.
31 32 33 34
34 Deficiunt vires. Carmen. Benedicit. Obitque.

## IOSVE HABET. *CAPITA* 24.

1 2 3 4 5
5 Confidas. Rahab. Iordan. Lapides. Tibi cultros.
6 7 8 9 10
10 Muri. Achan. Hai. Fraus Gabaone. Stetit.
11 12 13 14 15
15 Subnervat. Victi. Ruben. Calebque. Iehuda
16 17 18 19 20
20 Sors Ephraim. Manaſſe. Ben. Simeon. Tria bis.
21 22 23 24
24 Quadraginta Octo. Contentio. Concio. Obitaque.

## LIBER IVDICVM HABET. *CAPITA* 21.

1 2 3 4 5
Iudà Simon, Lugens. Tres præsunt. Debora. Carmen.
6 7 8 9 10
Dux Gedeon. Lamburnt. Ah! date. Spina. Iair.
11 12 13 14 15
Iephte. En Siboleth. Manue. Leonis. Aselli.
16 17 18 19 20
Samson obit. Michas. Dan. Gaba prava. Cadit.
21
Virgine de rapta Beniaminita viret.

## RVTH *CAPITA* 4.

1 2 3 4
Noèmi. Spicas. Boozus. Nascitur Obed.

## LIBER I. REGVM. *CAPITA* 31.

1 2 3 4 5
Anna. Preces. Samuel. Eli. Iacit Arca Dagonem.
6 7 8 9 10
Arca redit. Samuel. Rex. Asinas. Oleo.
11 12 13 14 15
Nahas. En Tonitru. Mala victima. Ionathan. Agag.
16 17 18 19 20
David. Goliathus. Michol. Abitque. Fides.
21 22 23 24 25
Panes. Crudelis. Ziphæi. Abscissa. Nabalque.
26 27 28 29 30 31
Hasta. David prædans. Spectra. Redux. Io. Obit.

## LIBER II. REGVM. *CAPITA* 24.

1 2 3 4 5
Lugens. Eligitur. Ioab. Miphiboseth. It omnis.
6 7 8 9 10
Oza. Struet. Vincit. Siba. Malignus Hanon.
11 12 13 14 15
Vrias. Nathan. Amnon. Pulcherrimus. Exul.
16 17 18 19 20
Semei. Achitophel. Quercus. Adestque. Seba.
31 32 33 34
Magna fames. Cantat. Verba vltima. Diraque pestis.

## LIBER III. REGVM HABET. *CAPITA* 22.

1 2 3 4 5
Rex Salomon. Moritur. Pharao. Politia. Et Hiramus.

Tem-

6 7 8 9 10
Templum. Arx. Atque dicat. Tum videt. Ecce Saba.
11 12 13 14 15
Fœmina. Scinduntur. Leo. Vates Ahia. Et Asa.
16 17 18 19 20
Samaria. A Corvis. Mactat. Hazael. Achab.
21 22
Nabothus. Cecidit per prælia Victus Achabus.

## LIBER IV. REGVM. *CAPITA* 25.

1 2 3 5 5
Accaron. An Cœlum. Dat aquas. Miracula. Naman.
6 7 8 9 10
Enatat. Haud credit. Ioram. Iehu. Balim.
11 12 13 14 15
Ioiada. Degenerat. Fit vivus. Amasia. Asaria.
16 17 18 19 20
Achaz. Oseas. Ezchia. Strage. Decem.
21 22 23 24 25
Manasses. Iosias. Renovat. Babylon. Iugulantur.

## I. PARALYPOMEN. *CAPITA* 29.

1 2 3 4 5
Ada. Iacobigenæ. Davidis. Iudaque. Ruben.
6 7 8 9 10
Et Levi. Isachar. Beniamin. Omnis. Obit.
11 12 13 14 15
David. Bello apti. Cadit Oza. Hiramus. Et Arca.
16 17 18 19 20
Carmen. Non Templum. Vincit. Hanon. Et io.
21 22 23 24 25
Dinumerat. Salomon. Levi. It Aron. Musica Sacra.
26 27 28 29
Ianitor. Aula Duces. Concio. David obit.

## LIBER 2. PARALIPOMEN. *CAPITA* 36.

1 2 3 4 5
Rex Salomon. Operæ. Templum. Ornamenta. Iehova.
6 7 8 9 10
Orat. Sacrificat. Tibia. Saba. Sichem.
11 12 13 14 15
Ieroboam Sesac. Ebia. En Asa. Monetur.
16 17 18 19 20
Ad Medicos. Iosaphat. Michea. Levi. Preces.
21 22 23 24 25
Ioramus. Ioas. Athalia. Zacharia. Amasia.

Ozias.

26 27 28 29 30
Ozias. Ioatham. Tunc Obed. Ezchia. Phaſe.
31 32 33 34 35
Lucos. Senacherib. Manaſſes. Ioſia. Paſcha.
36
Nabucodonoſor deſtruit omne Decus.

## I. ESDRÆ HABET. *CAPITA.* 10.

1 2 3 4 5
Cyrus. Dinumerat. Feſtum. Hoſtes. Ædificatur.
6 7 8 9 10
Darius. Redeunt. Sacra. Preces. Lacrimæ.

## II. ESDRÆ HABET *CAPITA.* 12.

1 2 3 4 5
Luget. Dat Veniam. Structurę. Lancea. Clamor.
6 7 8 9 10
Impediunt. Numerus. Lex. Prece. Fœdus init.
11 12
Sorte Sacerdotes. Pravè commiſſa reformat.

## TOBIAS. *CAPITA* 14.

1 2 3 4 5
Gabelus. Cœcus. Sara. Et edocet. It Raphaelus.
6 7 8 9 10
Piſcis. Sed Raguel. Salva. Gabel. Abeunt.
11 12 13 14
Sanatur. Raphael. Benedictio. Poſt moriuntur.

## IVDITH. *CAPITA* 16.

1 2 3 4 5
Ecbatanis. Holofernes. Legati. Timor. Achior.
6 7 8 9 10
Vinctus. Et Ozias. Iudith. Et Orat. Abit.
11 12 13 14 15
Intravit. Vagao. Decollat. Truncus. Euntque.
16
Cantat, Feſtivitas, mortua Sancta manet.

## ESTHER HABET. *CAPITA* 10.

1 2 3 4 5
Vaſthi. Eſther. Aman. Mardochæus. Rogat Eſther.
6 7 8 9 10
Annales. Fit Crux. Littera. Sors. Et Honor.

## IOB HABET. *CAPITA* 42.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 5 | Iehova dedit. | Pellem. | Maledicit. | Iustus. | Adestque. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10 | Spicula. | Militia. | Si pius. | Ecce. | Preces. |
| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| 15 | Altior. | Est vilis. | Conscribis. | Perbreve. | Nemo. |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| 20 | In Cœlis. | Vermes. | Impia. | Vivit. | Abit. |
| | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| 25 | Cur felix? | Læti. | Servo. | Cur abdita? | Purus. |
| | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| 30 | Quis tonitrus? | Dives. | Tecta. | Prius. | Iuvenes. |
| | 31 | 32 | 33 | 34 | 35 |
| 35 | Integer. | Eliu. | Pergit. | Respondet. | Et addit. |
| | 36 | 37 | 38 | 39 | 40 |
| 40 | Iustus. | Voce tonat. | Condidit. | Ha! | Behemot. |
| | 41 | 42 | | | |
| 42 | Leviatan Vastus. | Clamat prece Iobus, ovatque. | | | |

## PSALMI SVNT 150.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | |
| 1 | Arbor. | Rex. | Clypeus. | Faciei luce. | Malignus. | |
| | 6 | 7 | 8 | 9 * | 10 | * |
| 10 | Ah! Deus. | Infoveam. | Nomen. | Ovabo.——Procul. | | Hi duo apud Latinos sunt Ps. IX. |
| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | |
| 15 | Sicut Avis. | Pauci. | Spero. | Dementia. | Quisnam? | |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 | |
| 2 | Non linques. | Audi. | Petra. | Revelat. | Equis. | |
| | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 | |
| 25 | Vt Clibanus. | Cur me? | Pastor mihi. | Terra. | Inventæ. | |
| | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 | |
| 30 | Renes. | Vt maneam. | Ne trahe. | Vox. | Lacrimæ. | |
| | 31 | 32 | 33 | 34 | 35 | |
| 35 | Arx mea. | Ter felix. | Non vis. | Penuria. | Pugna. | |
| | 36 | 37 | 38 | 39 | 40 | |
| 40 | Impius. | Oblecta. | Plaga. | Silens. | Venio. | |
| | 41 | 42 | 43 | 44 | 45 | |
| 45 | Commiserans. | Cervus. | Vindex. | Oblivio. | Sponsa. | |
| | 46 | 47 | 48 | 49 | 50 | |
| 50 | Si fremerent. | Rex est. | Dux. | Bona fluxa. | Preces. | |
| | 51 | 52 | 53 | 54 | 55 | |
| 55 | Ablue. | Doègus. | Stultus. | Deus adiuvat. | Alas. | |
| | 56 | 57 | 58 | 59 | 60 | |
| 60 | Fido. | Sunt hastæ. | Frange. | Canes. | Nihil est. | |
| | 61 | 62 | 63 | 64 | 65 | |
| 65 | Turris. | Ne fides. | Vulpi. | Laqueum. | Benedicis. | |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | 66 | 67 | 68 | 69 | 70 |
| 70 | Facta Dei. | Vultum. | Dona. | Sitis. | Proſpera. |
| | 71 | 72 | 73 | 74 | 75 |
| 75 | In Senio. | Salomon. | Mea pars. | Inſignia. | Faces. |
| | 76 | 77 | 78 | 79 | 80 |
| 80 | In Iuda. | Clamo. | Mira. | Iuvato. | Vide. |
| | 81 | 82 | 83 | 84 | 85 |
| 85 | Audito. | Vos Dij. | Summus. | Tua limina. | Ius pax. |
| | 86 | 87 | 88 | 89 | 90 |
| 90 | Longaminis. | Sion. | Ira. | Canamque. | Doce. |
| | 91 | 92 | 93 | 94 | 95 |
| 95 | Spes mea. | Ceu gramen. | Regnat. | Videt omnia. | Vocem. |
| | 96 | 97 | 98 | 99 | 100 |
| 100 | Dij vani. | Iuſto. | Pſallite. | Regnat. | Oves. |
| | 101 | 102 | 103 | 104 | 105 |
| 105 | Ius. | Areſco. | Deo benedic. | Regit omnia. | Pactum. |
| | 106 | 107 | 108 | 109 | 110 |
| 110 | Cum Patribus. | Bonitas. | Gloria. | Lingua. | Sede. |
| | 111 | 112 | 113 | 114 | 115 |
| 115 | Feſta Dei. | Iuſtus. | Pauper. | Iſrael. | Simulacra. |
| | 116 | 117 | 118 | 119 | 120 |
| 120 | Dilexi. | Gentes. | Laus mea. | Lege. | Cedar. |
| | 121 | 122 | 123 | 124 | 125 |
| 125 | Ad montes. | Templum. | Ancilla. | Niſi. | Pax Iſraelis. |
| | 126 | 127 | 128 | 129 | 130 |
| 130 | Captivitas. | Civitas. | Qui pius. | Ave. | Clamor. |
| | 131 | 132 | 133 | 134 | 135 |
| 135 | Sed humilis. | Memor. | Ecce bonum. | Benedicite. | Gentes. |
| | 136 | 137 | 138 | 139 | 140 |
| 140 | Og. | Babylon. | Pſallam. | Si fugiam. | Labijs. |
| | 141 | 142 | 143 | 144 | 145 |
| 145 | Ovis. | Spes mea. | Non faciem. | Vanitas. | Miſerator. |
| | 146 | 147 * | 148 | 149 | 500 |
| 150 | Principibus. | Sermo.——Pſallite. | | Cantus. | Io. |

* Hi duo apud Latinos, ſũt vnus apud Hebræos.

## PROVERBIA HABENT. *CAPITA* 31.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 5 | Ritè time | Quære hanc. | Confidito. | Lux via. | Scortum. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10 | Formicam. | Meretrix. | Clamo. | Vocat. | Domini. |
| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| 15 | Statera. | Qui bonus eſt. | Oris. | Mulier. | Fatuorum. |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| 20 | Lingua. | Bucella. | Fratrem. | Pauper. | Et Ebrietas. |
| | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| 25 | Cor Regis. | Nomen. | Puerum. | Sapientia. | Pomum. |
| | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| 30 | Nec ſtulto. | Nè Cras. | Impie. | Rex. | Medium. |
| | 31 | | | | |
| 31 | Nec Regi vinum melius forti muliere? | | | | |

ECCLE-

## ECCLESIASTES. *CAPITA* 12.

| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
|---|---|---|---|---|---|
| 5 | Sunt vana. | Sub Sole. | Tempuſque. | Pugillus. | Iratus. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10 | Vir dives. | Ira riſu. | Latus. | Amor. | Et Aves. |
| | 11 | | 12 | | |
| 12 | Mitte panem per aquas. | | Creatoris Tuque memento. | | |

## CANTICA. *CAPITA* 8.

| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
|---|---|---|---|---|---|
| 5 | Sum nigra. | Flos Campi. | Vigiles. | Pulcra. | Atque Dilectus. |
| | | 8 | 7 | 8 | |
| 8 | | Paſcitur in lilijs. | In Sunamite | Soror. | |

## LIBER SAPIENTIÆ. *CAPITA* 19.

| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
|---|---|---|---|---|---|
| 5 | Ius. | Atque inſipiens. | Iuſto. | Spurij. | Reclamabunt. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10 | Prudens. | Par Ortus. | Sponſa. | Regit. | Populum. |
| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| 15 | Direxit. | Spiritus. | Lignum. | Navigatio. | Sculta. |
| | 15 | 17 | 18 | 19 | |
| 19 | Plus Ignis. | Timidos. | In luce. | Magnifica. | |

## ECCLESIASTICVS VEL. SIRACID. *CAP.* 51

| | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
|---|---|---|---|---|---|
| 5 | En timor. | Cordis. | Patris. | Elemoſyna. | Firmus. |
| | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 |
| 10 | Taurus. | Multa noli. | Nil lite. | Virgo. | Iudex. |
| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
| 15 | Audito. | Benefac. | Picem. | Lividi. | Vita Morſque. |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| 20 | Præmia. | De Terra. | Quid homo? | Vina | Spado. |
| | 21 | 22 | 23 | 24 | 25 |
| 25 | Ne repetas. | Piger. | A luxu. | Sapiens. | Mulieris. |
| | 26 | 27 | 28 | 29 | 30 |
| 30 | Pars bona | Vas figuli. | Lis. | Mutuum. | Filium. |
| | 31 | 32 | 33 | 34 | 35 |
| 35 | Aurum. | Rectorem. | Mala. | Spes vana. | Munera prava. |
| | 36 | 37 | 38 | 39 | 40 |
| 40 | Orat. | Lingua. | Medens. | Et ſapiens. | Et Soboles. |
| | 41 | 42 | 43 | 44 | 45 |
| 45 | Mors. | Et iuſtifica. | Solem. | Et Heroes. | Patriarchas. |
| | 46 | 47 | 48 | 49 | 50 |
| 50 | Ioſue. | Nathan. | Elias. | Ioſias. | Atque Simon. |
| | | 51 | | | |
| 51 | Primum dat gratias; Laudat; Poſt convocat omnes. | | | | |

PRO-

*PROPHETÆ MAIORES SVNT IV.*

## I. ISAIAS *CAPITA* 66.

1 Bos. 2 In vertice. 3 Calamitas. 4 Septem. 5 Vineęque.

6 Ter Sanctus. 7 Virgo. 8 Petra. 9 Natuſque. 10 Minæ.

11 Virga. 12 Deo Cantat. 13 Babylon. 14 Iacobi. 15 Moabita.

16 Agnum. 17 Damaſcus. 18 Væ. 19 Nilus. 20 Atque Nudus.

21 Edom. 22 Ieruſalem. 23 Tyrus. 24 Væ. 25 Gloria Iehova.

26 Hymnus. 27 Cum Ceto. 28 Væ. 29 Et Ariel. 30 Iſrael.

31 Ægyptus Vir 32 Rex. 33 Latro. 34 Edom. 35 Gloria Carmel.

36 Rabſac. 37 Ezechias. 38 Sol. 39 Baladan. 40 Libanus.

41 Iacob. 42 Alteri non. 43 Timeas ne. 44 Sculptile. 45 Cyrus.

46 Bel. 47 Babylon. 48 Audi. 49 Lux ero. 50 Repudium.

51 Solatur. 52 Sion. 53 Errantes. 54 Sterilis. 55 Sitientes.

56 Iuſtac. 47 Impij pax. 48 Invoca. 49 Lingua. 50 Lumen.

51 Vnctus Ego. 52 Taceam? 53 Edom. 54 Salem. 55 Lupus, & Agnus.

66 Contritum Spititum reſpicit Ipſe Deus.

## II. IEREMIAS *CAPITA.* 52.

1 Sum puer. 2 Exprobrat. 3 Onaget. 4 Polluta Vox. 5 Amatores.

6 Surgite. 7 Ter Templum. 8 Oſſa. 9 Oculis. 10 Aquilo.

11 Non audit. 22 Spinas. 13 Lumbare. 14 Fames. 15 Reliquiſti.

16 Non nubes. 27 Brachium. 18 Vas. 19 Figulique. 20 Pavor.

21 Rex Iudę. 22 Iuro. 23 Paſtores. 24 Ficus. 25 Arabes.

26 Mortem. 27 Catenas. 28 Pax. 29 Filios. 30 Iacob.

31 Fœmina. 32 Clauſus erat. 33 Mundabo. 34 Igne. 35 Rechabitæ.

Libas

36 37 38 39 40
40 Librum. Ne moriar. Capta. Oculis. Liber eſt.

41 42 43 44 45
45 Godoliam. Ægyptum. Taphnis. Maledictio. Baruch.

46 47 48 49 50
50 Necho. Paleſtinos. Vę Nebo. Rabbata. Bel.

51 52
52 Vę Babylon. Civitas Salem, capitur Sedechias.

## THRENI. *CAPITA.* 5.

1 2 3 4 5
6 Sola. Caligo. Vetuſtas. Sunt Nazarei. Pupilli.

## BARUCH. *CAPITA* 6.

1 2 3 4 5
5 Pro Vita Regis. Mala. Sis memor. Alteri. Luctus.

6
6 Idola in Babylon ſit adorare nefas.

## III. EZECHIEL. *CAPITA* 48.

1 2 3 4 5
5 Quatuor. En Librum. Comede. Laterem. Gladiumque.

6 7 8 9 10
10 Mens Iſraël. Floruit. Igne. Viri. Cherubim.

11 12 13 14 15
15 Lebes. Porentum. Mendaces. Tres Viri. Vitis.

16 17 18 19 20
20 De Canaan. Vineam. Latro. Lęna. Fluens.

21 22 23 24 25
25 Gladius. Idolis. Ooliba. Rubigo. Dedani.

26 27 28 29 30
30 Tyrus. Pulcra. Nil eſt. Rex Pharao. Gladio

31 32 33 34 35
35 Heu Cedrus. Planctus. Speculator. Paſtor. Et Edom.

36 37 38 39 40
40 Mons Iſraël. Oſſa. Gog. Magog. En Calamus.

41 42 43 44 45
45 Menſus. Continuat. Holocauſta. Levita. Calendis.

46 47 48
48 Clauſa. Creſcit aqua. Nomina ſunt Tribuum.

## IV. DANIEL. *CAPITA* 14.

1 2 3 4 5
5 Eſcam. Somnia. Fornacem. Pellunt. Mane Tekel.

6 7 8 6 10
10 In Foveam. Quatuor Viſio. Orat. Larymas.
11 12 13 14
14 Perſa Potens. Michael. Suſanna. Lacuſque Leonum.

## PROPHETÆ MINORES SUNT XII.

### I. OSEAS. *CAPITA.* 14.

1 2 3 4 5
5 Scortum. Vir meus. Et Scortum. Ebrietas. Ephraimus.
6 7 8 9 10
10 Sicut Adam. Cani. Vt Aquila. Lappa. Baal.
11 12 13 14
14 Vt Seboim. Chanaan. Ero mors tua Mors. Samaria.

### II. IOEL. *CAPITA.* 3.

1 2 3
3 Prope dies Domini. Cor Scindite. Mittite Falces.

### III. AMOS. *CAPITA.* 9.

1 2 3 4 5
5 Scelera Damaſci. Moab. Azot. Galgala. Planctus.
6 7 8 9
9 Va Diviti. Trullam. Dan. Vivus eſto David.

### IV. ABDIAS. *CAPITA* 1.

1
Accidit hoc Eſau, quod voluit Iacobo.

### V. IONAS. *CAPITA.* 4.

1 2 3 4
4 In Mare proijcitur. Rogat. Ad Ninivemque. Dolebat.

### VI. MICHÆAS. *CAPITA.* 7.

1 2 3 4 5
5 Ira Dei. Rapuerunt. Caruem. Rex tibi. Bethlem.
6 7
7 Feci multa tibi. Fidere Duci noli

### VII. NAHUM. *CAPITA.* 14.

1 2 3
3 Redde Vota Iuda. Ninive piſcina. Locuſtæ.

HA-

## VIII. HABACUC. *CAPITA 3.*

1 2 3
3 Lex lacerata fuit. Lapidi. Sol, Luna ſteterunt.

## IX. SOPHONIAS. *CAP. 3.*

1 2 5
3 Propè dies Domini. Æthiopes. Deſperdito gentes.

## X. AGGÆUS. *CAP. 2.*

1 2
2 Ædificate Dominum. Veniet nunc Deſideratus.

## XI. ZACHARIAS. *CAP. 14.*

1 2 3 4 5
5 Ruffus Equus. Metiar. Septem. Lampas. Volumenque.
6 7 8 9 10
Vir Oriens. Flendum? Baculus. Emath. Agro.
11 12 13 14
14 Virgę. Sit planctus. Paſtorem. Mons Olivarum.

## XII. MALACHIAS. *CAP. 4.*

1 2 3 4
4 Iacobum. Pactum Levi. Mitto. Iuſtitiæ Sol.

## I. MACHABÆORUM. *CAP. 16.*

1 2 3 4 5
5 Antiochus. Simon. Iudas. Et Gorgia. Gentes.
6 7 8 9 10
10 Rex. Nicanor. Bene ſit. Alcimus. Et Ionathàs.
11 12 13 14 15
15 Pactum. Spartiatis. Trypho. Simon. Antiochus Rex.
16
16 Simon Iam Senex Subſtituit Filios

## II. MACHABÆORUM. *CAP. 14.*

1 2 3 4 5
5 Littera. Sic Arcam. Flagrum. Onias. Menelaus.
6 7 8 9 10
Prophanant. Mater. Iuda. Plaga. Nobilem.
10 11 12 13 14
14 Lyſias. Et Nicanor. Menelaus. Alcimus. Onias.

NO-

## *NOVUM TESTAMENTUM.*

*Evangeliſtæ ſunt. IV.*

### I. MATHÆUS HABET. *CAP.* 28.

1 Progenies. 2 Bethlem. 3 Baptiſta. 4 Satanque. 5 Beati.
6 Orandum. 7 Porta. 8 Lepra. 9 Remiſſa. 10 Crucem.
11 Legati. 12 Ionas. 13 Semen. 14 Baptiſta. 15 Catelli.
1 Bar-Iona. 17 Montem. 18 Sed Puer. 19 Uxor. 20 Abi.
21 Pellit. 22 Non dignus. 23 Væ, Væ. 24 Non credite. 25 Sponſus.
26 Ungitur, & Capitur. 27 Golgotha. 28 Tunc Trinitas.

### II. MARCVS HABET. *CAP.* 16.

1 Baptizat. 2 David. 3 Mater mea. 4 Semina. 5 Porci.
6 Herodes. 7 Corban. 8 Turba. 9 Mutuſque. 10 Puer.
11 Montem. 12 Sed tentant. 13 Lapidem. 14 Capitur. 15 Moriturque.
16 Surgit, & apparuit, mittit, & Ipſe vadit.

### III. LUCAS HABET. *CAP.* 24.

1 Eliſabeth. 2 Natus. 3 Ioannes. 4 Tentat. 5 Et Orat.
6 Bis Sex. 7 Naim. 8 Prædicat. 9 Ite. 10 Bonam.
11 Orate. 12 Azymo. 13 Siloe. 14 Cœna. 15 Prodiguſque.
11 Villicus 12 Ac Aquila. 13 Præmia. 14 Mna. 14 Lapidem.
21 Crapula. 22 Paſcha. 23 Cruci. 24 Surgit, & ad Emaus.

### IV. IOANNES HABET. *CAP.* 28.

1 Verbum. 2 Cana. 3 Venit. 4 Samaritica. 5 Scripta Iehovæ.
6 Panis Ego. 7 Veniat. 8 Mœchica. 9 Lux Ego. 10 Oves.

Mars

11 12 13 14 15
15 Martha. Vocat Lazarum. Lavat. Vadit. Vera Vitis.
16 17 18 19 20
20 Triſtes. Atque rogat. Iuda. Cruci. è Tumulo.
21
21 Apparet, piſces, Corrigit atque docet.

## ACTA APOSTOLORVM HABENT. *CAP.* 28

1 2 3 4 5
5 Aſcendit. Linguę. Sermo Petri. Lapis. Aucti.
6 7 8 9 10
10 Septem. Mox Stephanus. Phy Mage. Saule. Petrus.
11 12 13 14 15
15 Gentibus. Herodes. Elymas. Ianua. Lites.
16 17 18 19 20.
20 Lydia. Iaſonis. Gallio. Turba. Troas.
21 22 23 24 25
25 Tharſus ego. Narrat. Lyſias. Felix. Et Aggrippa.
26 27 28
28 Defendit. Navigat. Vipera, Puteoli.

## EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS. *CAP.* 16.

1 2 3 4 5
5 Vani. Lex ſibi ſunt. Non iuſtus. Credidit. Adam.
6 7 8 9 10
10 Gratia. Et interior. Abba. Anathema. Credens.
11 12 13 14 15
15 Non repulit. Data multa. Regi. Eſcam. Suſtine firmè.
16
16 Salutat Fratres & memorata Soror.

## I. AD CORINTH. *CAPITA.* 16.

1 2 3 4 5
5 Schiſma fugies. Crucifixum. Lac. Nil Conſcius. Aufer.
6 7 8 9 10
10 Fraus. Nubant. Eſcam. Currite. TerraDei.
11 12 13 14 15 16
10 Cœnam. Varietas. Charites Taceant. Caro. Salve.

## II. AD CORINTH. *CAPITA* 13.

1 2 3 4 5
5 Eſt eſt. Triſtis. Epiſtola vos. Fictilia. Chriſtus.
6 7 8 9 10
10 Non Belial. Triſtes. Macedo. Fœnore. Nos.
11 12 33
13 Non glorior. Raptus. Ne facitote malum.

## AD GALATAS. *CAP.* 6.

1 2 3 4 5
5 Iter. Antiochę. Mediator. Heres. Mala pugna.
6
6 Erige qui cecidit, ſit Spiritus lenior.

## AD EPHESr 6.

1 3 4 4 5
5 Orat. Vos Cives. Hęredes. Parvuli. Pſalmis.
6
6 Servos, & Filios, quę faeienda docet.

## AD PHILIPPENS. *CAP.* 4.

1 2 3 4
4 Conſtantes laudat. Rapinam. Bravia. Fructum.

## AD COLOS. *CAP.* 4.

1 2 3 4
4 Confortat. Ne Philoſophi. Superna. Salutat.

## I. AD THESSALON. *CAP.* 5.

1 2 3 4 5
5 Gaudet. Et hortatur. Mittit. Rogat. Vltimus vt fur.

## II. AD THESS. *CAP.* 3.

1 2 3
3 Conſolatur. Perditionis homo. Labor, ede.

## I. AD TIMOTH. *CAP.* 6.

1 2 3 4 5
5 Lex bona. Vult ſalvos. Paſtor. Pietas. Viduarum.
6
6 Contentus paucis, cœtera dat Dominus.

## II. AD TIMOTH. *CAP.* 4.

1 2 3 4
4 Collaudat. Fidem, confortat. Vltima. Demas.

## AD TITVM. *CAP.* 33.

1 2 3
3 Presbyteri. Senes. Subditus eſto Regi.

AD

## AD HEBRÆOS. *CAP.* 13.

1 2 3 4 5
Filius. Et Paſſus. Audit. Requiem. Sicut Aron.
6 7 8 9 10
In Spiritum. Salem. En. Manufacta. Libri.
11 12 13
Fides multorumt Corrigit. Hoſpitium.

## IACOBI. *CAPITA* 5.

1 2 3 4 5
Deſuper. Annulus. Et linguam. Mercabimur. Aurum.

## I. PETRI. *CAPITA* 5.

1 2 3 4 5
Sperate, Et lapidem. Mulier. Hoſpes. Seniores.

## II. PETRI *CAPITA.* 3.

3 2 3
Eſt Charitas. Falſi Doctores. Mille ſit vnus.

## I. IOANNIS *CAP.* 5.

1 2 3 4 5
Eſt lux. Ne pecca. Sed adoptio. Non crede. Tres ſunt.

## II. IOANN. *CAPITA* 1.

1
Ave malo dicens Socius Ipſe mali.

## III. IOANN. *CAP* 1.

1
Eſt Diotrepe malus Demetriuſque bonus.

## IVDA. *CAP.*

1
Qui ſemel eſt liber, ſerviat vltra, neget.

## APOCALYPSIS HABET. *CAPITA* 22.

1 2 3 4 5
Alpha. Novum Nomen. Pulſo. Ter Sanctus. Et Agnus.
6 7 8 9 10
Septem. Sed quatuor. Vę. Cruciare. Liber.

Eo

| | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 |
|---|---|---|---|---|---|
| 15 | En Calamus. | Mulier. | Draco. | Agnus. | Angeli Septem. |
| | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| 20 | Sunt Phialę | Babylon | Vę. | Laudate. | Magog. |
| | 21 | | 22 | | |
| 22 | Cœlum, & Terra Nova. | | Clauditur Iſte liber. | | |

# PARS POSTERIOR

## NOMINA SEPTVAGINTA duorum Interpretum, & Septuaginta duorum diſcipulorum Chriſti Domini.

### NOMINA LXXII. INTERPRETVM.

### EX ARISTÆA, QVI REI INTERFVIT.

*EX PRIMA TRIBV.*

IOSEPHVS, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Heliſæus.

*EX SECVNDA TRIBV.*

Indas, Simon, Somoelus, Adeus, Mathias Eſechemias.

*EX TERTIA TRIBV.*

Neemias. Ioſephus, Theodoſius, Baſeus, Ormius, Dutis.

*EX QVARTA.*

Ionathas, Auxeus, Heliſæus, Ananias, Chabrias, Sachus.

*EX QUINTA.*

Iaſachus, Iacobns, Ieſus, Cabatheus, Simon, Levis.

*EX SEXTA.*

Iudas, Ioſephus, Simon, Tacarias, Somelus, Selemias.

*EX SEPTIMA.*

Sabbatheus, Iaſan, Ieſu, Theodorus, Ioannes, Ionatas.

*EX OCTAVA.*

Theodoſius, Iaſon, Ieſus, Theodotus, Ioannes, Ionathas

*EX NONA.*

Theophilus, Abrahamus, Arſamus, Iaſon, Endemias, Danielus.

*EX DECIMA.*

Ieremias, Eleazarus, Tacarias, Baneas, Heliſæus, Datheus.

*EX VNDECIMA.*

Samuel, Ioſeph, Iudas, Ioathes, Cabel, Deſitheus.

*EX DVODECIMA.*

Iſraelus, Ioannes, Theodoſius, Arſamenus, Abietas, Arzecelus: omnes 72.

NOMI-

# NOMINA LXXII.
## DISCIPULORUM CHRISTI D.
### ex Ricciolio.

S. Agabus Profeta, de quo Act. 13. & 21.
S. Ammas, de quo S. Ambrosius Luc. 24.
S. Alexander filius Simonis Cyrenæi, Marc. 15. fuit Avenionensium Episcopus.
S. Ampliatus Episcopus Odissæ.
S. Ananis, qui Saulum baptizavit, Act.
S. Andronicus, de quo ad Romanos 16. Fuit Primus Episcopus Pannoniæ.
S. Antippas, de quo Apocalyps. 2.
S. Appelles, de quo ad Rom. 16. fuit primus Episcopus Smyrnensis.
S. Aristarchus, de quo Act. 27. Fuit Episcopus Apameæ, & deinde Thessalonicens.
S. Aristron. II. Episcopus Salaminæ.
S. Archippus, de quo ad Colossenses 4.
S. Aristobulus Episcopus Britanniæ, de quo ad Rom. 16.
S. Artimas, de quo S. Paulus ad Titum 3.
S. Asynoritus Episcopus Hyrcanorum.
S. Barnabas, qui, & Ioseph Levites Cyprius dicitur, Act. 4.
S. Bartimæus olim cæcus Hiericò à Christo illuminatus, quidam tamen eum diversum putant.
S. Cæsar Dirrhachii Episcopus ex Menologio Græco 15. Maij.
S. Cephas diversus à Petro Episcopus Cariæ,
S. Carpus Episcopus Beroci in Macedonia, de quo 2. ad Timotheum 4.
S. Clemens Episcopus Sardicæ, diversus à Sancto Clemente Papa.
S. Cleophas, de quo Lucæ 24.
S. Crescens, de quo 2. Timothæi 2. primus Episcopus Viennę Gallicæ.
S. Epaphras primus Episcopus Colossensium, de quo ad Colossens. 1.
S. Epaphroditus Episcopus Philippensium, de quo ad Philippenses 2.
S. Evodius successor S. Petri in sede Antiochena.
S. Herastus, de quo Actor. 19. & 2. ad Timothum 4. fuit Episcopus Paneadis, mox Philippensium.
S. Hermes, de quo ad Rom. 16. fuit Episcopus in Dalmatia.
S. Hermes Episcopus Philippopolis in Thracia.
S. Herodion Episcopus Patrarum, & denide Tarsi in Cilicia.
S. Iason, de quo Actor. 17.
S. Iesus iustus, qui cum Paulo salutat Colossens. cap. 4.
S. Ignatius Episcopus Antiochenus post Evodium.
S. Ioannes Senior Episcopus Ephesiorum à Sancto Ioanne Evangelista

constitutus ex Sancto Hieronymo in Cathalog. Script. Eccles.
S. Ioannes Marcus, de quo Actor. 14. & 15.
S. Ioseph iustus S. Mathiæ socius, de quo Actor. 1. Episcopus Heleuteropolis, & deinde Ierosolymæ.
S. Ioseph Ab-Arimathia, de quo Math. 27. profectus ad Britannos.
S. Iudas Cognomento Barsabas, de quo Actor. 16.
S. Iunius Episcopus Apameæ, de quo ad Rom. 16.
S. Lazarus Frater Magdalenæ primus Episcopus Massiliæ.
S. Lucius primus Episcopus Loadices, & deinde Olympiadis.
S. Lucius Cyrenensis Episcopus, de quo Actor. 13.
S. Manahen, de quo Actor. 15.
S. Marcus Evangelista.
S. Marcus Conobrinus S. Barnabæ, de quo Actor. 12. ad Colossenses, & 2. ad Timotheum 4. fuit Episcopus Appolloniadis.
S. Martialis, nempè, Puer ille, qui Ioann. 6. habebat quinque panes hordeaceos, & duos pisces, dictus Puer, ideſt, Iuvenis; fuit Episcopus Lemovicnsium.
S. Mathias primo Discipulus, deinde Apostolus. Actor. 1.
S. Maximinus primus Episcopus Aquis Sextijs.
S. Mnason Cyprius Tarsi primus Episcopus, de quo Actor. 21.
S. Narcysus Episcopus 1. Patrarum in Achaia ordinatus à Sancto Andræa.
S. Nathanael, de quo Ioannis 1. Episcopus Bituricensium; aliqui tamen volunt esse S. Bartholomæum.
S. Patrobas, de quo ad Roman. 16. Episcopus 1. Neapolis, & Puteolorum.
S. Philologus, Episcopus 1. Synopensis, & Paphlagoniæ.
S. Phlegon Episcopus Marathonis in Attica.
S. Priscus Episcopus Colophonis, & deinde Capuæ.
S. Quartus, de quo ad Rom. 16. fuit 1. Episcopus Beryti.
S. Rufus Frater Alexandri, de quo Marc. 15.
S. Rufus alter, de quo ad Rom. 16. creditur fuisse Episcopus Thebarum.
S. Silas, de quo Actor. 16. & 17. fuit secundus Episcopus Corinthiorum.
S. Simeon filius Cleophe tertius Episcopus Ierosolymæ.
S. Simon Niger, de quo Actor. 13. Episcopus Bostrensis in Arabia.
S. Simon Leprosus, aut ille Pharisæus, qui ad Cœnam Christum invitavit, quando Maria Magdalena vnxit pedes Domini.
S. Sosipater, de quo Actor. 10. & ad Rom. 16. fuit primus Episcopus Iconij.
S. Stachis Byzantij Episcopus à S. Andræa Ordinatus.
S. Sidonius, seu Celidonus, nempè, cęcus natus, seu illuminatus à Christo, Episcopus Aquis Sextis post S. Maximinum.
S. Silvanus, de quo 2. ad Thessalonicenses, primus Episcopus Thessalonicensium.
S. Certius, de quo ad Rom. 16. Episcopus Iconij.
S. Thadęo diversus ab Apostolo, ex Abdia Babylonico.
S. Vrbanus primus Episcopus Macedonum.
S. Zachæus, de quo Lucæ 19. Episcopus Cæsareæ in Palestina.
S. Zenas, de quo ad Titum III. primus Episcopus Diospolis in Palæstina. Deest vnus.

NO-

NOTA I. In primo tomo, dum eas partes apparatus digererem, quæ videbantur vtiles pro commoditate discentium, maximè eorum, qui ex munere essent in Palæstra quæstiones aliquot Biblicas defensuri in animo habui methodum, & fontes scribendi quæstiones adijcere, vt quisque pro libito disputationum segetes adaugeret. Quæ tamen licet iam scripta, & præli Magistro data, casu excidit è loco, vbi aliàs reponi deberet: ergo quamquàm hic ad finem adiungi posset, prompta enim est; visum est tamen iam eam nihil desiderari: tùm quia quoad modum, & methodum satis ipsæ quæstiones à nobis exhibitæ poterunt deservire; nisi forte illæ pro tenuitate nostra artem, & ideam perperam servent. Quoad alias quæstiones verò, & Authores, vnde eruuntur; satis sint duo Authores præclari nimirum P. Ormiza, ad calcem Comitis Emmanuelis Thesauri, & P. Montefrigido in sua Methodo Didascalica, qui toti sunt in hoc apparatu explendo cumulatissimè.

NOTA II. Mentis nostræ etiam fuisse ad calcem adijcere illa 613. præcepta legis veteris, partim affirmativa, partim negativa, quæ de Pentateucho eruuntur, vt ex notione magis Analytica totius huius legis plura dubia magis solidè, & litteraliter resolverentur. Verumtamen placuit revocare consilium, tùm ne opus gravaretur, præsertim tàm longo præceptorum censu: tùm quia, quoquomodo ipsa tradantur, nullibi commodius, ac tutius sita esse videntur, quàm in ipsa lege ac Pentateucho, vbi res magis ex ordine comprehendi queat, & vis cuiuslibet præcepti melius indagari: tùm quia qui ea separatim lustrare voluerit, adiecto Commentariolo seu Rationali eiusdem legis, poterit adire Rabbi Moysem Ægyptium in suo opere permisso, quod inscribitur *Director dubitantium*, quod Latine conversum satis esse soler in promptu. Tandem de Antilogijs præter illos, quos primo tomo dedimus præsentaneos, promptus est Tyrinus in Indice Antilogiarum totius Sacræ paginæ, quas in suis Commentarijs ipse Conciliat. Et hæc sufficiant.

---

*Hucusque dicta (quæ ex imo corde subijcio Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sapientum etiam Virorum) cedant in maiorem Dei gloriam, & honorem B. V. Mariæ sine labe peccati originalis conceptæ, & SS. P. N. Ignatij, Michaelis, & Angeli Custodis. Amen.*

JHS.

# INDEX
## LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ quibus hoc opus fulcitur, & illuſtratur.

### EX GENESI.


CAP. 1. verſ. 27. *Maſculum, & feminam creavit eos.* pag. 302.

Cap. 2. verſ. 7. *Et inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* pag. 160.

Verſ. 9. *Lignum ſcientiæ boni, & mali.* pag. 174.

Verſ. 17. *De arbore ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* pag. 254.

Verſ. 24. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* pag. 271. 303. & 304.

Cap. 3. verſ. 5. *Eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum.* pag. 171.

Verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* pag. 254.

Verſ. 22, *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum.* pag. 165. & 176.

Cap. 5. verſ. 19. *Accepit duas vxoree.* pag. 304.

Cap. 5. verſ. 24. *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* pag. 516.

Cap. 8. verſ. 21. *Cogitatio hominis in malum prona eſt ab adoleſcentia ſua.* pag. 398.

Cap. 10. verſ. 32. *Ab his diviſæ ſunt Gentes.* pag. 242.

Cap. 11. verſ. 6. *Et non deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant.* pag. 398.

Cap. 14. verſ. 22. *Levo manom meam ad Deum poſſeſſorem cœli, & terræ.* pag. 411.

Cap. 16. verſ. 2. *Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios: cumque illa acquieſceret deprecanti, &c.* pag. 302.

Verſ. 3. *Dedit eam viro ſuo vxorem.* pag. 311.

Cap. 20. verſ. 7. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* pag. 277.

Verſ. 12. *Alias verè ſoror mea eſt, filia Patris mei, ſed non filia Matris meæ.* pag. 236.

Cap. 21. verſ. 10. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* pag. 311.

Cap. 22. verſ. 2. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & offeres illum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtravero tibi.* pag. 214. & 196.

Verſ. 16. *Per memet ipſum iuravi.* pag. 411.

Cap. 25. verſ. 1. *Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Cetura.* pag. 311.

Verſ. 6. *Filijs autem concubinarum largitus eſt munera.* pag. 308. & 310.

Cap. 30. verſ. 25. *Dixit Iacob Socero ſuo da mihi vxores, & liberos meos.* pag. 302.


EX

## EX EXODO.

CAP. 18. verſ. 18. 19. 20. & 22. *Vltra vires tuas eſt negotium; ſolus id non poteris ſuſtinere, ſed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum. Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam: & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent: leviuſque fit tibi, partito in alios onore.* pag. 321.

Cap. 19. verſ. 5. & 6. *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus: mea enim eſt omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* pag. 257.

Cap. 20. verſ. 1. *Loquutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos.* pag. 256.

Verſ. 4. *Non adorabis Deos alienos, nec facies tibi ſculptile.* pag. 265.

Verſ. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* pag. 274. 411. & 419.

Cap. 22. verſ. 10. & 11. *Si quis commendaveoit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit: iuſiurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui: ſuſcipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.* pag. 411. & 419.

Verſ. 26. *Si pignus acceperis veſtimentum à proximo tuo, ante ſolis occaſum reddes ei.* pag. 266.

Cap. 23. verſ. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti reduc ad eum.* pag. 407.

Verſ. 5. *Si videris aſinum odientis te iacere, non pertranſibis, ſed ſublevabis eum.* pag. 266. & 407.

Verſ. 13. *Et per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audiatur ex ore veſtro.* pag. 274. & 411.

Cap. 32. verſ. 4. *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* pag. 315.

Cap. 34. verſ. 12. 13. 14. & 15. *Cave ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam: ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide. Noli adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen eius Deus æmulator eſt. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis.* pag. 334.

Cap. 40. verſ. 13. *Indues ſactis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* pag. 269.

## EX LEVITICO.

CAP. 5. verſ. 4. & 5. *Anima quæ iuraverit & protulerit labijs ſuis, vt vel male quid faceret, vel benè, & id ipſum iuramento, & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato.* pag. 277. & 411.

Cap. 18. verſ. 5. *Cuſtodite leges meas.* pag. 176.

Cap. 19. verſ. 12. *Non periurabis in nomine meo, neque pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* pag. 274. 411. & 423.

Verſ. 17. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Sed publice argue eum, ne habeas ſuper eum peccatum.* pag. 400.

Verſ. 18. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum ſicut te ipſum.* pag. 263. & 410.

Cap. 27. verſ. 2. *Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam; ſub eſtimatione dabit pretium.* pag. 289. & 293.

Verſ. 28. & 29. *Omne quod Domino conſecratur, ſivè homo fuerit, ſivè animal, ſivè ager, non vendentur, ne-*

*neque redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum Sanctum Sanctorum erit Domino ; & omnis consecratio , quæ offertur ab homine non redimetur ; sed morte morietur.* pag. 288. & 289.

EX LIBRO NVMERORVM.

CAP. 11. Vers. 16. & 17. *Et dixit Dominus ad Moysem. Congrega mihi septuaginta viros de finibus Israel: quos tu nosti , quod senes populi sint ac Magistri : & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis , faciesque ibi stare tecum , vt descendam , & loquar tibi : & auferam de spiritu tuo , vt sustentent tecum onus populi , & tu solus non graveris.* pag. 322. & 323.

Vers. 25. *Descenditque Dominus per nubem , & loquutus est ad eum , auferens de spiritu , qui erat in Moyse , & dans septuaginta viris. Cumque requieviſſet in eis spiritus , prophetarunt , nec vltra cessaverunt.* pag. 325.

Cap. 15. vers. 29. *Vna lex omnium.* pag. 198.

Cap. 21. vers. 2. & 3. *At Israel voto si Domino obligans ait. Si tradideris populum istum in manu mea , delebo vrbes eius. Exaudivitque Dominus preces Israel , & tradidit Cananæum , quem ille interfecit subversis vrbibus eius , & vocavit nomen illius Horma id est Anathema.* pag. 291.

Cap. 25. vers. 16. 17. & 18. *Loquutusque est Dominus ad Moysem dicens : hostes vos sentiant Madianitæ , & percutite eos : quia , & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* pagin. 328.

Cap. 27. vers. 20. *Vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* pag. 315.

*** *** ***
*** *** ***

EX DEVTERONOMIO.

CAP. 5. Vers. 5. *Ego sequester , & medius fui inter Dominum , & vos in tempore illo , vt annuntiarem vobis verba eius.* pag. 258.

Vers. 11. *Non vsurpabis nomen Dei tui frustrà.* pag. 247.

Cap. 6. Vers. 13. *Dominum tuum timebis , & illi soli servies , ac per nomen illius iurabis.* pag. 274. 411. & 419.

Cap. 7. vers. 2. 3. 4. & 5. *Non inibis cum eis fœdus , nec miserebéris earum , nec sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio eius , nec filiam illius accipies filio tuo : quia seducet filium tuum , ne sequatur me , & vt magis serviat dijs alienis. Irascetur que furor Domini , & delebit te cito. Quin potius hæc facietis eis. Aras eorum subvertite , & confringite statuas , lucosque succidite , & sculptilia comburite.* pag. 334.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 16. 18. & 19. *Quia populus Sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus tuus vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis , qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis , vobis iunctus est Dominus , & elegit vos , cum omnibus sitis populis pauciores : sed quia dilexit vos Dominus , & custodivit iuramentum , quod iuravit Patribus vestris ; eduxitque vos de manu Pharaonis Regis Ægypti. Et scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis , & fidelis.... Reddens odientibus se statim , ita vt disperdat eos , & vltra non differt , restituens eis quod merentur... Devorabis omnes populos , quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Recordare quæ fecerit Deus tuus Pharaoni , & Ægyptijs..... Sic facies cunctis populis , quos metuis.* pagin. 334.

Cap.

Cap. 9. verſ. 20. *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo.* pag. 295.

Cap. 9. verſ. 29. 30. & 31. *Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaveris in terra earum: cave ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubverſæ, & requiras cæremonias earum dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita, & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas averſatur Dominus fecerunt dijs ſuis offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* pag. 294. & 295.

Cap. 16. verſ. 20. *Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris.* pag. 212.

Cap. 17. verſ. 8. 9. 11. & 12. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas videris verba variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum. Non declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicij; morietur homo ille.* pag. 320. & 322.

Verſ. 16. *Non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſublevatus.* pag. 358. 339. & 341.

Verſ. 17. *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam eius.* pagin. 301.

Cap. 18. verſ. 15. & 16. *Prophetam de gente tua, & fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt.* pagin. 393.

Verſ. 18. & 19. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquenturque ad eos, omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* pag. 393.

Cap. 21. verſ. 15. *Si habuerit homo uxores duas unam dilectam, & alteram odioſam, &c.* pag. 305.

Cap. 22. verſ. 1. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem erantem, & præteribis, ſed reduces.* Pag. 407.

Cap. 23. verſ. 9. *Quando egreſſus fueris adverſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala.* pag. 327.

Verſ. 14. *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos, & ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* 333.

Cap. 24. verſ. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij.* pag. 426.

Cap. 25. verſ. 19. *Delebis nomen eius ſub Cœlo: cave ne obliviſcaris.* pag. 408.

Cap. 34. verſ. 5. *Mortuus eſt Moyſes iubente Domino.* pag. 508.

## EX LIBRO IOSUE.

CAP. 7. Verſ. 12. *Non ero vltra vobiſcum donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt.* pag. 291.

Cap. 9. verſ. 14. *Os Domini non interrogaverunt.* pag. 279.

Verſ. 19. *Qui reſponderunt eis: iuravimus illis in nomine Domini Dei Iſ-*

*rael ; & idcirco non poſſumus eos contigere.* pag. 278.

EX LIBRO IUDICUM.

CAP. 11. Verſ. 35. *Aperui enim os meum ad Dominum meum, & aliud facere non potero.* pag. 285.

Verſ. 36. *Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi vltione atque victoria de hoſtibus tuis.* pag. 285.

Cap. 21. Verſ. 2. & 3. *Veneruntque omnes ad Domum Dei in Silo ; & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam levaverant vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes. Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis ?* pagin. 277.

Verſ. 8. & 9. *Et ecce inventi ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe, eo quoque tempore cum eſſent in Silo nullus ex ijs ibi repertus eſt.* pag. 277.

Verſ. 18. *Filias enim noſtras eis dare non poſſumus conſtricti iuramento, & maledictione.* pag. 277.

EX LIBRO 1. REGUM.

CAP. 1. verſ. 2. *Helcana habuit duas vxores.* pag. 302.

Cap. 14. verſ. 24. *Adiuravit autem Saul populum dicens : maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* pag. 278.

Verſ. 25. *Liberavit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.* pag. 283.

Verſ. 29. *Dixitque Ionathas : turbavit Pater meus terram.* pag. 283.

Verſ. 39. *Vivit Dominus Salvator Iſrael ; quia ſi per Ionatham filium meum factum eſt, abſque retractatione morietur.* pag. 283.

Verſ. 44. *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat : quia morte morieris.* pag. 278. & 283.

Verſ. 45. *Ergo ne Ionathas morietur qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? Hoc nefas eſt. Vivit Dominus ſi ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus eſt hodie.* pag. 283.

Cap. 15. verſ. 3. *Nunc ergo vade, & percute Amalec ; & dele vniverſa eius.* pag. 328.

Cap. 25. verſ. 42. *Surrexit Abigail, & ſequuta eſt nuntios David, & facta eſt illi vxor. Sed, & Achinoam accepit David, & fuit vtraque vxor eius.* pag. 302.

Cap. 27. verſ. 11. *Virum, & mulierem non vivificabat David.... Hæc fecit David, & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philiſtinorum.* pag. 337.

EX LIBRO 2. REGUM.

CAP. 13. verſ. 13. *Poſtula à Rege, & non negabit me tibi.* pag. 236.

Verſ. 29. *Omnes filij Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.* pag. 339.

Cap. 16. verſ. 22. *Quid mihi, & vobis filij Sarviæ ?* pag. 470. & 476.

Cap. 18. verſ. 9. *Accidit autem vt Abſalon occurreret ſervis David ſedens mulo.* pag. 339.

EX LIBRO 3. REGUM.

CAP. 1. verſ. 38. *Impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis David.* pag. 339.

Cap. 11. verſ. 3. & 4. *Quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, & averterunt mulieres cor eius. Cumque iam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres.* pag. 313.

Cap. 12. verſ. 24. *Non aſcendetis neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael... à me enim factum eſt verbum hoc.* pag. 329.

EX

## EX LIBRO 4. REGUM.

CAP. 2. verſ. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum.* pag. 516.

Cap. 3. verſ. 7. *Miſitque ad Ioſaphat Regem Iudæ, dicens: Rex Moab receſſit à me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui reſpondit: aſcendam: qui meus eſt, tuus eſt: populus meus: populus tuus: equi mei, equi tui.* pag. 342.

Cap. 16. verſ. 3. *Inſuper, & filium ſuum conſecravit, transferens per ignem ſecundum idola gentium.* pagin. 294.

## EX LIB. 1. PARALYPOMENON.

CAP. 18. Verſ. 4. *Subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas ſibi reſervavit.* pag. 340.

Verſ. 6. *Audivitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.* pag. 340.

## EX LIB. 2. PARALYPOMENON.

CAP. 14. Verſ. 11. & 12. *Domine non eſt apud te vlla diſtantia: vtrum in paucis auxilieris; an in pluribus: adiuva nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noſter tu es, non prævaleat contra te homo. Exterruit itaque Dominus Æthyopes coram Asà, & Iuda, & fugerunt Æthyopes.* pag. 235.

Cap. 15. verſ. 3. *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, &c.* pag. 318.

Verſ. 17. *Attamen cor Asà erat perfectum cunctis diebus eius.* pag. 335.

Verſ. 19. *Bellum verò non fuit vſque ad trigeſimum quintum annum regni Asà.* pag. 335.

Cap. 16. Verſ. 2. & 3. *Miſitque ad Benadad Regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: fœdus inter me, & te eſt.* pag. 332. & 335.

Verſ. 3. *Quamobrem miſi tibi argentum, & aurum vt rupto fœdere, quod habes cum Baaſa Rege Iſrael, facias eum à me recedere.* pag. 335.

Verſ. 7. & 9. *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo: idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua...Stulte igitur egiſti.* p. 335.

Verſ. 8. *Nonne Æthyopes, & Libies multo plures erant quadrigis, & equitibus, multitudine nimia, quos, cum Domino credidiſſes, tradidit in manu tua?* pag. 335.

Cap. 19. verſ. 10. *Cumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de Cœremonijs, iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Domino.* pag. 321.

Verſ. 11. *Amarias autem ſacerdos, & Pontifex veſter in ijs, quæ ad Deum pertinent præſidebit.* pag. 322.

Cap. 20. verſ. 12. *Cum ignoremus quid agere debeamus hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* pag. 444.

Cap. 21. verſ. 9. *Cumque tranſiſſet Ioram cum principibus ſuis, & cuncto equitatu, qui erat ſecum, &c. ſurrexit nocte, & percuſit Edom.* pag. 342.

## EX LIBRO IOB.

CAP. 14. xerſ. 18. *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* pag. 525.

Cap. 5. verſ. 17. *Beatus homo qui corripitur à Deo.* pag. 367.

Cap. 15. verſ. 35. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* pag. 401.

## EX LIBRO PSALMORVM.

PSalm. 1. verſ. 1. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum.* pag. 367.

Pſalm. 4. verſ. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* pag. 198.

Pſalm. 18. verſ. 8. *Lex Domini immacu-*

*culata convertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis, iuſtitię Domini lætificantes corda.* pag. 180. & 256.

Pſalm. 19. verſ. 8. *Hi in curribus, & ij in equis; nos autem in nomine Domini.* pag. 339.

Pſalm. 31. verſ. 1. *Beati quorum remiſſę ſunt iniquitates.* pag. 367.

Pſalm. 32. verſ. 17. *Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluavitur.* pag. 339.

Pſalm. 33. verſ. 9. *Beatus vir qui ſperat in eo.* pag. 367.

Pſalm. 48. verſ. 12. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis, qui cito evaneſcunt.* 437.

Pſalm. 61. verſ. 11. *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* pag. 376.

Pſalm. 85. verſ. 14. *Synagoga potentium.* pag. 315.

Pſalm. 102. verſ. 7. *Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael voluntates ſuas.* pag. 195.

Pſalm. 105. verſ. 37. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Canaan.* pag. 294.

Pſalm. 109. verſ. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* pagin. 346.

Pſalm. 111. verſ. 1. *Beatus vir qui timet Dominum.* pag. 367.

Pſalm. 118. verſ. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* pag. 236.

Verſ. 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* pag. 266.

Pſalm. 146. verſ. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* pagin. 339.

## EX LIBRO PROVERBIORVM.

CAP. 8. verſ. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt* pag. 197.

Verſ. 29. *Et legem ponebat aquis ne tranſiret fines ſuos.* pag. 191.

Cap. 16. verſ. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* pag. 44. & ſeqq.

Cap. 24. verſ. 12. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit; & ſervatorem animę tuæ nihil fallit.* pag. 425.

## EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. 4. verſ. 10. *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt: raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* pag. 316.

## EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 3. verſ. 30. *Synagoga ſuperborum.* pag. 315.

Cap. 23. verſ. 9. 10. 11. 13. 14. *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim ſervus interrogatus aſſidue, à livore non minuitur: ſic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate. & non diſcedet à domo illius plaga. Et ſi fruſtraverit, delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit, delinquit dupliciter: & ſi in vanum iuraverit, non iuſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius.* pag. 411. & 42.

Cap. 32. verſ. 1. 2. & 3. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua expleta recumbe: ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* pag. 485. & 487.

Cap. 44. verſ. 16. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* pag. 517. & 518.

Cap. 48. verſ. 10. *Qui ſcriptus eſt in iudi-*

*Iudicijs temporum lenire iracundiam Domini : conciliare cor patris ad filium , & reſtituere tribus Iacob.* pag. 518.

## EX PROPHETIA ISAIÆ.

CAP. 1. verſ. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum , & aſinus præſepe Domini ſui ; Iſrael autem me non cognovit.* pag. 318.

Verſ. 9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* pag. 318.

Verſ. 16. *Aufferte malum cogitationum veſtrarum.* pag. 398.

Xerſ. 19. *Si audieritis me , bona terræ comedetis ; ſi vero me ad iracundiam provocaveritis ; gladius devorabit vos.* pag. 26.

Cap. 2. verſ. 3. *De Sion exibit lex , & verbum Domini de Ieruſalem.* pagin. 345.

Verſ. 7. *Repleta eſt terra eius equis , & innumerabiles quadrigæ eius.* pag. 343.

Cap. 6. verſ. 10. *Excæca cor populi huius , & aures eius aggrava, ne convertantur, & ſanem , eos.* pag. 451.

Cap. 14. verſ. 12. 13. & 15. *Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer , qui mane oriebaris? Corruiſti in terram , qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conſcendam , ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum , ſedebo in monte teſtamenti... Verumtamen ad infernum detraberis in profundum laci.* pag. 525.

Cap. 24. verſ. 5. *Tranſgreſſi ſunt leges , mutaverunt ius , diſſipaverunt fœdus ſempiternum.* pag. 227.

Cap. 31. verſ. 1. *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes.* pag. 339.

Cap. 33. verſ. 22. *Dominus Iudex noſter. Dominus legifer noſter.* pag. 346.

Cap. 45. verſ. 23. 24. & 25. *In memetipſo iuravi egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum : quia mihi curvabitur omne genu , & iurabit omnis lingua Ergo in Domino dicet : meæ ſunt iuſtitiæ , & imperium : ad eum venient ; & confundentur omnes, qui repugnant ei.* pag. 279.

Cap. 5. verſ. 10. *Speculatores eius cæci, omnes neſcierunt , univerſi canes non valentes latrare , paſtores ignoraverunt intelligentiam.* pag. 324.

## EX PROPHETIA IEREMIÆ.

CAP. 2. verſ. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* pag. 319.

Cap. 4. verſ. 2. *Et iurabis vivit Dominus: in veritate , in iudicio , & in iuſtitia.* pag. 409. & 420.

Verſ. 14. *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* pag. 368.

Cap. 5. verſ. 7. *Super quo propitius tibi eſſe potreo? Filij tui dereliquerunt me , & iurant in his , qui non ſunt dij.* pag. 411. & 22.

Cap. 6. verſ. 13. *A propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* pag. 324.

Cap. 12. verſ. 16. *Et erit: ſi eruditi didicerint vias populi mei , vt iurent in nomine meo. Vivit Dominus , ſicut docuerunt populum meum iurare in Baal.* pag. 411. & 420.

Cap. 17. verſ. 13. *Et recedentes à te in terra ſcribentur.* pag. 438.

Cap. 25. verſ. 5. *Revertimini vnuſquiſque à via ſua mala , & peſſimis cogitationibus veſtris.* pag. 398.

Cap. 26. Verſ. 11. *Et loquuti ſunt Sacerdotes , & Prophetæ ad Principes, & ad omnem populum dicentes : iudicium mortis eſt viro huic.* pag. 334.

Cap. 27. verſ. 9. *Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros , & divinos, & ſomniatores , & augures , & maleficos , qui dicunt vobis : non ſervietis Regi Babylonis.* pag. 329.

Verſ. 12. *Subijcite colla veſtra ſub iugo Regis Babylonis , & ſervietis ei, & populo eius , & vivetis.* pagin. 329.

Cap. 32. verſ. 35. *Et ædificaverunt excelſa Baal , quæ ſunt in valle filij Enon vt initiarent filios ſuos , & filias ſuas Moloch.* pag. 294.

## EX PROPHETIA BARVCH.

CAP. 4. Verſ. 1. *Lex, quę eſt in æternum.* pag. 178.

## EX PROPHETIA EZECHIELIS.

CAP. 20. Verſ. 11. *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* pagin. 253. & 261.

Verſ. 25. & 26. *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivent; & pollui eos in muneribus ſuis, cum afferrent omne, quod aperit vulvam.* pag. 260.

Verſ. 28. *Viderunt omnem collem excelſum, & omne lignum nemoroſum, & immolaverunt ibi victimas ſuas, & dederunt ibi irritationem oblationis ſuę.* pag. 261.

Verſ. 30. & 31. *In via Patrum veſtrorum vos polluimini, & poſt offendicula eorum vos fornicamini: & in oblatione donorum veſtrorum traducitis filios per ignem.* pag. 261.

Verſ. 36. & 37. *Vivo ego dicit Dominus Deus: quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuſo regnabo ſuper vos.... & ſubijciam vos ſceptro meo, inducam vos in vinculis fœderis.* pag. 261.

## EX PROPHETIA DANIELIS.

CAP. 7. Verſ. 14. *Et Regnum eius alteri populo non tradetur. poteſtas æterna, quæ non auferetnr, & regnum eius non commovebitur.* pag. 365.

Cap. 10. verſ. 13. *Et ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum, ego remanſi ibi iuxta Regem Perſarum.* pag. 507.

Verſ. 21. *Michael Princeps veſter.* pag. 523.

Cap. 12. verſ. 1. *In tempore illo conſurget Michael Princeps Magnus, qui ſtat pro filijs populi tui.* pag. 508. 524. & 525.

Verſ. 12. *Beatus qui expectat ad dies mille, & triginta quinque.* pagin. 515.

## EX PROPHETIA OSEÆ.

CAP. 3. verſ. 2. *Adhuc vade, & & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram.* pag. 216.

Cap. 4. verſ. 15. *Et ne aſcenderitis in Bethaven, neque iuraveritis vivit Dominus.* pag. 419. & 411.

## EX PROPHETIA IOEL.

CAP. 2. verſ. 32. *Et ſic in ſion, & in Hieruſalem erit ſalvatio vt ait Dominus, & in reſiduis, quos Dominus vocaverit, &c.* pag. 451.

Cap. 3. verſ. 4. *Quid mihi, & vobis Tyrus, & Sydon?* pag. 470.

## EX PROPHETIA SOPHONIÆ.

CAP. 1. verſ. 5. *Eos qui adorant ſuper tecta militiam Cœli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchon.* pag. 411.

## EX PROPHETIA MALACHIÆ.

CAP. 2. verſ. 16. *Cum odio habueris; dimitte, dicit Dominus Iſrael.* pag. 426.

Cap. 4. Verſ. 4. *Mementote legis Moyſi ſervi mei quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael.* pag. 257.

Verſ. 5. & 6. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antbenam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* pag. 516. & 318.

## EX LIBRO 1. MACHABÆORVM.

CAP. 8. Verſ. 18. *Vt auferrent ab eis iugum Græcorum: quia viderunt quod in ſeruitutem premerent Iſrael.* pag. 335.

## EX MATHÆO.

CAP. 1. Verſ. 21. *Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum* pag. 450.

Cap. 2. verſ. 5. & 6. *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethlem terra Iuda.* pag. 317.

Cap. 5. verſ. 1. & 2. *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum ſediſſet; acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos; dicens, &c.* pag. 428. & *ſequentib.*

Verſ. 4. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* pag. 260.

Verſ. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* pag. 378.

Verſ. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere.* pag. 257. & 389.

Verſ. 18. & 19. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum, & terra iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſolverit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines; minimus vocabitur in Regno Cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Pag.

Verſ. 20. *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* pag. 263. & 397.

Verſ. 21. & 22. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis, &c.* pag. 389. 395. & 401.

Verſ. 23. & 24. *Si Ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fuerit, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari frasri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* pag. 401.

Verſ. 25. & 26. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius Iudici; iudex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas novisſimum quadrantem.* pag. 392.

Verſ. 33. 34. 35. 36. & 37. *Iteram audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Ieroſolymam, quia Civitas eſt magni regis: neque per caput tuum iuraveris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* pag. 406. 411. 414. 416. & 423.

Verſ. 43. & 44. *Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* pag. 263. 393. & *ſequentib.* 395. 262. 396. 405. 274. & 346.

Verſ. 48. *Eſtote ergo perfecti, ſicut, & pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* pag. 423.

Cap. 6. verſ. 1. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* pag. 379.

Verſ. 1. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* pag. 379.

Verſ. 2. *Noli tuba canere ante te, & neſciat ſiniſtra tua quæ faciat dextera tua* pagin. 378.

Verſ. 9. *Sic orabitis, Pater noſter, qui es in Cœlis, &c.* pag. 378.

Verſ. 11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem.* pag. 386.

Verſ.

Verſ. 19. *Nolite theſaurizare Theſauros in terra.* pag. 372.

Verſ. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* pagin. 379. & 381.

Verſ. 23. *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?* pag. 378.

Verſ. 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* pag. 379.

Verſ. 32. *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* pag. 379.

Cap. 7. verſ. 12. *Omnia ergo, quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.* pag. 403.

Verſ. 22. *Si quis dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio.* pag. 401.

Verſ. 29. *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.* pag. 393.

Verſ. 33. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum.* pag. 381.

Cap. 10. verſ. 34. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* pag. 404.

Cap. 11. verſ. 14. *Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt.* pag. 519.

Cap. 12. verſ. 38. *Magiſter volumus à te ſignum videre.* pag. 474.

Verſ. 38. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* pag. 480.

Cap. 14. verſ. 6. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* pag. 364.

Cap. 15. verſ. 14. *Si cæcus cæcum ducit: ambo in foveam cadunt.* pagin. 347.

Verſ. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, &c.* pag. 398.

Cap. 16. verſ. 13. & 14. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam alij vero Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* pag. 521.

Verſ. 18. & 19. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolum, & in Cœlis.* pag. 241. 346. 347. 355. 336. 357. 361. & 365.

Cap. 17. verſ. 10. & 11. *Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* pag. 516. 518. & 519.

Verſ. 12. *Dico autem vobis quod Elias iam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic, & filius hominis paſſurus eſt ab eis* pag. 519.

Cap. 19. verſ. 7. & 8. *Quod ego Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* pag. 258. & 426.

Cap. 19. verſ. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* pag. 346.

Verſ. 23. *Dives difficile intrabit in Regnum Cœlorum.* pag. 376.

Cap. 22. verſ. 37. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: proximũ verò ſicut te ipſum.* p. 368. & 400.

Cap. 23. verſ. 2. & 3. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite.* pag. 237.

Cap. 24. verſ. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in vniverſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* pag. 504.

Cap. 26. verſ. 41. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* pag. 347.

Verſ. 66. *Reus eſt mortis.* pag. 317.

Cap. 27. verſ. 17. *Nihil tibi, & iuſto illi.* pag. 470.

Cap. 28. verſ. 19. & 20. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, Spiritus Sancti, docentes eos ſervare, quæcumque mandavi vobis.* pag. 346.

## EX EVANGELIO SECVNDVM Marcum.

CAP. 2. verſ. 27. & 28. *Sabbathum propter hominem factum eſt : & non homo propter Sabbathum. Itaque Dominus eſt filius hominis etiam Sabbati.* pag. 365.

Cap. 4. verſ. 38. *Non ad te pertinet, quia perimus?* pag. 478.

Cap. 10. verſ. 11. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa mœchatur.* pag. 274.

## EX EVANGELIO SECVNDVM Lucam.

CAP. 1. verſ. 1. & 2. *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem quæ in nobis completa ſunt, rerum : ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* pag. 380

Verſ. 3. *Viſum eſt, & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile.* pagin. 382.

Cap. 2. verſ. 49. *Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* pag. 480.

Cap. 6. verſ. 20. *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.* pag. 366.

Cap. 7. verſ. 1. *Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis : intravit Capharnaum.* pag. 372.

Cap. 8. verſ. 28. *Quid mihi, & tibi Ieſu Fili Dei?* pag. 470.

Cap. 10. verſ. 8. *In quamcumque civitatem intraveritis* pag. 347.

Verſ. 20. *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis?* pag. 436.

Verſ. 25. *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* pag. 346.

Cap. 11. verſ. 1. *Cum eſſet in quodam loco orans : vnus ex diſcipulis dixit.* pag. 382. & 385.

Verſ. 3. *Panem noſtrum quotidianum.* pag. 386.

Verſ. 9. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, &c.* pag. 381.

Verſ. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* pag. 367.

Cap. 2. verſ. 20. *O ſtulte hac nocte, &c.* pag. 405.

Verſ. 48. *Vapulabit multis.* pag. 203.

Verſ. 57. & 58. *Quid autem, & à vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt? Cum autem vadis, cum adverſario tuo ad Principem, in via da operam, &c.* Pag. 392.

Cap. 14. verſ. 26. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, &c.* pagin. 404.

Verſ. 31. *Quis Rex iturus committere bellum adverſus alium Regem.* pagin. 247.

Cap. 17. verſ. 22. & 23. *Venient dies, quando deſideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis, ecce hic, & ecce illic.* pag. 510.

Cap. 18. verſ. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* pag. 387.

Verſ. 18. *Quid faciens vitam æternam poſſidebo?* pag. 407.

Cap. 22. verſ. 19. *Hoc facite in mei commemorationem.* pag. 346. & 347.

Cap. 24. verſ. 55. *O ſtulti corde!* pag. 405.

## EX EVANGELIO SECVNDVM Ioannem.

CAP. 1. verſ. 47. *Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo, ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* pag. 454. & ſeqq.

Cap. 2. verſ. 1. *Et tertia die nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galileæ : & erat mater Ieſu ibi.* pag. 461. & 486.

Verſ. 4. *Quid mihi, & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* pag. 467. & ſeqq.

Verſ. 8. *Haurite nunc, & ferte Architriclino.* verſ. 483. & ſeqq.

Verſ. 9. & 10. *Vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : & cum*

*inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum vſque adhuc.* pag. 485.

Cap. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit.* pag. 364.

Cap. 7. verſ. 3. & 4. *Dixerunt autem ad eum fratres eius... Nemo quippè in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi hæc facis manifeſta te ipſum mundo.* pag. 469. & 474.

Verſ. 19. *Nonne Moyſes dedit vobis legem.* pag. 257.

Verſ. 51. *Num quid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat.* pag. 436.

Cap. 8. verſ. 6. *Ieſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra.* pag. 436. & ſeqq.

Verſ. 7. *Qui ſine peccato eſt mittat lapidem in illam.* pag. 438. & ſeqq.

Verſ. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati: quia patrem habemus Deum.* pag. 313.

Cap. 10. verſ. 30. *Ego, & Pater vnum ſumus.* pag. 347.

Cap. 11. verſ. 50. *Expedit vobis, vt moriatur vnus homo pro populo.* pag. 317.

Cap. 13. verſ. 34. *Mandatum novum do vobis.* pag. 344.

Cap. 14. verſ. 16. *Alium Paraclitum mittam vobis.* pag. 347.

Verſ. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* pag. 347. 356. & 359.

Cap. 15. verſ. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis manebitis in dilectione mea.* pag. 346.

Verſ. 12. *Præceptum meum eſt vt diligatis invicem.* pag. 345.

Cap. 18. verſ. 14. *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat.* pag. 172.

Cap. 20. 13. *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis.* pag. 347. & 355.

Cap. 21. verſ. 2. *Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Canâ Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Diſcipulis eius duo.* pag. 457. & 458.

## EX ACTIS APOSTOLORVM.

CAP. 1. verſ. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta.* pag. 474.

Verſ. 25. *Prævaricatus eſt vt abiret in locum ſuum.* pag. 259.

Verſ. 29. *Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam.* pag. 441. & ſeqq.

Cap. 2. verſ. 18. *In diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum.* pag. 447. & ſeqq. & 449. & ſeqq.

Verſ. 20. *Sol convertetur in tenebras, & luna convertetur in ſanguinem.* pag. 448. 450. & 449. & ſeqq.

Verſ. 21. *Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* pag. 449. & ſeqq.

Cap. 7. verſ. 37. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis.* pag. 256. & 257.

Verſ. 38. *Qui accepit verba vitæ dare nobis.* pag. 226.

Cap. 9. verſ. 7. *Viri autem illi qui comitabantur cum eo, ſtabant obſtupefacti, audientes quidem vocem neminem autem videntes.* pag. 490. & ſequentib.

Cap. 15. verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* pag. 383.

Cap. 17. verſ. 28. *Ipſius enim, & genus ſumus.* pagin. 510.

Verſ. 29. *Genus ergo cum ſimus Dei.* pag. 510.

Cap. 22. verſ. 6. 7. 8. & 9. *Factum eſt autem, eunte me, & appropinquante Damaſco media die, ſubitò de Cœlo circumfulſit me lux copioſa: & decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Ego autem reſpondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt vo-*

*vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* pag. 491.

Cap. 23. verſ. 5. *Neſciebam quod Princeps eſſet Sacerdotum.* pag. 324.

Cap. 26. verſ. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. *In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate, & permiſſu principum Sacerdotum, die media in via, vidi, rex, de cœlo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant. Omneſque nos cum decidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quę vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, vt convertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me.* pagin. 490. 491. & 494.

## EX EPISTOLA PAVLI AD Romanos.

CAP. 1. verſ. 9. *Teſtis eſt mihi Deus.* pag. 425.

Cap. 2. verſ. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* pag. 199.

Cap. 3. verſ. 31. *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.* pag. 352. & 389.

Cap. 6. verſ. 14. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* pag. 177.

Cap. 7. verſ. 5. 7. & 11. *Cum eſſemus in carne paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti... Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit... Nam peccatum, occaſione accepta per mandatum, duxit me, & per illud occidit.* pag. 261.

Verſ. 12. & 14. *Lex quidem Sancta, mandatum ſanctum... Lex ſpiritualis eſt; ego autem carnalis ſum.* pag. 256. & 261.

Verſ. 13. *Quod ergo bonum eſt; mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem.* pag. 261.

Cap. 9. verſ. 4. & 5. *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, legislatio, obſequium, & promiſſa. Quorum Patres, & de quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* pag. 256.

Cap. 10. verſ. 4. *Finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* pag. 256.

Cap. 13. verſ. 1. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* pag. 181.

## EX EPISTOLA 1. AD CORinthios.

CAP. 1. verſ. 26. & 27. *Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* pagin. 458.

Cap. 6. verſ. 12. *Omnia mihi licent; ſed non omnia expediunt.* pag. 266.

Cap. 7. verſ. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* pag. 258.

Verſ. 40. *Puto autem quod, & ego ſpiritum Dei habeam.* pagin. 258.

Cap. 9. verſ. 9. *Numquid de Bobus cura eſt Deo.* pag. 194.

Cap. 14. verſ. 33. *Non eſt diſſenſionis Deus ſed pacis.* pag. 377.

Cap. 16. verſ. 14. *Omnia veſtra in charitate fiant.* pag. 213.

EX

# INDEX LOCORVM

## EX EPISTOLA 2. AD CORINTHIOS.


CAP. 1. verſ. 23. *Ego teſtem Deum invoco in animam meam.* pagin. 425.

Cap. 5. verſ. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria prout geſſit in corpore, ſivè bonum, ſive malum.* pag. 162.


## EX EPISTOLA AD GALATAS.


CAP. 3. verſ. 19. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Pag. 257.

Verſ. 23. 24. *Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex Pedagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur.* pag. 256.


## EX EPISTOLA 1. AD THESSALONICENSES.


CAP. 4. verſ. 16. *Nos qui vivimus qui relinquimur ſimul rapiemur cum ipſis obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* pag. 496.


## EX EPISTOLA 2. AD THESSALONICENSES.


CAP. 2. verſ. 3. *Quoniam niſi Diſceſſio primum venerit, & revelatus fuerit homo peccati.* pag. 496. & *ſequentib.*

Verſ. 7. & 8. *Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.* pag. 498. 499. & 504.


## EX EPISTOLA 1. AD TIMOTHEUM.


CAP. 1. verſ. 9. & 10. *Sciens hoc quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impijs, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.* pag. 177. & 424.


## EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.


CAP. 1. verſ. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* pag. 507.

Cap. 6. Verſ. 16. & 17. *Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem, eſt iuramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationes hæredibus immobilitatem conſilij ſui: interpoſuit iusiurandum.* pag. 411. 414. & 417.

Cap. 7. verſ. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius; introductio verò melioris ſpei, per quam approximamus ad Deum.* pag. 268. & 317.

Cap. 8. verſ. 7. *Si prius illud culpæ vacaſſet, non vtique ſecundi locus inquireretur.* pag. 260.

Verſ. 9. *Quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo, & ego neglexi eos.* pag. 261.

Verſ. 13. *Dicens autem novum, veteravit prius, & aufert primum, vt ſtatuat ſecundum.* pag. 317.

Cap. 9. verſ. 8. & 9. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. Quæ parabola eſt temporis inſtantis: iuxta quam munera, & hoſtia offeruntur quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & potibus, & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs*


carn

*carnis vſque ad tempus correctionis impoſitis.* pag. 316.

Verſ. 20. *Hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* pag. 271.

Verſ. 22. *Et ſine effuſione ſanguinis non fit remiſsio.* pag. 271.

Cap. 11. verſ. 5. *Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem.* pag. 516.

EX EPISTOLA CATHOLICA Iacobi Apoſtoli.

CAP. 4. verſ. 1. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris?* pag. 400.

Verſ. 12. *Vnus eſt legislator, & iudex qui poteſt perdere, & ſalvare.* pag. 346.

Cap. 5. verſ. 12. & 13. *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt: non, non: vt non ſub iudicio decidatis.* pag. 411.

EX EPISTOLA 2. PETRI Apoſtoli.

CAP. 2. verſ. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos.* pag. 525.

EX EPISTOLA 1. IOANNIS Apoſtoli.

QVod vidimus, quod perſpeximus, quod teſtamur de verbo vitæ, &c. pag. 521.

EX EPISTOLA CATHOLICA Iudæ Apoſtoli.

VErſ. 9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans aleercaretur de corpore Moyſis*, &c. pag. 507. & *ſequentib.*

EX APOCALYPSI IOANNIS Apoſtoli.

CAP. 1. verſ. 8. *Ego ſum Alpha, & Omega principium, & finis.* pag. 530.

Cap. 2. verſ. 9. *Synagoga Satanæ.* pag. 514.

Cap. 6. verſ. 1. *Cum apperuiſſet vnum de ſeptem ſigillis: audivi vnum de quatuor animalibus dicens: veni, & vide; & vidi*, &c. pag. 514.

Verſ. 9. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* pag. 514.

Verſ. 12. *Cum aperuiſſet ſigillum ſextum, ecce terremotus magnus factus eſt.* pag. 514.

Cap. 8. verſ. 1. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo quaſi dimidia hora.* pag. 513.

Cap. 10. verſ. vlt. *Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis.* pag. 520.

Cap. 11. Verſ. 6. *Et poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* pag. 517. & 520.

Cap. 12. verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. *Et factum eſt prælium magnum in Cœlo. Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo, & proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui ſeducit vniverſum orbem: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſsi ſunt. Et audivi vocem magnam in Cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei*

*noſtri die ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui : & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem, propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Va terræ, & mari: quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet. Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum, & datæ ſunt mulieri alæ duæ duæ aquilæ magnæ.* pag. 508. 223. & 523. *& ſequentib.*

Verſ. 17. *Et iratus eſt draco in mulierem : & abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.* pag. 525.

# FINIS.

IN

JHS.

# INDEX
## RERUM, ET VERBORUM,
### QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

## A


AAron in adoratione vituli quomodo erraverit? Pag. 319. Quos ſucceſſores habuit in Pontificatu? Pag. 320.

Abrogatio. Vid. Lex.

Actus purè interni an, & quomodo prohiberentur in lege veteri? pag. 397. & ſequentib. Actus interni purè tales per legem veterem non præcipiebantur. pag. 263. Poterat tamen peccari in ius naturæ. pag. 264. Actus divini quomodo recti. 193. Actus indifferentes in individuo fundantur. Pag. 253.

Adulteræ liberatio quomodo præſtita. Pag. 439.

Allegoria ſupra litteram, & hiſtoriam cadit quamoptimè. Pag. 166. Allegoriæ Origenis tranſiliunt metas. Pag. 165.

Altare Damaſcenum fuit ad cuius inſtar Vrias Pontifex fecit aliud in templo. Pag. 323.

Anathema ſivè Cherem quid ſit? pag. 293. Anathematis ſivè Cherem finis, & ratio. pag. 296.

Anima non fuit creata ante corpus pag. 162. Eius immortalitas. pag. 163. Eius comparatio cum Angelis. pag. 173.

Anticipatio narrationis quoad orationem Dominicam poteſt admitti in Mathæo, licet non tàm facile. pag. 384.

Apocripha cum canonicis quomodo ſe habeant? pag. 310.

Arbor vitæ veram virtutem habuit conſervandi hominem in æternum. pag. 167. Arbor ſcientiæ boni, & mali fuit vera, & realis. pag. 171. Cuius ſpeciei fuerit prorſus incertum. pag. 172. Arbor boni, & mali ſic appellata fuit ab ipſo eventu, & verbis diaboli dicentis: eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum. pagina 173. & ſequentib.

Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes exponitur. pag. 496.

Architriclinus an fuerit primus in moderatione convivij, potius quam in miniſterio aut invitatione. pag. 484. & ſequentib.

Ariſtoteles irridet immortalitatem Deorum. pag. 168.

Aſsiſtentia Spiritus Sancti Summo Pontifici quo tenore accipienda? pag. 359. & ſequentib.

Auxilium ab infidelibus etiam in bello iuſto contra fideles ex ſuis intrinſecis, & ex iure naturæ licitum eſt. In lege veteri per ſe fuit illicitum. pag. 334. Auxilium Nationis ad Nationem. pag. 332. Au-

xilium præſertim à Domino quærendum. pag. 332. Auxilium an liceat petere, & fœdus inire cum Turcis, vel Hæreticis. pag. 337.

# B

BArtholomæus quomodo ſcribendus? pag. 454. Quo martyrio affectus. pag. 456. Quam ſententiam protulit? pag. 456. Bartholomæus non fuit Nathanael. pag. 457.

Beatitudines à Luca, & Mathæo pronuntiatæ eædem ſunt. pag. 372. & ſequentib. Beatitudines inter ſe comparantur. pag. 373. & ſequentib. Beatitudines Evangelicæ exponuntur. pag. 366. & ſequentib. Trahendæ ſunt ad puncta quædam cardinalia, vt melius concordent. pag. 368.

Belli origo, & diviſio atque conditiones. pag. 326. Belli leges veteres. pag. 327. Belli cauſæ. pag. 327. Bellum in veteri lege ſervatis conditionibus licuit. pag. 328. Per bellum charitas quomodo illæſa? pag. 329. Belli circunſtantiæ, & providentia. pag. De Bello Auguſtini textus præclarus. pag. 330. Bellica Theologica recens tractata eſt per P. D. Antonium Thomam Schiara cui us operis ſummatim datur notitia. pag. 431.

Bellum Olim Deus etiam quoad minutiſsima providebat. pag. 333.

Beza quomodo hallucinatus? pagin. 441.

Blaſphemia indiſpenſabilis à Deo. pag. 225.

# C

CAiphas an erraſſet vn Pontifex? pag. 324.

Calmet (P. D. Auguſtinus Benedictinus) Author in re Biblica præclariſsimus, & vberrimus. pagin. 531. & ſequentib. De ſudore ſanguinno diſſerit *er uditiſsimè* pro qua voce fœde ſubſtit uit Typographus *crudentiſsimè*.

Ceſſatio. Vid. Lex.

Chriſtus quaſi zelo amoris ſui ſuos inſtituit. pag. 379. Chriſtus Dominus legem veterem explicavit atque correxit non autem ſolum traditiones phariſiaicas. pag. 394. & ſequentib.

Cherem. Vid. Anathema.

Chriſtus Dominus digito ſcribens in terra inſtar ſcribentis ſe geſsit, nullam tamen expreſsionem aut ſententiam efformavit. pagin. 438. Chriſtus quomodo fuit verus legiſlaror? pagin. 347. & ſequentib. Chriſtus Dominus in Matrem ſuam reverenter, & amanenter ſe geſsit. pag. 475.

Communicatio quænam debeat includi aut excludi per hanc phraſim quid mihi, & tibi, vel quid michi tecum? pag. 471. Quid mihi, & tibi quomodo exponendum. pag. 470. & 476.

Concionatores ſæpè probationes appellitant id quod nulla eſt probatio, ſed mera explicatio. pag. 448.

Concordiæ Evangelicæ generaliora principia. pag. 369. Concubinarum exceſſus illicitus. pag. 313. De Concubinatu in lege nova quid conſtet? pag. 314. Concubina quid ſit? Pag. 308. De concubinis quid in iure Canonico, & Ceſaræo. pagin. 309. Concubinas habere habere coniugali affectu ad fœcunditatem licuit in lege veteri. pag. 310. & ſequentib. De concubinis verba clara, & præclara P. Pauli Serlogi. pag. 322.

Conſcientia. Vid. Lex.

Conſentire adverſario iuxta Evangegelium quid ſit, & quo modo præſtandum? pag. 392.

Conſilia ſunt in multiplici differentia. pag. 266.

Consilia. Vid. Lex.
Conviviorum leges. pag. 485.
Corrogatio quomodo explicanda? pagin. 488.
Creatio animæ. pag. 160.
Critici Tyronibus præsertim non ad modum congruunt. pag. 532.

# D

DAvid quomodo auxilium præbuit regi Achis? pag. 336.
Derogatio. Vide. *Lex.*
Detentio constructa est phrasis illa 2. ad Thessalonicenses. *Qui teneat*, potius quam duratio Throni. pag. 503.
Deus quomodo dispensare possit in lege naturæ? 217. & seqq. Deus quomodo non possit non prohibere ea quæ prohibet? pag. 206.
Dei tituli super creaturas sunt plurimi. pag. 215.
Diabolus vt ignorans, & mendax etiam dicendo vera mentitur. pag. 175.
Dictamina rationis. Vide. Lex naturæ quid sit.
Dies mille ducenti, & sexaginta quibus duo testes sunt prædicaturi quomodo intelligendi? pag. 522.
Dilectio proximi quomodo præcepta? pag. 399. & seqq.
Discessio posita à D. Paulo facienda dum reveletur homo peccati non est discessio ab Imperio Romano, sed à fide. pag. 498. & seqq. Discessio quid propriè significet. pag. 499.
Dispensatio. Vide *Lex.* Dispensationis conditiones à Papa circa ius divinum. pag. 358. Dispensatio stricta, & laxa in lege naturæ quomodo differant? pag. 217. & seqq.
Divisio rerum quomodo inducta? pag. 234. & 235.

# E

ELectio per sortes prohibita in Canone. pag. 445.
Elias, & Enoch sunt illi duo testes in Apocalypsi commemorati. pag. 518. Elias superstes est. pag. 516.
Enoch verè translatus est, & superstes. pag. 516.
Epikeia, quid sit? pag. 226.
Equorum multiplicatio olim quo sensu interdicta? pag. 341. Equorum vsus. pag. 338. In lege veteri prohibebatur præsertim ad bellum. pag. 339. & seqq.
Essentiæ rerum quomodo immutabiles. pag. 204.
Evangelium quomodo amplum, & breve? pag. 456.
Excidium Imperij Romani, & adventus Anti-Christi creduntur aliquomodo concursura. pag. 497.

# F

FAS. Vide. *Lex.*
Fœdus inter Asà, & Benadab regem Syriæ, & inter Machabæos, atque Romanos quomodo initum? pag. 335.
Fornicatio simplex quomodo sit contra ius naturæ? pag. 229. Fornicatio sumitur pro idolatria. pag. 313.
Fructus de ligno vitæ sæpè sumendus ad non moriendum. pag. 170.
Furtum an Deus possit in eo dispensare. pag. 223.

# G

GEntiles, non excluduntur in prophetia Ioelis. pag. 451.

# H

HArmonia evangelica. Vide. *Concordia.*
Historia prophana varia, & inconstans est. pagin. 532. Historia adulteræ. pag. 436.
Humanum genus etiam post prævaricationem suam communitatem quodammodo retinuit. pag. 244.

# I

IEremias verè mortuus eſt, & ad gentes prophetavit: proindeque non eſt recenſendus alter duorum teſtium qui ſunt in fine mundi venturi. pag. 522. Ieremiæ quomodo ſolemniter mors intenta? pag. 324.

Idęæ divinæ quid ſint? pag. 189. & 196.

Idolatria indiſpenſabilis à Deo. pag. 225.

Ignis, & ſanguis interdum pluere de cœlo viſus. pag. 452.

Ignorantia invincibilis circa ea quæ ſunt de iure naturæ quomodo detur. pag. 206.

Immortalitas diverſimodè conſiderata. pag. 168.

Imperium intellectuale vndè ortum habuit, & quomodo ſalvari poſsit? pag. 199. Imperij Romani defectio adventuſque Anti Chriſti elucidantur ex locis Danielis, Pauli, & Apocalypſis. pag. 504. & ſeqq.

Infallibilitas veteris Pontificis. pagin. 322. Pontificis Romani. pag. 325.

Interpretatio legis naturæ an fieri poſsit? pag. 226.

Interpretatio. Vide. *Lex.* Interpretatio legitima cuiuſvis prophetiæ veteris Teſtamenti quomodo facienda? pag. 450.

Ioannes Evangeliſta non fuit ſponſus in nuptijs Canà Galilæę. pag. 462. Ioannes Evangeliſta non eſt vnus ex duobus teſtibus pro fine mundi deſignatis in Apocalypſi. pag. 521.

Iraſci in fratrem ſuum quo tenore prohibetur in Evangelio? pag. 401.

Iudæi quomodo hallucinati in interpretando Scripturas? pag. 451.

Iuramentum in lege nova, ira, fornicatio, dilectio inimicorum quomodo præcepta? pag. 402. & ſeqq. Iuramentum cuncta iura tangit, naturale, divinum vetus, & novum, canonicum, & civile. pag. 409. & ſeqq. Iuramentum iure naturæ primario otioſum, iure gentium inductum Deo approbante, iure divino veteri in lege cooptatum, iure divino novo declaratum, iure canonico coordinatum, iure civili vſurpatum eſt. pag. 412. & ſeqq. An, & quomodo ſit actus religionis? pag. 415. & 417. & ſeqq. Iuramentum quomodo ſit à malo. pag. 416. Quomodo ſit prohibitum, & præceptum? pag. 419. & ſeqq. Quomodo præceptum morale, & iudiciale? pag. 421. Quomodo in Eccleſia diſpoſitum? pag. 422. & ſequentib. Iuramenti obligatio an ſolum ex alijs virturibus pendeat? pag. 424. Iuramenta an D. Paulus vſurpaverit? pag. 425. Comparatur cum libello repudij. pag. 426. Iuramentum per falſos Deos quomodo ligaret? pag. 427. In eo conciliantur illicitudo, & præceptum. pag. 427. De eo verba Philonis. pag. 427. Iuramentum promiſſorium in lege veteri an aliquando debuiſſet impleri, etiam detecto dolo contra ſubſtantiam contractus? pag. 277. & ſeqq. In iuramento quomodo intelligenda interpoſitio divinæ authoritatis? pag. 280. & ſeqq. & pag. 286. Iuramenta Iudæorum qua fidedigna? pag. 274. Iuramenti diviſio. pag. 273. Iuramentum Saulis quomodo ſervatum à Ionatha? pag. 283. Iuramentum de male faciendo quomodo inteligendum? pag. 287.

Ius generaliter quatenus vſurpetur? pag. 242. Ius naturale cuiuſvis hominis poſt lapſum quale ſit? pagin. 246. Ius naturale quomodo ſtricta dialectica dividendum. pag. 249. Ius primarium, & ſecundarium naturæ quomodo diſpenſabile? pagin. 219: Explicatur ius naturæ funditus, & coordinatur quoad ſuas maximas, & prima principia. pagin. 228. & 229. Poligamia quomodo in ea Deus diſpenſet? pag. 22. Ius gentium materialiter conſideratum eſt

est inadæquatè ius positivum. pag. 247. Iuris Gentium quænam sint. pag. 252. Ius primerium naturæ, & secundarium expenduntur. pagin. 225. Ius gentium verè est ius naturale., & distinguitur à civili. pag. 245. Ius. Vide. *Lex.* Iuris naturæ alia sunt alijs fortiora. pag. 284. Ius gentium ad quæ se extendat? pagin. 243. Cum iure naturali comparatur. pag. 243. Ius naturæ, & positivum exponitur. pag. 239. Contra ius naturæ est omne peccatum iuxta Doctores. pag. 240. De iure naturæ quotupliciter res esse posit? pag. 240. Ius gentium, & naturæ in intimatione quomodo differant? pag. 251. vel 252. Ius gentium quomodo dispensabile? pagin. 250. Quomodo commune omni genti. pag. 251. Ius naturæ circa suas res varias habet classes ex Azor. pag. 306.

Iustitiæ abundantia supra Scribas, & Phariseos quomodo intelligenda? pag. 397.

Iusto non est lex posita. pag. 177.

# L

LEgislatio, & declaratio legis quomodo differant? pag. 397. Legislator verus fuit Christus, & Legislatoris munus egit. pag. 393. Legislatores humani an solum declarent legem naturæ? pag. 237.

Lex vetus quomodo esset ministratio mortis, & in ea abundaret delictum? pag. 259. Legis Iustitia vnde ostendi potest? pag. 238. Legis veteris promissa quænam essent? pagin. 260. Lex quo sensu non sit propter iustos. pag. 177. Lex fomitis dicitur talis analogicè. pag. 177. Quomodo definienda ex D. Thoma, & Augustino? 177. Lex, ius, & fas quomodo distinguenda? pag. 178. Consistit in actu voluntatis essentialiter, præsupositive se habente actu intellectus. pag. 178. Legis promulgatio, & intimatio distinguitur à pura manifestatione voluntatis principis. pag. 179. Legis conditiones. pag. 179. Legis definitio plus Scholastica explicatur. pag. 180. Omnis lex verè talis obligat aliquem in conscientia. pag. 181. Leges pœnales an obligent? pag. 182. Leges an sint aliquæ permissivæ, & quomodo obligent. 184. Privilegium an sit lex? Ibid. Veræ leges sunt constitutiones, & regulæ Religionum. pag. 184. Corpus legis claudit consilia, & hæc verè aliquomodo participant rationem legis. pag. 185 Quotuplex sit lex? pag. 185. Eius causæ, & effectus. pag. 186. Promulgatio legis solum est de essentia legis vt obligantis in actu secundo. pag. 186. Legis mutabilitas per cessationem, abrogationem, derogationem, dispensationem, interpretationem, licentiam, Epikeiam. pagin. 187. Lex æterna distinguitur à divinis idæis. pag. 189. Lex æterna est verè lex, & in quo consistat? Pag. 189. & sequentib. Lex physica rerum exponitur. pag. 191. Quomodo ad legem se habeat imperij, & promulgationis ratio? Pag. 192. Lex æterna non est regulativa actuum divinorum. pag. 193. Lex æterna circa irrationalia exponitur. pag. 194. Lex æterna quomodo distinguatur à providentia. pag. 195. Lex æterna quomodo applicatur per alias leges. Pagin. 197. Lex naturæ quid sit, & in quo consistat? Pag. 198. & 199. Lex naturæ, & conscientia quomodo se habeant? Pag. 200. Lex naturæ etiam sumi solet pro ipsa, etiam gratia ornata. pag. 200. Lex naturæ est præceptiva. 201. & sequentib. Legis naturalis materia explicatur. pag. 207. Contra legem naturæ quodammodo impingunt omnia peccata. pag. 208. Lex na-

naturæ eſt vna, & multiplex. pag. 209. Eſt proxima regula honeſtatis moralis. pag. 210. Eſt lex vniverſalis. pag. 211. Quomodo lex naturæ obliget ad actus virtutis, & modum ipſius? pag. 212. Legis naturæ præcepta ſunt multiplicia. pag. 214. An Deus diſpenſare poſſit in lege naturæ, & quomodo? Pagin. 217. Interpretatio legis naturæ. pag. 226. Lex naturæ, & ius naturæ aliquomodo diſtinguuntur. 227. Diſpenſare in lege naturæ homo quomodo poſsit? pag. 230. & ſequentib. Lex naturæ propriè interpretationem non ſuſcipit. pag. 238. Lex vetus adæquatè ſumpta fuit lex divina pura, ſancta, & honeſta. Pag. 255. & ſequentib. Lex vetus aliqua habuit conſilia, & non præcepta. Pag. 266. Quomodo fuit perfecta? Pag. 266. Legis veteris interpretatio, & diſpenſatio. pag. 267. In lege veteri plura eſſe permiſsivè, & ex ſuppoſitione. pag. 288. Lex vetus diverſimodè obligabat per tempora. Pag. 340. In lege nova quatenus aliqua per Chriſtum adiecta ſunt? Pag. 344. Corpus legis cuiuslibet de quibus reſultet? 345. In lege nova quomodo aliqua ſint de iure naturæ? Pag. 345. Lex nova eſt vera, & proprijſsima lex præceptiva, & verum ac legitimum corpus legis efformat. Pag. 345. & ſequentib. Legis nouæ varia nomina, & quænam iubeat? Pag. 350. Legis veteris, & diſtinctib. pag. 352. Diſpenſatio divina in lege nova quomodo ſe habeat? Pag. 353. Tres in ea ſunt claſſes, inſtitutiva, ſalvativa, & gubernativa. pag. 353. Diſpenſatio, & interpretatio variè conſiderantur. Pag. 354. An, & quatenus poſsit Summus Pontifex diſpenſare in lege Evangelica? Pag. 355. & ſequentib. Legis novæ quænam mutabilitas, & qui caſus rari in diſpenſatione. Pag. 363. & ſequentib. Legis novæ harmonia ordo, & obligatio funditus explicatur, & aperitur. pag. 402. & ſequentib.

Libellus repudij an à Deo fuiſſet? Pag. 258.

Licentia. Vid. Lex.

Lignum. Vid. Arbor.

Lignum vitæ in prophanis etiam advmbratum eſt. pag. 185. Ligni vitæ virtus an fuerit naturalis. Pag. 170.

Loquutiones figuratæ, & proverbiales non evertendæ. Pag. 439.

Loquendi formulæ imperfectionem ſonantes altius accipiendæ ſunt quando Chriſto Domino, & eius Matri attribuuntur. Pag. 468.

# M

MAchabæi diſcretè intellexerunt præceptum Sabbati. pag. 282.

Mala intrinſecè alia ſunt præcisè quoad prædicata rei eſſentialiter ſumpta; alia ſunt intrinſecè mala complexivè ſumpta ſecundum intrinſecum talis complexi circunſtantiarum. pag. 248. Mala quia prohibita; & prohibita quia mala radicitus, & affatim exponuntur. pag. 202. & ſequentib. Mala intrinſecè talia exponuntur. pag. 239.

Malitia purè philoſophica quem locum habeat? pag. 205.

Mandata, & conſilia quomodo ſint intelligenda in lege nova? Pag. 350.

Mannà, & pannes propoſitionis non fuerunt Sacramentum legis veteris pag. 272.

Mariana cum alijs chronotaxin de geſtis Domini elaboravit. pag. 432.

B. V. Maria quodammodo accelerari fecit horam faciendi miracula in Chriſto? Pag. 489. Beata V. Maria in nuptijs Canà nullam tulit reprehenſionem etiam ſimulatam à Filio ſuo. pag. 472. & ſequentib.

B. V. Maria quomodo dicta mulier? pag. 468.
S. Mathiæ electio facta fuit per sortes verè tales. pag. 444. & seqq.
Matrimonium, quomodo indissolubile? pag. 236. Quomodo immutabile in ratione contractus? pagin. 233.
Mendacium, an dispensabile? pag. 224. & 225.
Michael protector olim Synagogæ. pag. 507. An Archangelus, an supremi Ordinis problema est. pagin. 508. Eius prælia insigniora. pagin. 508. Eius prælium cum Diabolo de corpore Moysis qua de causa fuerit? pag. 508. Michaelis prælia ex Daniele, & Apocalysi. pag. 524.
Minima mandata in Evangelio quænam, & quomodo intelligenda. pag. 391.
Miracula Christi an aliqua noverit de filio B. V. Maria ante nuptias? pag. 480. Miraculum in nuptijs Canà quomodo factum. pag. 480.
Mons sermonis Domini non totus acclivis, sed interdum planitie intersectus. pag. 434.
Moyses an computandus sit inter testes in fine mundi venturos? pagin. 519. Moyses quo rigore fuit legislator divinæ legis? pag. 257.
Mulier Apocalypsis quænam fuerit? pag. 527. Mulier, vox erat quæ olim sive ex consuetudine, sive ex varietate linguarum etiam genitrici decenter adscribi poterat. pag. 469.

# N

NAthanael non fuit S. Bartholomeus. pag. 457. Erat vir doctus. pag. 458.
De Nathanaelis apostolatu traditio. pag. 460. De ipso nihil Evangelistæ præter Ioannem. pag. 459.
Nuptię. Vide. *Communicatio, Ioannes, Architriclinus.* Nuptiæ dictæ sunt fieri in Canà Galileæ, quai est duplex Canà. pag. 461. Quomodo intelligi debeat illa dies tertia, in qua fuerunt. Ibidem. Sponsus in eis non fuit S. Ioannes Evangelista. pag. 462. & seqq.

# O

OBligatio legis novæ gravis, aut levis non facile inducenda. pag. 365.
Occidere alium, & occidere se ipsum an dispensabile à Deo. pag. 219. & 222.
Occisionis leges quatenus intelligendæ pag. 298.
Oculi quomodo aperti per arborem scientiæ boni, & mali? pag. 176.
Odium Dei indispensabile à Deo. pag. 225.
Omnia peccata sunt aliquomodo contra legem æternam, & naturæ, quin sint omnia contra ius divinum. pag. 208.
Oratio Dominica semel tradita fuit in monte prout in Evangelio Mathæi enarratur. pag. 380. & seqq. Oratio est medium à Christo datum ab obtinendum regnum Cœlorum. pag. 378.
Origenis error de anima. pag. 161.
Osææ matrimonium declaratur. pag. 216.

# P

PAnis noster quomodo quotidianus, & supersubstantialis est intelligendus. pag. 386. Orationis Dominicæ petitiones dividuntur. pag. 388.
Papa. Vide. *Lex.* Papa an dispensare possit in iure divino? pag. 241. Et in iure naturæ? à pag. 230.
Pauli casus. pag. 490. & 491. Proponitur antilogicè. pag. 490. & 491. Conciliatur antilogia quatenus Socij Pauli audierunt vocem confusam non autem aliquam articulatam sententiam. pag. 492. & seqq.

De tali casu Pauli duplex alia via concilitionis apparens excluditur. pag. 494.

Patrum dicta aliqua quæ hodie sustineri non possunt ; tamen pro suo tempore pie dicta credi debent, & interpretari. pag. 467.

PP. & Expositores ad interpretandum quomodo accedant? pag. 428. PP. excusantur circa nonnulla dicta de nuptijs in Canà Galilææ. pag. 477. & seqq. PP. traduntur, & explicantur in ordine ad connexionem destructionis Imperij Romani cum adventu Anti Christi. pag. 500. & seqq.

Permissio quoad licentiam aut impunitatem. pagin. 253. Permissionis duplex genus. pag. 249. Permissionum differentiæ. pag. 262.

Platonicorum error de anima. pagin. 161.

Pollutio quomodo sit contraria naturæ? pag. 229.

Polygamia. Vide. *Vxor*. Lamech illicitè habuit duas vxores. pag, 305.

Pontifex Hebræorum Summus erat Iudex controversiarum, habebat sub se iudices subalternos. pag. 321. Erat iudex infallibilis. pag. 322.

Potestas Ecclesiastica, & Sæcularis quomodo desuper illustrentur ad condendas leges? pag. 232. Potestas Papæ. Vide. *Lex*.

Præcepta aliqua fuerunt ante legem Moysis. pag. 253. & seqq. Præceptum de arbore vetito explicatur. pag. 254. Præcepta non bona apud Ezequielem quomodo intelligenda? pag. 261. Præcepta Decalogi omnia de iure naturę. pag. 265. Moralia in lege veteri novam induerunt obligationem positivam. pag. 265. iudicialia, & cęremonialia quomodo obligaverint in conscientia. pag. 265. Præcepta veteris legis fuerunt in triplici differentia. pag. 389.

Prælium Michaelis cum Dracone litteraliter ad vtrumque respexit scilicet ad olim commissum inter Angelos bonos, & malos, & in fine mundi committendum contra Anti-Christum, & Sectatores. pagin. 525. & seqq. Prælium Michaelis cum Dracone quomodo referatur ad tempus præteritum, & futurum. pagin. 528. & seqq.

Prævaricatio humani generis quomodo intelligenda? pag. 229.

Princeps quatenus sit legi subiectus? pag. 238.

Privilegium. Vide. *Lex*.

Prophetare quid sit? pag. 448.

Propositio eadem verè mendax respectu vnius, potest esse verax respectu alterius. pag. 172.

Providentia quomodo distinguatur à lege ęterna. pag. 195.

Psalmus 118. dicitur alphabeticus quia versiculi incipiunt cum litteris de alphabetico hebraico octies replicatis. pag. 176.

# Q

QVadrigas equorum centum reservavit sibi David. pag. 340.

Quomodo intelligendum quod Apostoli fuerunt idiotæ? pag. 460.

# R

RAbbi Moyses Ægyptij exponit dari aliqua singularia quæ ex regimine legis non perficiantur. pagin. 399.

Reges Iuda, quando, & quomodo vsi sunt equis? pag. 342.

Regulę, & constitutiones. Vid. *Lex*.

Religio, quomodo ad omnia iura pertineat? pag. 246.

Residentia Episcopi, quomodo dispensabilis? pag. 233.

Revelationes privatę, quomodo accipiendæ? pag. 464.

Ritus sacer de ritu gentilico exortus, pag. 295.

# S

SAcramenta novæ, & veteris legis verè differunt. pagin. 269. Sacramenta veteris legis fuerunt quatuor. Pag. 270. & sequentib.
Sacrificium rei humanę in vsu erat apud Gentiles. pag. 288. Quæ excusationes in sacrificio filiæ Iephtè? 289. Sacrificium an olim Sacramentum? pag. 271. Sacrificio humano delectari in quo stet? pag. 297.
Saturno filij sacrificabantur apud Gentiles. pag. 294.
Scientia experimentalis quid addat scientiæ speculativæ eiusdem rei. pag. 175.
Scribere in terra quid sit? pagina 436. Scriptio in terra quid denotet? Pag. 440. Scriptores Canonici non eundem servant ordinem verborum, & rerum. pag. 449.
Sensus accomodatitius quem locum habeat? Pag. 448.
Sermo Domini in monte iuxta Dominum Siurium per anticipationem positus fuit à Mathæo. pag. 432. Iuxta Marianam verò D. Lucas anticipate retulit electionem duodecim Apostolorum. pag. 433. Sermo Domini in monte idem est qui refertur à D. Mathæo, & à D. Luca. 430.
Sigillum Septimum Apocalypsis exponitur. pag. 512.
Signa sanguinis, ignis, & vaporis fumi sunt exemplariter apposita. pag. 452.
Silentium sigilli septimi Apocalypsis non tàm mysterium quam circunstantia ipsius, litteraliter accipiendum est. pag. 512.
Simplex fornicatio an in ea Deus dispenset? 220. & sequentib.
Solvere aliquid non semper est destruere, sed aliquando absolvere atque perficere. pag. 390.
Sors D. Mathiæ non fuit fortuna; & casus. Pag. 446. Mathiam fuisse Zachæum non improbabile. pagin. 444. Sortium vsus in Sacra Pagina. 442. Sortium differentię. 442. Sortium electio quomodo prohibita? pag. 442.
Spiritus effusio ex Ioele, & Actibus Apostolorum in communi intelligenda est de toto tempore legis gratiæ; specificè verò de Pentecoste, & fine mundi. pag. 449.
Suffragijs an electus D. Mathias? Pagin. 445.
Synagoga variè smmitur. pag. 315. Vsque ad adventum Christi errare non potuit; post eum verò tenebrescere incœpit. 316. & sequentib.

# T

THeologia Moralis per sæcula. & mores hominum variabilis est. pag. 274. Theologia quomodo pag. 456.
D. Thomas aliquando deserit Augustinum. pag. 164.
Traditiones. Vid. Christus.
Traditionem aliquam potuit corrigere Christus licet esset legislator. pagin. 401. Traditiones de sponso nuptiarum quænam? Pag. 464.
Triclinium quid fuerit? Pag. 487.
Turbæ adfuerunt sermoni Domini in monte. 429.

# V

VIndicta an in ea Deus dispensęt? pag. 219.
Vinum in nuptijs Canà an penitus defeciſſet? pag. 488.
Virginitas, quomodo sit de iure naturæ. pag. 220.
Visionibus varijs eædem res vel diversæ circunstantiæ significari solent. pag. 514.

Votum, & iuramentum quatenus dispensabilia? pag. 233. & 234. Voti leges. pag. 289. Voti duplex genus multum notandum. pag. 289. Sacrificium rei humanę an aliquandoquando, & rarò saltem permissivè licuisset in lege veteri? pag. 290. & seqq.

Vrias Pontifex an peccaverit figendo altare ad instar Damacesni? pagin. 323.

Vsura, an in ea Deus dispenset. pag. pag. 219. & seqq.

Vsura, vindicta, & vxorum pluralitas quomodo licita? pag. 262.

Vviclef, & Ioannes Hus quomodo hallucinati? pag. 441.

Vxores plures in lege veteri. pag. 300. A concubinis quomodo different? pag. 301. In lege veteri plures licuit habere. pag.

# Z

ZAchæum fuisse Mathiam non improbabile. pag. 447.

Zelotypię recursus quomodo licitus? pag. 262. Zelotypiæ probatio cur cessaviset? pag. 276.

# FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Scaff. Tobia
Arc. 9
Tab. 3
Num. 4

PALESTRA

BIBLICA

TOM. IV

3613
110